238

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
25 I
7
ROMA

Q-II-11

Digitized by Google

Q = 11 = 37

DE EVCHARISTIA,
VT SACRIFICIO,
ET VT SACRAMENTO,
D. GREGORII ROSIGNOLI.

POTESTAS SACERDOTALIS
IN CORPVS REALE CHRISTI DOMINI,
TRACTATVS
DE EVCHARISTIA;
VT SACRIFICIO,
ET VT SACRAMENTO;
AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO
EX CLER. REG. S. PAVLI
VVLGO BARNABITIS,

AD EMIN.MVM, ET REV.MVM D. D.
ANDREAM
S.R.E. CARDINALEM
SANCTACRVCIVM,
Cum duplici Indice, altero Titulorum, altero rerum locupletiſsimo.

Bibl. S Pudentianæ . 1708.



MEDIOLANI, MDCCVI.

Ex Typographia Ioſephi Pandulphi Malateſtæ.
SVPERIORVM PERMISSV;
Et Privilegio.

Bibl: S. Pudentianę de Urbe

EMINENTISSIMO PRINCIPI
D. D. ANDREÆ
S. R. E. CARDINALI
SANCTACRVCIO.



DON GREGORIVS ROSIGNOLVS
PERENNEM FELICITATEM.

POſtulabat à me iampridem multiplex ratio Eminentiſsime Princeps, vt obſequium in Te meum, alicuius operis nuncupatione publicè conteſtarer. Nam aſsiduè obuerſabatur animo conſtans Tua, Tuorumque in Congregationem noſtram beneuolentia, cui cùm parem referre gratiam nequeamus, illam ſaltem ęquum eſt, grata, qua poſſumus, literarum commendatione celebrare.

 brare.

brare. Accedebat Eminentiſsimæ Virtutis admiratio, quam pluribus titulis inſignem, omnique eminentiorem gradu venerabar, cuius præterea optatiſsimum patrocinium facilè ſcriptis meis eximia Tua humanitas indulſiſset. Ad hanc verò diem diſtuli, quod diutiùs habueram in votis, donec inter Theologicolegalium quæſtionum ſtudia ſublimius aliquid occurreret, quod Amplitudini Tuæ dicari mereretur. En tandem Myſteriorum omnium maximum Tibi offero, quo Dei Filius idem victima, & Sacerdos amoris inſtituit ſacrificium, & latens idem, ac præſens in Aris verſari gaudet cum filijs hominum, idem fons Gratiæ, & Gloriæ pignus. Quanuis igitur exiguum ſit quidquid hic eſt operæ meæ, ſi tamen Doctrinę materiem ſpectes, nihil ſanè prę ſtantiùs Tibi offerri à me poterat, quàm illud venerabile Sacramentum, quo nil mirabiliùs Fides, nil Diuinius in Terris habet Religio. Immò quid acceptiùs Tuæ Pietati offerrem, quæ non tàm Tua eſt, quàm Tuorum ſpectatiſsima Virtus, & quaſi proprium Gentis inſigne? Vos enim, quanuis clariſsimam è Romanæ nobilitatis antiquitate ducatis originem, poſt illatum in Vrbem à Valerio veſtro Redemptoris trophæum, nouum pio facto vocabulum aſſecuti, Sanctacrucij dici maluiſtis, quàm Publicolæ; vt liqueat Vos, qui antiquiores Valerios, & celebres in veterum Romanorum Hiſtorijs Heroes inter Gentiles veſtros recenſetis, Religionis laudem profanæ gloriæ anteferre. Quanuis quid ad pleniſsimam Gloriam deſideret Sanctacrucia Familia, in quam confluxit honorum omnium cumulatiſsima congeries? Illam præclariſsimæ affinitates, illam Principum gratia, illam Militares, Ciuiles, Eccleſiaſticæ Pręfecturæ, tàm vberi ornarunt ſplendoris prouentu, vt noua ſemper decora continuata ſerie ſuccedant; nec breuis ſit paginæ fortiſsimos Duces, Legatos, Præſules, Patres purpuratos omni virtutum genere pręſtantes in Gente veſtra numerare. At quorſum tot præſtantium virorum Nomina tenui calamo huc reuocanda ſuſciperem, qui eloquentiſsimos habent præcones Hiſtoriam, & Famam? Quorſum inſuper Maiorum merita prolixiori Oratione proſequerer, quæ in Te vno, tanquam in viua imagine, paribus intueor lineamentis excellentèr expreſſa? Par

quidem

quidem Sanctacrucio ſanguini generoſa indoles, par Animi præſtantia, prudentia, integritas grauiſsima tibi munera Summorum Pontificum ſuffragio meruere; & quæ in Pannonica, & Viennenſi Legatione tanto cum plauſu emicuerant, nunc in Vaticano Senatu, in Eccleſiæ Viterbienſis adminiſtratione, in Vrbis, atque adeò totius orbis oculis luculentiùs effulgent. Hæc non quæſitum aliundè, ſed proprium, ſincerum, perpetuum Tibi texunt elogium. Verùm inter ſelectiores Tuas dotes ſingularem præ cæteris Pietatem præ oculis habui, cui Sacroſanctum Myſterium his à me tractatibus explicatum, commendarem; cuius venerabilis dignitas non dubito, quin apud Te aliquid gratiæ paginis etiam meis conciliet, quas ad perennem obſeruantiæ meæ teſtificationem Eminentiſsimo Tuo Nomini ſacro. Vale.

Nos

NOs infraſcripti teſtamur in libro, qui inſcribitur POTESTAS SACERDOTALIS IN CORPVS REALE CHRISTI DOMINI, TRACTATVS DE EVCHARISTIA, VT SACRIFICIO, ET VT SACRAMENTO P. D. Gregorij Roſignoli Congregationis noſtræ Clericorum Regularium S. Pauli Presbyteri Profeſſi a nobis de mandato Admod. R. P. D. Idelphonſi Manaræ Præpoſiti Generalis noſtri diligentèr lecto nihil reperiri, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus officiat; immò vtile fore cenſemus, ſi typis expreſſus eulgabitur.

Dat. Mediolani in Collegio S. Alexandri die 25. Menſis Auguſti 1704.

D. Io: Claudius Puteobonellus Delegatus.

D. Malachias Paueſius Delegatus.

DON IDELPHONSVS MANARA
Congregationis Cler. Reg. S. PAVLI
Præpoſitus Generalis.

CVm Librum, cui Titulus eſt POTESTAS SACERDOTALIS IN CORPVS REALE CHRISTI DOMINI, TRACTATVS DE EVCHARISTIA, VT SACRIFICIO, ET VT SACRAMENTO, à Patre Don Gregorio Roſignoli Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo, compoſitum, duo eiuſdem Congregationis noſtræ eruditi viri, quibus id commiſimus, accurrata lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſſe in lucem edi probauerint. Nos, vt Typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, ſigilloque noſtro muniri iuſſimus.

Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 6. Septembris 1704.

D. Idelphonſus Manara Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sitonus Cancell.

DOctè, & expeditè Adm. Reu. P. D. Gregorius Roſignolus ex Clericis Regularibus Sancti Pauli Vir inter ſapientes clarus, iſto in Volumine expreſſit, quæ de SANCTISSIMA EVCHARISTIA, VT SACRIFICIO, ET VT SACRAMENTO, ſcitu neceſſaria occurrere ſolent. Cùmque in eiſdem attentè conſideratis, nihil vel Apoſtolicæ Fidei, vel innocuis oppoſitum moribus inuentum à me fuerit; Literariæ Reipublicæ beneficio illa concedi poſſe, æquum duxi. Nonis Octobris, Anno MDCCIV.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ, & ſacrorum Canonum Profeſſor, in Sanctiſſimo Inquiſitionis Tribunali Mediolani Conſultor, Librorum Cenſor &c.

IMPRIMATVR

Fr. Angelus Maria Battiani Sac. Theol. Mag., ac Vicarius Generalis S. Officij Mediolani.

Bartholomæus Craſſus Can. Ord. pro Eminentiſs. Card. Archiepiſcopo.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſs. Senatu.

IN-

INDEX

QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET SECTIONVM.

QVÆSTIO I.

De ratione ſacrificij ſecundum ſe.

ART. 1. QVid ſit ſacrificium, & quotuplex. pag. 2
2. Quid propriè ſit ſacrificium Miſſæ. 3
3. An ad eſſentiam ſacrificij Miſſę requiratur conſecratio ſub vtraque ſpecie. 8
4. Quęnam ſit materia propria, ſeu res oblata huius ſacrificij. 10
5. An in Miſſa verè detur duplex ſacrificium. 12

QVÆSTIO II.

De valore, & effectibus huius ſacrificij.

ART. 1. QVotuplex ſit valor ſacrificij Miſſæ. 13
2. An valor ſacrificij Miſſæ ſit finitus, an infinitus. 14
3. An valor ſacrificij Miſſæ ſit infinitus extenſiuè. 17
4. De ſacrificio Miſſę, vt propitiatorio. 22
5. De eodem ſacrificio, vt ſatisfactorio, & impetratorio. 27

QVÆSTIO III.

De cauſa efficiente ſacrificij Miſſæ.

ART. 1. AN, & quomodo Chriſtus Dominus ſit principalis efficiens. 30
2. An, & quomodo Sacerdos offerat. 33
3. De intentione miniſtri requiſita ad ſacrificandum. 37
4. Expenduntur nonnulla circa eandem intentionem miniſtri. 45
5. Exploduntur nonnulla quoad applicationem ſacrificij. 57
6. De requiſitis in Sacerdote ſacrificaturo, ſi non ad validam, ſaltem ad licitam confectionem, & ſumptionem. 65
7. De requiſitis in miniſtro ſacrificij Miſſæ ex parte Corporis. 80
8. De alijs diſpoſitionibus requiſitis ex parte Corporis. 95
9. De alijs offerentibus minus principalibus. 97

QVÆSTIO IV.

De cauſa materiali, & ſubiectiua ſacrificij Miſſæ.

ART. 1. QVænam ſit cauſa materialis remota. 100
2. De materia remota conſecrationis Sanguinis. 104
3. An, & quomodo aqua vino commixta conuertatur in Sanguinem. 108
4. De cauſa materiali ſacrificij Miſſæ, prout importat complexum ex re ſignificante, & ſignificatione. 114
5. De cauſa materiali, & ſubiectiua effectus ſacrificij Miſſæ in ordine ad viuentes. 116
6. De cauſa ſubiectiua effectus Miſſæ in ordine ad defunctos. 121

QVÆSTIO V.

De cauſa formali, & finali ſacrificij Miſſæ.

ART. 1. AN verba conſecratoria ingrediantur intrinſecè conſtitutionem Euchariſtiæ, &, an conſtituant intrinſecè ſacrificium in ratione rei oblatæ. 126
2. Quomodo in conſecratione deſinat ſubſtantia panis, & vini. 129
3. Quomodo Chriſtus Dominus conſtituatur ſub ſpeciebus panis, & vini, & quomodo deſinat. 132

4. In

4. In quibuſnam verbis conſiſtat forma eſſentialis Euchariſtiæ. 143
5. An ad validitatem conſecrationis requiratur, vt verba proferantur enuntiatiuè ſimul, & recitatiuè, an ſufficiat, quod altero ex his modis proferantur. 152
6. De veritate verborum conſecrationis. 155
7. Quid important in formis conſecrationis pronomina *Hoc*, & *Hic*. 157
8. Quinam ſit terminus formalis formę conſecratoriæ, & quinam concomitans. 160

QVÆSTIO VI.

De modo, quo Chriſtus exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Art. 1. IN quo conſiſtat Sacramentalis præſentia Chriſti ſub ſpeciebus. 165
2. An Chriſtus tum relatè ad ſpecies, tum ad locum ſpecierum ſit totus in toto, & totus in ſingulis partibus. 168
3. An præſentia Sacramentalis Chriſti Domini connectatur cum naturali, & ab iſta dependeat. 173
4. An, & quomodo Chriſtus, vt exiſtens ſub ſpeciebus poſſit agere, & pati. 176

QVÆSTIO VII.

De ſpeciebus panis, & vini conſecratis.

Art. 1. AN de fide ſit omnia accidentia panis, & vini, quæ ante conſecrationem inerant ſubſtantiæ eorundem, remanere poſt conſecrationem. pag. 187
2. Quomodo, & per quid quantitas panis remaneat in Sacramento ſine ſubiecto. 189
3. Quomodo, & per quid alia accidentia à quantitate remaneant in Sacramento. 192
4. An accidentia panis, & vini in Sacramento remanentia poſſint agere, & pati, ſiue accidentalitèr, ſiue ſubſtantialitèr. 195
5. Nonnulla corrolaria ex prædictis deducenda. 202

QVÆSTIO VIII.

De obligationibus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ, & ſumendi Euchariſtiam.

Art. 1. AN ſumptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. 204
2. An detur præceptum Diuinum de Euchariſtia ſumenda, & quando, & quos obliget. 206
3. An, & pro quonam tempore obligentur fideles ad ſumptionem Euchariſtiæ ex præcepto Eccleſiaſtico. 211
4. An ſit præceptum Diuinum, vel Eccleſiaſticum communicandi tantum ſub vna ſpecie, an ſub vtraque. 215
5. An communio quotidiana, & frequens quandoque fuerit ſub præcepto, & an modo, & quomodo conſulenda. 222
6. An ſit in Eccleſia Dei præceptum de audienda Miſſa, & quale illud ſit. 224
7. Quoſnam, & quando obliget hoc præceptum. 225
8. Qualem, & quantam Miſſam teneantur fideles audire ad hoc præceptum implendum. 228
9. An, & quomodo ſupplendus ſit defectus omiſſionis partis Miſſæ. 232
10. An Latinus audiens Miſſam Sacerdotis Græci ſuo ritu celebrantis in partibus Latinorum ſatisfaciat præcepto. 235
11. De onere audiendi ſacrum relatiuè quoad locum. 237
12. An ſatisfiat præcepto per auditionem ſacri in Oratorio priuato; vbi de priuilegijs, quæ in hoc conceduntur. 239
13. An in priuato Sacello poſſit communio conferri priuilegiatis, & alijs. 245
14. De auditione ſacri in Oratorijs Regularium. 246
15. Explicantur obitèr nonnulla ad Regularium Oratoria ſita in eorum domibus ruralibus pertinentia. 249
16. De onere audiendi ſacrum relatiuè quoad tempus. 252
17. Qualis debeat eſſe aſſiſtentia Miſſæ ad ſatisfaciendum præcepto. 256
18. An poſſit compati attentio ſufficiens ad auditionem ſacri cum alijs actionibus, & quibus. 258
19. An obligatus pro eadem die ad audiendas tres Miſſas, alteram ex præcepto, alteram ex voto, alteram ex pœnitentia ſatisfaciat triplici illi oneri audiendo tres ſimul celebratas in diuerſis Altaribus. 262
20. De intentione requiſita ad ſatisfaciendum præcepto auditionis ſacri. 264
21. De cauſis excuſantibus ab auditione ſacri in die feſto. 267

QVÆSTIO IX.

De Ritibus, quibus offerendum eſt Miſſæ ſacrificium.

Art. 1. DE Altari requiſito ad ſacrificium, eiuſque ornatu. 273

2. De

2. De vaſis ſacris, in quibus hoc ſacrificium offerendum eſt. 279
3. De Præparatione ad Miſſam celebrandam. 285
4. De prohibitione vſus pileoli, vel alterius capitis tegumenti in celebratione Miſſæ. 287
5. De neceſſitate, conuenientia, & ſignificatione ſacrarum veſtium. 288
6. De neceſſitate miniſtri, ſeu miniſtrorum in ſacrificio Miſſæ. 290
7. De ritibus Miſſæ, qui in verbis conſiſtunt. 294
8. De Cæremonijs in ſacrificio Miſſæ, quæ conſiſtunt in actione. 297
9. De ſpecialibus ritibus Miſſæ ſolemnis, defunctorum, & aliarum. 300
10. De ritibus in Miſſis votiuis, & quatuor ſacrorum temporum ſeruandis. 303

QVÆSTIO X.

De defectibus in Miſſa occurrentibus, eorumque ſupplemento.

Art. 1. Explicantur in vniuerſum defectus, qui contingere poſſunt in Miſſa. 305
2. An contrahatur aliqua culpa, & quæ-nam in huiuſmodi defectibus. 307
3. An, & quomodo ſupplendi ſint defectus circa ſubſtantialia Miſſæ. 312
4. An, & quomodo occurri poſſit defectibus circa formam. 317
5. An, & quomodo occurri poſſit defectibus circa intentionem, & attentionem. 319
6. Nonnulla corrolaria ad prædicta. 324
7. An, & quomodo ſuppleri poſſint defectus circa cæremonialia. 326
8. An, ſi præuideatur defectus aliquis non poſſe prçcaueri in Miſſa, ſit potius omittenda Miſſa, quam committendus ille defectus. 329

QVÆSTIO XI.

De obligationibus Sacerdotum circa Miſſas.

Art. 1. De obligationibus, quæ conſurgunt ratione loci. 333
2. An, ſi teſtator diſponat Miſſam quotidianam celebrari in certo Altari nulla facta mentione applicationis ſacrificij pro ſe, vel ſuis, teneatur Sacerdos ad hoc electus applicare Miſſas pro ipſo, vel ipſis. 339
3. De obligationibus Sacerdotum ratione temporis. 341
Sect. 1. Elucidantur quæſtiones, quæ pertinent ad illam particulam. *Nunquam.* 342
2. Expenduntur difficultates circa illam particulam. *Sapiùs.* 346
3. Expenduntur difficultates circa illam particulam. *Tardiùs.* 351
4. Expenduntur dubia circa illam particulam. *Citiùs.* 354
5. An vtiliùs ſit curare ſibi Miſſas celebrari poſt mortem, vel anticipatè in vita, & an meliùs ſit curare, vt plures Miſſæ ſibi vna die applicentur, an verò ſucceſſiuè. 356
6. Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad particulam. *Rariùs.* 357
7. An vigente ritu in aliqua Diœceſi, ſeu Prouincia, quod pro aliqua die non celebretur Miſſa, poſsit Sacerdos illius Diœceſis, ſeu Prouinciæ obligatus quotidiè celebrare, pro illa die in Eccleſia non adſtricta illi ritui celebrare, & ſtipendium recipere. 360
4. De obligationibus Sacerdotis ratione ritus. 362
5. An ad liberationem animæ ex conceſsione Pontificis facta Altari priuilegiato per celebrationem Miſſæ pro defuncto neceſſe ſit, vt Miſſa celebretur de requiem. 364
6. Expediuntur nonnulla quoad Miſſas in in Altari priuilegiato celebrandas ad indulgentiam conſequendam. 366
7. De obligatione Sacerdotum ratione ritus quoad triginta Miſſas D. Gregorij. 372

QVÆSTIO XII.

De ſtipendio Miſſarum, & obligationibus Sacerdotum ex ſtipendio.

Art. 1. Quonam titulo huiuſmodi ſtipendia recipiantur. 374
2. An Sacerdos diues poſſit ſtipendium exigere ab eo, qui ab ipſo petit Miſſæ ſacrificium. 376
3. Quodnam ſit iuſtum Miſſarum ſtipendium. 377
4. An Sacerdos pauper poſſit acquirere duplicata, vel pinguiora ſtipendia. 379
5. De pçnis contra pluries celebrantes eadem die contra ſtatuta Eccleſiæ. 380
6. An Regulares gaudeant aliquo priuilegio quoad Miſſarum numerum diminuendum. 381
7. De reductione Miſſarum. 382
8. De onere Miſſarum adaucto, vel dimminuto ſtipendio. 383
9. An, ſi redditus per teſtatorem aſſignati facti fuerint deteriores, & minus congrui pro Miſſis ab eodem præſcriptis, teneatur hæres ſupplere deteriorationem. 385

10. An

10. An accepta pinguiori eleemoſina pro Miſſa celebranda poſſit per alium celebrari erogata minori. 387
11. An pecuniæ, & bona mobilia relicta pro Miſſis perpetuis poſſint fundari ſuper iura feudalia, & emphytheutica. 390
12. De oneribus non ſuſcipiendis ſupra vires. 392
13. Quinam ſit fundus proportionatus oneri perpetuo Miſſarum. 397
14. An Sacerdos pro eadem Miſſa poſſit duplex ſtipendium accipere applicando pro eo, qui eleemoſinam confert vltra fructum medium etiam proprium, & ſpecialiſſimum. 401
15. An poſſit duplex ſtipendium pro eadem Miſſa accipi, vnum pro applicatione fructus eiuſdem, alterum pro applicatione indulgentiæ. 401
16. An pro Miſſa cantata poſſit exigi duplex, vel maius ſtipendium. 403
17. An fieri poſſit compenſatio damni quoad emolumentum in Miſſis iam celebratis cum emolumento pro Miſſis de nouo impoſitis. 404
18. An Sacerdos executor teſtamenti obligatus tot Miſſas celebrare facere pro teſtatore poſſit extra locum, in quo maior eleemoſina taxata eſt, eas procurare, vbi minor taxata eſt. 405
19. An, quamuis executor non poſſit retenta ſibi parte eleemoſinæ celebrare facere alibi pro minori, poſſit tamen alibi celebrare facere pro minori non extrahendo ab hæreditate, niſi illud minus, quod erogat. 407
20. An ſaltem executor poſſit cum diminutione eleemoſinæ in alio loco celebrare facere, vt conſulat teſtatori de maiori Miſſarum numero. 408
21. An Sacerdos recipiens exiguum ſtipendium pro Miſſa celebranda, teneatur totum fructum applicare offerenti tale ſtipendium. 409
22. An in aliquibus caſibus liceat Sacerdoti non applicare totum fructum Miſſarum pro offerentibus ſtipendia incongrua. 411

QVÆSTIO XIII.

De Anniuerſarijs, & Capellanijs.

Art. 1. DE natura, & ethimologia Anniuerſariorum. 414
2. An onera Anniuerſariorum impoſita certis fundis tranſeant cum eiſdem fundis. 414
3. An, ſi teſtator hæredem ſuum obligauerit ad celebrare faciendum anniuerſarium pro anima ſua non facta expreſſione, an pro vna vice, an in perpetuum, hæres ſatiſfaciat, ſi pro primo anno onus illud adimpleat. 416
4. An legatum relictum pro Anniuerſario non expreſſo numero Miſſarum, nec officij teneat, & ad quid obliget. 417
5. An Anniuerſarium relictum à teſtatore in ſuffragium animæ ſuæ celebrandum in Eccleſia, in qua ſtatuit ſepelliri, ceſſet, ſi teſtator ſe ſuſpendat, vel in puteum proijciat. 418
6. Quo tempore anni facienda ſit ſolutio legati pro Anniuerſario. 419
7. An bona emphytheutica poſſint ſupponi oneri Anniuerſarij. 420
8. An fundus legatus Eccleſiæ cum onere Anniuerſarij, & certarum Miſſarum, ſi augeatur in fructibus, augendus ſit numerus Miſſarum. 423
9. De Capellanijs, eorumque natura. 424
10. An Capellania mercenaria, ſeu amouibilis poſſit per hæredem conferri in titulum vitalitium. 425
11. An poſſit eligi in Capellanum non Sacerdos. 426
12. An Capellania poſſit conferri filijs Presbyterorum in Eccleſijs, in quibus eorum Patres habent, ſeu habuerunt beneficia. 427
13. Expediuntur nonnulla ad materiam Capellaniarum pertinentia. 429
14. An Sacerdos ſubſtitutus à Capellano ad celebrandum pro teſtatore, ſi omittat celebrare cauſa infirmitatis per aliquos dies, poſſit exigere eleemoſinam correſpondentem illis diebus, pro quibus omittit. 431

IN UNIVERSAS
DE EVCHARISTIA,
UT SACRIFICIO;
ET VT SACRAMENTO.
QVÆSTIONES.

VNcruentum Sacrificium, quod in Cæna Chriſtus expreſſit, memoriale futuri, quod mox litandum erat in Cruce, exponendum, quantum patitur humana imbecillitas, aſſumo. Vtinam ſuccenſa eſſet lingua carbone illo ignito, quo purgata ſunt labia Iſaiæ, vt immenſas Chriſti in nos dilectionis inæſtimabiles diuitias, & ſingulare illud amoris argumentum referre valeam, quo nos ita ſibi coniunxit, vt ſpiritu Chriſti, & diuinitate viuamus. Hic ipſe conuiua, & conuiuium, Sacerdos, & victima, & paſcit, & paſcitur, immolatur, & immolat, dumque menſa epulis exquiſitis inſtruitur, victimæ occiſioni ſubſternitur. In hoc Diuiniſſimo Myſterio, ne dum fideles ſua menſa dignatur, ſed & corpore ſuo paſcit, quo nos ſecum, vt, cum Chriſoſtomo loquar, in vnam maſſam redigit, vt non ſolum fide, ſed & re ipſa corpus vnum efformet, ſuamque transferat, vt ita dicam, in Diuinitatem. Hinc pręterita Chriſti recolitur Paſſio, hinc præſens gratiarum effuſio; hinc futuræ gloriæ fælicitas deſignatur. In huius contemplatione Myſterij ſiſtimus, in quo conſummatur plene Diuina potentia memoriam faciens mirabilium ſuorum, conſummatur ſapientia, cum ædificans ſibi domum miſcuit vinum, & poſuit menſam; conſummatur amor, nam, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Incaleſcamus igitur inter æſtuantes Diuini amoris flammas, illoque perennis bonitatis igne æſtuemus, cuius viuida fax amor eſt, & ardor dilectio.

QUÆSTIO I.

De ratione Sacrificij.

ANtequam accedamus ad ſpecialem Sacrificij Miſſæ indagationem congruit recto doctrinæ ordini, vt prius, quid ſit Sacrificium in genere, dignoſcamus; ex huius enim plena cognitione, quid illud ſit, innoteſcet, præcipuè, cum hoc omnium veterum Sacrificiorum perfectiones in ſe vno eminentiùs contineat. Quamobrem ſit.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Sacrificium, & quotuplex.

SVMMARIVM.

Quot modis ſumitur ratio ſacrificij. 1.
Definitio propria ſacrificij. 2.
Debet eſſe in ratione ſigni ſenſibilis. 3.
Debet eſſe publica auctoritate inſtitutum. 4.
Cur Martirium Chriſti Domini fuerit ſacrificium, non illud Martirum. 5.
Debet eſſe cum aliqua rei deſtructione. 6.
Cur potius explicetur per deſtructionem, quam per productionem. 7.
Exponitur finis ſacrificij. 8.
Diuiſiones ſacrificij ratione materiæ. 9.
Diuiſiones eiuſdem ratione formæ. 10.
Diuiſiones ratione finis. 11.
Diſcrimina inter ſacrifitia, & Sacramenta. 12.

1 Multiplex acceptio ſacrificij. SEcundum duplicem conſiderationem ſumi poteſt ratio ſacrificij; primò latè prout ſignificat quodlibet opus bonum in Dei honorem relatum, ſub qua ratione complectitur iuſtitiam iuxtà illud Pſalmi 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*; item internum animi dolorem propter Dei offenſam iuxtà illud Pſalmi 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; & item externam laudem in Deum relatam iuxtà illud. *Sacrificium laudis honorificabit me*; Secundò ſtrictè pro rigoroſa ſacrificij ſignificatione, in quo ſenſu procedit præſens titulus; & iuxta ipſum variè varij ſacrificium definiunt, qui tamen ferè omnes, licet diſcrepent in modo ſignificandi, non differunt tamen, in ſubſtantiali ſignificatione, ſeu re ſignificata.

2 Definitio ſacrificij in genere. Omiſſis aliorum definitionibus ad illam me confero, quæ ex D. Auguſtino circumfertur. *Eſt ſignum ſenſibile ſacrum ex publica auctoritate inſtitutum ad ſignificandam per alicuius rei deſtructionem internam recognitionem ſupremi dominij Dei.* Dicitur *ſignum*, quia ad eſſentiam ſacrificij ſpectat ratio ſigni, prout expreſsè docet *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 85. art. 1. in corpore*, & cum eo alij SS. PP., & Scholaſtici; hoc autem ſignum debet eſſe ſenſibile, quia inſtitutum eſt, vt humano modo ſignificet. 3 Eſt in ratione ſigni ſenſibilis. Dicitur *ſacrum* non ſolum ratione termini, ad quem refertur, ſed etiam ratione modi, quo offertur. Dicitur, *ex publica auctoritate inſtitutum*, quia non ſufficit priuata inſtitutio, quidquid ex aduerſo dixerint *Vaſquez diſp. 220. c. 3. num. 19.*, *Amicus diſp. 32. num. 8.*, cum etenim ſacrificium inſtitutum ſit ad vnum, eundemque in vniuerſo populo Ritum Religionis, vtique debuit eſſe per publicam auctoritatem, ne in poteſtate priuatæ perſonæ ſit proprium ritum pro libertate efformare, cæteroqui facilè vnitas politici corporis diſſolueretur, & facilis aditus aperiretur ſuperſtitionibus, & idololatrijs. Neque hic audiendi ſunt, qui dicunt, quod, cum inſtitutio pertineat ad cauſam efficientem, quæ eſt extrinſeca ſacrificio, non poſſit ingredi rationem eſſentialem eiuſdem, ideoque ſiue ſit publica, ſiue priuata non poſſit tollere rationem propriam, & eſſentialem ſacrificij. 4 Debet eſſe publica auctoritate inſtitutũ. Nec item, qui dicunt in lege veteri fuiſſe vera, & propria ſacrificia priuata auctoritate inſtituta, cuiuſmodi fuit illud Abellis, Abrahami, & Iacob. Non, inquam, audiendi ſunt; Non primi, quia, cum ſacrificium habeat rationem ſigni moralis, vtique inuoluit intrinſecè auctoritatem, qua conſtitutum eſt in ratione ſigni, ea proportionali ratione, qua ſigna ad placitum, qua talia ſunt, ex humana inſtitutione, & auctoritate eandem auctoritatem implicitè inuoluunt, & intrinſecè, ſine qua non ſignificarent. Non ſecundi, quia, cum ſacrificia Abellis, Abrahami, & Iacob fuerint ex peculiari Dei commiſſione, & deputatione intelliguntur fuiſſe ex publica auctoritate. Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex hac ratione publicæ inſtitutionis, & auctoritatis facilè deducitur, cur Martirium Sanctorum propriè non ſit ſacrificium; Martirium verò Chriſti Domini propriè fuerit tale; facilè, inquam, deducitur, quia illud non fuit publica auctoritate, ſicut illud Chriſti, vtpotè vniuerſalis Domini, & ſupremi Sacerdotis. 5 Martiriũ SS. nõ eſt propriè ſacrificiũ

Dicitur *per alicuius rei deſtructionem*, quia ſacrificium debet aliqua ratione diſtingui à ſimplici oblatione; non diſtingueretur autem, niſi inuolueret aliquam actionem deſtructiuam, ſeu Phyſicè immutatiuam, nec ſufficit quælibet mutatio moralis, quæ habetur per ſimplicem benedictionem, cætero- 6 Debet eſſe cum aliqua rei deſtructione.

teroqui omnia, quæ benedicuntur, & in honorem Dei referuntur haberent rationem ſacrificij.

7 Cur potius explicetur per deſtructionẽ, quam per productionẽ.

Accedit, quod ſacrificia potiſſimum referuntur ad recognitionem ſupremi dominij Dei quoad vitam, & quoad mortem; ad ſignificandum autem iſtud dominium requiritur actio, qua ſacrificij materia aliqualitèr deſtruatur. Quod, ſi dixeris, quod hæc recognitio ſupremi dominij Dei quoad vitam, & mortem perfectiùs habeatur per actionem productiuam vtpotè nobiliorem, quam per deſtructiuam; ſtatim impugnaberis, quia perfectiùs habetur per actionem deſtructiuam ſignificatio eiuſdem poteſtatis, quia deſtructio ſupponit vitam præcedentem ſaltem in obliquo, & in recto importat mortem, illam tanquam terminum à quo, iſtam tanquam terminum ad quem, & ſic deſtructio vtramque poteſtatem expreſsè ſignificat; productio autem ſolum vitam ſignificat, quam confert, non autem ſuppouit, & ſic vnam dumtaxat poteſtatem inuoluit.

8 Quinam ſit finis ſacrificij.

Dicitur *ad ſignificandam internam recognitionem ſupremi dominij Dei*, & per hæc verba importatur præcipuus finis, ad quem ordinatur tota ratio ſacrificij, & ratione eorundem contradiſtinguitur à Sacramento, & à quolibet alio ſigno ſacro, quæ directè non ordinantur, & principalitèr ad huiuſmodi recognitionem.

9 Explicantur diuiſiones ſacrificij ratione materiæ.

Suppoſita iam definitione ſacrificij in genere deſcendimus ad ejuſdem diuiſiones, quarum prima eſt ratione materiæ in victimas, ſeu hoſtias, in immolationes, & in libamina. Victimæ, ſeu hoſtiæ ſunt, per quas offerebantur animalia, ſiue fuerint quadrupedia, ſiue volatilia, & inter volatilia præcipuè offerri conſueuerunt Columbæ, Turtures, & Paſſeres; inter verò quadrupedia Boues, Oues, & Capræ. Immolationes, per quas offerebantur res inanimes, ſed ſolidæ, vt panes, triticum, manipuli ſpicarum, aliique terræ fructus. Libamina, per quæ offerebantur res liquidæ, vt ſanguis, vinum, oleum &c.

10 Diuiſiones eiuſdem ratione formæ.

Secunda diuiſio eſt ratione formæ, ſeu actionis, in mutationem, combuſtionem, & effuſionem. Iuxtà has tres actiones, & diuerſas rei oblatæ mutationes diſtinguuntur ex parte formæ tres ſacrificiorum ſpecies, quæ ferè coincidunt cum tribus ſpeciebus aſſignatis ex parte materiæ.

11 Diuiſiones ratione finis.

Tertia diuiſio eſt ratione finis non quidem primarij, qui eſt vnus, & idem reſpectu omnium nempè recognitio ſupremi dominij Dei, ſed ſecundarij in Latentricum, Euchariſticum, Impetratorium, & Propitiatorium. Latentricum eſt, quod purè fit in recognitionem ſupremi dominij Dei, & ſoli Deo offertur, vt ſtatim totum in Dei honorem comburatur nulla prorſus parte reſeruata, atque hoc alio nomine appellabatur holocauſtum. Euchariſticum eſt, quod ità fit in recognitionem Diuini dominij, vt ſimul offeratur in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Impetratorium, quod præter eandem recognitionem fit ad obtinendum nouum beneficium diuerſum à remiſſione peccatorum. Propitiatorium, quod fit ſpecialitèr ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Primum, vt aſſerebam dicebatur etiam holocauſtum; ſecundum hoſtia pacifica. Reliqua hoſtia pro peccato.

12 Diſcrimina inter ſacrificia, & Sacramenta.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt colligi poſſunt diſcrimina, quæ intercedunt inter Sacramenta, & Sacrificia; differunt enim primò ratione materiæ, quia materia ſacrificij conſiſtit ſolum in rebus; materia verò Sacramentorum in rebus ſimul, & verbis. Differunt in inſtitutione, quia ſacrificia inſtitui poſſunt publica auctoritate humana, Sacramenta nonniſi Diuina. Differunt ratione finis, quia ſacrificia principalitèr ordinantur ad recognitionem ſupremi dominij Dei; Sacramenta verò ad ſalutem, & iuſtificationem humanam.

ARTICVLVS II.

Quid propriè ſit Sacrificium Miſsæ; & in quo eſsentialitèr conſiſtat.

SVMMARIVM.

Exponuntur res, quæ offeruntur, & actiones, quibus offeruntur. 1.

Olatio verbalis, quæ fit ante conſecrationem, non pertinet ad eſſentiam ſacrificij. 2.

Nec illa, quæ fit poſt conſecrationem. 3.

Sufficit oblatio, quæ fit ipſis rebus, & quomodo. 4.

Fractio hoſtiæ in tres partes, & immiſio vnius in Calicem non eſt de eſſentia ſacrificij. 5.

Fractio panis facta à Chriſto Domino fuit vſualis, non ſacra, nec myſtica. 6.

Sumptio Sacerdotalis eſt de ſubſtantia, non de eſſentia. 7.

Rationes ſuadentes eſſe de ſubſtantia. 8.

Sumptio non eſt tota eſſentia. 9.

Rationes ſuadentes non pertinere ad eſſentiam. 10.

In die Paraſceue, nempè feria ſexta non offertur verum ſacrificium. 11.

Tota eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione. 12.

Cur potius in conſecratione, quam in ſumptione conſiſtat eſſentia ſacrificij. 13.

Soluuntur obiecta contra aſſertum. 14.

De eſſentia holocauſti non eſt, quod tota victima

tima deſtruatur, ſed quod tota cedat in honorem Dei. 15.

Nec eſt neceßaria Phyſica deſtructio, ſed moralis, & qualis. 16.

Si in triduo mortis Chriſti aliquis Apoſtolorum conſecraßet, validum confeciſſet ſacrificium per veram mutationem. 17.

EX dictis de ſacrificio in genere facilius innoteſcet quidditas, & eſſentia Sacrificij Miſſæ in particulari, quod eſt ſcopus præſentium quæſtionum; ſed, quia communis ſacrificiorum eſſentia potiſſimum conſiderata fuit in ordine ad res, quæ offeruntur, & actiones, quibus offeruntur, etiam ſingularis Miſſæ eſſentia attendenda eſt penes rem oblatam, & actionem ſacrificatiuam.

1 Exponũtur res, quæ offeruntur, & actiones.

Res autem, quæ in ſacrificio Miſſæ offeruntur, ſunt ſubſtantia panis, & vini, & vtriuſque accidentia; Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, ſeu Chriſtus ipſe, & eius exiſtentia. Actiones verò, quæ potiſſimum in Miſſa concurrunt, ſunt oblatio verbalis panis, & vini, quæ fit poſt lectionem Euangelij, Conſecratio, Oblatio alia, quæ fit poſt conſecrationem, fractio hoſtiæ in tres partes, & immiſſio vnius partis in Calicem, communio Sacerdotalis ſub vtraque ſpecie, diſtributio Sacramenti facta populo. Circa huiuſmodi res, & actiones modo immorabimur inquirentes, quænam ex his conſtituant eſſentialem, & quidditatiuam rationem ſacrificij.

2 Oblatio verbalis non eſt eſſentialis

Dico I. Verbalis oblatio, quæ fit poſt Euangelium ante conſecrationem non pertinet ad eſſentialem rationem ſacrificij; Eſt communis apud omnes ſcholaſticos, licet in aliqua parte aduerſetur *Scoto in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. §. ad quæſtionem circa finem.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia actio, per quam ſacrificium conſtituitur, debet eſſe mutatiua, & Phyſicè deſtructiua rei oblatæ per ea, quæ ſupra probauimus, ſed per illam oblationem, quæ fit ante conſecrationem nulla inducitur mutatio, nec deſtructio; ergo illa non ingreditur eſſentialem conſtitutionem ſacrificij. Secundò, quia in vniuerſa hiſtoria inſtitutionis huius ſacrificij non legitur, quod Chriſtus Dominus verbalitèr obtulerit panem, & vinum; ſed ſolum, quod gratias egerit, & benedixerit, & dederit diſcipulis ſuis.

3 Nec illa, quæ fit poſt conſecrationem.

Dico II. Verbalis oblatio, quæ fit in Miſſa poſt conſecrationem per illa verba; *Vndè & memores Domine*, vſque ad illa, *vt quotquot ex hac Altaris participatione* nec continet totam eſſentiam ſacrificij, nec eſt de eſſentia eiuſdem.

Probatur in vniuerſum, quia verbalis oblatio nec eſt de eſſentia ſacrificij, vt ſic, nec de eſſentia ſacrificij, vt talis, ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quia, licet ſacrificium ſit in genere oblationis, non exigit tamen oblationem, quæ fiat verbis, cùm poſſit implicitè fieri rebus ipſis, vndè nec in antiquis ſacrificijs verba adhibebantur, ſed præcisè mactabatur victima in honorem Dei, in qua mactatione conſiſtebat oblatio. Probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, quia in tota actione, qua Chriſtus Dominus hoc ſacrificium inſtituit, non legitur verba aliqua oblationis protuliſſe, ſed ſolum gratiarum actionis, benedictionis, & conſecrationis, ergo ex inſtitutione Chriſti non requiritur, vel tanquam eſſentia, vel ingrediens eſſentiam verbalis oblatio, quinimmò, cum Chriſtus Dominus verbalitèr gratias egerit, & benedixerit, non quia gratiarum actio, & benedictio ſit de eſſentia huius ſacrificij, à fortiori ſequitur, quod nec verbalis oblatio ſit de eſſentia eiuſdem, cum Chriſtus Dominus in tota illa actione illam non protulerit.

4 Sufficit oblatio, quæ fit ipſis rebus.

Quod, ſi dixeris, ſacrificium eſſe ſub genere oblationis, adeoque ex genere ſuo ſacrificium Miſſæ vtpote ſpecies ſacrificij debere eandem inuoluere, quæ aliundè non habetur, niſi vel per vnam, vel per alteram ex enuntiatis; Statim impugnaberis, quia nos non negamus oblationem eſſe genus ſacrificij, ſed aſſerimus non requiri verbalem, ſed ſufficere realem, quæ per nos conſiſtit in conſecratione, vt infrà latè probabimus. Quod, ſi repetas, huiuſmodi oblationem realem debere eſſe ſenſibilem, & vtique per aliquod, quod magis conueniat illi actioni, quam alteri, quod perfectiùs non poteſt haberi aliundè, quàm per vnam, vel alteram ex enuntiatis oblationibus verbalibus, Adhuc impugnaberis, quia ſenſibilitas ſufficientèr habetur per ipſam conſecrationem, &, ſicut in antiquis ſacrificijs per ſolam mutationem complebatur eorum eſſentia, ita &c. Quod, ſi adhuc vrgeas, conſecrationem in ſolis verbis conſiſtere; tunc dicam, conſecrationem poſſe duplicitèr conſiderari, vel, vt eſt forma Sacramenti; & ſic in verbis conſiſtit, vel vt eſt actio tranſubſtantiatiua, & tunc æquiualet rei; ſed de hoc infrà vberius.

5 Fractio hoſtiæ in tres partes nõ eſt de eſſentia.

Dico III. Fractio hoſtiæ in tres partes, & immiſſio vnius partis in Calicem non eſt de eſſentia ſacrificij, Conſentiunt communitèr DD. Scholaſtici.

Probatur primò, quia ſine huiuſmodi fractione, & immiſſione ſaluatur tota ratio ſacrificij Miſſæ, ergo non ſunt de eſſentia eiuſdem. Antecedens probatur, tum quia huiuſmodi fractio, & immiſſio non fuit vbique ſemper in Eccleſia ſeruata, vt

notat

notat *Suarez diſp. 75. ſect. 3. §. tertio dicendum* in liturgia D. Baſilij, vbi nulla fit mentio talis fractionis, & immiſſionis, quæ tamen fuiſſet ſeruanda, ſi fuiſſet de eſſentia; tum quia, vt habetur in rubricis Miſſalis, ſi tota hoſtia ante fractionem dilaberetur in Calicem, non eſt facienda fractio, & diuiſio, quæ tamen facienda eſſet, ſi eſſet de eſſentia ſacrificij.

6 Fractio panis facta à Chriſto Domino fuit vſualis.

Probatur ſecundò, quia Chriſtus Dominus in inſtitutione huius ſacrificij vel non exercuit huiuſmodi actiones, vel ſi exercuit non exercuit, vt pertinentes ad ſacrificium, & quidem, quod non immiſerit manifeſtè conſtat legenti textum Euangelicum; quod verò fregerit, certum quidem eſt, ſed talis fractio fuit in ordine ad diſtribuendum diſcipulis, non ad conſtituendum ſacrificium præcipuè cum non fregerit in tres partes ad indicandum aliquod Myſterium, ſed in tot partes, quot erant diſcipuli ad vſum eorundem, vndè talis fractio fuit vſualis, non ſacra, & myſtica. Accedit, quod huiuſmodi fractio facta fuit antecedentèr ad conſecrationem, vt patet ex textu Euangelico. Ibi *Qui pridiè, quam pateretur grátias agens benedixit, & fregit*, & poſtea ſubduntur verba conſecrationis *Hoc eſt Corpus meum*, ergo huiuſmodi fractio non pertinet ad eſſentiam ſacrificij, cæteroqui ad eandem pertineret etiam gratiarum actio, & benedictio, quod nemo aſſerit.

Neque obeſſe poteſt, quod fractio ſit actio immutatiua materiæ, & ſit ſacra, & rapræſentatiua Paſſionis Chriſti Domini, ſeu ſacrificij cruenti in Cruce. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia fractio vel ſumi poteſt materialitèr, vel miſticè, & moralitèr; ſi materialitèr, eſt ſufficientèr immutatiua ſpecierum, non Corporis Chriſti Domini; ſi miſticè, eſt quidem rapræſentatiua Paſſionis Chriſti Domini ex accomodatione Eccleſiæ, non ex inſtitutione eiuſdem Chriſti.

7 Sumptio Sacerdotalis eſt de ſubſtãtia, nõ de eſſentia.

Dico IV. Sumptio, quæ fit per Sacerdotem in Miſſa pertinet quidem ad ſubſtantiam eiuſdem ſacrificij, non autem eſt de eſſentia eiuſdem. Pro quo aduerte, aliud eſſe pertinere ad ſubſtantiam, ſeu eſſe de ſubſtantia rei, aliud pertinere ad eſſentiam, & eſſe de eſſentia, ſic partes integrantes ſubſtantiales hominis, v. gr. pes, manus, bracchium ſunt de ſubſtantia eiuſdem hominis; non tamen de eſſentia eiuſdem, quia poteſt eſſe homo ſine bracchio, & pede &c. Ex aduerſo anima, & corpus ſunt de eſſentia, quia ſine illis non poteſt homo ſubſiſtere; vndè, quæ ſunt de eſſentia rei ſunt de ipſius ſubſtantia, quæ autem ſunt de ſubſtantia non ſemper ſunt de eſſentia. His pro notitia ſuppoſitis.

Probatur primò quoad primam partem, tum ex eo, quod ſumptio ſpectat ad id, quod confert ad maiorem perfectioremque rei oblatæ deſtructionem, quandoquidem per eandem, & ſpecies ipſæ corrumpuntur, & ad deſitionem earundem deſinit præſentia entitatiua Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, tum ex ſumma, & ſtrictiſſima obligatione non omittendi in ſacrificio Miſſæ ſumptionem, adeo vt ex Miſſalis præſcripto, ſi inter conſecrationem, & ſumptionem Sacerdos inopinatè decedat, alius Sacerdos, quantumuis non ieiunus, ſufficiendus ſit ad ſumendum in ordine ad complendum ſacrificium, quod idem dici debet, ſi caſu fortuito, vinum conſecratum lapſu Calicis effundatur; tunc etenim nouum vinum conſecrandum eſt, & à Sacerdote ſumendum, vt ſacrificium perficiatur; Idem alij ſtatuunt in caſu, quo miraculosè Corpus Chriſti in Altari ſub ſpecie Carnis, aut Sanguis ſub ſpecie Sanguinis appareret, quæ certè omnia indicant ſumptionem ad integritatem ſacrificij pertinere. 8 Rationes ſuadentes eſſe de ſubſtãtia.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quia vel ſumptio eſſet tota eſſentia ſacrificij, vel quid pertinens ad eſſentiam. Non tota eſſentia, nam certum eſt Chriſtum Dominum in vltima cæna ſacrificaſſe, non autem eſt certum, ſe ipſum ſumpſiſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus, cum nemo de Euangeliſtis de tali ſumptione mentionem fecerit, ergo tota eſſentia ſacrificij Miſſæ non conſiſtit in ſumptione; inuериſimile etenim eſt, quod omnes Euangeliſtæ, qui pleniſſimè retulerunt totam ſeriem inſtitutionis huius ſacrificij, omiſerint id, in quo tota eſſentia eiuſdem conſiſteret. Nec valet dicere per Euangeliſtas referri ſumptionem factam ab Apoſtolis iuxtà illud *Accipite, & manducate*. Non valet, inquam, quia, ex quo Euangeliſtæ retulerunt ſumptionem Apoſtolorum, nec meminerint ſumptionis Chriſti, videtur potius colligi Chriſtum non ſumpſiſſe. Deindè ex eo, quod Apoſtoli ſumpſerint de manibus Domini arguitur, quod ſumpſerint, vt Sacramentum eo modo, quo fideles ſumunt de manibus Sacerdotum, non quod confecerint ſacrificium. Accedit, quod, ſi tota eſſentia ſacrificij conſiſteret in ſumptione, incongruè præciperet Eccleſia, quod, ſi Sacerdos celebrans inter conſecrationem, & ſumptionem decederet, teneretur alter ſumere ad perficiendum ſacrificium, cum adhuc non eſſet eſſentialitèr incohatum, &, ſicuti, ſi Sacerdos periret ante conſecrationem, Eccleſia non præcipit, quod alter perficiat, quia eſſentia nondum eſt incæpta, ita ſi non eſſet eſſentialitèr incohatum ante ſumptionem, incongruè præciperet &c. 9 Sumptio non eſt tota eſſentia.

Nec

10 Rationes ſuadentes non pertinere ad eſſentiam.

Nec eſt aliquid pertinens ad eſſentiam, propter eandem rationem, quia incongruum videtur, quod Euangeliſtæ, qui mentionem fecerunt de alijs actionibus, nempè de gratiarum actione, de benedictione, quæ non pertinent ad eſſentiam, omiſerint mentionem facere de illis, quæ ad eandem eſſentiam ſpectant, ſeu ſunt de eſſentia. Accedit, quod tota ratio, propter quam aſſertores contrariæ ſententiæ ſtatuunt ſumptionem pertinere ad eſſentiam ſacrificij, illa eſt, quia per eandem habetur conſumptio, & deſtructio rei oblatæ, ſed hæc non obſtat, quia conſumptio, & deſtructio iam habita eſt ſufficienter per conſecrationem, per quam Corpus Chriſti quodam modo ex vi verborum ſeparatur à Sanguine, & induit rationem cibi. Adde, quod per conſecrationem perfectiùs exprimitur Paſſio Chriſti, quandoquidem per verba conſecrationis panis exprimitur Corpus exangue; per verba conſecrationis vini effuſio Sanguinis, ergo &c.

Ex multis capitibus aduerſus hanc noſtram ſententiam inſurgunt contrariæ ſententiæ aſſertores, vel ad probandum ſumptionem eſſe adæquatam eſſentiam ſacrificij, vel ſaltem eſſentialitèr ad ipſam pertinere; & primò, quod ſit tota eſſentia, colligunt ex eo, quod feria ſexta Paraſceues verum offeratur ſacrificium, nec tamen ibi interuenit conſecratio, ſed ad ſummum ſumptio. Quod verò in illa die verum fiat ſacrificium, colligitur ex verbis, quæ tunc Sacerdos exprimit. *Sic fiat ſacrificium noſtrum hodiè, vt placeat &c. Item orate Fratres, vt meum, & veſtrum ſacrificium &c.* Secundò, quia, ſi in illa feria ſexta Paraſceues occurret feſtum Annuntiationis Deiparæ Virginis, fideles tenerentur ſub læthali illi Miſſæ intereſſe, quod verum non eſſet, ſi non eſſet verum ſacrificium. Deinde, quod ſit pars, ſeu aliquod pertinens ad eſſentiam, colligunt ex ſtricta, & rigoroſa obligatione ſumendi, adeo vt ſemper, & in quocunque caſu videatur indiſpenſabilis, quod arguit prouenire ex præcepto Diuino quaſi naturali, & conſequi naturam ſacrificij, quod ex ſumptione, tanquam ex parte eſſentiali conſtituatur.

Obiecta aduerſantium.

11 In die Paraſceue nõ offertur verũ ſacrificiũ.

Sed facilè his omnibus poſſumus occurrere, negando in die Paraſceues offerri verum ſacrificium, quia in illa die nihil in perſona Chriſti fit, qui tamen in ſacrificio eſt principalis offerens, & tota illa cæremonia inſtituta eſt ab Eccleſia, cui non competit poteſtas inſtituendi ſacrificium; vndè *Vgo de Sancto Victore* apertè aſſeruit. *Hodiè non ſacrificamus, dum nobis hoſtia de manibus tollitur. Non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.* Ad probationem dico in illis verbis nomine ſacrificij venire quodlibet ſacrum miniſterium. Ad illud, quod ſubditur de obligatione pro illa die intereſſendi ſacro, ſi feſtum de præcepto occurreret, dico, non vrgere talem obligationem, prout definiuit ſacra Rituum Congregatio apud *Marthinum cap. 1. numer. 21.*

Ad illud, quod ſubditur de illa ſtricta, & rigoroſa obligatione ſumendi, dico ex illa argui quidem, ſumptionem eſſe de ſubſtantia, & integritate ſacrificij, quæ de iure Diuino non debet omitti, prout habetur ex Apoſtolica traditione. Neque dicas, partes integrantes aliorum Sacramentorum poſſe ex aliqua rationabili cauſa omitti, vt videre eſt in ſatisfactione reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ, ergo cum ſumptio in ſacrificio Miſſæ ex nulla cauſa poſſit omitti, non pertinere debet ad integritatem, ſed ad partem eſſentialem eiuſdem. Contra enim impugnaberis, quia non omnes partes integrantes ſunt eiuſdem conditionis, ſed aliæ graues, & primariæ, aliæ leues, & ſecundariæ; in præſenti hypotheſi ſumptio reſpectu Euchariſtici ſacrificij eſt pars integralis primaria, quæ fortiùs obligat, ſatisfactio verò reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ eſt pars integralis ſecundaria, cum ſit in ordine ad remiſſionem pœnæ, quæ eſt effectus ſecundarius eiuſdem Sacramenti.

Dico V. Totam eſſentiam ſacrificij Miſſæ, prout appellat actionem, conſiſtere in ſola conſecratione. *D. Thomas tertia part. quæſt. 82. art. 10. in corpore, Ioannes à Sancto Thoma diſp. 32. art. 1. Mudernus qu. 8. art. 3. Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 2. §. 3. num. 41.*

12 Tota eſſentia ſacrificij Miſſæ cõſiſtit in conſecratione.

Probatur, quia poſita conſecratione habetur, quidquid requiritur ad rationem ſacrificij in genere, & in ſpecie talis ſacrificij, ergo tota eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in eadem conſecratione. Antecedens probatur, quia conſecratio eſt ſignum, quia ducit nos in recognitionem ſupremi dominij Dei, eſt ſacrum, non ſolum ratione actionis, ſed etiam ratione termini; eſt publica auctoritate inſtitutum, quia prouenit à Chriſto ſupremo rerum omnium Domino; eſt cum aliquali rei ſenſibilis deſtructione, nam ſi loquamur de pane, & vino, certè ſubſtantia eorundem deſtruitur remanentibus ſolùm ſpeciebus; ſi loquamur de Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, certè ex vi conſecrationis inducitur aliqua mutatio, quia per eandem ex vi verborum in conſecratione panis inducitur quodamodo ſeparatio Corporis à Sanguine, & in conſecratione vini ſeparatur quodamodo Sanguis à Corpore, quantum eſt ex vi verborum; ruſus Chriſtus acqui-

acquirit nouum modum exiſtendi indiuiſibilitèr, & Corpus induit rationem humani cibi, & ſanguis humani potus; ex eo autem, quod fit cum aliquali deſtructione denotat ſupremi Dei dominium. Hæc quoad rationem ſacrificij in genere; quoad ſpecificam verò ſacrificij Miſſæ rationem ſic euincitur, quia id, quod importat ſacrificium Miſſæ in particulari ſupra ſacrificium in genere, eſt quod reſpiciat Chriſtum, tanquam principalem offerentem, & quod rapræſentet eius mortem, & Paſſionem; ſed hoc vtrumque habetur per conſecrationem, quæ, cum fiat in Chriſti perſona, & nomine, vtique reſpicit ipſum, vt principalitèr offerentem; rurſus, cum per eandem ex vi verborum ponatur Corpus, & Sanguis ſeorſim, vtique rapræſentat factam in Paſſione ſeparationem Corporis à Sanguine, & è contra.

13 Aduerſus hanc noſtram ſententiam plura militant argumenta, quæ iam profero, & diluo. Primum eſt, quia hæc omnia, quæ dicta ſunt de conſecratione, procedunt etiam de ſumptione; eſt etenim, & ipſa ſignum ſacrum, & ſenſibile à Chriſto Domino inſtitutum, vt loquitur *Tridentinum ſeſs. 22. cap. 1.*, vbi aſſerit, quod Chriſtus in inſtitutione huius ſacrificij tunc Apoſtolos noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent; eſt cum mutatione, quia per eandem Chriſtus abſolutè deſinit eſſe ſub ſpeciebus; rapræſentat Chriſti Paſſionem iuxtà illud Apoſtoli: *Quotieſcunque manducabitis panem, vel Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, ergo eſſentia ſacrificij in vtraque ſcilicet conſecratione, & ſumptione conſiſtit, vel potius in ſumptione, quam in conſecratione. Sed contra; hoc argumentum nimis probat; probat etenim, quod duplex ſit ſacrificium adæquatè, cum tam in conſecratione, quam in ſumptione concurrant omnia, quæ apta ſunt ſecundum ſe conſtituere ſacrificium. Quamobrem, cum antecedentèr ad ſumptionem intelligatur adæquatè quantum ad eſſentiam conſtitutum ſacrificium, per ſumptionem non poteſt dici conſtitui, ſed ad ſummum clarius exprimi idem ſacrificium. Deindè, cum ſacrificium Miſſæ ſit rapræſentatiuum cruenti ſacrificij Crucis per eam actionem melius habetur deſtructio, per quam Chriſtus incruente mutatur, & ſimul rapræſentatur, vt cruente mactatus; hoc autem habetur melius per conſecrationem, quam per ſumptionem, quandoquidem conſecratio per ſe ſignificat immediatè mortem, & Sanguinis effuſionem; ſumptio verò ſolum ſignificat ſepulturam proximè, & ſolum mediatè, & remotè Paſſionem.

Cur potius in conſecratione quã in ſumptione cõſiſtat eſſentia.

Secundum deducitur ex varijs abſurdis, quæ ex ſententia conſtituente integram eſſentiam ſacrificij in conſecratione prouenirent; ſequeretur enim primò, quod Sacerdotalis ſumptio in Miſſa non differret a ſumptione laicali; Secundò, quod Sacerdos celebrans æquè poſſet ſumere hoſtiam ab alio, & à Pixide extractam, ac hoſtiam à ſe ipſo conſecratam, quod eſt contra Eccleſiæ ſenſum, & PP. Tertiò, quod poſita conſecratione immediatè conferretur fructus ſacrificij, & ſic inutilis eſſet applicatio, quam facit Sacerdos pro defunctis in memento mortuorum. Sed facilè his omnibus poteſt reſponderi, & quidem ad primum, negandum eſt, non diferre in noſtra ſententia communionem Sacerdotalem ab illa laicali; quandoquidem illa eſt de ſubſtantia ſacrificij, licet non de eſſentia, hæc autem nec de eſſentia, nec de ſubſtantia. Ad ſecundum negandum eſt, quod æquè Sacerdos celebrans poſſet hoſtiam ab alio conſecratam ſumere, ac conſecratam à ſe ipſo propter eandem rationem, quia ſcilicet ſumptio hoſtiæ à ſe conſecratæ eſt de ſubſtantia, non ſic illa conſecrata ab alio. Ad tertium dicendum eſt, fructum ſacrificij non conferri, niſi ſacrificio integralitèr completo, adeoque poſt ſumptionem, vel dicas, ſi concederetur etiam conferri immediatè poſt conſecrationem, nihil abſurdi concederetur; nec inutilis foret illa applicatio, quæ fit per Sacerdotem in memento mortuorum, quia illa prodeſſet ex opere operantis magis, ac ſi fieret poſt ſumptionem, quia quando fit illa applicatio eſt præſens victima; poſt ſumptionem non eſt amplius præſens. 14

Soluuntur obiecta cõtra aſſertum.

Tertium deducitur ex eo, quod ſacrificium Miſſæ ſit perfectiſſimum continens in ſe omnium veterum ſacrificiorum differentias, adeoque habet rationem holocauſti, de cuius ratione eſt, vt tota victima comburatur, & deſtruatur ſecundum omne ſuum eſſe, tam morale, quam phyſicum; per ſolam autem ſumptionem victima, ſeu Corpus, & Sanguis Chriſti Domini totalitèr deſtruitur, non per conſecrationem, per quam ſolum moralitèr deſtruitur remanente phyſico eſſe Corporis, & Sanguinis Chriſti, nam per conſecrationem ſolum acquirit nouum modum exiſtendi indiuiſibilem, nec ſeparatur phyſicè Corpus à Sanguine, ſed tantum moralitèr ex vi verborum, quatenus vi eorundem ſolum ſub ſpeciebus panis ponitur Corpus. Sed huic etiam argumento facilè poteſt occurri aſſerendo, non eſſe de ratione holocauſti ſecundum ſui naturam, quod tota victima comburatur, ſeu deſtruatur, ſed quod tota, & totalitèr cedat in honorem Dei, quod, ſi in lege veteri tota victima combureretur, hoc erat ex præcepto poſitiuo Dei, 15

De eſſentia holocauſti nõ eſt, quod totum deſtruatur, ſed quod totũ cedat in honorem Dei.

Dei, non ex natura præciſè holocauſti; cæterum, ſi ex natura ſua totalis deſtructio requireretur ſacrificium Chriſti Domini cruentum in Cruce non fuiſſet verum holocauſtum, cum eius Corpus non fuerit combuſtum, aut alio modo deſtructum.

16 Sufficit moralis deſtructio, & quomodo

Ad illud, quod dicitur, non ſufficere moralem deſtructionem, ſed requiri phyſicam, quæ habetur in ſumptione, non in ſimplici conſecratione, dicendum eſt, omninò gratis requiri talem phyſicam deſtructionem, cum etiam in antiquis ſacrificijs non ſemper contingeret talis phyſica deſtructio, vt videre eſt in libationibus, quæ pro varijs ſacrificijs habebantur, nec tamen phyſicè deſtruebantur, cum liquor effunderetur, & in mare, ſeu flumen proijceretur.

Quartum deducitur ex eo, quod, ſi aliquis Apoſtolorum in triduo mortis Chriſti conſecraſſet ſub ſpeciebus panis, vtique poſuiſſet ex vi verborum ſub eiſdem ſpeciebus Corpus ſeparatum à Sanguine, nec tamen talis conſecratio vllo modo fuiſſet Chriſti deſtructiua, quia pro illo triduo antecedentèr ad conſecrationem Corpus Chriſti extitiſſet ſeparatum à Sanguine, ergo in conſecratione ſaltem vniuerſalitèr non ſaluatur ratio actionis deſtructiuæ, cum in aliquo caſu ſcilicet in illo triduo fieret verum ſacrificium, nec tamen poneretur illa actio deſtructiua, per quam ſepararetur moralitèr ex vi verborum Corpus a Sanguine. Sed ad hoc aliqui reſpondent, negando ſuppoſitum, quod ſcilicet pro illo triduo per conſecrationem fieret ſacrificium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, cum pro illo triduo deficeret principalis offerens, qui eſt Chriſtus. Sed admiſſo ſuppoſito dico, quod adhuc ſaluaretur perfecta ratio ſacrificij, quia deſtructio, quæ eſt ad hoc requiſita non conſiſtit ſolum in eo, quod ex vi verborum ponatur ſeparatio moralitèr Corporis à Sanguine, ſed præcipuè in eo, quod ponatur Corpus ſub diuerſa forma, & modo quaſi indiuiſibili, & ſub ratione cibi.

17 In triduo mortis Chriſti factum fuiſſet verũ ſacrificium per conſecrationem.

ARTICVLVS III.

An ad eſſentiam Sacrificij Miſſæ requiratur conſecratio ſub vtraque ſpecie.

SVMMARIVM.

Arguitur Cacheranus inconſequentiæ. 1.
Eſſentia ſacrificij Miſſæ ſecundum præſentem inſtitutionem non ſaluatur, niſi in conſecratione vtriuſque ſpeciei. 2.
Conuiuium non fit ſine cibo, & potu. 3.
Explicita rapræſentatio Paſſionis non habetur ſine conſecratione vtriuſque ſpeciei. 4.
In ratione ſigni implicitum, & explicitum differunt eſſentialitèr. 5.
Sacrificium cænæ rapræſentabat effuſionem Sanguinis mox futuram. 6.
Diſcrimen inter Euchariſtiam, vt ſacrificium, & vt Sacramentum in rapræſentando. 7.
Conſecratio in ratione ſacrificij in vna tantum ſpecie non conſiſtit. 8.

CErtum eſt, Chriſtum Dominum in vltima cæna conſecraſſe, & ſacrificaſſe ſub vtraque ſpecie, vt colligitur ex textu Euangelico. Certum eſt item, quod potuiſſet Chriſtus Dominus inſtituiſſe in vnica tantum ſpecie, adeovt in eadem ſaluaretur tota ratio ſacrificij. Sed, an ex vi præſentis inſtitutionis ita ſub vtraque ſpecie conſtituerit, vt ſine vtraque ſaluari non poſſit ratio ſacrificij, id eſt, quod venit ſub præſenti titulo controuertendum.

In hac controuerſia video *Cacheranum* ſibi expreſsè aduerſantem, dum *de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 2. §. 4. num. 73., &* 78., expreſsè aſſerit ſecundum præſentem inſtitutionem ſacrificij huius eſſentiam non ſaluari, niſi in conſecratione vtriuſq; ſpeciei ex eo, quod velit debere importare explicitam rapræſentationem ſacrificij cruenti in Cruce, quæ haberi non poteſt, niſi per expreſſionem Corporis exanguis, quæ habetur in conſecratione panis, & actualis effuſionis Sanguinis, quæ habetur per conſecrationem vini, adeo vt aſſerat *num. 90.*, quod, ſi Sacerdos decederet poſt conſecratam hoſtiam, non diceretur ſacrificaſſe; & poſtea eodem §. 4. *num. 98.*, aſſerit, quod, ſi Sacerdos conſecret in vnica tantum ſpecie, non cum intentione excludendi rationem ſacrificij, & validè conſecret, & ſacrificet partialitèr; quæ duo non videntur ſibi cohærere; ſi etenim eſt de eſſentia ſacrificij Miſſæ explicita rapræſentatio Paſſionis Chriſti Domini, quomodo ſaluari poteſt in implicita, quæ habetur per conſecrationem vnius dumtaxat ſpeciei? Si aſſerit, quod, ſi Sacerdos decedat poſt conſecrationem panis, cum *ſecundum præſentem inſtitutionem ſacrificij eſſentia* (ſunt verba formalia eiuſdem) *ſolum in vtriuſque ſpeciei conſecratione conſiſtat, non dicitur ſacrificaſſe, nec fructum ſacrificij conſequutum fuiſſe* addita paritate de eo, qui baptizans prolata medietate formæ baptiſmatis decederet, qui non diceretur baptizaſſe, quomodo modo aſſerit, quod, ſi decedat poſt conſecrationem panis, dicatur partialitèr eſſentialitèr ſacrificaſſe? Certè incohatio formæ baptiſmatis, niſi perficiatur, non conſtituit baptiſmum, nec partialitèr, ità nec incohatio ſacrificij, ſi hoc eſſentialitèr

1 Arguitur Cacheranus incõſequentię

litèr

litèr conſiſtat in conſecratione vtriuſque ſpeciei per conſecrationem ſub vna tantum ſpecie non poterit dici ſacrificium, nec etiam conſtitutum partialitèr. Sed quidquid ſit de mente Cacherani.

2 Eſſentia requirit conſecrationem vtriuſque

Dico, eſſentiam ſacrificij Miſsæ ſecundum præſentem inſtitutionem non ſaluari, niſi in vtriuſque ſpeciei conſecratione, adeo vt, ſi Sacerdos celebrans decedat ſtatim poſt conſecrationem panis, non dicatur propriè ſacrificaſſe. *Suarez diſp. 75. ſect. 6.*, *Lugus diſp. 19. ſect. 8.*, *Arriaga diſp. 50. ſect. 6.*, *Madernus qu. 8. art. 4. n. 2.*

Probatur, quia ſecundum præſentem inſtitutionem hoc ſacrificium eſt per modum cænæ, & conuiuij, & ordinatum ad rapræſentandam Paſſionem, & mortem Chriſti Domini ſub ea ratione, qua fuit poſita; ſed hoc vtrumque inuoluit eſſentialitèr conſecrationem ſub vtraque ſpecie, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia conuiuium, & cæna, nec in ſolo cibo conſiſtit, nec in ſolo potu, ſed in vtroque ſimul, ergo eſſentialitèr debet conſiſtere in conſecratione vtriuſq; ſpeciei, cum per conſecrationem panis ſolum cibus conſtituatur, per conſecrationem vini, potus, iuxtà illud *caro mea vere eſt cibus, ſanguis meus vere eſt potus*. Minor quod ſecundam partem etiam euincitur, & quidem, quod fuerit ordinatum ad rapræſentandam Paſſionem, ſicuti fuit poſita, hoc eſt explicitè, vt in maiori præferebatur, expreſsè euincitur ex communi teſtimonio

3 Conuiuiũ non ſtat ſine cibo, & potu.

SS. PP., & ex verbis *Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1.*, vbi inter cætera hæc habentur *quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum rapræſentaretur; vt offerrent, præcepit per hæc verba hoc facite in meam commemorationem*. Inſtituit ſe ipſum immolandum in memoriam tranſitus ſui, quando per ſui ſanguinis effuſionem &c., quæ omnia ſatis expreſsè indicant, fuiſſe ordinatum ad explicitam ſuæ Paſſionis rapræſentationem. Quod deindè hæc explicita rapræſentatio non habeatur, niſi per vtriuſque ſpeciei conſecrationem, ſic euincitur, quia per ſolam panis conſecrationem ponitur ſolum ex vi verborum corpus exangue, nec indicatur effuſio ſanguinis, cum potuerit alitèr eſſe exangue ſine effuſione ſanguinis, vel, quia ita fuerit productum, vel ſanguis in eodem corruptus, ergo, cum debeat exprimi Paſſio eo modo, quo poſita eſt, debet rapræſentari, & effuſio ſanguinis, & ſeparatio eiuſdem à corpore, quæ ſolum ponitur per conſecrationem ſub ſpeciebus vini. Rurſus per conſecrationem ſolius vini ſine conſecratione panis rapræſentatur quidem ſanguis, non tamen effuſio, ſeu ſeparatio eiuſdem à corpore, ergo &c.

Dices primò; ſacrificium Miſſæ etiam ſecundum præſentem inſtitutionem ordinatum eſt ad rapræſentandam mortem Chriſti, ſed mors Chriſti benè rapræſentatur per ſolius panis conſecrationem, quandoquidem per ipſam ex vi verborum ponitur corpus ſine anima, ergo &c. Sed contra dico, ſacrificium Miſsæ ordinatum quidem eſt ad ſignificandam, ſeu rapræſentandam mortem Chriſti, non quomodocunque, ſed eo modo, quo per acta eſt, ſcilicet mortem cruentam, quæ vtique fuit per effuſionem, ſeu ſeparationem ſanguinis à corpore, quæ rapræſentatio non ſufficientèr habetur per ſolam conſecrationem ſub ſpeciebus panis, vt ſupra. 4 Explicita rapreſentatio Paſſionis Chriſti non eſt ſine conſecratione vtriuſque.

Dices ſecundò; rapræſentatio implicita, & explicita non differunt, niſi accidentalitèr, per accidentalem autem variationem non variatur eſſentia rei, ergo ad eſſentialem rationem ſacrificij ſufficit implicita rapræſentatio Paſſionis, quæ habetur per conſecrationem vnius, vel alterius ſpeciei: Sed contra dico, rapræſentationem implicitam, & explicitam in eſſe rei non differre, niſi accidentalitèr, non ſic in eſſe ſigni talitèr inſtituti, quod, vt clariùs dignoſcatur, exemplum ſumite. Inuocatio implicita, & explicita Trinitatis ſecundum ſe non differunt, niſi accidentalitèr, quia tamen forma baptiſmi inſtituta eſt ſub inuocatione explicita eiuſdem, non ſufficit implicità, iuxtà communiorem Theologorum ſententiam. 5 In ratione ſigni implicitum, & explicitũ differunt ſubſtantialitèr.

Dices tertiò; ſacrificium Miſſæ eſt idem eſſentialitèr cum eo, quòd Chriſtus inſtituit, & obtulit in vltima cæna, ſed ſacrificium Chriſti in vltima cæna non habuit hanc explicitam rapræſentationem ſanguinis effuſi, cum tunc non eſſet adhuc poſita effuſio, ergo neque reſpectu noſtri ſacrificij eſt neceſſaria illa explicita rapræſentatio. Sed contra reſpondeo, vtrumque ſacrificium eſſe eſſentialitèr idem quoad rapræſentationem abſtrahendo tamen à differentia temporis, ſiue futuri, ſiue præteriti. 6 Sacrificiũ cænæ ſignificauit ſanguinis effuſionẽ de futuro

Dices quartò; eſſe rapræſentatiuum, & commemoratiuum mortis, & Paſſionis Chriſti Domini æquè conuenit Euchariſtiæ, vt Sacramento, ac idem, vt ſacrificio, iuxtà illud Apoſtoli: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, ſed in vna ſpecie habetur rapræſentatio huiuſmodi, quantum requiritur ad Euchariſtiam, vt Sacramentum, ergo æquè habebitur per vnicam ſpeciem, quantum pertinet ad eandem, vt ſacrificium, & ad hoc argumentum confirmandum maximè conferunt verba Chriſti Domini, *hoc facite in meam commemorationem*, 7 Diſcrimen inter Euchariſtiã, vt ſacrificiũ, & vt Sacramẽtum in rapræſentando

quæ iuxtà multorum SS. PP. conſenſum non ſolum referuntur ad Sacerdotes ſacrificantes, ſed etiam ad laicos communicantes. Sed contrà, fateor etiam Euchariſtiæ, vt Sacramento competere eſſe rapræſentationem Paſſionis, & mortis Chriſti Domini, ſed diuerſo modo, nam talis ratio competit explicitè ſacrificio, Sacramento verò tantum implicitè, cùm ſacrificium ordinatum ſit ad exprimendam Paſſionem, & modum, quo poſita eſt, Sacramentum verò ſolum ad exprimendam mortem præſcindendo ab expreſſione modi, quo facta eſt.

8 Nunc explicandum remanet id, quod ſupra innuebamus, an ſcilicet, ſi Sacerdos in vnica tantum ſpecie conſecraret, & non in alia; dicendus eſſet ſaltem partialitèr ſacrificare, in quo aſſerebamus Cacheranum ſibi contradicere? Pro quo aduerto, Sacerdotem, vel conſecrare in vnica tantum ſpecie, & non in alia ex impotentia, quatenus inter conſecrationem vnius ſpeciei, & conſecrationem alterius inopinatè decedat; vel conſecrare in vnica tantum ſpecie ex malitia; rurſus, ſi ex malitia, vel intendit conſecrare in vna tantum ſpecie excludendo intentionem conſecrandi in alia abſtrahendo tamen à ratione ſacrificij, ſiue totalis, ſiue partialis, vel intendit conſecrare in vna tantum ſpecie excludendo intentionem quoad aliam, & quoad ſacrificium, ſiue totale, ſiue partiale. Quidquid ſit, an conſecratio in vna ſpecie ſit valida, quando eſt cum intentione excluſiuà conſecrationis in alia ſpecie, nec ne, quod relinquo ſcholaſticis decidendum; abſolutè aſſero, conſecrationem in vnica tantum ſpecie ex vi præſentis inſtitutionis in ratione ſacrificij non ſubſiſtere, ſiue in tali conſecratione intendat excludere rationem ſacrificij, ſiue non intendat. Ratio ex eo deducitur, quia, vbi deficit explicita rapræſentatio ſacrificij cruenti in Cruce, ſeu Paſſionis Chriſti Domini, deficit eſſentia ſacrificij, ſed in conſecratione vnius tantum ſpeciei, & non alterius, deficit talis explicita rapræſentatio, ergo, & eſſentia ſacrificij.

In ratione ſacrificij non ſubſiſtit.

ARTICVLVS IV.

Quænam ſit materia propria, ſeu res oblata huius ſacrificij.

SVMMARIVM.

Enumerantur res, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an ingrediantur eſſentiam huius ſacrificij. 1.
Subſtantia panis, & vini, eorumque accidentia ingrediuntur eſſentialitèr eſſentiam. 2.
Non tamen magis principalitèr. 3.
Species inducunt ſenſibilitatem. 4.
Quantum eſt ex vi formæ conſecrationis ſolum Corpus, & Sanguis ſunt formalitèr victima, quantum verò eſt ex vi concomitantiæ totus Chriſtus. 5.

CVm conſtituerimus rationem ſacrificij in genere in actionibus, & rebus oblatis, & in ijs etiam dixerimus, debere conſiſtere Sacrificium Miſſæ, vtpotè ſpeciem illius. Cum item examinauerimus actiones, in quibus conſiſtit eſſentialitèr idem ſacrificium, congruum eſt, vt modo examinemus res, quæ ingrediuntur eſſentiam eiuſdem ſacrificij, tanquam materiam, ex qua conſtituitur.

Iam prænotauimus in præcedenti articulo, in hoc ſacrificio interuenire ſubſtantiam panis, & vini, & eorundem accidentia, & ſpecies; item Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ipſum Chriſtum ſecundum ſe totum, hoc eſt ſecundum Corpus, Animam, Sanguinem, & Diuinitatem, ſeu Subſiſtentiam verbi, item ſecundum præſentiam, vel naturalem in Cœlo, vel Sacramentalem in Altari. De ijs omnibus inquiremus, an ingrediantur ſacrificium tanquam materiam eiuſdem. 1

1 Res, quæ poſſunt ingredi.

Dico primò; ſubſtantiam panis, & vini, eorumque accidentia, & ſpecies ingredi eſſentiam Sacrificij Miſſæ *Suarez hic diſp. 75. ſect. 1. §. dico 4, Lugus diſp. 19. ſect. 7. num. 97., Maſtrius diſp. 4. de Sacramento Ordinis qu. 4. num. 73., & alij magis communitèr.*

Probatur primò; quoad ſubſtantiam panis, & vini, quia actio ſacrificatiua eſt actio tranſubſtantiatiua, ſed actio tranſubſtantiatiua eſſentialitèr inuoluit ſubſtantiam, quæ tranſubſtantiatur, tanquam terminum a quo, vt per ſe patet, ergo ſubſtantia panis, & vini, quæ in Sacrificio Miſſæ tranſubſtantiatur, ingreditur eandem tranſubſtantiationem eſſentialitèr tanquam terminus à quo, ergo eſt de eſſentia eiuſdem ſacrificij. 2

2 Panis, & vinum ingrediũtur eſſentialitèr.

Hæc adeò vera ſunt, vt aliqui exiſtiment, ſubſtantiam panis, & vini eſſe principa-

cipaliorem partem rei oblatæ in Sacrificio Miſſæ, ea fortè moti ratione, quod in ſacrificijs illud vnicè, ſeu ſaltem magis principalitèr habet rationem victimę, quod actioni ſacrificatiuæ ſupponitur, tanquam terminus à quo, ſeu materia, circa quam, non id, quod ex eadem actione ſacrificatiua ſubſequitur, ſeu reſultat, vt videre eſt in mactationibus animalium, in quibus ipſa animalia ſunt principalis pars, & terminus à quo, non ipſæ carnes mortuæ, quæ reſultant ex mactatione; item in holocauſtis, in quibus res, quæ comburuntur, ſunt principalis pars rei oblatæ, non cineres, quæ indè reſultant, ſed id, quod in Sacrificio Miſſæ ſupponitur actioni ſacrificatiuæ, tanquam terminus à quo, eſt ſubſtantia panis, & vini, ergo ſunt principales partes rei oblatæ in eodem ſacrificio. Sed incongruè inſudant hi Auctores in probando, ſubſtantiam panis, & vini eſſe principaliorem partem in Sacrificio Miſſæ, quandoquidem non ſolum ſubſtantia panis, & vini eſt materia, circa quam, ſed etiam Chriſtus Dominus ſub aliquo ſpeciali modo exiſtens, quatenus nouum modum exiſtendi indiuiſibilitèr acquirit, & ineptum ad humanas actiones exercendas, & quatenus ſub ſpeciebus incruentè mactatur, rapræſentat etiam cruentam mactationem in Cruce; cum igitur

3 Non tamen magis principalitèr. tam ſubſtantia panis, & vini, quam ſubſtantia Corporis Domini ſubijciantur actioni ſacrificatiuæ tanquam materia, circa quam, ſequitur quidem, quod vtraque fit pars eſſentialis; cum tamen comparando vtramque inter ſe ſit nobilior, & perfectior ſubſtantia Corporis Chriſti, & ipſa principalitèr intendatur, hæc vtique haberi debet tanquam pars principalior; nec valet argumentum de mactationibus animalium, & holocauſtis, quandoquidem id, quod reſultat in alijs ſacrificijs, eſt quid deterioris conditionis, ac ſint res, quæ mactantur, & comburuntur, id verò, quod reſultat, tanquam terminus ad quem in actione ſacrificatiua Miſſæ eſt longè ſublimioris, & infinitè maioris conditionis, adeoque.

4 Etiam ſpecies. Probatur item quoad ſpecies panis, & vini, quia ad rationem ſacrificij humano modo inſtituti requiritur ſenſibilitas ex parte rei oblatæ, ſed hæc ſenſibilitas aliundè haberi non poteſt, quam à ſpeciebus panis, & vini, ergo &c. Neque dicas, ſenſibilitatem ſufficientèr haberi à verbis conſecratorijs, per quæ Corpus Chriſti ſub ſpeciebus exiſtens redditur ſenſibile; contra enim impugnaberis, quia ſenſibilitas, quæ habetur ex verbis, ſe tenet ex parte formæ, requiritur autem ſenſibilitas etiam ex parte materiæ, vt videre eſt in cæteris Sacramentis, in quibus vltra ſenſibilitatem formę requiritur etiam ſenſibilitas materiæ.

Dices; in actione ſacrificatiua materia, ſeu res oblata debet mutari, ſeu deſtrui, ſed ſpecies panis, & vini, nec mutantur, nec deſtruuntur, ergo non ſunt pars eſſentialis Sacrificij Miſſæ. Sed contra, quia, vt propriè dicantur ſacrificari, ſufficit, vt intrinſecè pertineant ad ſubſtantias in ſacrificatione deſtructas.

Dico ſecundò; quantum eſt ex vi verborum conſecrationis formalitèr ſolum Corpus, & Sanguis Chriſti Domini conſtituuntur in ratione victimæ, ſeu ſunt res oblata explicitè, & formalitèr, ex vi tamen concomitantiæ, ſeu naturalis connexionis totus Chriſtus, & ea, quæ in ipſo ſunt, ſunt implicitè materia, ſeu res oblata. In hoc arbitror omnes conuenire, licet ſine vlla expreſſione diſtinctiua aſſerant totum Chriſtum eſſe rem oblatam. 5 Ex vi verborũ ſolũ Corpus, & Sanguis ſunt victima.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod verba conſecrationis id tantum efficiunt, quod ſignificant, ſed in conſecratione panis ſolum ſignificant Corpus, in conſecratione vini ſolum Sanguinem, ergo ſolum Corpus, & Sanguinem, quantum eſt ex ſe, conſtituunt ſub ſpeciebus, ergo ex vi eorundem non conſtituitur ſub eiſdem anima, nec Subſiſtentia Verbi Diuini, adeoque, quantum eſt ex vi eorundem verborum, nec anima, nec diuinitas conſtituitur materia, ſeu res oblata in hoc ſacrificio. Confirmatur, quia, ſi in triduo mortis Chriſti aliquis Apoſtolorum conſecraſſet, ſecundum grauiorum DD. ſententiam verè ſacrificaſſet, nec tamen animam à corpore ſeparatam conſtituiſſet materiam huius ſacrificij, quia ex vi verborum non fuiſſet ſub ſpeciebus conſtituta, ergo ex vi verborum &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, quamuis ex vi verborum conſtituatur ſolum ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti Domini, & ſub ſpeciebus vini ſolus ſanguis, denegari tamen non poteſt, quod ex vi concomitantiæ, & vnionis Corporis cum Sanguine, & Anima, non conſtituatur totus Chriſtus, hoc eſt Corpus, Sanguis, Anima, & Subſiſtentia ſub ſpeciebus panis, & totus Chriſtus ſecundum eaſdem partes ſub ſpeciebus vini, ergo ex vi concomitantiæ, & naturalis connexionis totus Chriſtus offertur, immolatur, ſacrificatur &c., quia totum id ſacrificatur, quod eſt ſub ſpeciebus &c. Ex vi cõcomitantiæ totus Chriſtus.

ARTICVLVS V.

An in Miſſa verè detur duplex ſacrificium.

SVMMARIVM.

Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini non eſt duplex. 1.
Eſt vnum conuiuium, & vna cæna. 2.
Nec item eſt duplex, vnum ratione Corporis, & Sanguinis, alterum ratione panis, & vini. 3.
Sunt plura numero in diuerſis Miſſis ratione actionum. 4.

RAtio dubitandi verſatur primò in hoc, an ſacrificium Corporis ſit ſacrificium diſtinctum à ſacrificio Sanguinis. Secundò, an ſacrificium panis, & vini ſit ſacrificium præuium, & diſtinctum à ſacrificio Corporis, & Sanguinis Domini. In diſcuſione huius dubitationis quoad vtrumque ſenſum in præſenti immorabimur. Pro quo

Dico primò; ſacrificium Corporis, & Sanguinis Domini non eſt duplex, ſed vnum tantum. Conſentiunt communitèr SS. PP., & Concilia paſſim ſub vnius, & ſingularis ſacrificij nomine procedentia.

1 Sacrificiũ Corporis, & Sanguinis Domini non eſt duplex. Iuxtà noſtra principia vix videtur habere poſſe difficultatem hæc noſtra ſententia; cum etenim per nos non conſtituatur ſacrificium, niſi per conſecrationem ſub vtraque ſpecie, adeo vt, qui conſecraret in vnica tantum ſpecie, non diceretur ſacrificare, conſequens eſt apertum, quod per conſecrationem in vtraque ſpecie non conſtituatur, niſi vnicum ſacrificium, quod confirmari vlteriùs poteſt ex eo, quod ſupra dictum fuit, nempè explicitam rapræſentationem mortis, & Paſſionis Chriſti Domini eſſe de eſſentia huius ſacrificij ex vi præſentis inſtitutionis; hæc autem explicita rapræſentatio indiuiſibilitèr habetur per vtramque ſpeciem vnicam dumtaxat Paſſionem eo modo, quo facta eſt, rapræſentantem.

2 Eſt vnum conuiuiũ. Probatur tamen alijs rationibus, & primò, quia hoc ſacrificium inſtitutum eſt per modum cænæ, & conuiuij, non dicitur autem duplex conuiuium, & duplex cæna, alterum, ſeu altera ratione cibi, alterum, ſeu altera ratione potus, ſed vnum, & idem coaleſcens tum ex cibo, tum ex potu, ergo etiam hoc ſacrificium, vtpotè conuiuium, non erit duplex, ſed vnicum dumtaxat coaleſcens ex Corpore Chriſti Domini tanquam ex cibo, & ex Sanguine, tanquam ex potu. Secundò, quia rapræſentatio conſtituitur per ordinem ad rem rapræſentatam, ſed res rapræſentata eſt vna, & eadem, nempè Paſſio Chriſti Domini, ergo &c. Tertiò, quia conſecratio ſub vtraque ſpecie non conſtituit duplex Sacramentum, ſed vnum dumtaxat conflatum ex vtraque ſpecie, ergo nec duplex ſacrificium.

Probatur item auctoritatibus SS. PP., & vniuerſalis Eccleſiæ; & primò ex *Diuo Auguſtino lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20.* Ibi *Huius veri ſacrificij multiplicia, variaque ſigna erant ſacrificia priſca, cum hoc vnum per nulla figuraretur tanquam verbis multis eadem res diceretur*. Secundò ex vniuerſali Eccleſia in Oratione ſecreta Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſtem. Ibi *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti*. Neque dicas, Eccleſiam modo appellare ſub vnius ſacrificij nomine, modo ſub plurium noncupatione, vt videre eſt in alia Oratione, vbi loquens de anima defuncti in numero plurali ſic ait: *His ſacrificijs purgata, & à peccatis expedita*. Contra enim impugnaberis, quia ex hac varia locutione modo ſub vnius ſacrificij, modo ſub plurium nomine non eſt arguenda pluralitas ſacrificiorum; ſicuti ex eo, quod quandoque ſub plurium Sacramentorum nomine, vt quando dicitur per Sacerdotem, *Sacramenta, quæ ſumpſimus*, non arguitur pluralitas eorundem. Dicuntur autem ſub numero plurali ſacrificia in allegata Oratione, & fortè etiam alibi ſumpta denominatione à pleriſque actionibus ſacris, quæ in Sacrificio Miſſæ interueniunt, quæ ſunt vel præparatoriæ, aut concomitantes ſacrificium, vel ſubſequentes, adeoque ſumunt denominationem à ſuo principali, licet ſecundum ſe non ſint propriè ſacrificia.

Dico ſecundò; nec in ſacrificio Miſſæ interuenire duplex ſacrificium, alterum panis, & vini, alterum Corporis, & Sanguinis Domini. Conſentiunt communitèr DD. ſcholaſtici, licet diſcrepet *Gaſpar Caſalius lib. 1. de Sacrificio Euchariſtiæ cap. 20.*, vbi ſtatuit eſſe duo ſacrificia. 3 Nõ multiplicatur ratione panis, & vini.

Probatur ſimul, & explicatur, nam, vel nomine ſacrificij panis, & vini, vt diſtincti à ſacrificio Corporis, & Sanguinis Domini, venit oblatio verbalis, quæ fit poſt Euangelium ante conſecrationem, vel venit ipſa conſecratio, qua panis, & vinum tranſubſtantiantur in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini; quocunque ex his modis ſumatur, non conſtituit ſacrificium diſtinctum; nam in primis, ſi loquamur de illa oblatione verbali, iam illam excluſimus à ratione ſacrificij, adeo vt, nec ſit pars eſſentialis eiuſdem, ergo multominus erit ſacrificium diſtinctum, cum

po-

potiſſimum in illa, ſeu per illam non inducatur aliqua mutatio, ſeu deſtructio; ſi verò loquamur de ipſa conſecratione, quæ eſt actio tranſubſtantiatiua, cum ſit vnica actio, quæ verſatur inter terminum à quo, & terminum ad quem, vtique nonniſi vnicum ſacrificium conſtituit, cum potiſſimum deſumatur penes actionem, quæ conſtituitur, quæ, ſicuti vnica eſt, ità & vnicum ſacrificium. Confirmatur, quia, vbi vnum intenditur propter aliud, conſtituit quid vnum cum illo, ſed panis, & vinum in ſacrificio Miſſæ non intenduntur propter ſe ſeorſim, ſed propter Chriſtum, ergo conſtituunt quid vnum, nempè vnicum ſacrificium cum illo.

4 Sunt plura numero in diuerſis Miſsis ratione actionum

Ex occaſione hic oritur dubium, an ſacrificia ſint ſaltem numero diſtincta in diuerſis numero Miſſis, adeo vt tot ſint numero ſacrificia, quot ſunt Miſſæ? Quamuis ratione rei oblatæ principalis dici poſſent vnum, cum res oblata principalior ſit vnus, & idem Chriſtus Dominus; ratione tamen actionis ſacrificatiuæ, quæ in ſacricio principalius attenditur, dici debent ſimpliciter plura iuxtà numerum Miſſarum, quæ celebrantur, cum in eiſdem multiplicentur actiones ſacrificatiuæ.

QUÆSTIO II.

De valore, & effectibus Sacrificij Miſsæ.

CONſiderata quidditate Sacrificij Miſsæ per ea, quæ ſunt eidem eſſentialia, eiuſdem virtutem, & valorem tum in ſe ipſo, tum in effectibus quos reſpicit, & cauſat, conſiderandam aſſumimus; cuius nomine venit dignitas, ſeu æſtimabilitas moralis apta ad mouendum Deum ad beneficia conferenda, vel mala auertenda. De hoc procedit præſens quæſtio.

ARTICVLVS I.

Quotuplex ſit valor Sacrificij Miſsæ.

SVMMARIVM.

Triplex offerens, Chriſtus Dominus, Sacerdos, & Eccleſia. 1.
Ratione finis diuiditur in propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium. 2.
Ratione effectuum, quomodo diuidatur. 3.
Ratione ſubiecti diuiditur in generalem, medium, & perſonalem. 4.

SVppoſito valore eiuſdem ſacrificij conſiſtente in illa dignitate, ſeu æſtimabilitate morali apta ad mouendum Deum, idem conſiderandus modo venit ſecundum varios reſpectus, ſecundum quos induit diuerſas rationes, & varias ſubit diſtinctiones; ſumi etenim poteſt, vel in ordine ad offerentes, vel in ordine ad fines, ad quos offertur, vel in ordine ad effectus, quos cauſat, vel poteſt cauſare, vel in ordine ad perſonas, quibus applicatur.

Ratione offerentium reſpicit Chriſtum Dominum tanquam principalem, Sacerdotem celebrantem, tanquam immediatum, Eccleſiam tanquam offerentem minus principalem, & mediatum, & ex hoc diuerſo reſpectu oritur quodamodo diſtinctio in valorem ex opere operato, & ex opere operantis, valor etenim, quem refundit dignitas Chriſti principalis offerentis, eſt ex opere operato, ille verò, quem refundit bonitas Sacerdotis celebrantis eſt ex opere operantis, ſicuti etiam iuxtà veriorem ſententiam ille quem refundit dignitas Eccleſiæ. 1 Diuiſio ratione offerētiū.

Ratione finium, ad quos offertur, diuiditur in propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium. Propitiatorium eſt, quod ordinatur ad obtinendam gratiam. Impetratorium eſt, quod ordinatur ad obtinenda bona, quæ petimus, & auertenda mala. Satisfactorium, quod elicitur ad ſatisfaciendum pro peccatis. De ijs omnibus occurret ſermo infrà ex profeſſo. 2 Ratione finis.

Ratione effectuum, quos cauſat, retinet eandem diuiſionē propitiatorij, ſatisfactorij, & impetratorij, cui correſpondet collatio gratiæ, remiſſio peccatorum quoad culpam, & præcipuè quoad pænam, bonorum conceſſio, auerſio malorum, & ſatisfactio pro peccatis, de quibus etiam infrà agetur ex profeſſo. 3 Ratione effectuū

Ratione perſonarum diuiditur in generalem, medium, & perſonalem. Primus eſt, qui applicatur toti Eccleſiæ, & Summo Pontifici. Medius, qui applicatur ei, pro quo celebrans intendit offerre, ſiue ex charitate, ſiue ex iuſtitia recepto ſtipendio. Tertius, ſeu perſonalis, qui conuenit, & applicatur Sacerdoti celebranti, nec videtur alteri ab ipſo applicabilis. De ijs omnibus in præſenti quæſtione erit ſingillatim peragendum, ſed potius examinanda eſt quantitas eiuſdem valoris ſecundum ſe, an ſcilicet ſit infinita, an verò tantum finita. Pro quo ſit. 4 Ratione perſonarum.

AR-

ARTICVLVS II.

An valor Sacrificij Miſsæ ſit limitatus, & finitus, an verò infinitus.

SVMMARIVM.

Infinitas duplex, altera intenſiua, altera extenſiua, & quid ſit vtraque. 1.

Sacrificium Miſsæ, prout eſt à Sacerdote præciſè; hoc eſt ſecundum actionem eiuſdem eſt in valore finitum. 2.

Item, prout eſt ab Eccleſia. 3.

Prout offertur à Chriſto Domino, & applicatur à Sacerdote eſt infiniti valoris intenſiuè quoad ſufficientiam, & in actu primo, non ſic in actu ſecundo, & quoad efficaciam. 4.

Sacrificium in Cruce oblatum eſt infinitum. 5.

Sacrificium Miſsæ eſt infiniti valoris non ſolum quoad impetrationem, ſed etiam quoad ſatisfactionem. 6.

Et non ſolum quoad valorem medium, ſed etiam quoad generalem, & perſonalem. 7.

Cur non ſit infinitus in actu ſecundo. 8.

Applicantur merita præterita Chriſti Domini. 9.

Iteratur ſacrificium Miſsæ, quia in actu ſecundo non producit, niſi effectum finitum. 10.

Sacerdos non ſolum applicat propriam actionem, ſed etiam merita Chriſti. 11.

Quomodo proportionentur actus primus, & ſecundus in hoc. 12.

Quando nulla eſt diſpoſitio ex parte ſubiecti, quantitas deſumitur ſecundum inſtitutionem Chriſti Domini. 13.

1 Infinitas duplex. INfinitas, de qua hic agitur, vel poteſt eſſe intenſiua, vel extenſiua. Intenſiua conſideratur, quatenus talis ſit ſecundum ſe, vt poſſit ſemper maiorem, & maiorem effectum cauſare, & non tantum, quin ſemper intenſiorem. Extenſiua, quæ non ſolum ſit applicabilis vni, vel alteri, ſed non tot, quin etiam pluribus, & æquè proſit omnibus, pro quibus offertur, ac prodeſſet vni, ſi pro eodem dumtaxat applicaretur. Procedit nunc titulus de quantitate valoris intenſiua.

Pro huius difficultatis reſolutione aduerte, titulum non procedere ratione rei oblatæ, ſeu victimæ principalis; hæc etenim eſt Chriſtus Dominus, qui nemine diſceptante eſt dignitatis, & æſtimabilitatis infinitæ intenſiuæ, quatenus poteſt ſemper maiores, & maiores effectus producere, cum habeat virtutem infinitam, & æque prodeſſe omnibus, ſicuti ſingulis; ſed procedere ratione actionis ſacrificatiuæ, quæ adhuc conſiderari poteſt, vel in ordine ad principalem offerentem, nempè Chriſtum Dominum, vel in ordine ad immediatum offerentem, qui eſt Sacerdos offerens, vel in ordine ad offerentem minus principalem, & mediatum, qui eſt Eccleſia. His poſitis.

Dico primò; ſacrificium Miſſæ, prout reſpicit præciſè offerentem immediatum, nempè Sacerdotem, ſeu actionem ab ipſo immediatè prouenientem, non eſt valoris infiniti intenſiuè. Ab hac ſententia arbitror neminem diſſentire. 2 Vt eſt à Sacerdote eſt finitum.

Probatur; actio, prout ſe tenet ex parte celebrantis eſt ſecundum ſe finita, & limitata, ſicuti perſona eiuſdem eſt limitatæ, & finitæ virtutis, ergo ſacrificium Miſſæ, prout præciſè appellat actionem ſacrificatiuam prouenientem à Sacerdote non poteſt eſſe infiniti valoris, cum actio commenſuretur perſonæ, à qua elicitur; Neque dicas, quod quantumuis perſona Sacerdotis ſecundum ſe conſiderata ſit finitæ, & limitatæ virtutis, habeat tamen illimitatum valorem ratione rei infinitæ, quam offert, ſeu ſacrificat, cum actio deſumat ſuum eſſe ſpecificum à termino, qui producitur, qui certè eſt infinitus; contra enim impugnaberis, quia, quamuis res oblata ſit infiniti valoris, non transfert tamen valorem infinitum in offerentem finitum, vt videre eſt in oblatione pueri Ieſu facta à Deipara Virgine in Templo, quæ quamuis eſſet rei infiniti valoris, & dignitatis, non fuit tamen ſecundum ſe infinita. Ad id, quod ſubditur, quod actio ſpecificetur à termino, qui producitur, qui cum ſit infinitus, vel requirit virtutem infinitam in agente, vel eandem in ipſum transfert, dicendum eſt, hoc verificari ſolummodò in ordine ad agentem Phyſicum, & principalem, non in ordine ad agentem moralem, & inſtrumentalem, cuiuſmodi eſt Sacerdos in Sacrificio Miſsę.

Dico ſecundò; etiam ſacrificium Miſsæ, prout reſpicit præciſè actionem Eccleſiæ offerentis, non eſſe infiniti valoris. 3 Item, vt eſt ab Eccleſia.

Eadem prorſus ratione euincitur, qua præcedens ſententia de actione Sacerdotis offerentis, quandoquidem actiones eiuſdem, qua tales ſunt, ſunt dumtaxat limitatæ virtutis. Accedit, quod propriè Eccleſia non ſacrificat, niſi ad ſummum mediatè conſtituendo ſcilicet Sacerdotes, qui pro eadem ſacrificent, nec ipſa inſtituit ſacrificium, ſed ad ſummum cæremonias, quæ circa idem adhibentur.

Dico tertiò; ſacrificium Miſſæ, prout reſpicit Chriſtum Dominum tanquam principalem offerentem, & ſacrificantem,

quod-

quodque celebrans applicat ex opere operato ijs, pro quibus offerre intendit, eſt infiniti valoris intenſiuè in actis primo, & quoad ſufficientiam, non ſic in actu ſecundo, & quoad efficaciam. *D. Thomas tertia part. quæſt. 79. art. 5. in corpore*, *Gauantus comment. in rub. Miſſalis part. 2. lib. 8. num. 8.*, *Marchinus de Sacrament. Ordinis tract. 3. part. 2. cap. 12.*, *Madernus tertia part. de Sacrif. Miſſæ qu. 8. art. 7.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrif. cap. 3. num. 3.*

4 Oblatum à Chriſto Domino eſt infinitum.

Probatur primò; actiones Chriſti Domini, vtpotè perſonæ infinitè dignificatæ ratione vnionis hypoſtaticæ ſunt infiniti valoris, & dignitatis, ergo ſacrificium Miſſæ, prout ab eodem principalitèr fit, erit infiniti valoris intenſiuè, & in actu primo. Antecedens probatur, quia, ſicuti ratione vnionis hypoſtaticæ eſſentia Diuina infinitè dignificat humanitatem Chriſti Domini, ità ratione eiuſdem dignificat infinitè operationes ab eadem elicitas; Neque dicas, quod, quamuis ſecundum ſe valor operum Chriſti Domini ſit infinitus, prout tamen eſt applicabilis à Sacerdote ſacrificante ſit finitus, quatenus Chriſtus Dominus applicandum reliquerit limitatè, & modo finito; contra enim impugnaberis, quia gratis omninò, & ſine vllo prorſus fundamento adſtruitur talis limitatio, quinimmò, cum iuxtà communem, & veriorem Theologorum conſenſum ſacrificium, & etiam Sacramenta nouæ legis ex opere operato conferant maiorem, vel minorem effectum iuxtà maiorem, vel minorem ſubiecti diſpoſitionem, conuenientiſſimum fuit, vt eorum valor, vt etiam applicandus non limitaretur, ſed illimitatè relinqueretur, vt ſemper magis, & magis creſceret, iuxtà quod diſpoſitiones recipientium magis, & magis augerentur.

Actiones Chriſti ſunt infinitæ.

5 Sacrificiũ in Cruce oblatum eſt infinitum.

Probatur ſecundò; ſacrificium cruentum à Chriſto Domino in Cruce oblatum habet infinitum valorem, & applicabilitatem infinitam in ordine ad quemcunque maiorem, & maiorem effectum; ergo etiam ſacrificium incruentum, prout reſpicit Chriſtum principalem offerentem, debet habere talem valorem, & applicabilitatem. Conſequentia probatur, quia ſacrificium Miſſæ non differt à ſacrificio Crucis eſſentialitèr, ſed tantum, quod modum, quatenus ſacrificium Miſſę eſt incruentum, illud Crucis cruentum, iſtud reſpectu Chriſti ex opere operantis, illud ex parte Sacerdotis applicantis eſt ex opere operato; cæterum quoad valorem, & applicabilitatem eſt eſſentialitèr idem.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an valor ſacrificij Miſſæ, quem aſſerimus infinitum intenſiuè in actu primo, quatenus poteſt ex ſe cauſare effectum infinitum, ſit talis ſolummodò quoad impetrationem, an verò etiam quoad ſatisfactionem. Secunda eſt, an hæc infinitas competat ſolum ratione valoris medij, an verò etiam ratione generalis, & perſonalis.

In ordine ad primam non defuerunt, qui infinitatem adſtruerent in ordine ad impetrationem, denegarent in ordine ad ſatisfactionem, & inter cæteros ſic ſenſerunt *Caſpenſis tract. 23. diſp. 2. ſect. 4.*, *Arriaga diſp. 52. ſect. 7. ſubſec. 2.*, *Auerſa quæſt. 11. ſect. 7.* Sed abſolutè aſſerendum eſt, eſſe infinitatem non ſolum quoad vim impetratiuam, ſed etiam quoad ſatisfactiuam deducta ratione à valore, & dignitate operum Chriſti, quæ apta ſunt, non ſolum ad obtinendam cuiuſcumque maioris, & maioris beneficij collationem, ſed etiam ad remiſſionem cuiuſcunque maioris, & maioris pænæ, quam veritatem optimè nouit *D. Thomas tertia part. quæſt. 79. art. 5. in corpore*, dum defectum, ob quem in hoc ſacrificio non tollitur tota pæna, non refundit in defectum virtutis Chriſti, ſed in defectum deuotionis humanæ.

6 Etiam quoad ſatisfactionem.

In ordine ad ſecundam, abſolutè etiam ſentiendum eſt, eſſe infinitum intenſiuè in actu primo tam reſpectu valoris medij, qui applicatur pro eo, pro quo Sacerdos offerre intendit, quàm reſpectu valoris generalis, qui toti Eccleſiæ, Summo Pontifici, alijſque applicatur, & etiam reſpectu perſonalis, qui pertinet ad Sacerdotem offerentem, & ſacrificantem. Moueor primò ad hoc aſſerendum, quia huiuſmodi valor, licet ſit in ordine ad plures, ratione quorum diuiditur, eſt tamen vnus, ac idem, qui prout applicatur Eccleſiæ dicitur generalis, prout applicatur ei, pro quo offertur, eſt medius, prout applicatur celebranti, eſt perſonalis, ergo cum ſit infinitus, prout eſt medius, erit etiam infinitus prout eſt generalis, & perſonalis. Confirmatur, quia ſiue ſit in ordine ad Eccleſiam, ſiue in ordine ad Sacerdotem offerentem, ſiue in ordine ad eum, pro quo offertur, ſemper eſt ex virtute operum, & meritorum Chriſti, ergo &c.

7 Et quoad omnem valorem.

Probatur iam quoad ſecundum partem noſtra concluſio, quod ſcilicet ſacrificium Miſſæ non ſit infiniti valoris quoad efficaciam, & in actu ſecundo, quia ſcilicet valor in actu ſecundo, deſumitur ab effectu, qui poteſt eſſe in actu ſecundo, ſed effectus in actu ſecundo non poteſt eſſe, niſi finitus, & limitatus, ergo &c. Minor probatur, nam, ſi loquamur de hoc ſacrificio, prout eſt ſatisfactorium, hoc non reſpicit

8 Cur non ſit infinitus in actu ſecundo.

cit ſaltem directè remiſſionem culpæ læthalis, adeoque, nec remiſſionem pænæ æternæ, quæ non remittitur, niſi ablata eadem culpa læthali; reſpicit igitur ſolum remiſſionem pænæ temporalis, quæ certè finita eſt, & limitata; ſi verò loquamur, prout eſt impetratorium, cum effectus, quos cauſat, ſint ſolummodò iuxtà diſpoſitiones eorum, qui eoſdem recipiunt, & diſpoſitiones ſemper ſint finitæ, licet poſſint eſſe maiores, & maiores, vtique non poterunt eſſe, niſi finiti.

9 Applicatur merita præterita.

Probata iam quoad vtramque partem noſtra concluſione ſiſtimus in ſolutione argumentorum, quæ contrà vtramque fieri poſſunt; & primò contra primam ſic arguunt aduerſarij. Non valet argumentum à valore ſacrificij cruenti in Cruce ad valorem ſacrificij incruenti in Miſſa, nam in Cruce Chriſtus fuit ex vna parte principalis, & immediatus offerens, ex alia ipſe erat in ſtatu merendi, & ſatisfaciendi; in Miſſa verò Chriſtus, licet ſit principalis, non eſt tamen immediatus offerens, nec eſt in ſtatu merendi, ergo &c. Sed contra admiſſo quoad vtrumque ſacrificium aſſignatum diſcrimen; ex eo tamen nihil infertur contra noſtram concluſionem; nos enim non aſſerimus, valorem Miſſæ eſſe infinitum ex eo, quod Chriſtus hic, & nunc mereatur, ſed ex eo, quod per ſacrificium Miſſæ applicentur merita Chriſti Domini præterita, quæ fuerunt, & ſunt valoris infiniti, & vtique ex vi præſentis inſtitutionis applicabilia. Cæterum, ſi quid argumentum euinceret, euinceret etiam, quod Sacramenta nouæ legis non cauſarent ſuos effectus ex opere operato, cum etiam hic, & nunc Chriſtus Dominus non ſit in ſtatu merendi.

Arguunt ſecundò, quia, ſi ſacrificiũ Miſſę eſſent infiniti valoris intenſiuè, non eſſet, cur toties eſſet in ſingulis Miſſis iterandum; per vnicam etenim oblationem haberetur, quidquid haberi poſſet in tot iteratis ſacrificijs, ergo ideò inſtitutum eſt, vt iteraretur, quia non eſt infiniti valoris. Antecedens probatur, quia ſacrificium cruentum in Cruce oblatum eſt infiniti valoris, ſemel tantum, & initerabilitèr oblatum eſt, ergo etiam ſacrificium incruentum, ſi eſſet valoris infiniti, ſemel tantum eſſet offerendum. Sed contra neganda eſt abſolutè ſequela antecedentis; quamuis enim ſecundum ſe ſit infiniti valoris, quia tamen eius valor non applicatur, niſi ſecundum diſpoſitionem recipientis, vt ſæpius repetitum eſt, quæ eſt finita, ideò non producit, niſi effectum finitum, adeoque congruum fuit, vt tanquam iterabile inſtitueretur, vt tales effectus multiplicarentur. Ad illud, quod ſubditur de ſacrificio cruento Crucis initerabili, dicendum eſt, diuerſam omninò eſſe rationem, tum quia ſacrificium Crucis habuit effectum ſuum vniuerſalem, tum quia, cum ſacrificium Crucis fuerit cruentum, ſi eſſet iterabile, ſupponeret item Chriſtum in vita mortali, & paſſibilem, quæ certè eſſe non poſſunt.

10 Iteratur ſacrificiũ Miſſæ, quia non producit, niſi effectum finitum.

Arguunt tertiò, quia ſacrificium Miſſæ eſt in genere oblationis, ſed oblatio ſecundum ſe eſt finiti, & limitati valoris, ergo & ſacrificium Miſſæ. Minor probatur, quia valor oblationis non deſumitur à re oblata, ſed ab offerente, iuxtà quod docet *D. Thomas tertia part. quæſt. 79. art. 5. in corpore*, vbi ſic. *In ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, ſeu rei oblatæ*, ſed offerens in Miſſa immediatus eſt celebrans, cuius actiones ſunt limitatæ, & finitæ, ergo &c. Sed contra, quia, quamuis actio Sacerdotis offerentis ſit finiti valoris, & dignitatis, non applicat tamen ſolum propriam actionem, ſed media eadem merita Chriſti Domini, quæ ſunt valoris infiniti nemine diſceptante; cum etenim Chriſtus Dominus habeat liberam facultatem diſponendi de proprijs meritis, potuit, & voluit applicare, & quaſi alligare oblationi, quam ad impetrandum, & ſatisfaciendum inſtituit.

11 Sacerdos applicat merita Chriſti;

Arguunt quartò contra ſecundam partem concluſionis, in qua dicebamus valorem ſacrificij Miſſæ, quamuis in actu primo ſit valoris intenſiuè infiniti, eſſe tamen in actu ſecundo, & quoad efficaciam finitum. Fruſtatoria eſt potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, ergo fruſtra aſſeritur in Miſſa virtus, ſeu potentia ad effectum infinitum, quem numquam poteſt conſequi. Confirmatur, quia actus primus, & actus ſecundus debent ſibi correſpondere, & eſſe adinuicem proportionati; quomodo autem poteſt eſſe proportio actus ſecundi finiti ad virtutem, & potentiam infinitam? Sed contra hoc argumentum nimis probat, probat enim, quod nec ſacrificium cruentum Crucis, nec Sacramenta habeant vim cauſatiuam infinitam, quinimmò nec Diuinam Omnipotentiam eſſe infinitam, cum in actu ſecundo non habeant effectum categorematicè infinitum, ſed ad ſummum ſincategorematicè, quatenus poſſunt maiorem, & maiorem effectum ſemper producere. Quamobrèm ad argumentum directè dico, non eſſe fruſtatoriam potentiam, quando in ea continetur effectus infinitus, licet ſit ſolummodò ſincategorematicè producibilis; & ipſa producibilitas ſincategorematica, quamuis ſit ſolummodò in effectu ſucceſſiua, arguit tamen continentiam totam ſimul in ſuo principio. Ad illud, quod

12 Quomodo proportionentur actus primus, & ſecundus.

quod ſubditur, dico, proportionem, quæ requiritur inter actum ſecundum, & primum in eo conſiſtere, quod actus ſecundus contineatur in primo, nec requiritur proportio entitatiua.

13 Arguunt quintò contra eandem. Tota ratio, propter quam aſſeritur, quod valor infinitus ſacrificij Miſſæ non conferatur, niſi modo finito, ſeu quoad effectum finitum, illa eſt, quia non confertur, niſi ſecundum diſpoſitionem, vel maiorem, vel minorem recipientis, ſed hæc ratio in aliquo ſaltem caſu non poteſt ſubſiſtere, ergo &c. Minor probatur, quia ſacrificium Miſſæ poteſt applicari pro paruulis carentibus vſu rationis, adeoque ineptis ad diſpoſitiones; item pro animabus in purgatorio exiſtentibus, item pro amentibus, & dormientibus, reſpectu quorum nulla ſupponitur diſpoſitio, ergo in hac hypotheſi non poteſt eſſe vlla limitatio, ratione maioris, vel minoris diſpoſitionis, ergo, vel tunc cauſare debebit ſecundum omnem ſui virtutem, adeoque effectum infinitum, & ſic valor eiuſdem eſſet infinitus etiam in actu ſecundo, & quoad efficaciam, vel in ordine ad eoſdem inutilis foret oblatio, ſeu applicatio ſacrificij. Sed contra dico, oblationem, ſeu applicationem pro recenſitis factam non fore inutilem, nec infinitam, non inutilem, quia ex ſe ſacrificium natum eſt producere aliquem effectum, qui licet ſit maior, vel minor iuxtà maiorem, & minorem diſpoſitionem recipientis, quando tamen nulla eſt, vel eſſe poteſt diſpoſitio, illum effectum producit, quem Deus in inſtitutione voluit, vt videre eſt etiam in Baptiſmo paruulorum, in quibus nulla poteſt eſſe diſpoſitio, & tamen gratiam Sacramentalem, ſeu effectum limitatum eiuſdem baptiſmatis conſequuntur; Non infinitam, non defectu limitationis, quæ habeatur per diſpoſitiones, quæ nullæ ſupponuntur adeſſe, ſed ex determinatione Dei ſupplentis defectum determinatiui creati.

Determinatur quantitas ſecundũ inſtitutionem Chriſti.

ARTICVLVS III.

An valor Sacrificij Miſſæ ſit extenſiuè infinitus, an verò finitus.

SVMMARIVM.

Valor extenſiuus in quo conſiſtat. 1.
Valor generalis eſt infinitus extenſiuè. 2.
Non ſolum, quatenus impetratorius, ſed etiam, vt ſatisfactorius. 3.
Etiam valor medius eſt extenſiuè infinitus. 4.
Qualitas Sacerdotis offerentis non minuit valorem. 5.
Nec etiam iterabilitas eiuſdem ſacrificij. 6.
Ratio, ob quam non iteratur ſacrificium Crucis. 7.
Qui non applicat pro omnibus non peccat contra charitatem, & quare. 8.
Vnum ſacrificium pro pluribus applicatum æque diſpoſitis æque prodeſſet illis, ac ſi plura ſingula pro ſingulis applicarentur ex opere operato. 9.
Plura pro eodem magis proſunt, & quare. 10.
Qui acceptis pluribus ſtipendijs vnum ſacrificium, applicaret pro omnibus grauitèr peccaret, non tamen probabilitèr contra iuſtitiam. 11.
Valor generalis, medius, & infimus non differunt, niſi quoad modum applicationis. 12.
Valor generalis eſt quodamodo duplex, & quomodo. 13.
Quomodo ſtante noſtra doctrina generalis valor diſtingueretur à medio. 14.
Si valor eſſet extenſiuè finitus inconueniens ſequeretur, & quare. 15.
Eluditur argumentum Arriagæ. 16.
Infinitas extenſiua ſacrificij arguitur ex infinita applicabilitate ſacrificij cruenti. 17.

1 Valor extẽſiuus quid ſit. VAlor extenſiuus eſt in ordine ad diuerſas perſonas, pro quibus offertur, vel offerri poteſt, de quo propterea quæritur, an ita ſit applicabilis pluribus, vt æque proſit ſingulis, ac prodeſſet, ſi pro vno dumtaxat offerre tur, & ſi fuerint infiniti illi, pro quibus offertur, tantum prodeſſet illis omnibus, quantum prodeſſet ſingulis, ſi pro ſingulis ſeorſim applicaretur. Qua in controuerſia video DD. acritèr inter ſe altercantes, quorum alij abſolutè aſſerunt etiam extenſiuè valorem huius ſacrificij eſſe infinitum, inter quos *Cacheranus tract. 9. de Eucharistia, vt Sacrificio cap. 3. §. 2. num.* 21., qui aſſerit pro hac opinione ſtare multos, & magnæ notæ Auctores, quos tamen innominatos relinquit. Alij diſtinguentes inter valorem generalem; & medium aſſerunt, illum eſſe extenſiuè infinitum, non ſic iſtum. Alij tandem conſiderantes ſacrificium, vt impetratorium, & vt ſatisfactorium aſſerunt, vt impetratorium eſſe infinitum extenſiuè, non ſic, vt ſatisfactorium. Quid iam in hac ſententiarum varietate concludendum?

2 Eſt infinitus extenſiuè. Dico primò; valorem ſacrificij Miſſæ generalem eſſe infinitum extenſiuè. *Arragonius de iuſt., & iur. quæſt. 25. art. 3.*, *Scortia lib. 1. cap. 9.*, *Corduba lib. 2. quæſt. 3. concl. 3.*, *Valentia tom. 4. diſp. 6. quæſt. 11. punct. 1. §. 25. ſub finem*, & à fortiori quotquot non diſtinguentes inter valorem generalem, & medium indefinitè

ſuſtinent, valorem eſſe extenſiuè infinitum.

Probatur primò; quia huiuſmodi valor inſtitutus eſt, vt omnibus indefinitè proſit, pro quibus ſecundum generalem Eccleſiæ diſpoſitionem offertur, ſeu offerri poteſt, qui propterea generalis dicitur, ſed talis non eſſet, niſi eſſet infinitus extenſiuè, & ita prodeſſet omnibus, ac ſi offerretur, & applicaretur pro ſingulis ſeorſim, ergo &c. Minor probatur, quia, ſi eſſet determinatus, & dimminueretur in ſingulis, ſi pro pluribus applicaretur, iam abſorberetur in determinato numero, vt nihil remaneret pro alijs applicandum, ergo non prodeſſet omnibus, pro quibus poſſet offerri. Rurſus, quo magis augeretur credentium numerus, eo minus ſacrificij fructus cederet ſingulis, ſicq; maiorem fructum percepiſſent fideles primitiuæ Eccleſiæ, in qua erat minor numerus, ac percipiant fideles præſentis Eccleſiæ, in qua multitudo credentium numeratur. Rurſus ad percipiendum maiorem, & vberiorem fructum expediret intereſſe Miſſæ, in qua minor eſt populi concurſus, ac illi, in qua eſt maior affluentia.

Eſt inſtitutus pro omnibus.

3 Etiam, vt ſatisfactorius.

Dico ſecundò; valor generalis ſacrificij Miſſæ non ſolum, vt impetratorius, ſed etiam, vt ſatisfactorius, eſt infinitus etiam extenſiuè. Conſentiunt quotquot ſuſtinent, infinitatem intenſiuam, tam quoad impetrationem, quam quoad ſatisfactionem, & ſignantur *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrificio c. 3. §. 2. num. 21.*

Probatur; quia valor generalis non eſt alligatus præciſè ad impetrandum, ſed etiam ad ſatisfaciendum, quod, ſicuti verificatur in ordine ad valorem medium, & perſonalem, ita non eſt, cur verificari nequeat in ordine ad generalem, cum æque Chriſtus meruerit omnibus in ordine ad vtrumque effectum, ſed valor Chriſti generalis non habet limitatum terminum quoad impetrationem, ergo neque quoad ſatisfactionem, præcipue, cum non exiſtat ratio limitationis pro vna potius, quam pro alia.

Soluitur obiectum

Dices; rationem limitationis quoad ſatisfactionem, & non quoad impetrationem in eo conſiſtere, quia impetratio innititur ſolum Diuinæ miſericordiæ, & reſpicit ſolam Dei liberalitatem; ſatisfactio autem dependet, & à meritis offerentis, & ex deuotione eius, pro quo offertur. Sed contra, quia hic conſideramus præciſè valorem eiuſdem ſacrificij in actu primo, & ſecundum ſe, non in actu ſecundo; in actu autem primo, cum reſpiciat merita Chriſti Domini, eque potens eſt ad mouendum Deum ad concedenda beneficia, ac ad impetrandam remiſſionem pænæ; quod deindè in actu ſecundo conferat ſolum effectum limitatum, & finitum ex allegatis rationibus in inſtantia allatis, parum refert ad rem præſentem, quia hoc reſpicit valorem quoad effectum, ſeu in actu ſecundo.

Dico tertiò; valor medius, quem Sacerdos applicat pro ijs, pro quibus ſacrificare intendit, non ſolum intenſiuè, & in actu primo eſt infinitus, ſed etiam extenſiuè talis, adeoque, ſi offeratur pro pluribus, æque prodeſt omnibus ſimul, ac ſi offeratur pro ſingulis ſeorſim. *Cacheranus Theologiæ aſſert. tract. 9. cap. 3. quæſt. 7. num. 21., & ſeqq., Gauantus in comment. rubr. Miſſalis part. 7. lib. 8. nu. 8., Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 12., Madernus in tertia part. tract. 3. de Euchariſt. Sacram. art. 7.* 4

Etiam valor medius eſt talis.

Probatur primò; quia nec ex natura huius ſacrificij, nec ex inſtitutione Chriſti, nec ex aliquo iure Diuino intelligitur inducta aliqua taxatio quoad huiuſmodi valorem extenſiuum in actu primo, ſicuti, nec intelligitur inducta aliqua meta, ſeu menſura quoad valorem intenſiuum, ergo &c. Antecedens probatur. Non ex natura rei, quia ſacrificium, qua ſacrificium ſecundum ſe eſt indiferens, vt pro vno, vel pro pluribus applicetur, quod præcipuè verificatur in ſacrificio Miſſæ, quod, cum contineat infinitatem quoad valorem intenſiuum in actu primo, infinitis, ſi adeſſent, eſt applicabile, & ratione infinitatis non eſt, quod minuatur, cum infinitum non exhauriatur. Non ex inſtitutione Chriſti, qui cum pro omnibus inſtituerit, intelligendus eſt voluiſſe poſſe æqualitèr ſingulis prodeſſe. Non ex aliquo iure Diuino taxante, & limitante, cum de eo nullibi conſtet; quinimmo ex extenſiua infinitate non minus, quem ex intenſiua reſultat ſacrificij à Chriſto inſtiutti excellentia, & beneficentia, excitatur, & augetur fidelium ergà idem ſacrificium deuotio.

5 Qualitas offerentis non minuit valorem.

Dices primò; valorem Miſſæ limitari ex qualitate offerentis immediati, qui eſt Sacerdos, cuius actio eſt finita, & limitata. Sed contra; hac ratione euinceretur potius, ſeu ſaltem æque primo, quod limitaretur valor intenſiuus magis, ſeu æque, ac extenſiuus. Deindè actio Sacerdotis non conſideratur ſecundum virtutem, quam habet in ſe ipſa, ſed ſecundum vim applicatiuam, quam habet, meritorum Chriſti, & ſic eſt applicatiua valoris, nedum intenſiui, ſed etiam extenſiui, ad quem eadem merita extenduntur.

Dices ſecundò, limitationem huiuſmodi valoris extenſiui, licet non habeatur ex

expreſſa

expreſſa inſtitutione Chriſti Domini, haberi ab implicita eiuſdem, quatenus præceperit hoc ſacrificium reiterari, dum aſſeruit. *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei commemorationem facietis*; ly etenim *quotieſcunque* extenditur ad iteratas, & iteratas ſacrificationes; hæc autem iteratio arguit limitatum valorem eiuſdem ſacrificij, nam, ſi eſſet illimitatùs, & infinitus, non exigeret illam reiterationem; cum vnum ſacrificiũ tantæ virtutis eſſet, quantę eſſent plura. Sed contra; etiam hæc ratio euinceret, non ſolum contra infinitatem extenſiuam, ſed etiam contra intenſiuam. Quamobrem directè ad inſtantiam dico, ex illa reiteratione ſacrificiorum Miſſæ non benè argui finitatem; ſiue intenſiuam, ſiue extenſiuam eiuſdem ſacrificij, quandoquidem, licet ſecundum ſe, & in actu primo valor ſit infinitus quoad ſufficientiam, eſt tamen finitus quoad efficaciam, & in actu ſecundo, cum in actu ſecundo dependeat à maiori, vel minori deuotione eius, pro quo offertur; vndè poſito effectu limitato in actu ſecundo poteſt ſemper eius effectus creſcere ex multiplicatis ſacrificijs.

6 Nec etiã iterabilitas.

Vrgebis; etiam ſacrificium cruentum in Cruce, licet fuerit valoris infiniti tam intenſiuè, quam extenſiuè in actu primo, & quoad ſufficientiam, eſt tamen valoris finiti in actu ſecundo, & quoad efficaciam, nec tamen reiteratur, quod non aliundè prouenire exiſtimandum eſt, niſi ex eo, quod fuerit valoris infiniti ſecundum ſe, ergo etiam, ſi ſacrificium incruentum Miſſæ eſſet valoris infiniti in actu primo, quamuis in actu ſecundo non cauſaret, niſi effectum limitatum, & finitum, non eſſet iterandum, cum vnum ſufficeret pro omnibus, ſicuti ſufficit illud cruentum Crucis. Sed contra; cum ſacrificium Miſſæ fuerit inſtitutum ad rapræſentandum illud Crucis, & vt vices illius quodamodo gereret, ideo illud non eſt reiterandum, cum quodamodo ſignificatiuè, & cauſatiuè ſuppleatur per illud Miſſæ. Deindè, quod ſacrificium Crucis non reiteretur, non ideò prouenit, quia fuerit infiniti valoris tum intenſiuè, tum extenſiuè quoad ſufficientiam, ſed ex eo, quod ſemper ſupponeret Chriſtum paſſibilem, & in carne mortali, & propterea Chriſtus ſummè prouidus, & beneficus mirabilem hunc modum adinuenit, vt, cum ipſe cruentè amplius mactari non poſſet, incruentè quotidiè mactaretur, per quam incruentam mactationem quoad effectus id præſtat, quod præſtaret, ſi cruentè mactaretur.

7 Ratio, ob quam nõ iteratur ſacrificiũ Crucis.

Dices tertiò; hanc imitationem extenſionis argui ex varijs effectibus, qui prouenirent ex illa illimitata virtute, ſi poneretur, qui effectus inferrent abſurditates non modicas; & primò, ſi eſſet valoris infiniti extenſiuè, & æque prodeſſet multis, ſi pro illis applicaretur, ac prodeſſet vni, ſi pro ipſo dumtaxat offerretur, minus congruè, & contra charitatem perageret Sacerdos applicando ſacrificium pro vno, vel altero, & non pro omnibus ſimul, quandoquidem applicando pro omnibus, non noceret illi, à quo fortè ſtipendium recepit, & alijs omnibus prodeſſet ſine alicuius damno; & ſic omiſſio illa applicationis pro omnibus eſſet contra debitum charitatis. Secundò, ſi eſſet valoris infiniti extenſiuè, vnum ſacrificium oblatum pro pluribus ſimul æque illis omnibus prodeſſet, ac ſi pro illis omnibus ſingillatim plura ſacrificia offerrentur, ſingula pro ſingulis, quod certè non videtur dicendum. Tertiò, quod plura ſacrificia oblata pro vna, & eadem perſona, non plus illi prodeſſent, ac prodeſſet vnum, & ſic erit infructuoſum, plura ſacrificia pro eodem offerre. Quartò, quod, ſi Sacerdos à pluribus adæquata ſtipendia acceperit pro pluribus Miſſis ſatisfaciendis, & vnicum ſacrificium pro illis omnibus offerret, non peccaret contra iuſtitiam, ſed ad ſummum contra Eccleſiaſticum præceptum, quæ certè omnia malè olent. Sed his omnibus ſingillatim eſt occurrendum.

Nõnulla obiecta.

Ad primum; fateor, quod ex abundantia charitatis perageret Sacerdos, ſi ſimul pro eo, pro quo offert ex debito iuſtitiæ accepto ſtipendio, offerret ex charitate pro pluribus, immò etiam pro omnibus, cum per illam oblationem pro pluribus non noceret ei, pro quo offert ex iuſtitia; nego tamen, quod perageret contra debitum charitatis, cum quoad hoc nullum præceptum vrgeat, quinimmò tepeſceret pium in fidelibus excitamentum, nec curarent reiterationem ſacrificiorum pro ſe ipſis, ſuiſque indigentijs excitando ſe ad feruentiorem affectum per eleemoſinarum erogationem, ſi ſcirent Sacerdotem quemlibet ex charitate teneri pro omnibus offerre; atque, ne hoc gratis dictum videatur, exemplum ſumite. Romanus Pontifex, in cuius pectoris ſcrinio latent omnes theſauri Eccleſiæ, poteſt quidem eos omnes profundere in vtilitatem omnium fideliũ, adeò vt poſſent quidem omnibus æquè primo prodeſſe, & tamen theſaurum vni applicando, & non alijs omnibus, dici non poteſt contra charitatem peragere, quamuis ſine detrimento alicuius poſſit alijs omnibus prodeſſe applicando eoſdem theſauros &c., ergo etiam &c. Ratio horum omnium ea eſt, quia præceptum charitatis non vrget in ijs, quæ pendent à libera alicuius voluntate, quando non adeſt indigentia, cui alitèr poſſit ſubueniri; indi-

8 Charitas non obligat applicare pro omnibus.

gentiæ autem, ſi quæ eſſet, ſatis conſultum videtur per generalem applicationem.

9 *Vnũ pro pluribus æquè diſpoſitis æquè prodeſt omnibus, ac ſi plura, ſingula ſingulis applicarentur.*

Ad ſecundum fateor, quod, ſi omnes eſſent æquè diſpoſiti, vnum ſacrificium pro pluribus oblatum æquè prodeſſet omnibus, ac plura pro illis oblata, ſingula pro ſingulis; Regularitèr tamen, hoc non obuenit, quia, cum ſacrificium in actu ſecundo ſuos effectus cauſet iuxtà quantitatem diſpoſitionis, ſeu deuotionis eorum, pro quibus offertur, vt notat *D. Thomas hic quæſt. 79. art. 5. in corpore*, regularitèr ſupponitur maior diſpoſitio, & deuotio in ijs, qui per erogationem ſtipendij petunt pro ſe offerri, præcipuè cum illa erogatio ſtipendij explicet vehemens deſiderium, & excitamentum pietatis erga idem ſacrificium in petentibus, ac in illis, pro quibus ex ſua libertate Sacerdos applicat, non concurrentibus iſtis per aliquod ſpeciale officium ad exigendum, adeoque non æquè prodeſt quoad actum ſecundum vnum pro pluribus oblatum, ac plura pro pluribus ſingillatim, & diuiſim, non quidem ex defectu valoris extenſiui in ſacrificio, ſed ex inæquali diſpoſitione eorum, pro quibus offertur.

10 *Plura pro eodẽ magis proſunt.*

Ad tertium, nego, quod plura ſacrificia oblata pro vno non plus prodeſſent eidem, ac prodeſſet vnum tantum propter eandem rationem; quia ſcilicet, licet valor ſacrificij ſit infinitus extenſiuè, & intenſiuè in actu primo, in actu tamen ſecundo non cauſat, niſi effectum finitum, & ſic multiplicatis ſacrificijs multiplicantur effectus, qui effectus multiplicati haberi nequeunt per vnius ſacrificij oblationem.

11 *Qui acceptis pluribus ſtipendijs vnum ſacrificium pro omnibus offerret peccaret.*

Ad quartum, ſi concederem Sacerdotem, qui acceptis pluribus adæquatis ſtipendijs vnum dumtaxat ſacrificium pro omnibus illis obtulit, non peccaſſe contra iuſtitiam, ſed dumtaxat contra præceptum Eccleſiaſticum, nihil dicerem rationi diſſonum, cum omnes illud idem per illud ſacrificium conſequerentur, quod conſequerentur, ſi plura ſacrificia ſingula pro ſingulis, à quibus erogatum eſt ſtipendium, applicarentur iuxta ſuperius dicta. Attamen ſuſtinendo etiam, quod peccaret contra iuſtitiam, dico, quod, quamuis per vnicum ſacrificium omnes illi, qui erogarunt adæquatum ſtipendium, eundem effectum ex opere operato conſequerentur, ac ſi pro omnibus ad ratam ſtipendiorum fuerint plura ſacrificia ſingula ſingulis applicata, non tamen conſequerentur eundem effectum ex opere operantis, quandoquidem fructus ex opere operantis reſultat maior ex multiplicatione ſacrificiorum, & maiori Dei cultu, ex frequentatione Eccleſiarum, ex commodo confluentium ad Miſſas, quæ omnia præſumuntur intendere, & petere ſtipendiorum largitores.

Probatur ſecundò; fructus Miſſæ generalis, medius, & perſonalis eſt vnus, & idem fructus, qui differt ſolum per quandam accomodationem applicationis, qua tenus ſcilicet ab Eccleſia tanquam generalis applicatur in vniuerſum omnibus fidelibus, à Sacerdote celebrante applicatur ijs, pro quibus intendit, & ex natura ſua tanquam perſonalis cedit ipſi Sacerdoti inſeparabilitèr ratione actionis, quam exercet; cæterum non ſunt tres fructus, ſeu tres valores diſtincti ſecundum ſe, præcipuè, quatenus ſunt ex opere operato, quod multis rationibus euincitur; & primo, quia hæc diſtinctio non fuit cognita ante Scotum, qui primus eam induxit, vt fatentur DD. plurimi, quem poſtea ſecuti ſunt fere vniuerſi; ſecundo, quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi in ſubſtantia huiuſmodi valores, cum vnus, & idem per ſolos diuerſos reſpectus, & applicabilitates poſſit præſtare, quidquid præſtare poſſent diuerſi valores, ſi adeſſent; tertiò, quia huiuſmodi valor fundatur in meritis, & dignitate Chriſti, quæ merita ſunt eadem, ſiue applicentur toti Eccleſiæ, ſiue peculiaribus perſonis. Quibus tanquam rationi, & veritati innixis ſuppoſitis ſic ſubſumo. Valor cõſiſtens in meritis Chriſti æquè eſt applicabilis toti Eccleſiæ, ac ſingulis, & pluribus fidelibus, nec ex eo, quod applicetur pro tota Eccleſia, minuitur per hoc, quod per oblationem, & intentionem Sacerdotis applicetur pro particularibus perſonis, ergo neque minuitur in ſingulis ex eo, quod Sacerdos applicet pro pluribus; cum etenim ſit vnus, & idem, ſicuti non minuitur ex eo, quod applicetur toti Eccleſiæ, & ſimul pluribus in particulari, ità nec minui dicendus eſt ex eo, quod Sacerdos applicans pro vno, ſimul, & ſemel applicet pro alijs.

Valor generalis, medius, & infimus ſunt vnus, & idem. 12

Dices primò; non minui valorem generalem, neque in ijs, pro quibus Eccleſia generalitèr applicat, neque in ijs, pro quibus Sacerdos offert, quia valor generalis conſequitur generalem oblationem, quæ non fit à ſolo celebrante, ſed à tota Eccleſia, & ſic tot multiplicantur oblationes, quot ſunt in Eccleſia perſonæ magis, vel minus proprie offerentes; minui verò valorem ſpecialem, ſeu medium ex oblatione pro pluribus, quia hic conſequitur oblationem ſpecialem, ſeu mediam factam à ſolo celebrante, cuius actio eſt limitata, nec creſcit ex eo, quod ſint plures illi pro quibus offertur. Sed contra; valor generalis eſt quodamodo duplex, ſeu poteſt duplicitèr conſiderari; primò, quatenus offertur à Sacerdote ex officio, pro tota Eccle-

Valor generalis quaſi duplex. 13

ſia,

ſia, ſeu pro omnibus fidelibus collectiuè, & diſtributiuè pro circumſtantibus, Papa, Epiſcopo, & Rege, & alijs, qui certè eſt ex opere operato; ſecundò quatenus offertur ab omnibus fidelibus nomine proprio; atque hic non eſt ex opere operato, cum nō ſit a Sacerdote ſacrificante, à quo ſolum procedit actio ſacrificatiua; ſicuti igitur valor generalis, prout applicatur per Sacerdotem, vt miniſtrum Chriſti, & in perſona eiuſdem in actione ſacrificatiua non minuitur in ſingulis, ità, nec minuitur valor medius ex eo, quod per eundem Sacerdotem in eadem actione pro pluribus applicetur; nec aliquid officit, quod in oblatione generali tota Eccleſia, ſeu fideles concurrant quodamodo offerendo, quia hæc oblatio non conſequitur effectum ex opere operato, de quo ſolum procedit præſens quæſtio, ſed ad ſummum ex opere operantis; vndè ex illa oblatione generali, quæ fit impropriè a fidelibus, ſicuti non ſequitur, quod dimminuatur valor, prout oblatio eſt a Sacerdote, vt miniſtro Chriſti, & in perſona eiuſdem pro Eccleſia, & fidelibus collectiuè, ita nec ſequitur, quod dimminuatur valor medius, pro vt ab eodem Sacerdote ſub eadem ratione prouenit pro particularibus perſonis, pro quibus ſpecialitèr offerre intendit.

14 *Diſtinctio generalis à medio.* Dices ſecundò; ex hac noſtra doctrina ſequi, quod valor generalis non diſtingueretur à medio, quandoquidem ex vna parte etiam valor medius poteſt pro omnibus applicari ſine dimminutione in ſingulis; ex alia parte vterque eſſet æqualis valoris, & ſic poſito generali eſſet ſuperfluus medius. Sed contra, quia, ſi conſideremus vtrumque valorem quoad ſe, certè in ſubſtantia non differunt; differunt tamen quoad ſpecialem modum applicationis, quatenus generalis quodamodo neceſſario ex diſpoſitione Eccleſiæ, & in communi applicatur; medius verò ex libera voluntate Sacerdotis, & modo determinato, & expreſſo, & ſic non eſt ſuperfluus poſito generali, quia vltra generalem conſequitur ſpecialem effectum ratione peculiaris oblationis, & applicationis.

15 *Inconueniens ex contraria ſententia* Probatur tertiò; ex abſurdis, quæ ex contraria ſententia prouenirent, quia data ſola finitate extenſiua ſacrificij, ſi plures eidem ſacro aſſiſterent, minorem fructum conſequerentur, ac ſi pauciores eidem intereſſent; quandoquidem, quod finitum eſt, quo in plures diuiditur, in ſingulis minuitur, ſicuti diuiſa quantitate palmari in quatuor partes ſingulorum eſſet ſemipalmus, diuiſa verò eadem in octo, ſolum quadrans palmi ſingulis contingeret, ſed hoc eſt maximè indecens, & retractiuum fidelium à communione in auditione ſacrorum, ergo &c.

Dices primò, hoc non ſequi, quia etiam data finitate extenſiua poſſunt plures æqualitèr participare de valore huius ſacrificij ſine aliqua penitus dimminutione in ſingulis; ſicuti enim res ſpiritualis finita eſt tota in toto, & tota in ſingulis partibus loci ſine vlla dimminutione in aliqua parte, ità valor ſacrificij data etiam eius finitate, cum ſit omninò ſpiritualis, debet eſſe totus in omnibus ſubiectis, pro quibus applicatur, & totus in ſingulis ſine aliqua dimminutione; rurſus, ſicuti eadem vox æque a ſingulis auditur ſine aliqua dimminutione, ſiue ſint plures, ſiue pauciores, & idem lumen multos æque, ac paucos illuminat, ità & idem valor, quantumuis finitus æquè, & ſine dimminutione plures, & paucos afficit. Sed contra; Benè venerint huiuſmodi DD. Iam concedunt ex paritatibus adductis, quod idem ſacrificium ſine aliqua dimminutione æque proſit pluribus, & paucioribus, & ſolum diſcrepant quoad infinitatem, quam nolunt agnoſcere. Siſtamus iam in hoc, in quo diſcrepant. Cum æque prodeſſe poſſit pluribus, & paucioribus, aſſignent quæſo numerum, intra quem poſſit prodeſſe, & vltra quem non poſſit prodeſſe. Si reſtringant ad numerum centenarium, quæro ab eiſdem, cur non poſſit extendi ad centum, & vnum? Et ſic hoc concedunt, quæro alterius, cur non poſſit ampliari ad centum, & duo? Et ſic ſucceſſiuè; ſi negant vlterius extendi; aſſignent à quo hanc limitationem, & metam deſumpſerunt, quam, cum nequeant aſſignare, nec ex inſtitutione huius ſacrificij, nec ex iure Diuino, nec ex humano, fateantur habere illimitatam virtutem, ex qua reſultat excellentia huius ſacrificij; maior beneficientia Chriſti inſtituentis &c. *Inſtantia propoſita, & ſoluta.*

Dices ſecundò; repetendo id, quod ſuprà obijciebant, nempè non minui fructum huius ſacrificij ex eo, quod plures ſint adſtantes eidem, quia ſinguli adſtantes intelliguntur ſimul offerentes cum Sacerdote; multiplicatis autem oblationibus, non eſt mirum, quod multiplicentur æqualitèr fructus, &, ſicuti in quolibet oblatio eſt eadem, ſiue fiat ab vno ſolum, ſiue à pluribus, ità non eſt, quod paritèr in quolibet non ſit æqualis fructus, ſiue vnus ſit offerens, ſiue plures. Sed contra, ſicuti ipſi repetunt obiectionem eandem, ità & ego repeto eandem ſolutionem; circumſtantes enim non ſolum ſunt offerentes, ſed etiam illi, pro quibus offertur, iuxtà illud *Et omnium circumſtantium &c., pro quibus tibi offerimus &c.* Illud, quod conſequuntur tanquam offerentes eſt ex opere operantis, cum ipſis non competat actio ſacri- *Alia inſtantia reſoluta.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ſacrificatiua; Illud, quod conſequuntur ex oblatione Sacerdotis tanquam Chriſti miniſtro, eſt ex opere operato. Eſto igitur, quod æqualitèr participent in ratione offerentis, ſiue ſint plures, ſiue pauciores, non æqualitèr tamen participarent in ea ratione, ſub qua pro eis offertur, ſi valor eſſet finitus, & eſſent plures, quia diuiſio rei finitæ, quo in plures fit, eo eſt minor portio ſingulorum, & ſic argumentum noſtrum ex abſurdo deductum totam vim retinet contra aduerſarios.

16 Elidit̃ur obiectum Arriagæ. Dices tertiò cum Arriaga, non eſſe abſurdum aſſerere, quod, quando plures ſunt adſtantes eidem Miſſæ ſacrificio, minuatur in eiſdem fructus magis, & ſi eſſent pauciores, ſi Sacerdos celebrans teneretur pro omnibus adſtantibus offerre, & applicare; hoc tamen de facto non euenit, quia Sacerdos non tenetur pro omnibus adſtantibus offerre, ſed poteſt pro libito, quando ſunt pauciores adſtantes, pro pluribus applicare; quando verò ſunt plures, pro paucioribus, ex quo poſtea infert, quod tam audire ſacrum cum multis, quam cum paucis, non minuatur, nec varietur fructus, ſed remaneat æqualis reſpectu omnium. Sed contra; in pleriſque decipitur ipſe Arriaga; & primò in eo, quod Sacerdos non offerat, nec teneatur offerre pro omnibus circunſtantibus, prout euincitur ex verbis canonis. *Et omnium circunſtantium &c., pro quibus tibi offerimus.* Secundò decipitur in eo, quod aſſerit, quod, cum poſſit pro libertate offerre pro pluribus, vel pro paucioribus, non varietur fructus, ſed æqualis omnibus remaneat, ſiue plures adſtent eidem ſacro, ſiue pauciores; ſi enim pro pluribus offert ſuppoſita finitate extenſiua non eſt, cur in eiſdem non minuatur, & ſic ſi plures audiant idem ſacrum, & pro omnibus offerat, iam erit dimminutio in ſingulis, ſi verò pro paucioribus maior ſingulis continget portio.

17 Sacrificiũ cruentũ eſt infinitis applicabile. Probatur quartò; valor meritorum Chriſti, vt reſultans ex ſacrificio cruento Crucis habet applicabilitatem infinitam, tam intenſiuam, quam extenſiuam, ergo eandem applicabilitatem ſecũdum vtramque rationem habebit valor eorundem meritorum, prout eſt affixus ſacrificio incruento Miſſæ. Antecedens communitèr admittitur. Conſequentia probatur, quia ſacrificium incruentum Miſſæ eſt idem ſubſtantialitèr cum ſacrificio cruento Crucis ſola offerendi ratione diuerſa, vt loquitur *Tridentinum ſeſs. 21. cap. 1.*, ergo, ſi ille habet applicabilitatem infinitam tam intenſiuè, quam extenſiuè, eandem habebit iſte; nec obeſt illa particula *ſola offerendi actione diuerſa*, quia hæc actio offerendi diuerſa in alio non conſiſtit, niſi, quod illud ſacrificium fuit cruentum, iſtud incruentum.

Dices, illas particulas *ſola offerendi actione diuerſa*, non importare ſolum diuerſitatem in eo, quod illud ſacrificium fuerit cruentum, iſtud incruentum, ſed etiam diuerſitatem quoad modum offerendi, quatenus illud fuit à Chriſto Domino ſimplicitèr ſine vlla qualitate limitante, hoc verò fit à Sacerdote immediatè, per cuius limitatam virtutem limitatiuè applicatur eiuſdem ſacrificij valor. Sed contra admiſſo etiam, quod importet illam diuerſitatem in modo offerendi, quatenus inuoluat etiam oblationem Sacerdotis ſimul cum oblatione Chriſti Domini, non tamen ſequitur, quod oblatio Sacerdotis limitet applicabilitatem valoris ſacrificij, cum Sacerdos intelligatur aſſumptus ad applicandum valorem, quem in ſe continet idem ſacrificium ex opere operato ſecundum eam intenſionem, & extenſionem, quam habet in ſe.

ARTICVLVS IV.

De Sacrificio Miſsæ, vt propitiatorio.

SVMMARIVM.

Refertur error hæreticorum negantium eſſe propitiatorium. 1.
Sententia aſſerens nullum cauſare effectum ex opere operato. 2.
Sententia aſſerens omnem gratiam prouenire ab hoc ſacrificio, & quomodo. 3.
Sententia aſſerens per ſe cauſare primam gratiam. 4.
Sententia aſſerens cauſare per ſe ſecundam gratiam, non primam. 5.
Sententia aſſerens cauſare primam per accidens. 6.
Sententia aſſerens cauſare, ſiue primam, ſiue ſecundam ſolam impetratoriè, & quomodo. 7.
Sacrificium Miſſæ ex opere operato non cauſat per ſe primam gratiam. 8.
Prima gratia per ſe ſolum tribuitur Sacramentis mortuorum. 9.
Quomodo dicatur propitiatio, & hoſtia pro peccato. 10.
Abſurda, quæ naſcuntur ex contraria ſententia. 11.
Explicatur, in quo ſenſu accipiendum ſit Concil. Trid. ſeſs. 22. c. 2. 12.
Neq; per accidens cauſat primam gratiam. 13.
Sacrificium Miſſæ non ordinatur directè ad remiſſionem peccatorum. 14.
Nec directè cauſat remiſſionem venialium. 15.
Concilium Tridentinum intelligendum eſt de remiſſione mediata. 16.

Nec

Nec etiam directè, & immediatè cauſat ſecundam gratiam. 17.
Soluuntur duo obiecta. 18.

IN præcedenti articulo primo huius ſecundæ quæſtionis ratione finium, ad quos dirigitur hoc ſacrificium, illud diſtinximus in propitiatorium, ſatisfactorium, & impetratorium. Nunc à primo membro huius diſtinctionis incipientes illud ſecundum omnes ſuas rationes, conditiones, qualitates, & effectus ex profeſſo examinamus.

1 Hæretici negantes eſſe propitiatorium.

Et quidem hoc ſacrificium propitiatorium eſſe, tanquam dogma fidei à Catholicis omnibus ſuſtinetur contra ſectarios volentes eſſe ſacrificium dumtaxat laudis, & gratiarum actionis, non autem propitiationis. Hanc veritatem expreſsè tradit *Tridentinum ſeſs. 22. cap. 2.* Ibi *Sancta Sinodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe docet &c.*, *& can. 3.* anathematizat eos, qui dixerint Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in Cruce oblati, non autem propitiatorium, quod etiam definiuerunt alia Concilia, & SS. Patres tam Græci, quam Latini paſſim appellantes Miſſæ ſacrificium propitiationem, hoſtiam ſalutarem, ſacrificium pro peccato.

Articuli examinandi.

Retenta iam, vt veritate Catholica propitiatione in ſacrificio Miſſæ, eius præcipuè effectus eſt in ordine ad remiſſionem culpæ, ſiue læthalis, ſiue venialis, & ad collationem gratiæ, ſiue primæ, ſiue ſecundæ, prout contradiſtinguitur ab eſſe ſatisfactorio, cuius effectus reſpicit principalius remiſſionem pænæ. Id iam, quod in præſenti articulo controuertendum remanet, verſatur in modo, quo cauſat eandem culpæ remiſſionem, & gratiæ collationem, an ſcilicet immediatè, an verò mediatè tantum, & ſi non immediatè per ſe, an talem per accidens.

2 Sentētia aſſerens non cauſare effectum ex opere operato.

Mitto hic duas ſententias, ſeu potius errores, qui, ſeu quæ circumferuntur in ſcholis, & attribuuntur nonnullis Doctoribus Catholicis; qui tamen procul dubiò non ità ſenſerunt. Prima docet, ſacrificium Miſſæ nullum prorſus habere effectum ex opere operato, ſed dumtaxat ex opere operantis, quatenus ſubiectum per bona opera ſe diſponit ad illos effectus, vel quatenus ſacrificatio eſt actio valde honeſta, & meritoria. Secunda docet, producere quidem ſuos effectus ex opere operato, ſed cauſalitate quadam vniuerſali, quatenus concurrit ad omnes effectus gratiæ, quos nobis Chriſtus promeruit, adeo vt quæcunque gratia, quæcunque peccatorum remiſſio, quæ nobis per Sacramenta ex meritis Chriſti conferuntur, à ſacrificio Miſſæ proueniant. Vtraque hæc ſententia, tanquam parum conſona rationibus, nulloque innixa fundamento communitèr ab omnibus reijcitur. Prima etenim valdè derogat dignitati, excellentiæ, & efficaciæ huius ſacrificij, cum nullam cauſalitatem eidem conferat. Secunda, vt nimis eidem faueat, derogat alijs Sacramentis, dum eiſdem nullam efficaciam tribuit, niſi dependentèr ab hoc ſacrificio. His igitur non conſideratis, cum iam à ſcholis receſſerint.

3 Sentētia aſſerens omnem gratiam prouenire ab hoc ſacrificio.

4 Sentētia aſſerens per ſe cauſare primam gratiam.

Ad alias ſententias, quæ non ſine aliqua probabilitate vagantur per ſcholas, me confero. Prima docet, ſacrificium Miſſæ ex opere operato directè, immediatè, & per ſe primam gratiam producere, remiſſionemque peccatorum cauſare faciendo hominem de attrito contritum, eo modo, quo præſtant Sacramenta mortuorum, nempè Pœnitentiæ, & Baptiſmatis, atq; hæc ſententia tribuitur *Gabrielli lect. 85. in Canone Miſſæ*, *Alano lib. 2. de Euchar. 33.*, *& alijs*.

5 Sentētia aſſerens cauſare ſolum ſecundam.

Secunda docet per ſe immediatè, & directè cauſare gratiam ſecundam, & remiſſionem venialium, non ſic primam, nec remiſſionem læthalium. Hæc ſententia tribuitur *Dominico Soto in 4. diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 5.*, *Petro Soto lib. de inſtit. Sacerd. lect. 7. de Euchariſtia*, *Goneto diſp. 11. art. 4. num. 91.*

6 Sentētia aſſerens cauſare primam per accidens.

Tertia docet, quod, licet non cauſet primam gratiam per ſe, & immediatè, nec remiſſionem peccatorum, cauſet tamen eandem immediatè, ſed per accidens; atq; hæc ſententia tribuitur non ſolum allegatis pro ſecunda ſententia, ſed etiam *Palatio in quarto diſt. 8. diſp. 1.*, *Marchino part. 2. de ſacrif. Miſſæ cap. 10. prop. 4.*, *Toleto in ſumma lib. 2. c. 7. n. 2.*

7 Alia ſententia refertur.

Quarta docet, cauſare gratiam, ſiue primam, ſiue ſecundam, & remiſſionem peccatorum, ſiue læthalium, ſiue venialium ſolum mediatè impetrando nobis auxilia, & dona, quibus ad huiuſmodi effectus diſponamur; atque hæc ſententia communius ſuſtinetur, tum ab antiquis Doctoribus, tum à Noetericis. Singulas expendo.

8 Non cauſat per ſe primam gratiam.

Dico igitur primo, ſacrificium Miſſæ ex opere operato non cauſare directè, immediatè, & per ſe primam gratiam, remiſſionemque peccatorum læthalium. Conſentiunt *D. Thomas in 4. diſt. 12. ad quartum*, *Suarez diſp. 79. ſect. 3., & 4.*, *Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 4.*, *Madernus qu. 8. art. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad primam gratiam, remiſſionemque peccatorum læthalium non eſt tribuenda maior vis Euchariſtiæ, vt ſacrificio, quam

eidem

eidem tribuatur, vt Sacramento, ſed eidem, vt Sacramento non conceditur vis cauſatiua immediata primæ gratiæ, nec remiſſionis peccatorum læthalium, ergo nec eidem concedenda eſt, vt ſacrificio huiuſmodi vis. Maior non videtur pati aliquam difficultatē, quandoquidem Euchariſtia, vt Sacramentum, eſt ordinata ad ſanctificationem ſumentium, vt ſacrificium ad recognitionem ſupremi dominij Dei; maiorem autem vim debet habere, prout ordinatur ad productionem gratiæ, per quam homo ſanctificatur, & remiſſionem culpæ, per quam iuſtificatur, quam prout ordinatur ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium; Si ergo, vt Sacramentum, qua ratione ordinatur principalitèr ad hominum ſanctificationem, illos non ſanctificat, nec iuſtificat cauſalitate propria, directa, & immediata, quomodo, vt ſacrificium, qua ratione principalitèr dirigitur ad recognitionem Dei, poterit illa cauſalitate immediata hominem ſanctificare, & iuſtificare?

Maior vis eſt tribuenda Euchariſtiæ, vt Sacramento.

9 Ratio deducitur ſecundò, quia ex vi præſentis inſtitutionis ſolis Sacramentis mortuorum, nempè Baptiſmi, & Pœnitentiæ collata eſt hæc virtus immediatè ſanctificandi, & iuſtificandi, nec alicubi reſultat, quod hæc vis ſit etiam collata ſacrificio Miſſæ, quinimmò ex *Conc. Trid. ſeſs. 22. cap. 2.*, hæc immediata vis cauſatiua gratiæ ab eodem ſacrificio excluditur, dum dicit. *Huius oblatione placatus Dominus gratiam*, (nempè excitantem) *concedens, & donum Pœnitentiæ crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, quæ verba certè indicant, non conferre gratiam primam immediatè, & remiſſionem peccatorum, ſed ad ſummum mediatè concedendo donum Pœnitentiæ, quo poſtea conſequimur gratiam remiſſiuam peccatorum.

Prima gratia per ſe ſolum tribuitur Sacramentis mortuorum.

Quod, ſi dicas, colligi, tum ex Concilijs, tum ex SS. PP. hoc ſacrificium immediatè conferre gratiam, & remittere peccata, cum paſſim appellent ſacrificium iſtud propitiatorium, & hoſtiam pro peccato, quorum effectus præcipuè ex genere ſuo eſt conferre gratiam remiſſiuam peccatorum, nec poteſt intelligi propitiatorium ſolum mediatè, quatenus excitat ad actiones Pænitentiæ, medijs quibus conſequatur remiſſio peccatorum per infuſionem gratiæ; tum quia hac ratione quodlibet opus bonum, honeſtum, & morale poſſet dici propitiatorium, quatenus excitare poteſt ad actus Pænitentiæ, tum quia illa remiſſio peccati, & collatio gratiæ non prouenirret ex ſacrificio ex opere operato; ſed dumtaxat ex opere operantis, nempè virtute illorum actuum, quos ſuppoſito excitamento per ſacrificium operans eliceret. Si, inquam, hoc dicas; ſtatim impugnaberis, quia ſufficientèr dicitur propitiatorium, & hoſtia pro peccato ex eo, quod cauſat gratiam, & remiſſionem peccatorum mediatè excitando ſcilicet ex operè operato per auxilia gratiæ ad eliciendos actus Pænitentiæ, quibus gratia conferatur, & peccata deleantur; Nec hoc gratis dictum videatur, quandoquidem etiam ſacrificium cruentum Crucis dicitur propitiatorium, & tamen, nec gradum gratiæ immediatè producit, ſed ſolum mediatè, medijs ſcilicet noſtris operationibus, aut Sacramentis, alijſque inſtrumentis ad gratiam cauſandam Diuinitus inſtitutis; nec valet id, quod dicitur de quolibet opere bono, honeſto, & morali, quod poteſt conducere ad eliciendos actus &c. Non valet, inquam, quia hoc dato, nihil contra noſtrum ſenſum, quandoquidem hoc opus bonum, morale mouet tantum ex opere operantis ad eliciendos &c. Sacrificium autem hæc præſtat ex opere operato; ex quo etiam eliditur id, quod ex inſtantia inferebatur. 10

Quomodo dicatur hoſtia pro peccato.

Ratio deducitur tertiò ex varijs abſurdis, quæ indè poſita contraria ſententia emergerent. Primum eſt, quod efficacius eſſet ad cauſandam primam gratiam, & ad remittenda peccata ſacrificium incruentum Miſſæ, ac fuerit ſacrificium cruentum Crucis, ſi quidem hoc immediatè nullam gratiæ infuſionem cauſauit, nec directè vllum peccatum læthale remiſit. Secundum eſt, quod Sacramentum Pænitentiæ poſt ſecundum lapſum non eſſet neceſſarium, nec in re, nec in voto, quandoquidem per ſolam attritionem cum ſacrificio Miſſæ immediatè, & directè peccator iuſtificaretur. Tertium eſt, quod quilibet peccator attritus aſſiſtendo ſacro, vel curando, vt pro ſe Miſſa celebraretur, de attrito fieret immediatè contritus, quæ omnia abſurditatem inferunt. 11

Abſurda, quæ ex contraria ſententia naſcuntur.

Solum aliquid negotij videtur faceſcere aduerſus noſtram ſententiam *Concilium Tridentinum ſeſs. 22. cap. 2.*, vbi habet. *Huius quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum Pænitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*; quæ verba plerique explicant per hoc, quod Deus præſumatur concedere antecedentèr gratiam excitantem, per quam peccator attritionem, ſeu contritionem imperfectam eliciat, & ad ſacrificij fructum ſe diſponat, & quod tunc Deus ſacrificij oblatione placatus immediatè peccata dimittat, quod certè appellat cauſalitatem immediatam, & directam; Quod autem iſte ſit verus, & germanus ſenſus 12

Explicatur germanus ſenſus Concil. Trident.

ver-

verborum Concil. Trident. colligitur ex verbis immediatè præcedentibus, in quibus ſic legitur, *vt, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, & pænitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*; nec dubium aliquod tibi ingerat illa particula *contriti*, quia ſolum importat contritionem imperfectam, cæteroqui cauſaret immediatè gratiam non expectato Miſſæ ſacrificio. Sed minimè hæc obſtare videntur noſtræ ſententiæ, quandoquidem verba Concilij, ſi medulitùs ponderentur, nihil aliud important, niſi, quod Deus ex vi oblationis ſacrificij Miſſæ concedat gratiam excitantem ad pænitendum per contritionem perfectam, ratione cuius deindè crimina, & peccata etiam ingentia dimittat.

13 Neq; per accidens cauſat primam gratiam. Dico ſecundò; ſacrificium Miſſæ, neq; per accidens cauſare gratiam primam, & remiſſionem peccatorum læthalium directè, & immediatè. Conſentiunt *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 3. §. 3. num. 53.*, & alij plures apud eundem.

Probatur; quia, ſi quæ ratio probaret ſacrificium Miſſæ per accidens cauſare gratiam primam remiſſiuam peccati læthalis, ea eſſet, quia etiam Euchariſtia, cæteraque Sacramenta viuorum eandem per accidens producunt, quatenus, ſi quis ad huiuſmodi Sacramenta accederet cum peccato læthali inculpabilitèr ignorato, conſequeretur gratiam remiſſiuam eiuſdem; ſed hæc ratio nihil prorſus euincit. Minor probatur primò, quia gratis omninò aſſeritur, quod Euchariſtia, cæteraq; Sacramenta viuorum conferant gratiam per accidens reſpectu peccatoris inculpabilitèr ignorantis, ſe eſſe affectum peccato læthali, quia Euchariſtia, cæteraque viuorum Sacramenta requirunt in ſuſcipiente ſtatum gratiæ, huncque verum, non putatum, ſicuti pænitentia requirit veram, non putatam attritionem; vndè, ſicuti in Sacramento Pænitentiæ non conſequeretur quis gratiam Sacramentalem, ſi non haberet veram attritionem, ſed ſolummodò putatam, ita non conſequeretur gratiam, qui accederet ad Sacramentum Euchariſtiæ exiſtimans ſe eſſe in ſtatu gratiæ, in quo verè non eſſet, quia re vera adeſſet obex, nempè peccatum impeditiuum eiuſdem gratiæ, ſi non poſitiuus, quatenus ſit cum conſcientia reſpectu accedentis peccati læthalis, ſaltem negatiuus. *Atritio putata nō eſt ſuffi-ciens.* Neque dicas *ex Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 6.*, damnari eos anathemate, qui dixerint Sacramenta nouæ legis non conferre gratiam non ponentibus obicem, cum idem Concilium expreſsè aſſerat omnibus ritè ſuſcipientibus infallibilitèr eandem gratiam conferre. Ad hoc autem, vt quis dicatur ritè ſuſcipere, ſufficit *ex eodem Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.*, quod accedat cum magna reuerentia, & ſibi conſcius non ſit peccati læthalis, quod vtique ſupponitur in ſic accedente; Contra enim impugnaberis, quia Concilium in ea damnatione loquitur de ijs, qui malè ſentientes de dignitate, & efficacia Sacramentorum nouæ legis, negabant eorundem infallibilem cauſalitatem ſimplicitèr, ſiue reſpectu ritè ſuſcipientium, ſiue indignè ratione obicis reſiſtentis eiuſdem gratiæ collationi, & propterea dicit, quod non ponentibus obicem, & ritè ſuſcipientibus ſemper gratiam infallibilitèr conferant; non poteſt autem dici, quod, qui accedit cum peccato læthali, licet inuincibilitèr ignorato, accedat ſine obice, cum peccatum læthale propriè ſit obex, & quamuis vtpotè ignoratum non ſit obex poſitiuus, eſt tamen negatiuus, & ſic ad ſummum ſuſcipit ritè negatiuè, quatenus non ſuſcipit cum noua poſitiua indignitate, non autem poſitiuè, quia non ſuſcipit cum ſufficienti poſitiua diſpoſitione. Quamobrem in hoc caſu, quo quis accedit ſine cognitione peccati læthalis, quo afficitur, dicendum quidem eſt, quod accedat cum diſpoſitione ad communicandum ſine peccato, & dignè negatiuè, non verò ad communicandum dignè poſitiuè, & cum fructu.

Quod, ſi vlteriùs vrgeas, quod Deus facienti, quod in ſe eſt, non deneget gratiam, & quod accedens cum reuerentia, & timore, quando ſibi noxæ læthalis non eſt conſcius, faciat, quod in ſe eſt; ſtatim dicam, hoc procedere de gratia actuali, & excitante danda ex libera Dei voluntate miſericorditèr, non autem de gratia habituali danda ex inſtitutione, & ex opere operato infallibilitèr.

Probatur ſecundò; eadem minor, quia dato etiam, & non conceſſo, quod Euchariſtia, vt Sacramentum, quandoque per accidens conferat primam gratiam remiſſiuam peccati læthalis, non tamen ſequitur, quod eandem conferat, quatenus ſacrificium eſt, quia ex vna parte nullibi conſtat de tali efficacia, nec ex vi inſtitutionis, nec ex aliqua diſpoſitione Diuina; ex alia Euchariſtia, vt ſacrificium non eſt ordinata ad noſtram ſanctificationem, & iuſtificationem directè, vt eſt ordinata, quatenus Sacramentum eſt; nam, vt ſacrificium ordinata eſt directè ad recognitionem ſupremi dominij Dei, & ad eius cultum; maior autem efficacia eſt eidem concedenda, prout directè reſpicit homi- 14 *Miſſa nō ordinatur directè ad remiſſionē peccatorum.*

num iuſtificationem, ac prout directè reſpicit recognitionem ſupremi dominij Dei. Accedit, quod, in tantum poſſet Euchariſtia, vt Sacramentum producere per accidens primam gratiam, in quantum per ſe poteſt producere ſecundam, ſed eadem, vt ſacrificium, non poteſt per ſe producere ſecundam, ergo neque primam per accidens.

15 Nec directè cauſat remiſſionē veniali͂u.

Dico tertiò; ſacrificium Miſſæ nec directè, nec immediatè cauſare remiſſionem peccatorum venialium. *Madernus tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 8. art. 6. num. 9.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrificio cap. 3. §. 3. num. 63.*, *Bonacina de Sacramen. Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 3. num. 5.*

Probatur primò, quia hoc ſacrificium non habet ex vi ſua cauſare directè, & immediatè primam gratiam, vt probatum eſt ſuprà, nec ſecundam, vt infrà probabitur, ergo nec remittere directè, & immediatè peccata venialia. Conſequentia probatur, quia peccatum veniale ſecundum præſentem iuſtitiam non remittitur, niſi per gratiam remiſſiuam eiuſdem, ergo, ſi directè non producit gratiam remiſſiuam, nec directè inducit talem remiſſionem. Dixi *ſecundum præſentem iuſtitiam*; non enim negauerim poſſe à Deo per extrinſecam condonationem, de qua alibi erit ſermo.

Probatur ſecundò; quia ſacrificium Miſſæ, nec ex natura ſua, nec ex vi præſentis inſtitutionis ordinatum eſt ad remiſſionem huiuſmodi peccatorum venialium ſaltem immediatè, & directè; non ex natura ſua, quia vt ſacrificium ſolum ordinatum eſt ad recognitionem ſupremi dominij Dei; vt eſt tale ſacrificium ordinatum eſt ad explicitè ræpræſentandum ſacrificium cruentum Crucis, & ad cultum Dei; non ex vi præſentis inſtitutionis, cum nec ex ſacris ſcripturis, nec ex aliqua traditione, nec ex definitione Eccleſiæ conſtet ad hoc eſſe inſtitutum.

16 Concil. Trident. intelligē-dum eſt de remiſſione mediata.

Dices primò; conſtare ex definitione *Concilij Tridentini ſeſs. 22. cap. 1.*, vbi dicitur, Chriſtum reliquiſſe hoc viſibile ſacrificium, cuius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum, applicaretur, peccata autem, quæ à nobis quotidiè committuntur potiſſimum ſunt venialia iuxta illud *ſepties in die cadit iuſtus*, quod idem colligitur ex pluribus auctoritatibus SS. PP., & eiuſdem Eccleſiæ, dum hanc remiſſionem tribuunt eidem Miſſæ ſacrificio. Sed contra; Concilium Tridentinum debet intelligi de remiſſione mediata, medio ſcilicet dono pænitentiæ, quod hoc ſacrificium ex vi ſua ſolet operari mouendo ſcilicet peccatorem ad eandem pænitentiam; quod etiam intelligendum eſt de auctoritatibus SS. PP., & Eccleſiæ, ſi afferantur.

Dices ſecundò; etiam per Sacramentalia, puta per aſperſionem aquæ benedictæ, per benedictionem Epiſcopalem immediatè venialia remittuntur, ergo à fortiori remitti debent per hoc Miſſæ ſacrificium, quod longè perfectius, & efficacius eſt, ac ipſa Sacramentalia. Sed contra, quia gratis ſibi confingunt aduerſarij per Sacramentalia immediatè remitti peccata venialia, cum ad ſummum remittant mediatè excitando ſcilicet ad actus dilectionis Dei, vel pænitentiæ.

Vrgebis; nemine diſceptante efficacius eſt ſacrificium Miſſæ pro huiuſmodi remiſſione, ac ſint Sacramentalia, ergo, ſi iſta cauſant remiſſionem huiuſmodi peccatorum mediatè, illud debet cauſare immediatè, vt eidem tribuatur efficacior cauſalitas. Sed contra; fateor efficacius eſſe ſacrificium Miſſę Sacramentalibus in eodem tamen genere cauſalitatis mediatæ, non quia illud cauſet immediatè, hæc mediatè; efficacius etenim mouet Deum ad conferendum donum pænitentiæ, medio quo gratia remiſſiua acquiritur.

Dico quartò; ſacrificium Miſſæ, nec etiam directè, & immediatè cauſare gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ. Conſentiunt *D. Thomas in 4. diſt. 12. ad quartum*, *Suarez diſp. 73. ſect. 3., & 4.*, *Lugus diſp. 19. ſect. 9.*, *Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 4.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtia quæſt. 8. art. 6. num. 8.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrif. cap. 3. §. 3. num. 62.*

Eiſdem ferè rationibus euincitur pro negatione cauſalitatis immediatæ in eandem gratiam ſecundam, quibus probata fuit negatio cauſalitatis immediatæ in primam; quandoquidem non eſt hoc ſacrificium ordinatum immediatè, & directè ad humanam iuſtificationem, & ſicut ſacrificium cruentum Crucis, ne minimum quidem gratiæ immediatè cauſauit, nec in peccatoribus, nec in iuſtis, ſed ad ſummum excitando, & mouendo ad actus pænitentiæ; ita nec ſacrificium incruentum Miſſæ immediatè cauſare cenſendum eſt primam reſpectu peccatorum, nec ſecundam reſpectu iuſtorum, ne maior efficacia tribuatur ſacrificio Miſſæ, ac fuerit tributa ſacrificio Crucis. 17 Nec etiã directè cauſat ſecūdam gratiam.

Aduerſus hanc noſtram ſententiam videtur militare primò, quod nimis durum videatur, & contra dignitatem huius excellentiſſimi ſacrificij, quod dignè, deuoteque celebrantibus, & pro ſe offerentibus non augeat gratiam, & quod Apoſtolis in vltima cæna nullum incrementum gratiæ

ex hoc ſacrificio tunc inſtituto obuenerit. Secundò, quod ex genere ſuo faciliùs ſit obtinere iuſto augmentum gratiæ, quàm peccatori donum pænitentiæ, ſed hoc ſacrificium obtinet ex opere operato immediatè in peccatore donum pænitentiæ, ergo & iuſto debet immediatè cauſare augmentum gratiæ. Sed facilè occurro his argumentis.

18 Soluuntur duo obiecta. Ad primum dico, non eſſe aliquod inconueniens aſſerere, quod hoc ſacrificium, qua ſacrificium præcisè eſt, non cauſet immediatè in Sacerdote deuotè celebrante, & non reſpectiuè ex Apoſtolis in prima inſtitutione eiuſdem ſacrificij incrementum gratiæ; cum ex vna parte copioſa mediatè conferatur, ſeu fuerit collata in ordine ad actus interiores amoris, & dilectionis Dei, ex alia Sacerdos conſequatur, & Apoſtoli fuerint conſecuti vberrimum eiuſdem gratiæ augmentum ab Euchariſtia, vt Sacramento.

Ad ſecundum dico, faciliùs quidem eſſe obtinere iuſto augmentum gratiæ, quàm peccatori donum pænitentiæ, quando media ſunt vtrique effectui proportionata, & eodem modo ex vi propriæ inſtitutionis ad vtrumque ordinata; ſecus quando medium non eſt eodem modo ordinatum ad vtrumque. Cùm igitur ſacrificium Miſſæ vtpotè propitiatorium ordinetur ad remiſſionem culparum, non quidem directè, ſed mediante dono pænitentiæ, vtique tale donum debet ex vi propriæ inſtitutionis immediatè cauſare; non ſic autem directè, & immediatè augmentum gratiæ, quia ex vi propriæ inſtitutionis non eſt ad hoc ordinatum.

ARTICVLVS V.

De eodem ſacrificio, vti ſatisfactorio, & impetratorio.

SVMMARIVM.

Sacrificium Miſsæ, quà ſatisfactorium cauſat directè ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis, ſiue in viuis, ſiue in defunctis. 1.

Ex Concil. Trid. hoc concludenter non euincitur. 2.

Expenduntur rationes Cacherani trahentis Concil. Trident. ad hanc immediatam remiſſionem pœnæ temporalis, 3.

Rationes coniecturales pro tali directa remiſſione. 4.

Intellige de remiſſione pœnarum pro culpis remiſſis, non de remiſſione pœnarum pro peccatis venialibus nondum remiſſis. 5.

Remiſſionem pœnarum temporalium pro peccatis remiſſis cauſat ſatisfactoriè certa lege, & infallibili. 6.

Prodeſt etiam ad conſecutionem bonorum temporalium, & auerſionem malorum. 7.

Cauſat infallibilitèr eandem, ſed conditionatè ratione ſubiecti. 8.

Dictum eſt ſuprà, ſacrificium hoc, vt ſatisfactorium reſpicere remiſsionem pænæ temporalis, non æternæ, quia hæc non remittitur, niſi remiſſa culpa lethali, & hoc habetur per ſacrificium, vt propitiatorium, vt impetratorium verò reſpicere conſecutionem bonorum, & auerſionem malorum. Quærimus iam, an huiuſmodi pænæ temporalis remiſſionem cauſet immediatè, & directè ex opere operato, an verò tantum mediatè, & ſolum ex opere operantis, quod idem inueſtigandum erit de conſecutione bonorum, & auerſione malorum.

Dico primò, ſacrificium Miſſæ, quà ſatisfactorium eſt, cauſare directè, immediatè, & per ſe ex opere operato remiſſionem pænæ temporalis, ſiue in viuis, ſiue in defunctis. *Madernus tract. 3. de Euchariſtia quæſt. 8. art. 6. num. 11., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt ſacrific. c. 3. §. 4. num. 71., D. Thomas tertia part. qu. 79. art. 5., Albertus diſt. 12. art. 2. ad tertium, Marchinus part. 2. cap. 10. propoſit. 6.* 1 Cauſat directè remiſſionē pœnæ temporalis.

Probant *Cacheranus, & Madernus loc. cit. ex Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. 2.*, vbi ſic legitur. *Quare non ſolum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis ritè iuxtà Apoſtolorum traditionem offertur.* Sed hæc Tridentini aſſertio probat quidem cauſalitatem mediatam in remiſſionem pęnæ temporalis, non autem immediatam; quinimmò ex eo, quod eodem modo tribuat cauſalitatem pro fidelium viuorum peccatis, ac pro pœnis, & ſatisfactionibus, infertur, quod, ſicuti non habet cauſalitatem immediatam in remiſſionem peccatorum, vt ingenuè fatentur ijdem Cacheranus, & Madernus, ita nec habeat eandem cauſalitatem immediatam in remiſſionem pænæ temporalis. Deindè dicit ſimpliciter *offertur*, quæ oblatio indifferens eſt, vt ſit cum effectu immediato, vel cum mediato ſolummodo; vndè ex eodem Tridentino non colligitur efficax probatio pro noſtra aſſertione. 2 Concil. Trident. hoc non euincit.

Conatur Cacheranus huic noſtræ ponderationi ſibi aduerſanti reſpondere conſiderans imprimis, quod idem Concilium Tridentinum, dum loquitur de remiſſione culpę, requirat contritionem, opportunum auxilium, & donum pænitentiæ, dum verò loquitur de remiſſione pænæ abſolutè

loquatur, nec quidquam aliud requirat. Deindè conſiderat, quod eodem modo Concilium valorem tribuat pro pænis, & ſatisfactionibus fidelium viuorum, ac pro pænis defunctorum; defunctis autem non poteſt conferre mediatè remiſſionem pænarum, cum nequeant actus elicere meritorios, medijs quibus illam remiſſionem conſequantur, ergo immediatè, adeoque etiam immediatè confert viuis, cum eodem modo Concilium loquatur de vtriſque.

3 Reijciuntur rationes Cacherani. Sed hæ Cacherani animaduerſiones non videntur valdè premere; non prima, quia licet Concilium in illis vltimis verbis non videatur mentionem aliquam facere expreſſam de contritione, de opportuno auxilio, & dono pænitentiæ, de quibus mentionem fecerat in præcedentibus, dum de eodem ſacrificio, vt propitiatorio in ordine ad remiſſionem peccatorum; nihilominus per illa vltima verba non ſecernit Concilium diſpoſitionem quoad remiſſionem pænæ à præcedenti diſpoſitione quoad remiſſionem culpæ, ſed continuando diſpoſitionem præcedentem, & quaſi reaſſumendo præcedentèr dicta de remiſsione peccatorum ſine vlla reſtrictione dicit, offerri non ſolum pro peccatis fidelium viuorum, pænis, ſatisfactionibus, ſed etiam pro defunctis, quod autem continuet præcedenter dicta, apertè colligitur ex illis verbis *non ſolum*, & ſolum ampliat per ſubſequentia, *ſed etiam &c.* Hæc noſtra explicatio conformis eſt expreſsiori ſenſui eiuſdem *Trident. in d. ſeſs. 22. can. 3.*, vbi eodem ſermone, & contextu anathematizat eos, qui dixerint, *neque pro peccatis, pænis, ſatisfactionibus offerri debere*; ſi igitur oblatum pro peccatis immediatè eadem nō remittit, quomodo intelligendum eſt iuxta mentem eiuſdem Tridentini immediatè remittere pænas, & ſatisfactiones, dum ſub eadem forma concipit, & peccata, & pænas?

Non ſecunda, quia licet non ſolum pro viuis fidelibus, ſed etiam pro defunctis offeratur, diuerſo tamen modo ratione diuerſitatis ſubiecti vtriſque ſuffragatur; illis etenim per modum propriæ ſatisfactionis, & ſolutionis; iſtis verò nonniſi per modum benignæ impetrationis, & ſuffragij liberè acceptabilis; nec hæc diuerſitas debet cenſeri liberè excogitata in ordine ad modum diuerſum conſequendi remiſſionem pænarum, quandoquidem, cum ſacrificium fuerit inſtitutum pro ſolis viatoribus, videtur quoad vim ſatisfactiuam, ſeu per modum ſatisfactionis ſolum poſſe viuis prodeſſe; licet per modum ſuffragij etiam defunctis, ea proportionali ratione, qua indulgentiæ, dum applicantur pro viuis, proſunt quidem ſatisfactoriè ad pænæ remiſſionem, at, cum applicantur defunctis, proſunt dumtaxat per modum ſuffragij, quod etiam videtur conſideraſſe *Trident. ſeſs. 25. de purgatorio in princip.*, vbi ſic habet. *Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs potiſſimum verò acceptabili Altaris ſacrificio iuuari*; neque obſtat ly *potiſſimum*, quaſi quod importet modum excellentiorem, & diuerſum à ſuffragijs fidelium; Non, obſtat, inquam, quia inter ea, quæ applicantur per modum ſuffragij, habet quidem modum excellentiorem, & efficaciorem, non autem inuoluit diuerſam rationem à ratione ſuffragij.

Alia igitur via procedo ad probationem noſtræ opinionis; & primò ſuppono, quod licet opera Chriſti fuerint maximè meritoria, & ſatisfactoria ſimul, prout tamen fuerunt exercita in paſſione, cuius hoc ſacrificium eſt rapræſentatiuum, & commemoratiuum, videntur habere ſpecialiori quodam modo rationem ſatisfactorij, cum attulerint moleſtiam, flagella, ſpinas, dolorem &c., quæ magis videntur appropriari ſatisfactioni, quam merito; ergo, cum per ſacrificium Miſſæ ſpecialitèr applicentur opera paſsionis Chriſti; ſpeciali aliqua ratione applicantur, vt ſatisfactoria, quæ ſpecialis ratio in alio non videtur poſſe conſiſtere, quam in immediata remiſſione pænarum per modum ſatisfactionis. Secundò hoc idem euincitur ex maiori, & in infinitum excedente efficacia huius ſacrificij ſuper alia omnia ſacrificia veteris legis, quorum aliqua erant ad remittendas pænas, ſiue poſtea remitterent immediatè, ſiue tantum mediatè, ergo hoc vtpotè longè excedens, & in perfectione, & in modo cauſandi, procul dubio eaſdem debet immediatè remittere. Tertiò, quia Chriſtus Dominus inſtituit in noua lege Sacramenta, quæ habent vim immediatam remittendi peccata, vt eſt Sacramentum Pænitentiæ, & Baptiſmi, ergo fuit conuenientiſſimum, vt inſtitueret etiam ſacrificium, quod eſſet immediatè remiſſiuum pænarum. Fateor has, & ſimiles rationes non habere, niſi vim congruentiæ; ſed his adhæreo, quia magis extollunt efficaciam huius ſacrificij, quod, cum non habeat cauſalitatem immediatam in gratiam, & in remiſſionem peccatorum, ſicuti habent Sacramenta, æquum eſt, vt eandem ſaltem habeat in pænas, & remiſſionem earundem, præcipuè cum ſit ordinatum ex Chriſti inſtitutione ad remiſſionem peccatorum iuxtà illud, *qui pro vobis, & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, quod, cum immediatè intelligi nequeat de culpa ſecundum ſe, intelligi debet de pæna, quæ debetur ratione culpæ. 4 Rationes coniecturales pro tali remiſſione.

Hic

Duæ rationes dubitãdi. Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an hæc cauſalitas directa ſacrificij Miſſæ in remiſſionem pænarum temporalium intelligenda ſit ſolummodò de illis pænis, quæ remanent ſoluendæ poſt remiſſionem culpæ, an verò etiam de illis pænis, quæ debentur propter peccata venialia nondum quoad culpam remiſſa. Secunda, an ſacrificium Miſſæ cauſet hanc remiſſionem pænarum temporalium ſatisfactoriè lege certa, & infallibili; ſiue applicetur pro viuis, ſiue pro defunctis.

5 Non remittit directè pænas pro uenialibus nondum remiſſis. Ad primam dico, non cauſare directè, & immediatè remiſſionem pænarum temporalium, quæ debentur pro venialibus nondum remiſſis. Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempè ſacrificium Miſſæ immediatè, & per ſe non cauſare remiſſionem venialium, ergo nec directè, & immediatè cauſare poteſt remiſſionem pænæ debitæ pro eiſdem venialibus, quándo iſta non adhuc ſunt remiſſa, ſiquidem non remittitur pæna, niſi remittatur culpa ſaltem de lege ordinaria. Hæc procedunt, quando ſacrificium offertur pro viatore exiſtente in peccato, ſeu peccatis venialibus, in quo, ſicuti immediatè vi ſacrificij Miſſæ non remittitur culpa eorundem, ita nec remittitur immediatè pæna remanente culpa eorundem venialium. Sed quid erit dicendum de ſacrificio oblato pro animabus in purgatorio exiſtentibus, ſi iſtæ deceſſerint in peccatis venialibus nondum remiſſis, an tunc intelligatur remittere immediatè pænam ſimul cum culpa? Hoc vnum certum eſt, non remitti huiuſmodi culpas veniales ſimul cum pænis ex vi ſacrificij mediatè, hoc eſt medijs actibus eius, qui talibus culpis afficitur; cum animę purgantes ſint incapaces huiuſmodi actuum; vndè tota difficultas remanet quoad remiſſionem immediatam. In ſententia aſſerente ſacrificium prodeſſe ſolummodò quoad animas purgantes per vim ſuffragij, & impetrationis, ceſſat omnis difficultas, quandoquidem, ſicuti remiſſio pænæ tota pendet à Deo liberè acceptante, ità, & remiſſio culpæ à Deo liberè condonante. In ſententia verò aſſerente prodeſſe etiam ſatisfactoriè, ſeu per vim ſatisfactionis, dicendum eſt ex ſpeciali quadam ratione remittere per accidens eadem peccata venialia, quatenus remittendo pænas eiſdem debitas, videatur ex implicita quadam neceſſitate remittere & culpam, cum hæc non conſiſtat in priuatione gratiæ.

6 Cauſat talem remiſſionẽ infallibiliter. Ad ſecundam dico, cauſare pro ijs, pro quibus offertur, remiſſionem pænarum temporalium ſatisfactoriè certa lege, & infallibili. Hoc aſſertum, ſi intelligatur de viuis, videtur infallibile, cum Chriſtus Dominus hanc virtutem eidem ſacrificio contulerit, & ad hunc effectum ordinauerit; Si verò intelligatur de defunctis, quamuis habeat contradictorem *Sotum in quarto diſt. 19. quaſt. 2. art. 4.*, *Canum lib. 12. de locis Theologicis cap. 13. ad 9.*, volentes prodeſſe ſolum ex voluntate, & liberalitate Dei; attamen verius videtur prodeſſe ex certa lege, & promiſſione eiuſdem, vt ſtatuunt *Suarez diſp. 79. ſect. 10.*, *Marchinus part. 2. de ſacrif. Miſſæ cap. 9. num. 11.*, *Madernus qu. 8. art. 5. n. 27.*, *Cacheranus d. cap. 3. §. 4. num. 76.* Probatur, quia eodem modo confertur poteſtas Sacerdotibus in ordinatione offerendi pro viuis, & defunctis, ſed pro viuis infallibilitèr prodeſt, ergo, & pro defunctis.

7 Prodeſt ad conſecutionem bonorum temporalium. Dico ſecundò, Miſſæ ſacrificium valet etiam ad conſecutionem bonorum temporalium, & ad auerſionem malorum. In hoc arbitror omnes conſentire; hocque colligitur non ſolum *ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.*, *& can. 3.*, vbi inter effectus, quos cauſat huiuſmodi ſacrificium, & ad quos ordinatur, numerantur conſecutiones aliarum neceſſitatum, quod certè non eſt intelligendum ſolum de neceſſitatibus ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus; ſed etiam ex communi praxi Eccleſiæ, & fidelium, quæ, ſeu qui ordinant ſacrificium pro obtinendis beneficijs temporalibus, puta ſanitate corporis, frugum vbertate, & ſimilibus. Hunc autem effectum ſacrificium Miſſæ obtinet impetratoriè, & ex opere operato, quandoquidem hic conceditur independentèr à dignitate, & merito Sacerdotis celebrantis.

Hic oritur difficultas, an infallibilitèr, & certò hunc effectum conſequatur? Ex eo, quod dicatur hic effectus prouenire ex opere operato independentèr à dignitate, & merito Sacerdotis, videtur certe debere eſſe infallibilis, & certus; cum enim hoc habeat ex vi inſtitutionis, cum ſit ex opere operato, certè non videtur poſſe impediri. Sed, cum experientia compertum ſit, ſæpè, & ſæpè huiuſmodi effectus non obtineri, relinquit locum dubitandi, an verè ſint ex opere operato; cum fallibilis, & incerta effectus conſecutio non videatur congruere cauſalitati ex opere operato.

Ratio dubitãdi. Nonnulli, vt effugiant hanc difficultatem, aſſerunt, quod nullo modo ſacrificium Miſſæ ordinetur ad huiuſmodi bona temporalia; immò iniuriam fieri Chriſto Domino ex hac ordinatione, cum Chriſtus non ſit paſſus, nec mortuus propter huiuſmodi bona, nec deceat ipſius merita ad res caducas obtinendas applicari. Sed iſti minus congruè procedunt. Eſto enim, quod, ſi directè, & principalitèr ſacrificium

cium ordinaretur ad huiuſmodi bona temporalia, vel præciſè ad iſta, importaret quandam deordinationem incongruam dignitati Chriſti Domini, hanc tamen non importat, prout ordinatur ad omnia bona ſpiritualia, & temporalia collectiuè, licet principalius ad ſpiritualia, minus principalitèr, & quaſi acceſſoriè etiam ad temporalia, potiſſimum cum hæc conferre poſſint etiam ad ſpiritualia, vndè poteſt dici paſſus ſecundariò etiam propter temporalia, prout conferunt ad æterna, & ſpiritualia.

8 Cauſat infallibilitèr, ſed conditionatè.

Quid iam concludendum? Si reſpiciamus ad experientiam, cum ſemper effectum non conſequamur, tenemur aſſerere, effectum impetrationis non eſſe certum, & infallibilem; Si ad virtutem ſacrificij ex opere operato, infallibilitatem, & certitudinem debemus adſtruere. Dicamus ergo, quantum eſt ex virtute eiuſdem ſacrificij, effectum eſſe infallibilem, ſed conditionatum reſpectu illius, pro quo offertur, ſi ſcilicet fuerit eius bono, & ſaluti conſentaneus; cum igitur quandoque conſecutio bonorum, quæ petuntur, ſaluti, & bono illius, pro quo petuntur, non conferat, ideò non conceduntur, non ex defectu ſacrificij, ſed ex conditione perſonæ.

QUÆSTIO III.

De cauſa efficiente Sacrificij Miſsæ.

Conſiderato Sacrificio, tum in genere, tum in ſpecie ſecundum ſua prædicata ſpecifica, & eſſentialia, & item ſecundum valorem, tum intenſiuum, tum extenſiuum, & ſecundum effectus, quos cauſat, prout eſt propitiatorium, ſatisfactorium, & impetratorium, iam incipimus examinare cauſas, per quas conſtituitur, & primò exordimur ab efficiente, cuius nomine, prout ad præſens inſtitutum pertinet, non ſolum venit conficiens, ſed etiam offerens, & applicans fructum ex opere operato.

ARTICVLVS I.

An, & quomodo Chriſtus Dominus in Sacrificio Miſsæ ſit principalis offerens.

SVMMARIVM.

Quid ſit offerre immediatè, & proximè; & quid mediatè, & remotè. 1.
Sententia aſſerens offerre ſolum mediatè, & eius rationes. 2.
Chriſtus Dominus offert immediatè, & proximè. 3.
Euincitur ex Concil. Trident. 4.
Item ex ſupremo dominio, quod Chriſtus Dominus habet in omnia Miſſarum ſacrificia. 5.
Item ex actione reproductiua. 6.
Offert, vt exiſtens glorioſus in Cælo. 7.
Orat, ſed non meretur. 8.
Deſumpta ex Sacra Scriptura non officiant immediatæ oblationi. 9.
Orat in iis, quæ ipſe Chriſtus inſtituit. 10.
Concil. Trident. non obſtat. 11.
Nec requiritur externa oratio. 12.
Oratio Chriſti auget, ſi non meritoriè ſaltem impetratoriè valorem Miſſæ. 13.

Chriſtum Dominum eſſe offerentem principalem in Miſſæ ſacrificio conſentiunt omnes Catholici, & de hoc palàm loquuntur Concilia, & SS. PP. Difficultas ſolummodò verſatur inter DD., an ipſe offerat immediatè, & proximè per ſe ipſum, an verò ſolummodò mediatè, & remotè. Offerre immediatè, & proximè, quantum pertinet ad rem præſentem, nihil aliud eſt, quam eſſentialitèr, & proximè elicere actus, quibus ſimul cum miniſtro conficit ſuum Corpus, & Sanguinem in cultum Diuinæ Maieſtatis. Offerre verò mediatè ſolùm, & remotè non eſt actualitèr per aliquos actus concurrere cum miniſtro, ſed ſolummodò remotè; quatenus inſtituerit in vltima cæna hoc ſacrificium, & præceperit in Eccleſia futuris temporibus confici, & offerri. 1 Quid ſit offerre immediatè, & quid mediatè.

Offerre ſolummodò mediatè, & remotè iuxta modum mox explicatum tradunt *Gabriel lect. 26. in Can. Miſſæ, Vaſquez diſp. 225. cap. 7., Amicus diſp. 33. ſect. 4. num. 94., & alij*, & ad hoc pluribus mouentur rationibus, & primo varijs Sacræ Scripturæ locis, ex Apoſtolo ad Hæbræos 7. *Hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo, & c. 10. Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens Hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata; hic autem Ieſus Chriſtus vnam pro peccatis offerens Hoſtiam in ſempiter-* 2 Sententia aſſerens offerre ſolù mediatè.

num

unam ſedet &c., vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Quomodo autem poteſt dici, quod actualiter, & proximè Chriſtus ſe ipſum offerat, quoties Sacerdos offert; ſi dicitur in allegatis ſcripturæ locis, quod non habeat neceſſitatem quotidiè ſe offerendi, & quod ſemel tantum ſe obtulerit? Secundò, quia ſi immediatè, & proximè offerret quotieſcunque Sacerdos ſacrificaret, toties oraret, & mereretur, quoties Sacerdos ſacrificans in ſacrificio orat, & meretur, quod abſolutè verum non eſt, cum Chriſtus modo glorioſus in Cælo nos quidem exaudiat orantes, non autem ipſe orat pro nobis, nec nunc ſit in ſtatu merendi, ergo actu proximè, & immediatè non offert. Tertiò, quia *Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2.* dicit ſolummodò, quod Chriſtus hic, & nunc offert Sacerdotum miniſterio, *& in cap. 1. præcedenti notat*, quod Chriſtus Dominus, dum Eccleſiæ reliquit viſibile ſacrificium, mentionem fecerit ſolummodò inſtitutionis, & deputationis Apoſtolorum, & ſucceſſorum ad offerendum, non autem alicuius oblationis iugiter per ſe ipſum faciendæ; ſignum ſatis manifeſtum, quod ipſe immediatè proximè, & actu non offerat. Quartò, quia Chriſtus Dominus in Miſſis, quæ per Sacerdotes quotidiè celebrantur, non profert aliqua verba, adeoque proximè, & immediatè non conſecrat, adeoque neque actualiter, & proximè offert; neque poteſt dici, quod offerat per actus internos, cum ſacrificium ſit actio externa principaliter. Quintò, quia præſcindendo ab oblatione proxima, actuali, & immediata Chriſti Domini habetur per ſacrificium a Sacerdote oblatum quidquid valoris haberetur etiam immediatè concurrente Chriſto Domino, ergo, cum hic concurſus immediatus Chriſti Domino non conferat ad valorem ipſiuſmet ſacrificij, non eſt admittendus, tanquam ſuperfluus. Antecedens probatur, tum quia Chriſtus etiam ſi concurreret actu, & immediatè cum Sacerdote non poſſet augere eundem valorem, cum hic, & nunc non mereatur; tum quia, ſi aliquis Apoſtolorum in triduo mortis Chriſti ſacrificaſſet, tale ſacrificium fuiſſet eiuſdem valoris, ac ſint ſacrificia, quæ modo offeruntur, nec tamen tunc Chriſtus Dominus immediatè, & proximè obtuliſſet, cum pro illo triduo Chriſtus non extitiſſet. His tamen non obſtantibus:

Rationes pro eadē ſententia

3 Offert immediatè.

Dico, Chriſtum Dominum in quocunque Miſſæ ſacrificio eſſe principalem offerentem actualiter, proximè, & immediatè, non remotè ſolum, & mediatè. *Suarez diſp. 77. ſect. 1. §. dico ſecundò. Coninchus quæſt. 83. art. 1. dub. 7., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrificio cap. 4. num. 5., & 8., Madernus tertia part. quæſt. 8. art. 1., Marchinus de Ord. tract. 3. part. 2. c. 5.*

Probatur primò; quia Chriſtus Dominus, vt definit *Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1.* in ſacrificio Miſſæ eſt propriè offerens, ſed talis propriè non eſſet, ſi concurreret ſolummodò ex eo, quod inſtituerit hoc ſacrificium in vltima cæna, quod eſt concurrere ſolum mediatè, & remotè, ergo debet intelligi concurrere propriè, proximè, & immediatè aliqua cauſalitate conferente ad ſacrificium. Minor probatur, quia inſtituere, & offerre ex genere ſuo ſunt quid diuerſum, quod clarè videtur colligi in antiquis ſacrificijs, quorum Deus erat inſtitutor, non oblator; vndè, ſicuti in antiquis ex eo, quod fuit inſtitutor, non benè dicitur, quod ille omnia ſacrificia obtulerit, ità nec ex eo, quod in præſenti ipſe Chriſtus inſtituerit, non benè dicetur, quod etiam offerat. Neque dicas, Chriſtum Dominum non præcisè inſtituiſſe, ſed etiam in tali inſtitutione deputaſſe Apoſtolos, & ſucceſſores ad offerendum ſuo nomine, & in perſona ipſius, vt colligitur *ex Concil. Trident. loc. cit. Ibi- nunc offerens Sacerdotum miniſterio*, quod ſatis eſt, vt legitimè, & propriè poſſit dici offerens; Contra enim impugnaberis, quia per ſolam deputationem ſupra inſtitutionem præcisè non poſſunt in ſenſu proprio, & formali verificari verba *Concil. Trident. d. ſeſſ. 22. cap. 1.* Ibi- *Vna, eademque Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit ſola offerentis ratione diuerſa*, vbi nota illas particulas *eadem Hoſtia, idem nunc offerens*, quæ, cum pariformiter procedant, indicant, & identitatem, & actualitatem in Hoſtia, & oblationem reſpectu Chriſti offerentis in actu, non remotè. Nota vlteriùs illam particulam *nunc offerens, qui tunc obtulit*, quæ importat oblationem, & in re, & in modo, quæ nunc fit à Chriſto Domino cum ea, quæ in Cruce facta eſt, & ſic, ſicuti tunc facta eſt immediatè, & proximè à Chriſto Domino, ita nunc immediatè, & proximè ab eodem fieri cenſenda eſt; nec tibi ingerat ſcrupulum particula, quæ in eodem Concil. apponitur *Sacerdotum miniſterio*, quia hæc importat ſolummodò, quod modo fiat concurrente miniſterialiter Sacerdote ad differentiam oblationis in Cruce, quæ per ſe ſolum facta eſt à Chriſto, & congrua quidem ratione modo fieri debet miniſterio Sacerdotum, quandoquidem, cum hæc oblatio debeat eſſe ſenſibilis, vtpotè humana, & Chriſtus modo ſit inuiſibilis, vtique adhiberi debuit miniſterium, per quod eſſet ſenſibilis.

4 Euincitur ex Concil. Trident.

Nec

Nec obſtant ea, quæ dicebamus ſupra *quæſt.* 2. *art.* 1. *num.* 1., nempè Sacerdotem eſſe offerentem immediatum, Chriſtum Dominum principalem, & deindè *eadem quæſt.* 2. *art.* 2. *num.* 9., Chriſtum Dominum eſſe principalem offerentem, ſed mediatum; Non obſtant, inquam, quia ibi, & alibi, ſi fortè eiſdem terminis vſi fuerimus, nomine offerentis principalis, & mediati intelleximus non eſſe offerentem in Miſſa ſolum per ſe ipſum, ſicut fuit in Cruce, non quod principalitèr per ſe ipſum immediatè, & actualitèr non offerat.

5
Item ex ſupremo dominio.

Probatur ſecundò; non reſultat ſuprema ratio dominij Dei in creaturas ex vi ſolius Creationis, niſi ſimul, & ſemel concurrat ſimultaneè ad omnes actiones earundem, prout latè probauimus in phyſicis contra Durandum, vbi de ſimultaneo concurſu Dei ad omnes actiones creaturarum, ergo neque reſultaret perfecta, & ſuprema ratio dominij Chriſti Domini, tanquam ſupremi Sacerdotis in hoc ſacrificium ratione ſolius inſtitutionis, niſi etiam concurrat ſimultaneè ad omnes actiones ſacrificatiuas Sacerdotum.

6
Item ex actione reproductiua.

Probatur tertiò, quia ſacrificium Miſſæ non ſolum eſt actio ſacrificatiua, ſed etiam reproductiua Chriſti Domini ſub ſpeciebus, prout ſuppono *ex quæſt. de Euchariſtia, vt Sacramento*; hæc autem actio reproductiua, vtpotè termini in ſe continentis ſubſtantialem ſanctitatem non videtur congruè refundi ſolum in actionem miniſterialem Sacerdotis, quin concurrat ſimul cauſalitas principalis Chriſti Domini, vndè dicitur ſe ipſum reproducere, & Eccleſia de eodem loquens dicit: *Verbo carnem efficit*.

Hic duplex oritur difficultas; prima eſt, an Chriſtus immediatè, & proximè ſe ipſum offerat ſecundum quod eſt glorioſus in Cælo, an verò, prout eſt reproductus ſub ſpeciebus panis, & vini. Secunda, an, ſi concurrit immediatè, & proximè, eliciat aliquos actus, quibus offerat Patri omnia ſacrificia?

7
Offert, vt exiſtens glorioſus in Cælo.

In ordine ad primam *Cacheranus d. tract. 9. de Euchariſt., vt ſacrific. cap.* 4. §. 1. *n.* 22. exiſtimat aliqua ratione poſſe dici etiam, vt exiſtentem ſub Sacramento ſuis ſe actibus in Dei cultum offerre oblatione ſacrificandi, non purè ſimplici. Quod, vt probet, ſupponit in conſecratione duplicem quodamodo actionem poſſe conſiderari ſaltem prioritate naturæ diſtinctam, alteram, qua Chriſtus reproducatur ſub Sacramento, alteram, quæ ſit eiuſdem ſacrificatiua, & primam in ſigno naturæ ſecundam præcedere. Quo poſito aſſerit, quod, quamuis, vt ſub ſpeciebus permanens nequeat ſe ipſum offerre oblatione ſacrificatiua, poſſit tamen, vt primo reproducitur ſub ſpeciebus. Sed, cum in ſubſtantialibus fieri, & eſſe idem ſint, non libentèr acquieſcerem eidem Cacherano, nam eo ipſo, quod eſt ſub ſpeciebus, eſt ſecundum modum, quo nequit operari. Quamobrem abſolutè aſſererem concurrere immediatè, & proximè ſecundum quod eſt glorioſus in Cælo ſecundum ſuam præſentiam naturalem; ſecundum quam, vt Sacerdos in æternum ſe offert, & ſacrificat.

In ordine ad ſecundam ſentio abſolutè, Chriſtum Dominum non ſolum proprijs actibus ſacrificia æterno Patri offerre, ſed etiam quoquo modo orare, non tamen mereri. Conſentiunt *Suarez. diſp.* 77. *ſect.* 1., *Marchinus de ordine tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 5., *Cacheranus tract.* 9. *de Euchariſt., vt Sacrific. cap.* 4 §. 1. *num.* 14. Sed de hoc erit ſermo inferius in ſolutione ſecundi argumenti prò parte aduerſa adducti. 8

Orat, ſed non meretur.

Firmata cauſalitas proxima, & immediata Chriſti Domini in ſacrificijs Miſſæ iam eſt ab aduerſantium obiectis vindicanda. Ad primum de recenſitis Apoſtoli teſtimonijs, dicendum eſt, ea procedere dumtaxat de vna oblatione cruenta, quâ ſanctificatos conſummauit, quaſi vniuerſalitèr, qua poſita introiuit ſemel in ſancta, & factus eſt Sacerdos in æternum; ex eo autem, quod factus fuerit Sacerdos in æternum, non debet intelligi, quod talis ſit ſolummodò denominatiuè ratione inſtitutionis, ſed quod ſit talis in actu exercitij, adeovt, ſicut multiplicantur quotidiè in Eccleſia, & multiplicabuntur vſque ad finem Mundi, ita & ipſe, vt ſupremus Sacerdos debeat in ſingulis multiplicatis ſemper, & ſemper effectiuè concurrere. 9

Explicatur loca Sacræ Scripturæ

Ad ſecundum dicendum eſt primò, ex eo, quod ſit principalis, & immediatè offerens, non ſequi, quod quoties Sacerdos orat, & meretur, & ipſe actu oret, & mereatur. Pro quo aduerte in ſacrificio Miſſæ interuenire ea, quæ ſunt de eſſentia ſacrificij, & propriè, vt talia inſtituta ſunt à Chriſto Domino, & item ea, quæ ſunt ad eorum cæremonialem perfectionem inſtituta, & præſcripta ab Eccleſia; ex eo autem, quod dicatur Chriſtus immediatè offerre, ſequitur quidem, quod concurrat ad ea, quæ ſunt de eſſentia ſacrificij, nempè ad conſecrationem, in quo ſolum conſiſtit tota eſſentia, non autem ad ea, quæ ſunt de perfectione cæremoniali; Orationes autem, quæ adhibentur à Sacerdote, (ſi à conſecratione præſcindas,) ſunt tantum ex inſtituto, & præſcripto Eccleſiæ. Ad id, quod dicitur de merito, fateor Chriſtum actu non mereri; applicat tamen meritum ſacrificij cruenti in

10
Orat in iis, quæ ipſe inſtituit.

Cruce

Cruce oblati. Secundò nullum eſt inconueniens, quod Chriſtus Dominus modo oret, cum hoc præſtet ſine externis ſignis ſubiectionis, & dimiſſionis aſſerente Apoſtolo, quod *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum*.

11 Concil. Trident. nō obſtat. Ad tertium dicendum eſt, quod, quamuis expreſsè *Concilium Tridentinum loc. cit.* fecerit ſolummodò mentionem de inſtitutione, & deputatione ad ſacrificandum, implicitè tamen inuoluerit etiam ſucceſſiuam oblationem actualem iugitèr per Chriſtum faciendam, quandoquidem, poſtquam dixit, Chriſtum inſtituiſſe, & reliquiſſe ſuæ dilectæ Sponſæ Eccleſiæ viſibile ſacrificium ſubdidit: *Quia per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat*, dum enim ponit illam cauſalem reliquiſſe hoc ſacrificium, quia per mortem non erat eius Sacerdotium extinguendum, ſupponit, quod ideò reliquerit, quia eius Sacerdotium perſeuerare debebat in ſempiternum; eius autem Sacerdotium potiſſimum elucet per hoc, quod actualitèr quotidiè offerendo permaneat in actuali Sacerdotij exercitio vſque ad conſummationem ſæculi, quod non ita exerceret, ſi perpetuo vacaret ab omni munere, & exercitio Sacerdotij.

12 Nec requiritur externa oratio. Ad quartum dicendum eſt, non eſſe neceſſe ad hoc, vt Chriſtus Dominus dicatur immediatè, & actualitèr offerens, quod externè proferat verba conſecrationis, ſed ſufficit, quod cōcurrat per actus internos cum Sacerdote conſecrante, cū habeatur quidquid ſpectat ad eſſentiā ſacrificij etiā externi per ſolam verbalem Sacerdotis conſecrationem; ideò etiam requiritur illa externa verborum prolatio, vt ſacrificium fiat ſenſibile, quæ ſenſibilitas habetur per verba Sacerdotalia.

Ad vltimum dicendum eſt, quod, etiam ſi daremus oblationem immediatam, & proximam non augere valorem ſacrificij, non propterea tolleretur ratio illam admittendi, nec diceretur inutilis, & ſuperflua, cum eſſet ad perpetuandum Sacerdotium Chriſti Domini, quod non ità clare importaretur per illam ſimplicem denominationem ex eo, quod præciſè inſtitue-
13 Auget impetratoriè. rit. Deindè negandum abſolutè eſt, quod oblatio immediata Chriſti Domini non augeat valorem, licet non meritoriè, ſaltem impetratoriè. Ad illud, quod ſubditur de ſacrificio in triduo mortis Chriſti, ſi factum fuiſſet ab aliquo ex Apoſtolis, iam ſupra dictum eſt, graues DD. pleno ore aſſeruiſſe, non potuiſſe in illo triduo validè confici ſacrificium ob defectum Chriſti proximè offerentis; ſed dato etiam, quod validè confici potuiſſet; tunc *Cacheranus d. cap. 4. §. 1. num. 19.* aſſerit, non eſſe abſurdum aſſerere, ſacrificium pro illo triduo oblatum minorem valorem, ſeu titulum minoris valoris habiturum fuiſſe; ſed ego libentiùs aſſererem, in ea hypotheſi animam Chriſti, quantumuis ſeparatam, propter vnionem immediatam cum verbo, & mediatam cum corpore cum Apoſtolo tunc ſacrificante oblaturam fuiſſe &c.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo Sacerdos offerat.

SVMMARIVM.

Procedit titulus de miniſtro principali. 1.
Omnes Sacerdotes ritè ordinati, quantumuis præciſi ab Eccleſia validè offerunt. 2.
Poteſtas ordinis quoad valorem non pendet ab Eccleſia. 3.
Prauitas Sacerdotis non inualidat ſacrificium. 4.
Sacerdos eſt mediator deputatus à Chriſto. 5.
Expenduntur obiecta Magiſtri ſententiarum quoad hæreticos. 6.
Sacerdotes ſacrificantes concurrunt non ſolum, vt cauſæ inſtrumentales morales, ſed etiam, vt inſtrumentales phyſicæ. 7.
Reſpectu Chriſti Domini ſunt inſtrumenta moralia. 8.
In quo conſiſtat hæc cauſalitas moralis. 9.
Reſpectu Dei ſunt inſtrumenta phyſica. 10.

CErtum eſt, & in pluribus Concilijs definitum, & præcipuè *in Nicæno cap. 4., & in Trid. ſeſs. 22. cap. 1.*, ſolos Sacerdotes ritè ordinatos, & non alios eſſe propriè miniſtros huius ſacrificij, ſi ſumantur pro conficientibus, & offerentibus in perſona Chriſti, nam, ſi loquamur de ijs, qui minus propriè offerunt, & non conficiunt, cuiuſmodi ſunt illi, qui adſtant, vel offerunt ſtipendium, vt pro ipſis celebretur, quantumuis non ſint Sacerdotes, certum eſt, quod dici poſſunt offerentes iuxtà illud, quod habetur in Canone Miſſæ: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, ſed minus propriè ſunt tales.

Loquendo igitur de miniſtris propriè 1 Procedit titulus de miniſtro principali.
offerentibus, & conficientibus, quos diximus eſſe ſolos Sacerdotes, inquirimus primò, an omnes Sacerdotes poſſint validè ſacrificium offerre, quantumuis ſint ab Eccleſia præciſi, excommunicati, depoſiti, degradati, Sciſmatici, Hæretici non tolerati, aut alitèr vtcumque extra Eccleſiam conſtituti. Secundò quomodo concurrant ad conficiendum, an vt cauſa inſtrumentalis phyſica, an verò tantum moralis,

2 Etiam præciſi ab Eccleſia validè offerunt. Dico primò; omnes Sacerdotes ritè ordinatos validè ſacrificium offerre, & conficere, quantumuis quocunque ex allegatis modis ſint ab Eccleſia præciſi, & extra eandem conſtituti. Eſt veritas communitèr ab omnibus Catholicis recepta, licet ſecundum aliquam rationem videatur ab eadem diſcrepare *Magiſter in 4. diſt. 13. cap. 1.*, qui præcipuè loquens de excommunicatis, vel de hæreſi manifeſtè notatis expreſsè aſſerit, non poſſe hoc ſacrificium conficere, licet ſint Sacerdotes, cuius rationes infrà latè confutabimus.

Probatur iam noſtra aſſertio, quia conficere, & propriè offerre ſacrificium pertinet ad poteſtatem ordinis, non iuriſdictionis, nam iuriſdictio verſatur ſolum circa corpus miſticum, non autem circa corpus verum, & reale Chriſti Domini, ſed Sacerdos quoad ea, quæ pertinent ad poteſtatem ordinis, quoad validitatem gerendorum non dependet a poteſtate Eccleſiæ, nec per quamcunque eiuſdem Eccleſiæ cenſuram poteſt impediri, ergo, quomodocunque poſt ritè ſuſceptum Sacerdotalem Ordinem per eandem Eccleſiam ab eius gremio ſecernatur, ſiue per excommunicationem, ſiue per ſciſma, ſiue per hæreſim, ſiue depoſitionem, & degradationem, poterit adhuc validè conficere, & offerre hoc ſacrificium, quandoquidem per nullum ex allegatis titulis poteſt poteſtas ordinis, & caracther ab eodem auferri.

3 Poteſtas ordinis non pendet ab Eccleſia. Confirmatur, quia per nos tota ſacrificij eſſentia in ſola conſecratione conſiſtit, ſed Sacerdos ſpeciatim conſecrationem præſtat non nomine proprio, ſed nomine, & in perſona Chriſti Domini, quam quodamodo induit, & ità loquitur, quaſi formalitèr Chriſtus ipſe loqueretur, ea autem, quæ fiunt à Chriſto Sacerdotum miniſterio non ſubduntur poteſtati Eccleſiæ, quæ propterea nequeunt ab eadem irritari, ergo &c.

Probatur ſecundò, quia ſuppoſita indelebilitate caractheris Sacerdos ſegregatus ab Eccleſia ratione alicuius ex allegatis titulis quoad confectionem huius ſacrificij nil minus habet, ac habeat alius Sacerdos prauus, & ob nefanda ſcelera indignus, quandoquidem ob excommunicationem, alioſq; allegatos titulos amittit quidem priuilegia, & beneficia ab Eccleſia prouenientia, non autem ea, quæ indelibilitèr ſunt à Chriſto collata, ſed Sacerdos prauus, & ſceleribus coinquinatus validè

4 Prauitas Sacerdotis non irritat. conſecrat, & offert, quia, vt loquitur idem *Magiſter loc. cit. intus ſunt nomine, & Sacramento Sacerdotes, & ſi non vita, quia non merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris*, & D. Gregorius expreſsè aſſerit. *Putant quidam Communionem Corporis minus eſſe ſanctificatam, ſi illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quem magnum laqueum incidunt, vt Diuina, & occulta miſteria plus ab alijs ſanctificata fieri poſſe credant, cum vnus, idemque Spiritus Sanctus in tota Eccleſia inuiſibilitèr, ea miſteria, & operando ſanctificet, & ſanctificando benedicat*, ergo etiam Sacerdos, quantumuis excommunicatus &c.; vndè poſtea ſubdit idem Magiſter, quia virtus Diuina ſecretius operatur, & Diuina ſolummodo eſt hæc virtus, ſiue poteſtas, non humanæ efficaciæ.

Dices, Sacerdotes eſſe conſtitutos, vt ſint mediatores inter Deum, & Eccleſiam, eo autem ipſo, quod ſunt ab Eccleſia ſegregati per excommunicationem, hęreſim, vel ſciſma nullo modo poſſunt eſſe mediatores, ergo &c. Sed contra; dico Sacerdotes ex duplici titulo dici mediatores, vel Eccleſiæ, quatenus ſunt ab eadem deputati ad orandum, vel Chriſti, quatenus ſunt ab eodem aſſumpti ad conficiendum, ſeu offerendum ſacrificium; & iuxta hoc duplex munus aliqua in Miſſa præſtant nomine Eccleſiæ, nempè ea, quæ pertinent ad ritus, & cæremonias, ad præuias, & ſubſequentes Orationes, aliqua verò præſtant, vt miniſtri Chriſti Domini, & in perſona eiuſdem, ea præcipuè, quæ pertinent ad eſſentiam, vel ad ſubſtantiam eiuſdem ſacrificij. In ijs, quæ præſtant ex inſtituto, & vt miniſtri Eccleſiæ, quando ſunt ex eadem præciſi aliquo ex allegatis titulis, certè non validè præſtant, cum ratione cenſuræ, vel alterius tituli cenſeantur ſpoliati poteſtate illa formalitèr exercendi; in ijs verò, quæ præſtant ex poteſtate ordinis ſibi à Chriſto conceſſa, & vt miniſtri eiuſdem, non eſt, cur dici poſſint ea inualidè præſtare, cum poteſtas illa nequeat ab Eccleſia tolli, nec exercitium impediri, cum ſit independens ab eadem Eccleſia. 5 Eſt mediator deputatus à Chriſto.

Dixi *Sacerdotes ritè ordinatos*, qui ſcilicet in ordinatione caractherem receperint, nam ſi non fuerint ordinati ab habente legitimam poteſtatem ordinandi, nempè à non Epiſcopo, vel ab Epiſcopo non validè ordinato, certè non poſſent validè ſacrificare, & offerre propriè, cum non eſſent Sacerdotes, nec gauderent caracthere.

Iam conſideramus ea, in quibus ſe fundat quoad excommunicatos, & hæreticos Magiſter ſententiarum; dicit enim primò, quod Sacerdos in oblatione non dicit *offero*, ſed *offerimus*; quaſi ex perſona Eccleſiæ, adeoque licet alia Sacramenta poſſint extra Eccleſiam celebrari, non videtur 6 Expenduntur obiecta Magiſtri.

tamen

tamen poſſe extra Eccleſiam ſacrificium confici; Secundò dicit, quod Miſſa dicatur ex eo, quod Cæleſtis nuncius adueniat ad conſecrandum viuificum Corpus iuxtà illud, quod Sacerdos recitat in Canone Miſſæ: *Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum*; adeò vt, ſi Angelus non venerit, nequaquam poſſit vocari Miſſa; quomodo autem poſſumus aſſerere, quod conſecrante excommunicato, ſeu hæretico Deus mittat Angelum ſuum ad perferendam Hoſtiam in ſublime Altare &c. Potius iſtorum Hæreticorum benedictionibus Deus maledicit. Tertiò dicit præcipuè loquens de Hæretico, & Sciſmatico ad explendum hoc ſacrificium duo requiri, & quod offerens, ſeu ſacrificans ſit Sacerdos, & quod habeat intentionem conficiendi, & ſacrificandi, ſed Hæreticus, & Sciſmaticus vero aſſenſu Fidei non credit in hoc miſterium, nam in Miſterijs Fidei. *Qui ex vno non credit, factus eſt omnium reus*, ergo, nec poteſt habere intentionem ſacrificium conficiendi; & licet aliqui aſſerant apud eundem Magiſtrum poſſe intendere, non tamen conficere, quod iam eſſet rectè eredere, ſed id agere, quod geritur ab alijs, dum conficitur, & ſic adhibetur intentio, & ſi intentio dicatur deeſſe conficiendi illud Miſterium, tamen ex quo intendit, ea dicere, & agere, quæ ab alijs geruntur, impletur Miſterium, licet, inquam, hæc aſſerant, non tamen ipſe Magiſter conſentit, quin potius dicit malè ſentire de hoc Miſterio.

Siſtamus quæſo in his dictis, & videamus, cuius roboris ſint. Primum deſumptum ex illo verbo, *Offerimus*, nil prorſus euincere cognoſcet ipſemet Magiſter, ſi reflectet, illud verbum referri ad oblationem verbalem Eccleſiæ nomine factam, quam ſupra nos latè probauimus non pertinere, nec ad eſſentiam, nec ad ſubſtantiam ſacrificij; vndè, licet excommunicatus, & Hæreticus extra Eccleſiam exiſtens non poſſit illam oblationem facere validè, cum ſit ſpoliatus omni poteſtate conficiendi ea, quæ habet ab Eccleſia, cum tamen non ſit ſpoliatus poteſtate ordinis ſibi à Chriſto Domino communicata, poteſt ea, quę ad talem ordinis poteſtatem pertinent, facere, cum non poſſit hac ſpoliari ab Eccleſia. Ex quibus infero, quod, ſicuti ipſe Magiſter concedit, quod alia Sacramenta extra Eccleſiam poſſint celebrari, quia poteſtas quoad eadem eſt à Chriſto Domino, ita & concedere ex neceſſaria conſequentia teneatur, quod etiam hoc ſacrificium quoad ea, quæ proueniunt à poteſtate à Chriſto collata, poſſit extrà Eccleſiam confici.

Eliditur primum dictum eiuſdem Magiſtri.

Secundum deſumptum ex illa Oratione, quam celebrans recitat in Canone Miſſæ: *Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum*, ex cuius Angeli aduentu aſſerit, Miſſam denominari, nil etiam penitus euincit (quidquid ſit, quod Miſſa denominetur ex illa Angeli miſſione, ſeu aduentu, cum alij plurimi ethimologiam huius nominis aliundè deducant,) quandoquidem, & illa oratio, & etiam exauditio eiuſdem per actualem Cæleſtis nuntij miſſionem ſunt extra eſſentialem, & ſubſtantialem rationem eiuſdem ſacrificij, & illa oratio eſt ex inſtituto Eccleſiæ, & exauditio ex mera Dei liberalitate; vndè, licet ex prauitate miniſtri extra Eccleſiam exiſtentis valor eiuſdem Orationis irritetur, nec exaudiatur, non propterea irritatur valor ſacrificij quoad eſſentiam, & ſubſtantiam. Vtrum verò Angeli aſſiſterent illi ſacrificio per hęreticum celebrato ratione realis præſentiæ Chriſti Domini, quam nos defendimus, an verò potius abſint ratione indignitatis Sacerdotis excommunicati, & hæretici celebrantis, diuinando potius, quam quid certum definiendo poſſumus reſpondere. Crederem tamen, aſſiſtere Chriſto obſequendo, non Sacerdoti deferendo. Dici etiam poteſt *cum D. Bonauentura in tertium in expoſitione literæ in verb. Recolite nomen*, quod nomine Cæleſtis Miſſi veniat magni conſilij Angelus, qui mittitur ad conſecrandum, tanquam Sacerdos inuiſibilis, qui conficit hoc ſacrificium vbicunque conficiatur, vndè ratio de Angelico miniſterio non ſubſiſtit.

Eliditur ſecundū.

Tertium deſumptum ex infidelitate Sacerdotis æquè vrget Magiſtrum, ac vrgeat nos; cum etenim ipſe aſſerat, quod extra Eccleſiam ab Hæreticis, Sciſmaticis, & excommunicatis alia Sacramenta poſſint validè confici, cum in illis fides non inſit, quomodo nunc dixit, quod ob defectum fidei non poſſint conficere hoc ſacrificium; arguit enim per formalia verba hoc pacto. *Si non credit in illo Miſterio, ſicuti veritas habet, nunquid poteſt intendere illud conficere? & ſi non intendit, numquid conficit?* Hoc idem vertimus nos aduerſus eundem Magiſtrum. Si non credit in alijs Sacramentis, numquid poteſt illa intendere, & ſi non intendit, numquid conficit? Quomodo, ergo aſſerit, quod hæreticus extra Eccleſiam poſſit conficere alia Sacramenta, quamuis non credat, dummodò negat ob defectum fidei non poſſe validè hoc ſacrificium conficere? Certè, ſi in caſu præſenti, dum non credit in hoc Miſterio, non poteſt illud intendere, & ſi non poteſt intendere, nec poteſt conficere, etiam in præcedenti caſu aliorum Sacramentorum, dum in illa non credit, non

Eliditur tertium.

poteſt illa intendere, adeoque, nec conficere. Dum ergo affirmat, quod alia Sacramenta poſſint validè confici ab Hæreticis, non eſt, cur deneget, & hoc ſacrificium ab eiſdem poſſe validè confici. Sicuti igitur ipſe tenetur fateri in alijs Sacramentis, ad quæ conficienda habent poteſtatem à Chriſto Domino, quod ſufficiat, quod habeant poteſtatem ordinis cum intentione faciendi id, quod alij Sacerdotes efficiunt, quamuis in fide deficiant, ita & nos fatemur in hoc ſacrificio validè conficiendo, ad quod habent poteſtatem ordinis, ſufficere, quod habeant caracterem cum ſimili intentione &c.

Dices, quia infideles carent fide, nequeunt contrahere matrimonium, vt Sacramentum, quamuis intendant illud contrahere, ergo ad conficienda Sacramenta non ſufficit intentio quomodocunque, ſed requiritur intentio fide ſupernaturali regulata, quæ vtique nequit eſſe in hæretico; Sed contra; quia ideò infideles non contrahunt matrimonium, vt Sacramentum, non quia præcisè eorum intentio non ſit firmata fide ſupernaturali, ſed quia non ſunt capaces Sacramentorum, cum hæc eſſe nequeant ſine Baptiſmo, qui eſt ianua omnium Sacramentorum.

7 Sunt inſtrumēta moralia, & etiam phyſica.

Dico ſecundò, Sacerdotes ſacrificantes, & offerentes concurrunt non ſolum, vt cauſæ inſtrumentales morales Chriſti principalis offerentis, ſed etiam, vt cauſæ inſtrumentales phyſicæ Dei eleuantis &c. Quoad primam partem omnes ferè conueniunt. Quoad ſecundam videntur adhærere *Caietanus tertia part. quæſt. 62. art. 1., & quæſt. 78. art. 4., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. vlt., Gonetus diſp. 3. art. 2. §. 3., Eſparza lib. 10. quæſt. 24., Madernus quæſt. 3. art. 4.*, qui tamen omnes loquuntur ſolum in terminis Sacramentorum, quæ aſſerunt cauſare gratiam Sacramentalem non ſolum, vt inſtrumenta moralia, ſed etiam, vt phyſica, qui tamen trahi poſſunt etiam ad ſenſum noſtræ ſententiæ.

Antequam procedam ad probationem vtriuſque partis, aduerto iuxtà doctrinam communiter ab omnibus receptam ad hoc ſacrificium, vtpotè cauſatiuum Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus concurrere Deum, tanquam cauſam principalem phyſicam, & Chriſtum Dominum, tanquam cauſam principalem moralem, & cum in præſenti ſacrificio, prout offertur in Eccleſia ad differentiam ſacrificij vltimæ cœnæ, & cruenti in Cruce, quæ per ſe ſolum à Chriſto Domino fuerunt peracta, adhibeatur Sacerdos ex inſtitutione eiuſdem Chriſti, qui ſimul cum ipſo ſacrificet, ſequitur manifeſtè, quod ſit miniſter eiuſdem Chriſti ſimul offerentis, & Dei phyſicè operantis.

8 Reſpectu Chriſti ſunt moralia.

Probatur iam quoad primam partem, quia ex vi inſtitutionis miniſterium huius ſacrificij tributum eſt Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus, nempè Sacerdotibus, vt illud exercerent nomine, & in perſona Chriſti Domini, & nomine eiuſdem applicarent merita Paſſionis, & mortis ipſius; agens autem nomine, & in perſona alterius dicitur reſpectu illius cauſa ſolummodò moralis inſtrumentalis per ea, quæ notant *Cardinalis de Lugo diſp. 4., Arriaga diſp. 10. ſect. 1. ſubſect. 2.* Confirmatur, quia per Sacerdotes in ſacrificio applicantur merita Chriſti Domini, quæ mouent Deum ad ipſum in Sacramento producendum, ergo ſunt cauſæ morales inſtrumentales eiuſdem.

9 In quo conſiſtat hæc cauſalitas moralis.

Ex quibus elucet cauſalitatem moralem Sacerdotis ſacrificantis conſiſtere in eo, quod ſacrificet, & offerat in Chriſti perſona, & eius nomine, adeoque eius actio ſit moralitèr actio Chriſti, prout ſtatuunt *Lugus d. diſp. 4. ſect. 5. num. 74., Amicus diſp. 4. ſect. 9., & alij*, quod ſignantèr euincitur ex verbis conſecrationis, per quæ eſſentialitèr conſtituitur hoc ſacrificium, quæ, cum à Sacerdote proferantur in perſona Chriſti, vtique inferunt actionem, quæ ex eiſdem reſultat eſſe actionem Chriſti.

Probatur quoad ſecundam partem, quia ex vno capite Sacerdotes in ſacrificio Miſſæ non ſunt inſtrumentum merè inanime, ſed operans, & non ſolum inſtrumentum Chriſti, ſed etiam Dei, qui tanquam principalè agens phyſicum reproducit Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus, vt in ordine ad omnia Sacramenta colligitur ex *Concil. Maguntino c. 11.*, vbi aſſerit, Deum per ſeptem Eccleſiæ Sacramenta veluti per apta remedia, atque inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſuæ gratiæ munera nobis impartiri, & in ordine ad Sacramentum Baptiſmi deducitur ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 7.*, vbi pro cauſa efficiente principali iuſtificationis aſſignatur Deus;

10 Reſpectu Dei ſunt inſtrumenta phyſica.

quæ, ſi verificantur in ordine ad alia omnia Sacramenta quoad effectus gratiæ, non video, cur verificari non debeant in ordine ad Euchariſtiam, vt ſacrificium quoad effectū reproducendi Chriſtum ſub ſpeciebus, ſed Sacerdos, vt inſtrumentum Dei agentis principalis phyſici non poteſt congruè eſſe, niſi inſtrumentum phyſicum, vt detur correſpondentia inter principale, & acceſſorium, ergo &c.

Confirmatur, quia poſita cauſalitate phyſica Sacerdotis per formam Sacramentalem operantis melius ſaluatur efficacia formæ, quæ dicitur id efficere, quod ſignificat; quam per ſolam cauſalitatem moralem,

ralem, in qua non conſideratur, niſi efficientia motionis alterius ad cauſandum, & ſicuti in Sacramento Pænitentiæ, in quo Sacerdos formam abſolutionis profert, vt Iudex per ſententiam reum abſoluit, non alium præciſè mouet ad abſoluendum, ità in Sacrificio Euchariſtiæ, quod conficit, vt miniſter Dei, debet & ipſe efficere non præciſè mouere. Sed de his erit alibi ſermo vberrimus.

ARTICVLVS III.

De intentione Miniſtri requiſita ad ſacrificandum.

SVMMARIVM.

Intentio in miniſtro abſolutè requiritur. 1.
Non eſt neceſſe, vt hæc intentio ſit informata Fide Diuina. 2.
Non ſufficit intentio faciendi ſeriò opus externum. 3.
Proferens verba iocosè non validè conficit. 4.
D. Athanaſius baptizauit cum intentione faciendi, quod viderat fieri per Patriarcham. 5.
Quomodo ſaluetur baptiſmus D. Geneſij. 6.
Non fuit iuſtificatus ſolum per baptiſmum flaminis. 7.
Nec baptizatus à Sacerdote Catholico. 8.
Vltra baptiſmum in ſcena alium non recepit. 9.
Non fuit baptizatus ab Angelo. 10.
Nec præſumendum, quod Deus ſuppleuerit defectum intentionis. 11.
Mimus baptizans probabilius habuit intentionem verè baptizandi. 12.
Explicatur, quomodo fuerit validus. 13.
Explicatur, quomodo baptiſmus collatus à Iudæo fuerit validus declaratus. 14.
Intentio producendi effectum non eſt neceſſaria. 15.
Quid importet intentio ſacrificandi ſupra intentionem faciendi ſeriò opus externum. 16.
Illa intentio non haberet ſe ipſam pro obiecto. 17.
Intentio actualis non eſt neceſſaria, habitualis non ſufficit, virtualis & ſufficit, & eſt neceſſaria. 18.
Quid addat intentio virtualis ſupra habitualem. 19.
Sententia Riccardi exploditur. 20.
Refellitur item ſententia Cardinalis de Lugo. 21.
Refellitur item illa Coninchi. 22.
Perſeuerat in actibus externarum potentiarum relatiuè ad priorem intentionem. 23.
Quomodo actus moralitèr interrumpantur. 24.
Conditio de præſenti, vel de præterito non obſtat intentioni. 25.
Benè tamen de futuro. Ibid.
Conditiones, quæ non cadunt ſub humanam cognitionem ſunt reijciendæ. 26.

EX parte miniſtri requiri intentionem, vt validè fiat ſacrificium, eſt veritas fidei expreſsè definita *in Concilio Florentino ex decreto vnionis Armenorum, & in Trident. ſeſſ. 7. can. 11. de Sacramentis in genere*, contra Lutherum, Caluinum, alioſq; Hæreticos. 1 Intentio abſolutè requiritur.

Sed qualis debeat eſſe hæc intentio, non pariformitèr ab omnibus ſtatuitur, & proptèrea nos in eius qualitate ſtabilienda immorabimur, inquirentes primò, an huiuſmodi intentio debeat eſſe ex neceſſitate fide ſupernaturali informata. Secundò, quodnam debeat eſſe eius obiectum, ſeu ad quid terminari. Tertiò, an debeat eſſe actualis, an verò ſufficiat virtualis, vel habitualis. Quartò, an debeat eſſe abſoluta, an ſufficiat conditionata.

Quoad primum ſatis ſuperque diximus in præcedentibus quoad valorem ſacrificij non requiri fidem actualem in ſacrificante, cum etiam Hæreticus, & Sciſmaticus poſſit validè conficere, in quo proptèrea non eſt, cur immoremur. 2 Non eſt neceſſe, vt ſit coniūcta cum fide Diuina.

Quoad ſecundum plura dico, & primò non eſſe ſufficientem intentionem conficiendi præciſè opus externum. Secundò nō eſſe neceſſariam intentionem inducendi effectum Sacramenti. Tertiò, eſſe neceſſariam intentionem, & ſufficientem efficiendi id, quod intendit facere Eccleſia. Prima pars eſt communis apud Thomiſtas *in tertia parte D. Thomæ quæſt. 64. art. 8.*, eamque ſignantèr ſuſtinent *Gonetus diſp. 6. art. 2., Suarez diſp. 13. ſect. 4., Lugus diſp. 8. ſect. 2., Arriaga diſp. 19. ſect. 1., Madernus tract. 2. de Sacrament. in communi quæſt. 5. de cauſis Sacrament. art. 4. num. 3., Cacheranus part. 3. tract. 8. de Sacram. in genere cap. 2. §. 5. num. 57.*, contra *Catherinum in opuſ. de intentione miniſtri, Scribonium Gallum in Pantalithia diſp. 1. de Sacrament. in genere quæſt. 6., & 7.* Secunda pars eſt *Bellarmini lib. 1. de Sacrament. in genere cap. 27., Cacherani loc. cit.*, & aliorum communitèr contra nonnullos antiquiores. Tertia pars eſt *Scoti in 4. diſt. 6. quæſt. 5., Gabriellis ead. diſt. q. 1., Alenſis quarta part. ſummæ quæſt. 13. memb. 1. art. 2., Maderni, & Cacherani loc. cit.* 3 Non ſufficit intentio faciendi ſerio opus externum

Prima pars ex eo deducitur, quod definiuit Concilium præcipuè Florentinum in decreto vnionis, & *Tridentinum ſeſſ. 7. can. 11.*, vbi anathematizatur, *qui dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia;* neque Eccleſia

ſia procedit tantum materialitèr faciendo opus externum applicando ſcilicet materiam, & proferendo materialitèr verba, ſed in Sacramento Baptiſmatis, verb. gr. abluendo, non vt ſordes materiales in corpore mundet, ſed vt internas maculas ab anima abſtergat, in pænitentia, vt abſoluat à crimine, & ſic de cæteris, vndè idem *Concilium Tridentinum ſeſs.* 14. *cap.* 6., *&* *can.* 9., damnat, qui dixerit Sacramentum Pænitentiæ ſubſiſtere, ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi deſit; non agit autem ſeriò, qui præcisè verba profert &c., ergo &c. Quod autem dicitur de intentione requiſita ad validè conficienda Sacramenta, proportionalitèr dicendum eſt de intentione validè ſacrificandi.

Confirmatur, quia Chriſtus inſtituens hoc ſacrificium inſtitutionem direxit ad Sacerdotes, non vt præcisè verba materialitèr proferrent, ſed vt conficerent id, quod ipſe confecit, & intentio præcise proferendi verba exterius non eſt intentio verè ſacrificandi.

4 Iocosè proferens non baptizat.

Hinc potes deducere, quod, ſi quis formam Sacramentalem iocosè, & non ſeriò proferret, non validè conficeret Sacramentum. Quod, ſi dixeris, ex Eccleſiaſticis Hiſtorijs communitèr receptis haberi, Athanaſium adhuc puerum ludendo cum alijs pueris eoſdem baptizaſſe aquam ſuper ipſos effundendo, & conſuetam formam proferendo, quorum baptiſmus validus declaratus fuit à Patriarcha Alexandrino, nec ab Eccleſia reprobatus; Item D. Geneſium adhuc Gentilem, & Mimum in ſcena irridentem Catholicorum Sacramenta, & petentem ab alio Mimo illuſoriè baptiſmum ab ipſo recepiſſe, quem validum Angelus declarauit. Item quoſdam à Iudæo baptizatos, de quorum baptiſmo, cum dubitaretur, Nicolaus Pontifex declarauit fuiſſe validum, ſi fuit cum debita materia, & forma collatus, nec tamen in illo Iudæo baptizante præſumi poterat intentio efficiendi id, quod præſtat Eccleſia. Si, inquam, hæc dixeris, ſtatim reſponſionem accipies, quoad ſingulos caſus expoſitos in particulari, & primò quoad baptiſmum ab Athanaſio collatum, dicendum eſt meritò illum fuiſſe validum declaratum; interrogatus etenim Athanaſius à Patriarcha, quid intenderit in illa actione, reſpondit, ſe intendiſſe facere id, quod viderat fieri ab eodem Patriarcha, nec de tali à ſe ipſo expreſſa intentione erat dubitandum, quandoquidem ipſe erat capax rationis, cum *teſte Siluio quæſt.* 64. *art.* 8. *in reſp. ad* 13., tunc temporis attigerit duodecimum ſuæ ætatis annum, & baptizauit non iam baptizatos, ſed Catechumenos; ſignum ſatis apertum, quod voluerit ſe conformare intentioni Eccleſię, quæ non rebaptizat iam baptizatos, & valdè probabile eſt, quod ibi cum Catechumenis fuerint alij pueri iam baptizati. Quod, ſi dicatur, quod in hiſtoria relata per *Rufinum lib.* 10. *cap.* 14., *& per Nicephorum lib.* 8. *cap.* 14., aſſeratur, quod id præſtiterit per ludum; aſſerendum eſt, hoc non officere, cum poſſit ſimul ſtare intentio faciendi id, quod facit Eccleſia cum fine extrinſeco recreationis, & ludi, ſicuti ſtare poteſt cum alio fine extrinſeco etiam prohibito, puta lucri.

5 Explicatur factū D. Athanaſij.

6 Quomodo ſaluetur baptiſmus D. Geneſij.

Secundò ad illud, quod dicitur de D. Geneſio, multi multas adhibent reſponſiones. Alij, inter quos *Madernus d. tract.* 2. *de Sacrament. in genere quæſt.* 5. *art.* 4. *num.* 8. *in reſponſione ad obiectum*, aſſerunt baptiſmum illud irriſoriè collatum in ſcena non fuiſſe validum, ſed D. Geneſium iuſtificatum fuiſſe per baptiſmum in voto, & poſtea per baptiſmum ſanguinis. Sed hæc reſponſio non cohæret cum eo, quod refert ipſe *Madernus ex Vincentio Beluacenſi in ſpecul. hiſtor. lib.* 12. *cap.* 104., vbi quod Angelus apparens eidem D. Geneſio ante ablutionem oſtendit ipſi omnia eius peccata in libro deſcripta, & poſtea dixit, *Aqua hæc debet omnia iſta, quæ te feciſſe cognoſcis &c.*, cum autem aqua perfuſus eſſet ſimul, & liber ille perfuſus, niue candidior effectus eſt, ita etiam, vt ſignum ſcripturæ præteritæ non demonſtraret &c. Si iam Angelus mundationem criminum tribuit aquæ, quomodo ſolum attribuit baptiſmo flaminis, vel ſanguinis ipſe Madernus?

7 Non fuit ſolum iuſtificatus per baptiſmum in voto.

8 Nec à Sacerdote Catholico.

Alij, inter quos *Cacheranus part.* 3. *tract.* 8. *de Sacrament. in genere cap.* 2. *§.* 6. *n.* 90. innixus auctoritati Adonis Treuirenſis, qui teſte *Bellarmino lib.* 1. *de Sacrament. in genere cap.* 28., primus ſcripſit hiſtoriam D. Geneſij; aſſerunt eundem fuiſſe baptizatum à Sacerdote Catholico; cum etenim irriſoriè, & ſcenicè peteret baptiſmum iuſſu Imperatoris fuit vocatus Sacerdos, qui, cum peteret à Geneſio, quid vellet? Interna Spiritus Sancti gratia excitante mutata petitione irriſoria in firmum, & conſtans propoſitum veri baptiſmi reſpondit ſe petere gratiam Chriſti, & baptiſmatis, vndè, & à vero miniſtro cum debita intentione, & cum vero animo ſuſcipiendi in ſe ipſo baptiſmum, baptizatus eſt. Sed hoc abſolutè reijcit Lugus; improbabile etenim exiſtimat, quod Sacerdos accederet ad irriſoriam illam actionem, & cooperaretur ludrico ſpectaculo cum ingenti ſacrilegio. Improbatio tamen huiuſmodi facta per Lugum ſuppoſita veritate, quod Sacerdos fuerit vocatus, poteſt facilè elidi. Non enim præſumendum eſt, quod acceſ-

ſerit

ſerit animo cooperandi illi irriſoriæ actioni, ſed Spiritus Sancti afflatu ductus ad veram, & propriam ſcelerum ablutionem; ſicuti enim tunc Spiritus Sanctus ſua gratia excitante mouit eundem D. Geneſium ad gratiam baptiſmalem petendam, ita valdè veriſimile eſt, quod Sacerdotē præmouerit ad gratiam illam conferendam; quod etiam vehementèr poteſt argui à poſteriori; antequam enim ablueret, ſeriò petijt, quid vellet, & cum ſeriam reſponſionem receperit, potuit ſeriò, & ſine læſione Sacramenti conferre, & ſic Deus, qui miniſterio Angeli Geneſium illuminauit ad verè, & cum animo petendum, probabile valdè eſt, quod & Sacerdotem illuminauerit ad conferendum, qui enim diſponit ad finem, diſponit etiam media ad finem conſequendum proportionata. Deindè, cum tota illa actio eſſet irriſoria, & ſcenica, debuiſſet per aliquem ex Mimis, & hiſtrionibus baptiſmus irriſoriè conferri, ad quid enim Sacerdotem ad hoc munus euocare, ſi actio purè irriſoria erat exercenda? Deus, qui ſua ineffabili prouidentia ab æterno Geneſium prædeſtinauerat ad gloriam, quique media illa actione ſcenica mutata irriſione in ſanius conſilium vocauit ad gratiam, ſcenam illam fictitiam conuertit in ſpectaculum ſe ipſo dignum, vocatoque diuinitus Sacerdote, quod ad hominum irriſiones ordinatum erat, mutauit in gaudium Angelorum. Difficultas igitur non eſt refundenda in illam improbabilem præſumptionem, quam ſibi ſuadet Lugus, quod Sacerdos voluerit ſacrilegè cooperari illi ludrico ſpectaculo, ſed potius in veritatem hiſtoriæ, an ſcilicet fuerit Sacerdos ad illud munus auocatus, de qua alij ſcriptores non meminerunt.

9 Non fuit iterum baptizatus.

Alij, inter quos *Madernus idem loc. cit.*, ſupponentes, quod baptiſmus fuerit in ſcena ab alio Mimo irriſoriè collatus, aſſerunt, quod ille quidem fuerit inualidus, ſed quod poſtea fuerit iterum ritè baptizatus, quod, ſi eidem Maderno opponatur, quod hæc expoſitio non congruat cum verbis Angeli ſupra recenſitis, vbi ſupponitur, quod Angelus apparuerit ante ablutionem factam in ſcena, & locutus fuerit de illa aqua, qua tunc ablutus fuit. Ibi *Aqua hæc &c., & cum aqua perfuſus eſſet*, quæ certè omnia indicant illam actionem tunc in ſcena exercitam, non aliam futuram; ſtatim reſpondet, quod illa verba non denotent actum, ſed aptitudinem, ac ſi diceretur aqua iſta, ſi ritè collata ſit, apta eſt delere omnia, quæ te feciſſe cognoſcis. Sed hæc quoque reſponſio non congruit eiſdem verbis, quandoquidem ibi ſupponitur, quod tunc fuerit aqua perfuſus, & quod tunc liber niue candidior ſit effectus, quod dicit actum; non meram aptitudinem. Deindè apud neminem ex ſcriptoribus illius hiſtoriæ conſtat, quod poſtea iterum fuerit baptizatus.

10 Nec ab Angelo.

Alij aſſerunt, quod fuerit tunc *D. Geneſius* ab Angelo baptizatus, ita vt illa actio eſſet quidem viſibilis reſpectu eiuſdem Geneſij, ſed inuiſibilis reſpectu aliorum adſtantium, ea proportionali ratione, qua legitur de D. Agata, Beato Stanislao Koſta, quod de manu Angelorum ſacram Sinaxim receperint inuiſibilitèr reſpectu aliorum, viſibilitèr autem reſpectu ipſorum ſuſcipientium. Sed hoc quoque aſſertum non videtur veritati congruere, quandoquidem ſoli homines, non Angeli inſtituti ſunt miniſtri Sacramentorum quoad eorundem confectionem; nec valet paritas de communione per Angelos præſtita D. Agatæ, B. Stanislao, aliſque, quandoquidem iſti non confecerunt Sacramentum, ſed confectum à legitimis Sacerdotibus ſolummodò ex Diuina diſpoſitione miniſtrarunt.

11 Non fuit à Deo ſuppletus defectus intentionis.

Alij dicunt, quod, quamuis baptiſmus ille ab Hiſtrione collatus D. Geneſio fuerit ratione irriſionis, & defectu debitæ intentionis ſecundum ſe inualidus, fuerit tamen validus ex eo, quod Deus ſuppleuerit defectum illum debitæ intentionis ex ſpeciali priuilegio. Sed non libentèr acquieſcerem huic expoſitioni, quandoquidem, vbi deficiunt eſſentialia, non eſt præſumendum de ſupplemento Dei ſine fundamento ſpecialis reuelationis, de qua non conſtat in caſu D. Geneſij. Deindè illa iuſtificatio non eſſet ex vi Sacramenti, ſed potius ex libera Dei condonatione, cum illud non eſſet Sacramentum ex defectu eſſentiali.

12 Mimus ritè baptizauit.

Ego autem ſentio, & Baptiſmum illum fuiſſe ab Hiſtrione Pagano collatum, & fuiſſe validum interueniente in baptizante legitima intentione baptizandi, ſeu efficiendi id, quod facit Chriſtianorum Eccleſia. Pro quo aduerte, & Geneſium primo irriſoriè, & ſcenicè intendiſſe baptiſmum, & Mimum baptizantem primo intendiſſe irridere Catholicos; ſed ſicuti poſtea Angelico miniſterio Geneſius ſeriò petijt inſtructus ab Angelo ad petendum, ita poſtea eodem Angelo ſuggerente motus fuerit Hiſtrio ad baptizandum, & efficiendum id, quod intendit in ſimili actione Eccleſia, & congruè quidem hoc præſumendum eſt; cum etenim Deus modo mirabili, & inſueto mouerit Geneſium ad ſeriò petendum, mirum non eſt, quod ad perficiendum opus mouerit etiam, & Mimum baptizantem ad ſeriò conferendum; atque in hanc expoſitionem videtur etiam

con-

conſentire *Cacheranus dicto cap. 2. §. 6. num. 91. in fine*.

13 Baptiſmus collatus à Iudæo quomodo validus. Tertiò de illo, quod dicitur de Iudæo, qui plures pueros baptizauit, quoſque Pontifex Nicolaus validè baptizatos declarauit, dicendum eſt, Pontifici fuiſſe propoſitum, quod Iudæus illos baptizauerit cum applicatione debitæ materiæ, & conſuetæ formæ, &, cum dubitaretur de valore talis baptiſmi ex eo, quod Iudæus non eſſet ingreſſus Eccleſiam per baptiſmum, reſpondit Pontifex, ex eo capite pueros non eſſe rebaptizandos, nec ibi agebàtur de intentione eiuſdem Iudæi, & licet de eadem intentione in reſponſione mentionem non fecerit, non tamen excluſit, & ideò non meminit, quia dubium non cadebat ſuper ipſa, ſed ſuper qualitate miniſtri.

Plura argumenta congerunt volentes, ſufficere intentionem ſimplicem de opere externo, ſed in ijs confutandis non placet immorari, tum quia hic non eſt propria ſedes, cum pertineant ad materiam Sacramentorum in genere, de quibus propterea ſuo loco; tum quia videri poſſunt explanata apud *Madernum in tertiam partem, D. Thomæ tract. 2. de Sacrament. in genere qu. 5. art. 4., & apud alios*.

14 Intentio producēdi effectū non requiritur. Secunda pars, quod ſcilicet non ſit neceſſaria intentio inducendi effectum ſacrificij, ex eo euincitur, quia, quamuis ex Sacramento ritè collato ſequatur regularitèr infallibilitèr effectus, quod idem dic de ſacrificio, non eſt tamen neceſſe, quod directè intendatur à miniſtro Sacramentum conficiente, vel ſacrificante, ergo intentio inducendi effectum ſacrificij non eſt neceſſaria in miniſtro ad validitatem ipſius. Antecedens probatur, quia ignorans Sacramentum, ſeu ſacrificium ex genere ſuo conferre effectum, vel fortè etiam per errorem exiſtimans non conferre, ſi adhibeat omnia requiſita ad illud conficiendum, validè conficit Sacramentum, ſeu ſacrificium, ergo &c. Confirmatur, quia exiſtentia Sacramenti, ſeu ſacrificij non eſſentialitèr dependet ab exiſtentia effectus, cum poſſit eſſe Sacramentum ſine actuali effectu eiuſdem, ergo poteſt quis intendere validè Sacramentum, ſeu ſacrificium abſque eo, quod actualitèr intendat inductionem effectus. Antecedens patet in eo, qui conferret Sacramentum non ritè diſpoſito ad recipiendum effectum.

15 Tertia pars, quod ſcilicet ſit neceſſaria intentio efficiendi id, quod facit Eccleſia, & quod talis intentio ſit ſufficiens, prætterquamquod patet ex probatione duarum partium præcedentium, etiam ſic euincitur, quia actio ſacrificatiua, prout eſt inſtituta à Chriſto Domino, debet eſſe actus propriè humanus, ſed actus humanus ſufficientèr habetur, quantum pertinet ad præſentem effectum, per hoc quod ordinetur ad finem principalem, & primarium ab Eccleſia, & Chriſto Domino inſtitutore intentum, nec eſt neceſſe, quod ordinetur ad finem ſecundarium, nempè ad effectum ſaltem intentione directa, licet hic regularitèr ex natura huius ſacrificij ſubſequatur, ergo &c.

Sed hic oritur ad pleniorem præcedentium explicationem ratio dubitandi, quid ſcilicet importet intentio efficiendi ſacrificium, ſeu id, quod intendit Eccleſia in actione ſacrificatiua ſupra id, quod importat intentio efficiendi ſeriò opus externum? In hoc multum deſudant DD. varias adhibentes explicationes. Illis omiſſis magis nobis arridet modus, quo vtuntur Suarez, & Vaſquez apud *Madernum tertia part. tract. 2. de Sacrament. in genere q. 5.* 16 Intentio ſacrificādi quid importet *art. 4. num. 13., & 15.*, tanquam facilior, & magis accomodus vſui miniſtrorum etiam rudiorum; hic vult, intentionem efficiendi, quod intendit Eccleſia, neceſſariam, & ſufficientem ad valorem Sacramenti, & ſacrificij ſupra intentionem efficiendi opus externum non ſufficientem ad valorem eorundem, importare ſolummodò intentionem efficiendi Sacramentum, ſeu ſacrificium ſine vlla alia maiori diſtinctione; & licet impugnetur hic modus dicendi, tùm per eundem *Madernum loc. cit. num. 15.*, tùm per *Cacheranum tom. 3. tract. 8. de Sacrament. in genere c. 2. §. 5. num. 61., & 62.*, ex eo, quod talis intentio efficiendi ſimplicitèr Sacramentum haberet ſe ipſam pro obiecto, cum Sacramentum dicat de ſuo conceptu materiam, formam, & intentionem, hæc tamen impugnatio nos non remouet à ſuſcepta ſententia, quandoquidem obiectum talis intentionis non eſt ponere materiam, & formam ſolum, neque ſolam intentionem, ſed complexum ex illis omnibus, &, ſicuti, vt ingenuè fatetur idem *Cacheranus loc. cit. num. 63.*, qui intendit facere aliquod complexum, non eſt neceſſe, quod intendat facere ſingulas eius partes ſecundum ſe, ſed ſufficit, vt velit, quod illæ partes vniantur, ita in caſu præſenti ſufficit, quod velit per illam intentionem materiam, & formam vniri in ratione ſacrificij, ſeu Sacramenti; quod etiam approbauit *Madernus loc. cit.*, dum ſuppoſito, quod velit miniſter complexum ex materia, & forma, & intentione ſubdit, quod, cum totum ſit realitèr inadæquatè diſtinctum ab ipſa intentione, poſſit eſſe obiectum eiuſdem intentionis, quod potiſſimum ait verificari in ſententia conſtituente complexa ſine vnione ſuperaddita.

Hæc

17 Ipſa non eſſet ſui ipſius obiectum

Hæc, quæ nunc diximus ad vindicandam noſtram ſententiam ab obiectis, procedunt in ſuppoſito, quod Sacramentum, ſeu ſacrificium conſtituatur intrinſecè per materiam, formam, & intentionem, tanquam per partes eſſentiales, & intrinſecè conſtitutiuas; ſed facilior euadet ſolutio prædictorum obiectorum, ſi dicatur, intrinſecè ſolum conſtitui per materiam, & formam, & intentionem ſolum ſe tenere ex parte miniſtri conficientis; tunc etenim talis intentio haberet pro obiecto totum conſtitutum ex materia, & forma, tanquam per partes eſſentiales non purè materialitèr, ſed formalitèr vnitas, & connotantes talem intentionem, per quam in tali eſſe ſunt conſtitutæ; & ex hoc videtur corruere id, quod aſtruebat Cacheranus, quod ſcilicet intentio conficiendi Sacramentum nihil aliud ſit, quam intentio ponendi res, & verba, quæ ſunt opus externum, ſicque relabamur in ſententiam, quam conati fuimus refellere; videtur, inquam, corruere, quia illa intentio miniſtri non reſoluitur præciſè in intentionem ponendi res, & verba, & opus externum quomodocunque, & materialitèr, ſed in intentionem ponendi eadem, vt vnita formalitèr in ea ratione, qua Chriſtus, & Eccleſia volunt eſſe vnita, quod eſt fortè id, quod intendit idem Cacheranus, dum vult, quod Sacramentum poſſit ſumi duplicitèr, vel ſimplicitèr, & abſolutè pro re ſignificante, vel adæquatè pro re ſignificante ſimul, & ſignificatione, & quod obiectum intentionis miniſtri ſumatur pro Sacramento adæquatè hoc ſecundo modo ſumpto.

18 Sufficit intentio virtualis.

Quoad tertiam difficultatem in principio huius articuli propoſitam dico, intentionem actualem conficiendi ſacrificium in miniſtro non eſſe neceſſariam; intentionem habitualem non eſſe ſufficientem; intentionem verò virtualem eſſe neceſſariam, & ſufficientem. In hanc ſententiam quoad omnes partes ferè omnes conueniunt. Difficultas ſolummodò aliqua poteſt eſſe in explicando, in quo conſiſtat hæc intentio habitualis, prout contradiſtinguitur ab intentione virtuali. Aliqui conſtituunt, non in aliquo actu præcedenti non retractato, ſed in mera non repugnantia, quatenus ſcilicet, qui operatur, non habet aliquam intentionem repugnantem actui; ſed hæc propriè non poteſt dici intentio, ſed ſolummodò potentia, & indiferentia ad intentionem, quam certè nullus conſtituet ſufficientem ad valorem actionis, ad quam requiritur intentio. Alij conſtituunt in promptitudine, & inclinatione ad actum ex vſu, vel habitu acquiſito relicta. Sed hæc quoque explicatio non importat, niſi potentiam licet magis expeditam ratione vſus ad intentionem, non intentionem ipſam, niſi fortè velis intelligere aliquem actum præceſſiſſe, non tamen retractatum; ſed, ſi hoc intelligas, vix poteris diſtinguere intentionem habitualem à virtuali, cum hæc quoque præſuponat actum antecedentem non retractatum; nec poteris ſubterfugere difficultatum, ſi aſſeras, intentionem virtualem perſeuerare in aliquo ſuo effectu, ſeu virtute, non ſic habitualem; nam peto, quinam ſit hic effectus, in quo perſeuerat intentio virtualis? In caſu ſpeciali ſacrificij Miſſæ *Madernus loc. cit. art. 5. n. 3.*, aſſerit effectum, in quo perſeuerat illa intentio eſſe, acceſſum ad Eccleſiam, ablutionem manuũ, præparationem Miſſæ, indumentum ſacrarum veſtium, acceſſum ad Altare ſuppoſito actu præcedenti celebrandi, hæc omnia eueniunt in intentione habituali, quandoquidem quicunque vult celebrare hæc omnia præſtat, ſuppoſito ergo actu præcedenti vix poteſt diſtingui virtualis ab habituali intentione, quod etiam videtur cognouiſſe *D. Thomas quæſt. 64. art. 8.*, vbi 19 Quomodo hæc differat ab habituali.
intentionem perſeuerantem in effectu appellat habitualem. Vel ergo dicas habitualem nullum præſuponere actum, & ſic incides in difficultatem propoſitam, quod hæc non ſit intentio, ſed potentia ad intentionem, vel, ſi dicas præſupponere illum actum, aſſigna aliam rationem ab aſſignata diſtinctiuam habitualis à virtuali. Alij dicunt, inter quos *Bonacina de Sacramentis in genere diſp. 1. quæſt. 3. §. 3. nu. 3. verſ. virtualis eſt illa,* intentionem habitualem illam eſſe, qua quis facit aliquid ex habitu, nulla præcedente intentione, vel ſi præceſſit, non amplius in aliquo virtuali perſeuerat, cum ſit moraliter interrupta; quod explicat in eo, qui ex habitu acquiſito proferat formam conſecrationis nullo præexiſtente actu talis conſecrationis, vel in eo, qui multos ante dies habuit intentionem conſecrandi, quod poſtea præſtitit abſque noua intentione, cum etenim præcedens intentio habita ante multos dies, intelligatur interrupta per ſomnum, aliaſq; actiones, non intelligitur amplius virtualitèr perſeuerare. Hanc expoſitionem amplector, quamuis, ſi benè perpendatur præcedens, non differat ab iſta.

Actualis non eſt neceſſaria.

Probatur iam prima pars, quod ſcilicet actualis non ſit neceſſaria *ex D. Thoma qu. 64. art. 8. ad tertium*, vbi aſſerit non eſſe totaliter poſitam in hominis poteſtate habere ſemper intentionem actualem, quod idem affirmat *D. Auguſtinus lib. 1. de liber. arbitrio*. Ibi: *Non eſt in noſtra poteſtate ſemper cogitare, quod volumus*, quibus

auctoritatibus poſitis ſic ad rem noſtram argumentor. Non eſt præſumendum, quod Deus, qui in ſuis diſpoſitionibus ſe accomodat hominum naturæ, & conditioni, voluerit in confectione ſacrificij, & Sacramentorum alligare miniſtros ſuos ad id, quod non eſt in eorum poteſtate, immò eſt nimis difficile, quin potius moralitèr impoſſibile, ſed habere ſemper actualem intentionem in confectione ſacrificij non eſt ex præcitatis DD. in hominum poteſtate, immò moralitèr impoſſibile, ergo nō eſt præſumendum, quod Deus voluerit miniſtros alligare ad illam intentionem. Confirmatur, quia requiſita actuali intentione, tanquam neceſſaria ad valorem ſacrificij, ſeu Sacramentorum nimis incertus redderetur eiuſdem, ſeu eorundem valor, cum ſemper poſſet dubitari de exiſtentia illius actualis intentionis.

Habitualis nō eſt ſufficiens.

Probatur ſecunda pars, quod ſcilicet habitualis non ſit ſufficiens; nam, vel nomine habitualis venit illa, qua quis aliquid facit ex habitu nulla præexiſtente intentione, vel venit illa, in qua licet actus præceſſerit, hic tamen in nullo perſeuerat, cum fuerit interruptus modo, quo ſupra. Quæcunque ex his veniat nullo modo eſt ſufficiens ad cauſandum ſacrificium, vel Sacramentum; non prima, quia ad ſummum importat facilitatem, & promptitudinem ad agendum, ſeu volendum, non autem volitionem, ſeu aliquem actum, & ſic non influit determinando ad opus, & hæc facilitas æquè poteſt eſſe in dormientibus, & ebrijs, nec per ſe ſolam conſtituit actum humanum, ideſt volitum humana directione; non ſecunda, quia, cum actus ille præcedens non amplius perſeueret, nec in ſe ipſo, nec in alio, perindè ſe habet, ac ſi non ſit poſitus, & ſic recurrunt ea omnia, quæ mox diximus de illa facilitate nullo actu præexiſtente.

Virtualis ſufficit.

Probatur tertia pars de intentione virtuali, quia ſuppoſita neceſſitate intentionis in miniſtro ad valorem ſacrificij debet aſſignari aliqua intentio, quæ non ſit nimium difficilis, & humanæ conditioni quaſi moralitèr impoſſibilis, & quæ item ſit neceſſaria, & ſufficiens, ſed talis eſt ſolummodò virtualis, ergo &c. Maior quoad primam partem ex eo elucet, quia maximè congruit Diuinæ prouidentiæ, & bonitati, vt ſacrificium, quod inſtituit fieri humano modo, humanæ capacitati accomodū inſtitueret, ne crebro ob difficultatem operis irritum redderetur. Minor probatur, quia actualis intentio, licet ad hunc effectum ſit perfectiſſima, & maximè idonea, ex ſupra probatis tamen non eſt neceſſaria, & habitualis non eſt ſufficiens, ergo ſolummodò virtualis erit neceſſaria, & ſufficiens, cum nulla alia ſit aſſignabilis intentio.

20 Refertur ſententia Ricardi.

Hic latè diſputant DD., quid nam importet hæc intentio virtualis ſupra habitualem. Circa hoc varios inuenio dicendi modos. *Riccardus in 4. diſtinct. 6. quæſt. 3. art. 2.*, dicit per actum præcedentem produci in potentia motiua qualitatem, quæ quandiu durat, intentio virtualis dicitur, & continuatè mouet potentiam externam in finem per illum actum præcedentem volitum exemplo adducto de virtute per proijcientem impreſſa lapidi, qui iactitur, quæ virtus, quandiu durat, lapis mouetur ad ſcopum á proijciente intentum. Sed hunc dicendi modum latè impugnat *Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 6. §. nec requiritur*, eò quia imperceptibile ipſi videatur, quod voluntas poſſit illam qualitatem in potentia organica producere, & quando etiam produceretur, non cognoſcit, quomodo per ſe ipſam poſſit paulatim deſinere, cum nullum habeat contrarium oppugnans.

21 Item illa Lugi.

Cardinalis de Lugo diſp. 8. ſect. 5. n. 83., cum alijs recentioribus ſentit, intentionem virtualem ab habituali diſtingui, quia virtualis ſemper importat aliquem actum voluntatis de præſenti finem intendentis, quod, vt explicet, ſupponit, quod voluntas volitione actuali expreſſa intendat ſacrificium Miſſæ, vel aliud Sacramentum, & tunc eſt intentio actualis, cum deindè idem ſacrificium, ſeu Sacramentum continuatè intendatur, ſed dimminuatur, & attenuetur intentio, adeo vt vix percipiatur, tunc aſſerit, quod, licet ille primus actus perſeueret, quia tamen attenuatur, dicatur intentio virtualis, & ſic hanc virtualem diſtinguit ab actuali ratione illius remiſſionis in actu primo, & ab habituali ratione permanentiæ illius actus remiſſi. Sed hic etiam dicendi modus non arridet, primò, quia imperceptibile videtur, quod ille prior, & expreſſus actus voluntatis, in quo conſiſtit intentio actualis, poſſit in ſe ipſo formalitèr perſeuerare. Secundò data permanentia eiuſdem ſecundum eſſe actuale, vix eſſet, quò virtualis intentio ab actuali diſtingueretur, nec ad diſtinguendum prodeſſe poteſt intenſio, & remiſſio eiuſdem actus, cum ſemper verificaretur, quod intentio eſſet in actu, adeoq; actualis, quod explicari poteſt in duobus peccatoribus ſe conuertentibus ad Deum per actus contritionis, altero per actum intenſum, vt octo, altero per actum remiſſum, vt duo; Hi certè dicerentur iuſtificati per actum formaliſſimum contritionis, non vnus per actum formalem, & actualem, alter ſolum per virtualem ratione actus remiſſioris. Deindè data hac aduerſantium expoſitione tolleretur communis di-

uiſio

uiſio intentionis in actualem, virtualem, & habitualem, & ſolum poneretur ſubdiuiſio intentionis actualis in expreſſam, & confuſam, & in intenſam, & remiſſam, ſeu tenuem. Tandem imperceptibile videtur, quod dentur actus adeò debiles, & tenues, vt excitare non poſſint ad ſui cognitionem, & ex alia parte habeant vim excitandi potentias externas ad operandum, & influendum in opus externum.

22 Item illa Coninchi

Coninchus quæſt. 64. art. 8. dub. 2., docet diſtingui ab habituali per hoc, quod virtualis habeat aliquid ſui præſens ſaltem in imaginatiua. Sed nec hic modus loquendi arridet, ipſumque improbat *Madernus d. tract. 2. de Sacrament. in genere quæſt. 5. art. 5. num. 14.*, ſupponens, quod aliquid actuale intentionis non poſſit eſſe in imaginatiua, quin ſimul ſit in intellectu, cum imaginatio nil cognoſcat, quod intellectus non intelligat; quo ſuppoſito aſſerit experientia compertum eſſe, nos aliquid operari propter finem primo intentum abſque eo, quod conſideremus actu finem, nec attendamus ad media ad eundē finem conducentia, vt contingeret in eo, qui decreto per actum voluntatis expreſſum itinere ad certum, & determinatum locum in itinere totus applicaretur cum amico in rebus ſerijs, adeovt ad aliud non aduerteret; hic certè poſſet conſequi finem primo intentum perueniendo ad terminum ſtatutum; & tamen, cum actu non aduerterit ad finem, nec ad media, non poteſt dici actu intendiſſe; ex quo infert poſſe eſſe intentionem virtualem ad aliquem effectum, quantumuis actualis intentio ſecundum aliquid ſui non ſit præſens, neque in intellectu, neque in imaginatiua.

Communior, & receptior ſententia fert, quod ad conſtituendam intentionem virtualem, vt diſtinctam ab habituali non ſit neceſſe, quod prima intentio actualis perſeueret ſecundum aliquid ſui actuale, vel in imaginatiua, vel in intellectu, vel in ſe ipſa ſecundum eſſe attenuatum, & diminutum, ſed tantum, quod perſeueret virtute in actibus potentiarum externarum, prout referuntur ad volitionem intentam præteritam, & prout procedunt à potentijs per illam ad operandum applicatis, atque ità ſentiunt communiter
23 Perſeuerat in actibus externarū potentiarum.
Thomiſtæ colligentes ex *D. Thoma d. q. 64. art. 8. ad tertium, & ſecunda ſecundæ q. 83. art. 13.*, & etiam magis communiter Recentiores *Suarez diſp. 13. ſect. 3. § quocirca*, *Vaſquez diſp. 138. cap. 6.*, *Arriaga diſp. 19. ſect. 4. ſubſect. 2.*, *Madernus tract. 2. de Sacrament. in genere quæſt. 5. art. 5.* Huic opinioni, tanquam communiori, & probabiliori adhæreo. Ratio eſt, quia ex vna parte per hoc contradiſtinguitur virtualis intentio ab actuali, quæ diſtinctio vix haberi poſſet, ſi actualis ſecundum ſui eſſe perſeueraret actu; ex alia etiam contradiſtinguitur ab habituali, cum reſpectu iſtius primus actus non perſeueret in ſe ipſo nec in effectu, cum intelligatur interruptus. Rurſus ad hoc, vt ſit ſufficiens virtus operatiua, non eſt neceſſe, quod operans ſit ibi præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſufficit, quod ſit per aliquid à ſe ipſo productum, vt videre eſt in ſole operante in viſceribus terræ, in quibus non eſt præſens ſecundum ſui ſubſtantiam, ſed tantum per lucem, & calorem à ſe ipſo productum, ergo etiam ſufficit, vt intentio ſit operatiua, vt ſit præſens per effectum ex ipſius imperio productum in potentijs miniſtri ad perficiendum opus.

Quod, ſi dixeris, *D. Thomam dicta qu. 64. art. 8.*, numerare effectus, in quibus non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum virtutem perſeuerat actualis intentio, quatenus ſcilicet miniſter habita illa priori actuali intentione pergit ad Eccleſiam, lauat manus, induit ſe veſtibus, & accedit ad Altare celebraturus, quæ omnia ſuppoſita deſinentia primę intentionis actualis ſecundum ſui ſubſtantiam pertinere poſſunt ad ſolam intentionem habitualem, eidemque conuenire; quandoquidem etiā ille, qui dicitur habere ſolummodò intentionem habitualem, ſupponitur habuiſſe intentionem præcedentem habitualem, & poſtea illa omnia enumerata præſtare, ſi velit celebrare, ergo ſuppoſita deſinentia actus ſecundum ſuum eſſe actuale nullo modo intentio virtualis ab habituali diſtingueretur. Si hæc, inquam, dixeris; ſtatim impugnaberis, quia D. Thomas ſupponit ſine vlla omninò interruptione primam illam intentionem continuari cum illis omnibus actibus enumeratis, quod ſaluat illam priorem intentionem; ſi non in ſubſtantia, ſaltem ſecundum virtutem perſeuerare in eiſdem actibus; quod non verificatur in intentione purè habituali, quæ neque in ſe ipſa perſeuerat, nec poteſt continuari cum illis actibus, cum ſupponatur interrupta.

Sed hic oritur alia difficultas, quid ſcilicet requiratur ad hoc, vt dicatur ille 24 Per quid actus interrumpantur.
prior actus diſcontinuari, & interrumpi, ad hoc, vt intentio habitualis contradiſtinguatur ab intentione virtuali? Aliqui aſſerunt abſolutè, interrumpi per actiones diſparatas intermedias quomodocunque. Sed nimis durum videtur aſſerere, quod, ſi quis poſt elicitam intentionem actualem ſacrificandi, vel etiam poſt acceſſum in Sacriſtiam celebrandi cauſa, vocaretur ad aliquod breue negotium peragendum, interrumperetur intentio, adeovt

 ſine

ſine nouo actu elicito ſacrificium redderetur inualidum. Quamobrem dico, ad interruptionem requiſitam ad hunc effectum non ſufficere actionem intermediam quomodocunque diſparatam, & phyſicam, ſed requiri cum eadem actione diſparata, & non ſubordinata aliquam temporis diſtantiam, adeovt non ſolum phyſicè, ſed etiam moralitèr prior actus à ſubſequentibus diſcontinuetur. Hæc autem temporis diſtantia ad interruptionem moralem requiſita poteſt eſſe vel maior, vel minor, prout actio intermedia poteſt magis, vel minùs eſſe diſcors ab intētione ſacrificandi; ſi etenim actio eſſet cōtraria, immediatè ſine temporis mora induceret interruptionem; ſi non eſſet contraria, ſed maximè abſtracta, adeovt nullum relinqueret veſtigium prioris intentionis, cuiuſmodi eſt ſomnus, vel ebrietas, tunc etiam per breue tempus interrumperet, adeovt requireretur poſt ſomnum, & ebrietatem noua intentio; ſi non eſſet ſecundum ſe diſparata, ſed coniuncta cum intentione reaſſumendi actus incæptos pro ſacrificio offerendo, vt ſi quis cum præcedenti intentione ſacrificandi acceſſerit ad Eccleſiam, & incæperit ſe diſponere, ſed vocatus ad aliquod negotium receſſerit cum noua intentione iterum redeundi; tunc arbitrarer peracto illo negotio, dummodò longum tempus non interceſſerit, poſt reditum non fore neceſſarium nouum actum, cùm primus nòn intelligatur moralitèr interruptus. Cæterum qualis, & quanta debeat eſſe diſtantia temporis, vt actus dicatur interruptus, arbitrio prudentum remitterem.

Quod, ſi dicas, quod præſcripto actu cauſatiuo parum curandum ſit, quod ceſſarit, vel ante longum, vel ante modicum tempus; nàm quod non exiſtit, non poteſt hic, & nunc eſſe cauſatiuum, ergo intentio, quæ iam non exiſtit, non poteſt eſſe ſufficiens ad conficiendum ſacrificium, ſiue non exiſtat à multo, ſiue à modico tempore; ſtatim impugnaberis, quia hìc verſamur non in cauſa phyſica, ſed in cauſa morali, quæ non exigit eſſe ſecundum ſubſtantiam, ſed ſufficit, quod exiſtat ſecundum virtutem in ſuis effectibus; ad hoc autem, vt dicatur exiſtere ſecundum virtutem in effectibus, non debet eſſe moralitèr diſcontinuata ab eiſdem effectibus, quæ moralis diſcontinuatio poteſt eſſe in actionibus diſparatis cum diuturnitate temporis, non cum modicitate.

25 Quoad quartam difficultatem in principio huius articuli propoſitam aduerto in primis, conditionem, ſub qua per miniſtrum confici poteſt ſacrificium, aliam poſſe eſſe de præſenti, aliam de præterito, aliam de futuro; Deindè dico abſolutè ad valorem ſacrificij non obeſſe conditionem de præſenti, vel de præterito, benè tamen de futuro. In hanc conſentiunt communitèr Thologi, & congrua quidem ratione; quandoquidem, quando conditio appoſita, vel eſt de præſenti, vel de præterito, intentio redditur abſoluta, nam, ſi re vera illa cōditio exiſtat, vel extiterit, iam eadem purificata actus remanet abſolutus, adeoque, ſi extent alia omnia ad hoc requiſita, non eſt, cur non debeat eſſe validum ſacrificium; vel Sacramentum. Quod, ſi apponatur conditio, vel de præſenti, vel de præterito, quæ re verà, nec exiſtat, nec extiterit, tunc non fiet verum ſacrificium, nec Sacramentum ob defectum intentionis requiſitæ, cum intentio non exiſtat, vbi non eſt, vel non fuerit conditio.

Conditio de præterito, vel de præſenti non obſtat, benè de futuro.

Probatur iam quoad ſecundam partem de conditione de futuro, quia, quando apponitur conditio de futuro, nec ſacrificium fit, quando intentio elicitur; nec quando purificatur conditio; non quando elicitur intentio, quia conditio de futuro eſt ſuſpenſiua, & qui apponit conditionem, quæ reſpicit tempus futurum, non intendit effectum hic, & nunc, ſed quando ponetur conditio; non quando purificatur conditio, quia tunc non eſt applicatio materiæ, & formæ, cum etenim actio ſacrificatiua ſit actio tranſiens, ſemel poſita euaneſcit, nec amplius perſeuerat.

Quamuis autem dictum fuerit conditiones de præſenti, vel de præterito non obſtare validitati ſacrificij, ſeu Sacramenti; hoc tamen limitandum exiſtimant Suarez, & Madernus in ordine ad aliquas conditiones, quæ ſcilicet non cadunt ſub hominum cognitionem, & non niſi temerè, & ſtultè apponi poſſunt, quod explicant in Baptiſmo collato ſub conditione, ſi ſic baptizandus fuerit prædeſtinatus, vndè ſubdunt, quod ſit rebaptizandus ſub conditione, quod poſtea extendunt in ordine ad alia Sacramenta ſub tali ſimili conditione concepta. Sed ego arbitror, non obſtare huiuſmodi conditiones validitati Sacramenti ſecundum ſe, ſi re vera pro tempore, quo fit Sacramentum, vel ſacrificium, exiſtant, quia tamen quoad nos non poteſt innoteſcere, an re vera illæ conditiones exiſtant, vel extiterint, & cum non cadant ſub humanam cognitionem, ideò verum exiſtimo id, quod ipſi aſſerunt, ſcilicet eſſe rebaptizandum, vel repetendum Sacramentum ſub conditione, ſi non es baptizatus, vel ſi Sacramentum non fuerit validè collatum, & hoc quidem graui neceſſitate cogente, nam, ſi illa conditio non extiterit, irritum eſſet Sacramentum baptiſmi, vel aliud, & ſic ille baptizatus poſ-

26 Conditiones, quæ non cadunt ſub humanam cognitionem ſunt reijciēdæ.

ſet

ſet fortè ordinari, vel recipere alia Sacramenta, quæ ob inualiditatem baptiſmatis eſſent irrita.

Ex quibus poteris deducere, grauitèr peccare, qui in confectione ſacrificij, vel Sacramenti non ſolum apponeret illas conditiones de præſenti, vel de præterito, quæ non cadunt ſub humanam cognitionem, ſed etiam illas, quæ ſecundum humanum modum apponi poſſunt, vt quoad conditiones primi generis notat *Madernus tract. 2. de Sacrament. in genere qu. 5. art. 6. n. 5.*, & quoad alias omnes *Bonacina de Sacram. in genere diſp. 1. quæſt. 4. punct. 2. §. 3. propoſit. 4. num. 20.* Intellige, niſi tales conditiones apponi ſolitas de præſenti, vel de præterito appoſuerit ex rationabili cauſa. Ratio ex eo deducitur, quia apponendo tales conditiones exponit ſe periculo inualidè conficiendi ſacrificium, ſeu Sacramentum, ſi enim illæ conditiones non exiſtant tunc, vel non extiterint ex defectu intentionis miniſtri, opus illud non ſubſiſtet. Dixi, *ſine rationabili cauſa*, nam ſubſiſtente cauſa poteſt conficere ſub conditione de præterito, puta, ſi Sacerdos conſecrauerit, & vehemens ſubſecuta fuerit dubitatio, an re vera conſecrauerit, vel validè conſecrauerit, poteſt iterum conſecrare ſub conditione, ſi antecedentèr non conſecrauerit, vel conſecrauerit inualidè *Suarez diſp. 13. ſect. 3. verſ. dico tertio, Henriquez lib. 1. cap. 10. num. 7., Reginaldus lib. 36. num. 39., Coninchus qu. 64. art. 8. dub. 4. num. 76.*

ARTICVLVS IV.

Expenduntur nonnulla circa eandem intentionem miniſtri.

SVMMARIVM.

Sacerdos, qui ante amentiam intendit ſacrificare, ſubſequente amentia, non validè ſacrificat. 1.

Reſpondetur argumento deſumpto ex dicto D. Auguſtini. 2.

Cur homicidium præuiſum, & meditatum ante furorem imputetur ad culpam, ſi exequatur in furore, & ſacrificium intentum ante furorem, & factum in furore non ſubſiſtat. 3.

Cur ſacrificium factum in diſtractione mentis ſubſiſtat, non ſic factum in furore. 4.

Cur validè recipiat baptiſmum in furore, qui illum petijt ante furorem, & non validè celebret in furore, qui ante illum intendit celebrare. 5.

Intentio miniſtri debet eſſe circa materiam determinatam. 6.

Quot modis materia poſſit dici determinata. 7.

Hoſtia determinata delata ſuper patenam, ſi mutetur inſcio Sacerdote, validè fit conſecratio. 8.

Sacerdos exiſtimans vnam tantùm hoſtiam conſecrare, ſi duæ reperiantur ambæ ſunt conſecratæ. 9.

Si intendat vnam tantùm hoſtiam conſecrare excludendo poſitiuè quamcunque aliam, & ſint ibi duæ hoſtiæ deſignabiles, nec aliquam deſignet, neutra intelligitur conſecrata. 10.

Si vna appareret alijs non apparentibus ſtante illa intentione reſtricta, apparens intelligitur conſecrata. 11.

Stante intentione ad vnam ſine excluſione alterius, vtraque intelligitur conſecrata. 12.

Si Sacerdos intenderet ſolum medietatem hoſtiæ conſecrare, & non aliam validè conſecraret. 13.

Guttæ vini exiſtentes extra partes intimas Calicis non validè conſecrantur, 14.

Niſi ſit intentio relata ad ipſas. ibid.

Guttæ exiſtentes intra Calicem ſeparatæ à vino ſecundum aliquos non validè conſecrantur. 15.

Secundum veritatem conſecrantur. 16.

Fragmenta panis ab hoſtia ſeparata validè conſecrantur. 17.

Gutta vini commixta vino conſecrato, & particula commixta alijs non conſecratis non eſt directè conſecrabilis. 18.

Illa gutta, & illa particula non eſt deſignabilis per pronomen. Hoc & hic. 19.

Quid agendum eſſet in eo caſu commixtionis. 20.

Quælibet minima pars ſenſibilis eſt conſecrabilis. 21.

Ratio potus, & cibi corporalis eſt effectus ſecundarius. 22.

Quæcunque magna quantitas poteſt validè conſecrari, ſi ſit præſens. 23.

Non valet paritas de aqua baptiſmatis, & quare. 24.

Qualis præſentia requiratur. 25.

Quænam propinquitas requiratur. 26.

Non eſt neceſſe, quod ſonus verborum attingat materiam. 27.

Vinum in dolio incluſum eſt ſufficientèr præſens. 28.

Hoſtia poſt patenam, vel in tabernaculo incluſa non eſt ſufficientèr præſens. 29.

Materia infinita, ſi ſit præſens, poteſt validè conſecrari. 30.

Conſecratio incæpta eſſentialitèr ſine intentione non reualidatur per ſubſequentem intentionem. 31.

Secus, ſi non ſit incæpta quoad eſſentialia. 32.

Praua intentio finis non inualidat Sacramentum. 33.

Reddit tamen illicitum. 34.

Pro

Pro applicatione ſacrificij non requiritur intentio actualis, nec virtualis. 35.
Illatio ex mox dictis. 36.
Aliud eſt conficere, aliud applicare. 37.
Probabilius Deus non ſupplet defectum intentionis. 38.
An ſaltem conferat gratiam. 39.
Intentio faciendi, quod intendit Chriſtus, eſt valida. 40.
Quid, ſi intendit facere, quod facit Eccleſia Caluiniſtica. 41.

DVbitatur primò, an Sacerdos ſanæ mentis, qui elicuit intentionem expreſſam conficiendi ſacrificium, validè ſacrificet, ſi eidem furor, vel amentia ſuperuenerit ante incæpta eſſentialia eiuſdem ſacrificij, & ea non obſtante, conſecratione alijſque ipſum ſacrificium compleat?

1 Sacerdos in amentia non validè ſacrificat. Reſpondeo, non validè ſacrificare. Ità in ſimilibus de ebrio, qui ante ebrietatem elicuit intentionem expreſſam conficiendi Sacramentum, & confecit in ebrietate ſtatuunt *Coninchus quæſt. 64. art. 8. dub. 7. num. 74.*, *Graſſius ſecunda part. lib. 2. c. 3. num. 35.*, *Bonacina de Sacrament. in genere diſp. 1. quæſt. 3. punct. 2. §. 3. propoſit. 4. num. 17.*, *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere lib. 2. cap. 2. §. 5. n. 69.*, Ratio ex eo deducitur, quia vigente furore, & amentia non poteſt eſſe intentio, nec actualis, nec virtualis, nec humana, nec libera; non actualis, aut virtualis, quia per furorem, & amentiam interrumpitur illa prima intentio; non humana, nec libera, quia pro illo tempore non vtitur ratione neceſſaria ad actum humanum, & libertatem, cum omninò ſupponatur impos rationis; Neque obeſſe poteſt id, quod circumfertur *ex D. Auguſtino tract. 5. in Ioänem*, vbi aſſerit, validum eſſe baptiſmum collatum ab ebrioſo, quod, ſi valet in ordine ad baptiſmum, & ab ebrioſo, non video, cur valere etiam non debeat in ordine ad ſacrificium Miſſæ; aliaque Sacramenta à furioſo, & amente; Non, inquam, obeſſe poteſt; quia, vt notat *Cacheranus loc. cit.* D. Auguſtinus loquitur in terminis *ebrioſi*, non *ebrij*; ebrioſus autem appellat vitium, & vſum, non autem actum ebrietatis, ſicut appellat *ebrius*, vnde D. Auguſtinus tantum vult, quod deditus ebrietati validè baptizet, non autem in actuali ebrietate, quod ego etiam non recuſarem admittere de furioſo conficiente ſacrificium, ſi conficeret non pro tempore furoris, ſed pro tempore, quo gauderet lucidis interuallis.

2 Explicatur dictũ D. Auguſtini.

Aduerſus hanc noſtram reſponſionem multa congeruntur argumenta, quæ tamen facilè diſſoluentur. Primum eſt; quod; ſi quis præuideret, ſe homicidium commiſſurum in ebrietate, & nihilominus ebrius factus eſt, & homicidium commiſſit, eidem homicidium imputatur ad culpam; quia intelligitur ſufficientèr volitum in intentione, & præuiſione præcedente ebrietatem, ergo etiam ſacrificium volitum ante ebrietatem, furorem, & amentiam, & factum in ebrietate, furore, & amentia erit validum, vtpotè volitum, & intentum ante ebrietatem &c. Secundum, quia, ſi quis in conficiendo ſacrificio inuoluntariè diſtraheretur, adhuc validè conficeret ob præcedentem intentionem conficiendi, ergo etiam, ſi conficeret in ebrietate, furore &c., quia non minùs tollit intentionem inuoluntaria diſtractio, ac tollat ebrietas, furor. &c. Tertium deſumitur ex textu *in cap. maiores de baptiſmo*, vbi quod validus eſt baptiſmus collatus ebrio, qui ante ebrietatem illum petijt. Facilè, inquam, diſſoluentur.

Ad primum dicendum eſt, ex ſpeciali inſtitutione huius ſacrificij, & aliorum Sacramentorum requiri, quod miniſter in eiuſdem, ſeu eorundem confectione debeat liberè, & humano modo operari, tunc quando conficit; ad ſic autem operandum non ſufficit intentio indirecta; non enim ex libero arbitrio, & modo proprio creaturæ rationalis operatur, qui in ebrietate, & furore operatur; nec prodeſt illa intentio præcedens, quia non poteſt coniungi cum exercitio in ebrietate, & furore poſito, cum intelligatur interrupta, & deſinat eſſe humana, & libera. Ad hoc autem, vt imputetur homicidium ad culpam, non requiritur, quod fiat cum actuali aduertentia in eiuſdem commiſſione, ſed ſufficit, quod fuerit voluntarium in cauſa præuiſa. Si autem quæratur ratio, cur in homicidio patrato in ebrietate ſufficiat voluntarietas in cauſa, non autem ſufficiat eadem voluntarietas in cauſa in ſacrificio confecto in ebrietate, vel in furore? Tunc reſpondet *Bonacina loc. cit.*, hoc prouenire, quia ſacrificium, vtpotè quid bonum debet eſſe ex integra cauſa, homicidium autem, vt quid malum conſurgat ex ſingulis defectibus. Sed ego arbitror, non aliundè rationem deſumendam eſſe, quam ab ipſa inſtitutione Sacramentorum, & ſacrificij, quæ exigit in operante actum humanum, non quomodocunque, ſed in ipſa operatione.

3 Diuerſitas inter homicidium patratum in furore, & ſacrificium factum in eodem.

Ad ſecundum fateor, inuoluntariè diſtractum in ipſa confectione ſacrificij validè conficere, non ſic ebrium, & furentem. Ratio diſparitatis eſt, quia attenta hominum conditione, reſpectu quorum moralitèr impoſſibile eſt ſemper perſeuerare in eadem formali, & actuali intentione, cum eius

4 Furo nõ compatitur cum intentione requiſita.

eius voluntas vaga ſit, & deambulatoria, congruè ſtatutum eſt, vt eadem prior intentio virtualiter perſeueret in actionibus etiam potentiarum externarum, quæ immediate conſequantur eandem intentionem, quando aliundè non interponitur moralis interruptio, quæ non habetur per illam inuoluntariam diſtractionem; hæc autem moralis interruptio habetur per ſuperuenientem ebrietatem, & furorem, quia tunc ceſſat omnis vſus rationis, & ſic omnes actiones ſubſequentes vtpotè deſtitutæ quocunque rationis lumine, nec poſſunt eſſe humanæ, nec liberæ, nec poſſunt eſſe informatæ præcedente intentione, quia tunc ceſſat.

5 Diſcrimen inter recipientem in furore Sacramentum, & conficientem.

Ad tertium fatendum eſt, validè conferri baptiſmum ebrio, & furioſo, qui antè ebrietatem, & furorem illum petijt, negandum verò eſt validè conferri Sacramenta per eum, qui primo intendit illa conferre, & poſtea ebrius, & furens factus eſt, dum illa conficit. Ratio diſparitatis eſt, quia recipiens baptiſmum merè paſſiuè ſe habet; miniſter verò actiuè, plura autem requiruntur in agente, quam in patiente.

Dubitatur ſecundò, an intentio miniſtri ſacrificij Miſſæ debeat neceſſario eſſe ad determinatam materiam? Videtur abſolutè negandum, cum ſufficiat materia determinata in ſpecie, non autem determinata in quantitate, & in indiuiduo, quod pluribus exemplis euincitur; primò in eo, qui deferret hoſtiam determinatam ſuper patenam conſecrandam; ſi etenim iſta ipſo inſcio mutaretur, eademque ablata alia conſtitueretur ſuper patenam, vtique hæc validè conſecraretur, & tamen Sacerdos arbitraretur à ſe poſitam conſecrare, non alteram ſuppoſitam loco ipſius. Secundò, ſi Sacerdos arbitraretur vnicam tantum hoſtiam conſecrare, & tamen ibi eſſent plures, valida eſſet cõſecratio quoad omnes, & tamen intentio eſſet ad vnam determinata. Tertiò euincitur in alijs etiam Sacramentis, quæ, licet intentio referatur ad vnam perſonam determinatè, tamen valida ſunt, & ſi ad aliam in actu exercito referatur, ſic, ſi quis putans baptizare filium Patri baptizaret filium Pauli, vel in Sacramento Pænitentiæ exiſtimans abſoluere Petrum abſolueret Paulum, & validè baptizaret, & abſolueret, & tamen intentio non eſſet ad iſtas perſonas. Nihilominus.

6 Intentio debet eſſe circa materiam determinatam.

Reſpondeo, intentionem miniſtri debere eſſe circa materiam determinatam *Suarez diſp. 13. ſect. 3., Vaſquez diſp. 138. cap. 7., Lugus diſp. 8. ſect. 7., Amicus diſp. 9. n. 19., Gonetus diſp. 7. art. 2. num. 55., & alij magis communiter*. Quoad determinationem materiæ in ſpecie reſponſio eſt innegabilis, quandoquidem omnia Sacramenta ex vi inſtitutionis habent materiam à Chriſto determinatam in ſpecie, in qua debent confici, ità vt extra illam nequeant fieri. Quoad determinationem in indiuiduo, & in quantitate ratio ſpecialis in ſacrificio Miſſæ deducitur ex forma conſecrationis per ly *hoc*, & *hic*, quæ certam materiam deſignant, nec cadere poſſunt ſupra materiam non deſignabilem, & indeterminatam. Adde, quod intentio miniſtri conficientis ſacrificium debet eſſe efficax; intentio autem efficax debet eſſe ad obiectum determinatum.

7 Quomodo materia poſſit dici determinata.

Pro ſolutione præcedentium rationum aduerſãtium aduerte, dupliciter materiam poſſe dici determinatam, vel quatenus determinatè deſignari poſſit, prout eſt certo loco, & terminis circumſcripta, vel quatenus ſit determinata, & cognita quoad omnes, & ſingulas partes, ita vt intentio expreſſè, & determinatè referatur ad ſingulas. Hæc determinatio ſecundo loco expoſita, quamuis ſit apta ad effectum, de quo loquimur, non eſt tamen neceſſaria, neque expediens, non etenim neceſſe eſt, quod conſecraturus pixidem particularum nouerit determinatum numerum ipſarum, ſufficiens igitur eſt determinatio iuxta modum primo loco expoſitum. Quibus poſitis.

8 Mutatio hoſtiæ inſcio Sacerdote nõ vitiat.

Iam ad primum reſpondeo, quod licet fuerit mutatio illius hoſtiæ à Sacerdote delatæ ſupra patenam, non tamen ſequatur inualiditas conſecrationis, quia Sacerdos debet habere intentionem determinatè ad materiam ibi præſentem, quam vtique deſignat per illam particulam *Hoc*, & determinatio conſtituitur per præſentiam, ad quam Sacerdos ſe refert, ſuamque intentionem.

9 Multiplicatio hoſtiæ ſine cognitione Sacerdotis non vitiat.

Ad ſecundum idem ferè reſpondendum eſt, quod ſcilicet debeat habere intentionem ad rem præſentem, nec ex eo, quod ibi ſint plures hoſtiæ, ſeu particulæ, quam ipſe arbitraretur, tolleretur determinatio, cum ſufficienter haberetur per præſentiam, & per deſignationem; non enim, vt ſupra innuebamus, neceſſe eſt, vt ſingularum in indiuiduo habeat diſtinctam cognitionem, ſed ſufficit, quod habeat materiam præſentem deſignabilem per pronomen *Hoc*.

Quod, ſi ſupponas, quod Sacerdos celebraturus habeat limitatè intentionem vnam dumtaxat hoſtiam conſecrandi, & ibi ex errore fuerint duæ appoſitæ, ſuprà quas protulerit verba conſecratoria, exiſtimans iuxta ſuam determinationem eſſe ſolummodò vnam, & quæras, an vtraque in ea hypotheſi, vel vna tantum, an neutra

fuerit

fuerit conſecrata? Tunc plura conſide-randa exiſtimo, tum in ordine ad intentio-nem miniſtri, tum in ordine ad ipſam ma-teriam; & quidem in ordine ad intentio-nem miniſtri, vel hæc eſt reſtrictiua, & excluſiua ſimul, quatenus intendit mini-ſter vnam ſolum conſecrare excludendo intentionem poſitiuè ad aliam, vel eſt tan-tum reſtrictiua, quatenus intendit vnam conſecrare non excludendo poſitiuè aliam; rurſus in ordine ad materiam, vel vna eſt deſignabilis determinatè, quatenus illa cadit ſub oculos, & non alia, vel vtraque æquè primo eſt deſignabilis; rurſus ex ſuppoſitione, quod vtraque æquè primo ſit deſignabilis, vel miniſter vnam ſpe-cialitèr deſignat, vel non; ſecundum has omnes conſiderationes præſens difficultas eſt diluenda.

10 Si miniſter habeat intentionem reſtricti-uam, & excluſiuam ſimul, & vtraque ſit æquè primo deſignabilis, nec aliquam determinatè deſignet, tunc neutra cen-ſenda eſt conſecrata; & in hoc omnes ar-bitror conſentire, & ſignantèr *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 2. §. 6. num. 123.* Ratio eſt, quia in ea hypo-theſi intentio miniſtri eſt vaga, & cum non cadat determinatè ſupra vnam, nec ſupra aliam, & ex alio capite velit vnam ſolam priuatiuè quoad aliam, non videtur maior ratio, quod conſecratio ex intentione mi-niſtri cadat potius ſupra vnam, quam ſupra aliam, & ſic ſupra neutram cadit.

Intentio vnius cū excluſione cuiuſcunque alterius, ſi non deſignet vnam, nil efficit.

Si verò habeat intentionem ſimul reſtricti-uam, & excluſiuam, ſed materia, ſeu vna hoſtia ſaltem per viſum ſit deſignabi-lis, vt ſeparata ab alia, quatenus vna videatur in parte extima ſuperiori reſpi-ciente ipſum miniſtrum, & non alia, quæ ſubtus primam exiſtit, & tunc probabi-lius arbitror, primam, quæ immediatè ſub oculos cadit, & proximius obijcitur ob-tutui conſecrantis, tantum intelligi con-ſecratam. Ratio eſt, quia ſuppoſita de-terminatione ad vnam tantum cum exclu-ſione cuiuſcunque alterius, illa videtur de-terminata; tum ex intentione conſecran-tis, quam ex conditione propria, quæ immediatè cadit ſub oculos, quæque pro-ximior eſt, quandoquidem ipſe præſumi-tur velle illam, quam videt, & proferen-do formam conſecrationis per ly *Hoc* vide-tur deſignare illam, quæ immediatè ob-tutui ſubijcitur, & illud, quod proximiùs eſt, immediatiùs determinat agentem, ergo &c., vndè, ſicuti *Cacheranus loc. cit.*, aſſerit, quod ex pluribus hoſtijs illam con-ſecrat, quam mente deſignat, quando volt vnam tantum conſecrare, ità & ego aſſero, quod illam tantum conſecrat, quam oculo deſignat.

11 Vna apparente alijs non apparentibus illa intelligitur conſecrata.

Si miniſter habeat tantum intentionem ad vnam, & non excluſiuam alterius, tunc arbitrarer, vtramque validè conſecra-re. Ratio eſt, quia licet habeat intentio-nem vnam tantum conſecrandi, cum aliam tamen non excludat, cenſendus eſt in actuali exercitio conſecrationis intende-re conſecrare materiam præſentem, & ſe conformare communi Eccleſiæ intentioni, & licet putet, ſe vnam tantum conſecrare, hoc non officit, quia priuata deceptio non officit debitæ intentioni, cum iſta ſit per ſe volita, illa ſit per accidens, & interpre-tatiuè inuoluntaria. Quod, ſi ſuppoñas, quod licet aliam explicitè non excludat, implicitè tamen velit, niſi vnam, tunc dicendum eſt, propriè illam intentionem eſſe ſimul reſtrictiuam, & excluſiuam, & propterea idem dicendum erit, quod fuit dictum ſupra de intentione explicitè exclu-ſiua, cum parum referat, quod, vel ex-plicitè, vel implicitè excludat. 12

Si non excludat aliā vtraque eſt cōſecrata

Ex occaſione eorum, quæ hic dicta ſunt, ne teneamur alibi diſcutere, quæ pertinent ad materiam præſentem, placet nonnullas alias difficultates proponere, examinare, & diluere. Prima eſt, an, ſi quis intenderet ex vna integra hoſtia me-dietatem tantum conſecrare, validè con-ſecraret. Secunda, an in conſecratione Calicis remaneant conſecratæ guttæ vini Calici adhærentes à reliquo vino ſeiunctæ, & an in conſecratione panis fragmenta hoſtiæ ab eadem hoſtia ſeparata, & dum-taxat contigua, cadant ſub conſecratione? Tertia, an gutta vini Calici conſecrato in-fuſa, & particula non conſecrata com-mixta cum conſecratis, adeo vt nequeat ab illis diſcerni, ſint conſecrabiles? Quarta, an quælibet quantitas materiæ, quantum-uis minima poſſit conſecrari.

In ordine ad primam ingerit maximum dubium conſideratio, quod nunquam vi-deatur poſſe deſignari vltimus terminus medietatis, quæ diceretur conſecrata, nec poſſet firmari intentio in determinata parte vltima, ità vt, quod intra illam eſt, dicatur conſecrata, & quæ extra illam non conſecrata, quod æquè verificari po-teſt in ſententia conſtituente quantitatem componi ex indiuiſibilibus, ſiue in ſenten-tia Ariſtotelica conſtituente in partibus in infinitum diuiſibilibus; ſi enim componatur ex punctis indiuiſibilibus quomodo poterit aſſignari hoc vltimum indiuiſibile partis conſecratæ, quod terminat partem non conſecratam? Si ex partibus in infinitum indiuiſibilibus, cum vnaquæq; pars quan-tumuis minima conſtet infinitis alijs parti-bus ſaltem proportionalibus, quomodo po-terit aſſignari illa vltima pars conſecrata, quæ non participet de parte non conſe-crata?

crata? Cum ergo voluntas nequeat intentionem figere in parte determinata, nec videtur poſſe ſtatuere materiam determinatam requiſitam ad validam conſecrationem. Nec poteſt dici, quod, licet vltimus terminus partis conſecratæ non ſit aſſignabilis à Sacerdote, vel ab alio, ſit tamen à Deo deſignabilis. Non, inquam, poteſt dici, quia materia, antequam conſecretur, debet eſſe à Sacerdote determinata, cum intentio efficax requiſita ad conſecrationem non poſſit eſſe ad quid indeterminatum. Deindè demus, quod illa medie-

13 Poteſt medietas hoſtiæ validè cōſecrari.

tas conſecrata eſſet ſeparanda à medietate non conſecrata; quis poſſet dicere, quod medietati conſecratæ non eſſet admixta aliqua pars minima, vel indiuiſibile non conſecratum, & quod medietati non conſecratæ non eſſet adnexa aliqua minima pars conſecrata? Vt ergo ab his incongruis effugiamus, congruentiùs videtur dicendum, quod ob incertitudinem materiæ nulla pars cenſenda ſit conſecrata. Nihilominus Cacheranus abſolutè ſentit validam fore conſecrationem in medietate deſignata per Sacerdotem, cum ex vna parte non ſit ex neceſſitate Sacramenti, quod tota materia præſens conſecretur, ſed limitari poſſit pars conſecranda ab intentione conſecrantis, ex alia parte videatur facta ſeparatio non ſolum mente, ſed etiam externo ſenſu partis conſecrandæ à non conſecranda. Ad argumentum contrarium reſpondet, non eſſe attenendum vltimum terminum metaphyſicum, aut methamaticum, ſed ſenſibilem, & humanum; quod, ſi poſtea in ſeparatione contingeret, quod parti conſecratæ adiungeretur quid minimum non conſecratum, vel è contra parti non conſecratæ quid minimum conſecratum à ſolo Deo deſignabile, aſſerit hoc non officere legitimæ, ſeu validæ conſecrationi, quia non eſt neceſſe, quod diſtinguatur vltimus terminus metaphyſicus. Retenta hac Cacherani opinione aduerterem, grauitèr peccare Sacerdotem in illa medietate conſecrantem ob periculum, cui ſe exponeret, relinquendi in parte non conſecrata aliquid conſecratum, vel parti conſecratæ aliquod non conſecratum.

14 Guttæ vini extra concauum Calicis nō validè cōſecrantur.

In ordine ad ſecundam conueniunt omnes quoad guttas vini, quod, ſi iſtæ fuerint extra ſuperficiem Calicis concauam, ſeu interiorem in conſecratione Calicis non intelligantur conſecrari, niſi expreſsè intenderet Sacerdos conſecrare quidquid adhæreret Calici etiam in parte exteriori; ratio primæ partis eſt, quia intētio miniſtri etiam iuxtà præſcriptum Eccleſiæ, & communem praxim verſatur, & reſtringitur circa materiam exiſtentem intra Calicem, nec alitèr, nec alio modo, non enim præſumendus eſt Sacerdos in conſecratione velle ſe ſubdere graui noxæ contra communem praxim, & præceptum Eccleſiæ; Ratio ſecundæ partis reſtrictiuæ ex eo deducitur, quod ſuppoſita tali expreſſa intentione, quamuis praua, haberetur quidquid requiritur ad validam conſecrationem etiam in illis guttis extra Calicem; nempè materia apta, præſens, & determinata, inſuper ſufficiens, & directa intentio celebrantis etiam ad illas partes extimas, ſeu extra Calicem, ergo non eſſet, cur non deberent dici validè conſecratæ, nec poſſet obſiſtere illa inordinatio contra præſcriptum Eccleſiæ, & contra communem praxim, quia hæc induceret quidem noxam in conſecrante, non autem inualiditatem conſecrationis, quia eſſent omnia, quæ ex inſtitutione Chriſti requiruntur, licet deeſſet, quæ requiruntur ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ non habet poteſtatem irritandi, quæ valida ſunt ex inſtitutione Chriſti Domini.

15 Exiſtentes intra Calicem ſecundū aliquos non validè conſecrantur.

Loquendo verò de guttis exiſtentibus intra Calicem, & à reliquo vino ſeiunctis *Suarez hic diſp. 43. ſect. 6. §. ſed objicies*, *Reginaldus lib. 29. cap. 2.*, *Gauantus in rub. Miſſalis part. 3. tit. 7. num. 4.*, *Madernus tract. 2. de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 2. art. 4. num. 15.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 2. §. 6. num. 126.*, ſuſtinent regularitèr in conſecratione Calicis illas guttas non remanere conſecratas, ad quod ea potiſſimum ratione mouentur, quia miniſter ſemper præſumitur habere intentionem conſecrandi ſolum id, quod eſt licitè conſecrabile; licitè autem eſt ſolum conſecrabile vinum aqua commixtum, cum hoc ſub graui præcipiatur ab Eccleſia, adeo vt, ſi Sacerdos ante oblationem verbalem oblitus fuerit aquam vino commiſcere, teneatur ex eiuſdem Eccleſiæ præſcripto ante conſecrationem commiſcere; probabile autem eſt, quod illæ guttæ adhærentes Calici intra partem intimam non ſint aqua commixtę. Quod, ſi dicamus, poſſe contingere, quod illæ guttæ fuerint ſeparatæ à vino, poſtquam eidem aqua commixta eſt; tunc reſpondet idem Cacheranus, intelligi illas guttas conſecratas, cum nihil deſit, quominus intentio miniſtri ad eas referatur, cum exiſtant intra Calicem, & non ſolum ſint materia valida, ſed etiam licita; ſubdit tamen, quod cum illa ſeparatio guttarum à reliquo vino conſecrando faciliùs contingat ante mixtionem aquæ, ideò abſolutè habendæ ſint pro non conſecratis.

E contra tamen *Bonacina diſp. 4. quæſt. 2. punct. 5. propoſit. 2. num. 7.*, *Chamerota de Euchariſtia cap. 6. dub. 6.*, *Conincbus, Tole-*

16 Secūdum veritatē conſecrantur. *tus*, *& Rodriquez* apud eundem Bonacinam ſuſtinent illas guttas intelligi conſecratas, quorum opinionem vtpotè probabiliorem libentiùs amplector. Ratio ex eo deducitur primò, quia intentio miniſtri debet eſſe ad quidquid eſt conſecrabile intra Calicem, ſed illæ guttæ, quantumuis ſeparatæ ſunt ſecundum ſe conſecrabiles, vtpotè materia apta; ergo ſupra illas cadit intentio, adeoque validè conſecrantur. Maior probatur, quia, ſicuti determinatiuum intentionis conſecrantis panem, vbi aliud expreſsè per conſecrantem non intenditur, eſt corporale extenſum, a quo vt præſumantur ibi præſentia, & in eodem exiſtentia cadere ſub tali intentione, ità Calix, & in eodem contenta apta conſecrari, vbi aliud expreſsè non ſtatuitur, ſint limitatiua intentionis in conſecratione vini. Ratio deducitur ſecundò, quia, ſi quæ ratio euinceret, quod validè non conſecrarentur, vel eſſet, quia illæ guttæ ſunt ſeparatæ à reliquo vino, vel quia intentio miniſtri non refertur, niſi ad id, quod eſt licitè conſecrabile iuxtà præſcriptum Eccleſiæ, nempè ad vinum aqua commixtum, quod eſt id, quod ſpecialitèr ponderant Aduerſarij, ſed neutra ex his rationibus obeſt, non prima, quia hac ratione, nec fragmenta panis ab hoſtia, vel particulis ſeparata intelligerentur conſecrata, quod tamen, nec Aduerſarij admittunt, immò, nec vna particula ſeparata ab alia conſecraretur; non ſecunda, quia eadem admiſſa, nec validè conſecraretur vinum, cui ex obliuione, vel ex errore non eſſet aqua commixta, quandoquidem iuxta aduerſantium mentem ſemper præſumitur, quod intentio conſecrantis ſolum verſetur circa materiam licitè conſecrabilem, adeoque circa vinum aqua commixtum. Quod, ſi dixeris, diſparem eſſe rationem de vino deſtinato ad conſecrationem per obliuionem, vel errorem non commixto cum aqua, ac de guttis vini Calici adhærentibus, quandoquidem in primo caſu, cum fiat conſecratio, & ſit materia apta, ne conſecratio reddatur inanis, eadem debet ſubſiſtere in illa materia apta; in noſtro autem caſu conſecratio verificaretur in vino aqua commixto in Calice exiſtente, vndè ſuum ſortiretur effectum etiam non conſecratis manentibus illis guttis; ſtatim impugnaberis, quia aduerſarij ſupponant intentionem miniſtri præſumendam eſſe ſemper verſari circa materiam licitè conſecrabilem non alitèr, niſi alitèr expreſsè ſtatuat; ſi ergo validitas, & inualiditas conſecrationis deſumenda eſt ex intentione miniſtri, quæ non eſt, vbi non eſt materia licitè conſecrabilis, abſolutè reddetur inualida conſecratio, vbi non erit talis licita conſecrabilitas, & ſic, ſiue tota materia non ſit licitè conſecrabilis quoad totum, ſiue pars materiæ non ſit talis quoad partem. Tandem in confirmationem noſtræ ſententiæ non eſt curandum, quod exigua pars non ſit aqua commixta, cum moralitèr ſe habeat per modum vnius cum reliquo vino eadem aqua delibuto.

Loquendo verò de fragmentis panis ab hoſtia ſeparatis abſolutè dicendum eſt, intelligi validè conſecrata, & in hoc conſentiunt auctores cōtrariæ ſententiæ quoad guttas vini intra Calicem adhærentes. Ratio ex eo deducitur, quia illa fragmenta ſunt materia apta conſecrationis, & ſufficientèr præſentia, & cum intentio miniſtri, vbi aliud expreſsè non ſtatuitur, intelligatur ferri in materiam aptam ibi præſentem, non eſt, cur in illis fragmentis non debeat ſubſiſtere conſecratio. Ad hoc confirmandum plurimum confert vſus totius Eccleſiæ, ſecundum quem Sacerdotes omnes ante ſumptionem ſanguinis diligentèr fragmenta perquirunt, & tanquam conſecrata ſumunt, quod congruentèr non præſtarent, ſi non eſſent conſecrata, quandoquidem quid non conſecratum ſumerent ante ſpecies ſanguinis conſecratas. 17 Fragmēta panis ab hoſtia ſeparata validè cōſecrantur

In ordine ad tertiam de gutta vini lapſa in vinum conſecratum, & de particula non conſecrata ita commixta cum alijs conſecratis, vt non poſſit ab illis ſecerni, dico, non poſſe intentione abſoluta, & directa ad eaſdem non conſecratas validè conſecrari. In hoc conſentiunt *Cardinalis de Lugo diſp. 4. ſect. 7. num. 136.*, *Arriaga diſp. 10. ſect. 4.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtia Sacramento quæſt. 2. art. 4. nu. 19.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 2. §. 5. n. 129.*, *&* 130., alijque magis communitèr. Ratio ex eo deducitur, quia ad validitatem conſecrationis requiritur materia determinata, & deſignabilis per particulam *Hoc*, *& hic*, & intentio conſecrantis debet eſſe ad eandem materiam determinatam determinatè, ſed illa gutta vini non conſecrati infuſa conſecrato, & illa particula commixta conſecratis quoad cognitionem Sacerdotis non eſt determinata, nec deſignabilis per particulam *Hoc*, *& hic*, ergo intentione abſoluta, & ad ipſas directa non eſt validè conſecrabilis. Confirmatur, quia, ſi Sacerdos decerneret conſecrare vnam partem hoſtiæ ſolummodò, nec illam diſtingueret, & mente ſaltem ſepararet ab alia parte, quam non intenderet conſecrare, non validè conſecraret, quia non haberet materiam determinatam, ſupra quam caderet conſecratio, ergo neque in præſenti hypotheſi validè conſecraret, vel guttam 18 Gutta vini cōmixta vino cōſecrato non eſt conſecrabilis directè.

vini

vini infuſam &c., vel particulam commixtam, quia ipſam ab alijs non diſtingueret.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, Sacerdotem non reſpicere ſolummodò illam guttam vini, vel illam particulam non conſecratam, ſed quodamodo in genere quidquid non eſt conſecratum, vel quidquid eſt conſecrabile, ſub qua generalitate cadit etiam illa gutta, & particula quaſi determinatè, non quidem in ſe, ſed prout continetur in toto, quia totum, quod eſt in hoc Calice, totum quod eſt in hac pixide, eſt determinatè deſignabile; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vel intentio, qua Sacerdos intendit conſecrare quidquid non eſt conſecratum, vel quidquid eſt conſecrabile, eſt abſoluta, vel conditionata; ſi eſt abſoluta; recurrit argumentum in probationem noſtræ ſententiæ adductum, quandoquidem licet intentio exprimatur ſub illa generalitate *Quidquid*, cum tamen ſit abſoluta, non poteſt referri, niſi ad illam guttam, ſeu particulam non conſecratam, quæ, cum non ſit deſignabilis

19 per pronomen *Hoc*, vel *hic*, non poteſt
Non eſt deſigna-bilis per ly *Hic*. eſſe materia proportionata conſecrationi; ſi eſt conditionata; tunc Cacheranus, & Madernus *loc. cit.*, arbitrantur validè fieri conſecrationem illius guttæ, & particulæ non conſecratæ, quia ex vna parte iſtæ intelliguntur ſufficientèr demonſtrari ſimul cum alijs conſecratis per hoc, quod dicatur, *totum, quod eſt in hac pixide, totum, quod eſt in hoc Calice*; ex alia parte aſſerunt non eſſe quid repugnans, quod ſupra materiam conſecratam conditionatè reiteretur conſecratio, & intentio conſecrandi, quoties dubitatur de tota illa materia, an ſit conſecrata, vel de aliqua ipſius parte certo ſcitur non eſſe conſecratam. Sed pace horum virorum; vix eſt perceptibile diſcrimen, quod intercedit inter hanc intentionem abſolutam. *Intendo conſecrare quidquid non eſt conſecratum, aut quidquid eſt conſecrabile*, & hanc aliam, quam aſſerunt conditionatam. *Intendo conſecrare quidquid eſt in hoc Calice, quidquid eſt in hac pixide, ſi eſt aliquid non conſecratum*. Quid enim aliud eſt dicere in hac ſecunda intentione, *ſi eſt aliquid non conſecratum*, niſi dicere. *Quidquid non eſt conſecratum, vel quidquid eſt conſecrabile?* In re certè non differunt, ſed ad ſummum in modo enunciandi; & iſte modus enunciandi conditionatus in re reſoluitur in illum abſolutum. *Quidquid eſt non conſecratum*. Dicere deindè, quod in hoc ſecundo modo conditionato importetur totum, quod eſt in pixide, & in Calice, ſicque in hoc toto demonſtrentur etiam gutta, & particula non conſecratæ ſimul cum alijs, quod totum non importatur per illum modum abſolutum. *Quidquid non eſt conſecratum, vel quidquid eſt conſecrabile*, quia hæc intentio, cum ſit abſoluta dirigit ly *quidquid* ad ſolam guttam, ſeu particulam non conſecratam; non euacuat difficultatem, nec importat diſcrimen in re inter vnum, & alium modum, nam illa conditio, *ſi eſt aliquid non conſecratum*, limitat illud vniuerſale. *Quidquid eſt in hoc calice, vel in hac pixide*, & reſoluit in id, quod non eſt conſecratum. Quamobrem etiam in hoc ſecundo modo enuntiato per conditionem arbitror, non fieri validam conſecrationem.

Si autem inquiras, quid eſſet agendum in illo caſu infuſionis guttæ vini in Calice conſecrato, & commixtionis particulæ non conſecratæ non ſecernibilis ab alijs conſecratis; tunc dicerem, quoad guttam vini Sacerdotem poſſe ſumere vinum conſecratum ſimul cum illa gutta non conſecrata, cui nihil obeſſet hæc non conſecrata, cum in alijs conſecratis verum reciperet Sacramentum ſine vlla dimminutione; quoad particulam verò non conſecratam dicerem, eundem Sacerdotem poſſe omnes conſecratas cum non conſecrata recipere, quod etiam eidem non obeſſet propter eandem rationem, vel diſtribuere, ità tamen, vt vnicuique ſumenti duas conferret particulas, vt omnes reciperent Sacramentum, & ne aliquis priuaretur fructu eiuſdem, nam contingeret, quod, ſi ſingulæ particulæ ſingulis diſtribuerentur, alicui obueniret illa non conſecrata, & ſic fraudaretur fructu ex opere operato, quod non contingeret, ſi ſingulis duæ particulæ diſtribuerentur. Quod, ſi ſupponas, quod multæ particulæ non conſecratæ fuerint alijs, vel vni tantum conſecratis, vel conſecratæ commixtæ, ita vt non poſſent ab inuicem ſecerni; tunc dicerem Sacerdotem ipſum poſſe omnes ſumere, & ſic euitare damnum in ſumentibus, ſi alijs diſtribuerentur.

20 Quid agendum in eo caſu

In ordine ad quartam dico, quamcunque minimam partem panis, & vini poſſe validè conſecrari, dummodò ſit ſenſibilis. Conſentiunt communitèr DD. Scolaſtici, licet diſcrepet quoad partem exceptiuam, *dummodò ſit ſenſibilis, Sotus in 4. diſtinct. 9. quæſt. vnica art. 1.*, volens poſſe conſecrari quamcunque minimam partem panis, & vini, licet non ſit ſenſibilis, ad quem ſenſum Soti etiam aliqui trahunt D. Thomam, dum in *4. diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3.*, dixit *Quantitas parua, vel magna ad conſecrationem nihil facit*; immeritò tamen trahunt, quandoquidem S. Doctor procedit ſemper in ſuppoſitione præſentiæ ſenſibilis. Probatur iam noſtra ſententia,

21 Minima pars ſenſibilis eſt conſecrabilis.

Materia apta conſecrationi eſt ſubſtantia panis, & vini non ſecundum determinatam quantitatem, adeo vt tanta eſſe debeat, vt non poſſit eſſe maior, vel minor, nam talis determinatio, nec habetur ex vi inſtitutionis, nec ex aliquo iure Diuino, nec ex diſpoſitione Eccleſiaſtica, quæ diſpoſitio, quamuis interueniret, poſſet eſſe dumtaxat in ordine ad licitum eſſe, non ad validum; debet tamen eſſe præſens ex inſtitutione Diuina, vt poſſit deſignari per pronomen *Hoc, & hic*, & ſenſibilis, cum ordinetur ad homines, & fieri debeat humano modo, ſed in qualibet minima parte ſaluatur ſubſtantia panis, & vini, & ſupponitur præſentia, & ſenſibilitas ſufficiens, ergo in eadem poterit fieri validè conſecratio.

Dices, ex Chriſti Domini inſtitutione colligi, quamcunque minimam partem non poſſe validè conſecrari, ſeu non eſſe materiam conſecrabilem, quandoquidem Chriſtus Dominus inſtituit Euchariſtiam per modum cibi, & potus; non quodlibet autem modiciſſimum panis, & vini poteſt habere rationem cibi, & potus, &, ſicuti, quia Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Baptiſmatis per modum ablutionis, non ſat eſt quæcunque modiciſſima aqua ad valorem eiuſdem, cum non ſit apta abluere, ita, cum inſtituerit Euchariſtiam per modum cibi, & potus, non ſat erit quæcunque modiciſſima quantitas panis, & vini ad valorem eiuſdem, cum non ſit apta manducari, ſeu habere rationem

22 Ratio cibi non eſt primaria

cibi &c. Sed contra; duplicem effectum in inſtitutione Euchariſtiæ agnoſcimus, alterum primarium, & eſt, vt panis tranſeat in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini, & vinum in Sanguinem, alterum ſecundarium, vt ſcilicet ſe habeat per modum cibi, & potus. Rurſus ſecundum rationem, ſecundum quam Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi, & potus, duplex alius effectus poteſt conſiderari, alter quaſi primarius, & eſt reficere animam per modum alimenti ſpiritualis, alter quaſi ſecundarius per modum ſcilicet cibi corporalitèr ſumptibilis. Quo ſuppoſito; effectus primarius ſiue in ordine ad tranſubſtantiationem, ſiue in ordine ad cibum, ſeu refectionem ſpiritualem ſpecialitèr à Chriſto Domino intentam habetur in quacunque modiciſſima quantitate ſenſibili, & præſenti, nam ſi loquamur de materia apta tranſubſtantiari, cum Chriſtus indiuiſibilitèr exiſtat, in qualibet exigua parte poteſt exiſtere; ſi loquamur de effectu ſpiritualis alimoniæ, & refectionis, etiam in modiciſſima quantitate hic effectus poteſt haberi; quod deindè non habeatur illa corporalis manducatio, non officit, quia hæc eſt effectus ſecundarius, per cuius defectum non tollitur, nec impediri poteſt valida conſecratio. Nec valet paritas de modiciſſima aqua in Sacramento Baptiſmatis, quandoquidem in hoc ablutio tanquam primarius effectus requiritur, ſine quo nullo modo poteſt ſubſiſtere baptiſmus, quæ ablutio non poteſt haberi per illam modiciſſimam aquam, adeoque &c. Deindè, cum eſſentia baptiſmi conſiſtat in actione tranſeunte, debet habere materiam, per quam illa actio haberi poſſit ſecundum modum inſtitutionis, adeoque ablutio, eſſentia verò Euchariſtiæ, cum conſiſtat in re permanente habetur independentèr à ſumptione, & vſu, adeoque &c.

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſicuti poteſt conſecrari quæcunque modica, & minima quantitas, poſſit etiam validè conſecrari quæcunque quantitas magna. Reſpondendum eſt affirmatiuè, dummodò in illa magna quantitate ſaluetur ſufficiens præſentia eiuſdem magnæ quantitatis conſecrandæ. Conſentiunt communitèr, & præcipuè *D. Thomas hic quæſt. 74. art. 2., & in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula tertia, Maſtrius diſp. 3. quæſt. 5. art. 2., Lauræa diſp. 18. art. 6., Madernus tract. 2. de Sacrament. in genere quæſt. 2. art. 4., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 2. §. 7. num. 132., & ſeqq.*, contra *Alenſem quarta parte quæſt. 10. memb. 4. art. 2. §. 6.*, *D. Bonauenturam in quarto diſt. 10. part. 2. art. 1. qu. 4.*, volentes non poſſe validè conſecrari, niſi

23 Quæcũq; magna quantitas poteſt cõſecrari, ſi ſit præſens.

quantitatem accommodam ad vſum fidelium, & item contra *Paludanum in quarto diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 3. concl. 1.*, volentem limitari quantitatem materiæ conſecrandæ ad menſuram virtutis finitæ in Sacerdote conſecrante. Ratio noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, dum de paruitate, & modicitate materiæ, ſcilicet non eſſe inductam limitationem, & determinationem materiæ conſecrabilis, nec ex vi inſtitutionis, nec ex aliquo iure Diuino. Neque ex allegatis rationibus, tum per Alenſem, & D. Bonauenturam, tum per Paludanum, poteſt efficacitèr induci hæc limitatio, ſeu determinatio; nam, ſi loquamur de limitatione in ordine ad vſum accommodum fidelium adſtructa ab Alenſi, & D. Bonauentura, hic vſus eſt effectus omninò ſecundarius extra eſſentiam eiuſdem Euchariſtiæ, cum hæc exiſtat in re permanente independente ab vſu, qui eſt quid conſequens; ſi verò loquamur de limitatione ad menſuram virtutis finitæ in conſecrante, quod eſt id, quod adſtruit Paludanus, hoc nihil officit, quandoquidem, cum Sacerdos operetur obedientialitèr, &

vt

vt inſtrumentum Dei, ſub quo reſpectu virtus eius eſt illimitata, & potens quamcunque materiam tranſubſtantiare. Fateor tamen peccaturum Sacerdotem, qui in tanta quantitate conſecraret, vt impar omninò videretur vſui fidelium, verb. gr. ſi conſecraret totum panem, qui in foro venditur, vel tantum, qui vix poſſet à fidelibus intra diutinum tempus abſumi, niſi cum immoderantia, & modica reuerentia; hoc enim cederet in iniuriam Sacramenti, vel exponeretur ipſa materia periculo corruptionis extra caſum congruæ ſumptionis.

24 Nō valet paritas de aqua baptiſmi.

Quod, ſi vlteriùs contra ſententiam noſtram vrgeas deſumpta paritate ab aqua baptiſmatis, quæ, ſi fuerit in maxima quantitate, non tota ſanctificatur, ſed ea dumtaxat, quæ venit in vſum eiuſdem baptiſmatis, ergo etiam in Sacramento Euchariſtiæ ea tantum materia debet validè ſanctificari, quæ vſui fidelium poteſt deſeruire, vndè, ſi ita magna conſecretur, vt tali vſui ſuperfluat, non ſolum illicitè, ſed etiam inualidè conſecrabitur; ſtatim etiam impugnaberis, nam diſpar omninò eſt ratio de aqua in ordine ad Sacramentum Baptiſmatis, ac de materia panis, & vini in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ, quandoquidem Sacramentum Baptiſmatis conſiſtit in vſu, & ablutione tanquam eſſentia, cum ſolummodò in actione tranſeunte perficiatur; adeoq; ea ſola aqua ſanctificatur, quæ venit in vſu ablutionis; Sacramentum autem Euchariſtiæ non ſumptione, ſed conſecratione perficitur, & conſiſtit etiam independentèr ab vſu in re permanente, adeoque mirum non eſt, quod ſubſiſtat in magna quantitate, etiam ſi vſui ſuperfluat.

25 Qualis pręſentia requiratur.

Ex eo autem, quod dixerimus, materiam panis, & vini, &ſi in magna quantitate, debere eſſe præſentem conſecranti præſentia ſenſibili, remanet modo explicandum, qualis debeat eſſe hæc præſentia, & qualis hæc ſenſibilitas, an ſcilicet debeat eſſe præſentia ſecundum omnes, & ſingulas partes eiuſdem materiæ conſecrandæ, an verò ſufficiat præſentia ſecundum aliquas partes cum cōtinuatione aliarum partium diſſitarum; item, an debeat eſſe ſenſibilis quoad viſum, an verò ſufficiat ſenſibilitas ex auditu? Breuitèr ad hæc omnia reſpondeo conſiderans, an illa materia magna conſecranda ſit intra ſphæram propinquitatis, ac ſenſibilitatis requiſitæ ad conſecrationem ſecundum omnes ſui partes, an verò ſolūmodò intra talem ſphæram quoad aliquas partes, & non quoad omnes; Si omnes ſint intra ſphæram propinquitatis, & ſenſibilitatis, & intentio miniſtri feratur ad illas omnes, ſentio omnes validè conſecrari, quamuis omnes actu à miniſtro non videantur, nec ſenſu percipiantur; ſi verò aliquæ tantum ſint intra talem ſphæram, & non aliæ, tunc, quæ ſunt extra talem ſphæram, non validè conſecrantur, quantumuis hæ ſint coniunctæ cum exiſtentibus intra illam ſphæram, & quamuis actu ſenſu percipiantur. In hanc reſponſionem quoad omnia propendet *Cacheranus d. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 2. §. 7. n.* 144. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia tota illa materia eſt conſecrabilis, tum ratione ſui, cum ratione præſentiæ ſecundum ſe ſenſibilis; ratione ſui, quia eſt ſubſtantia panis, & vini, quæ ex vi inſtitutionis non eſt limitata ad determinatam quātitatem, vt ſupra, ratione præſentiæ ſenſibilis, quia hæc ſupponitur, cum materia ſit intra ſphæram propinquitatis &c. Neque obeſſe poteſt, quod aliquæ partes actu ſenſu non percipiantur, quia, quando exiſtunt intra ſphæram, verè ſunt ſecundum ſe ſenſibiles, & per accidens eſt, quod actu non ſentiantur, & non eſt de neceſſitate, quod actu ſenſibus percipiantur, ſecus inualidæ eſſent conſecrationes, quæ fierent à cæco, materiæ præſentis, quæque ab ipſo non tangeretur. Cæterum, ſicuti illę partes exiſtentes intra ſphæram poſſunt ſentiri immediatè in ſe ipſis, ità poſſunt ſentiri mediatè in alijs. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ex eo, quod ſint extra ſphæram propinquitatis, non poſſunt dici præſentes præſentia ſufficienti, nec officit illa coniunctio, quia hæc non tollit diſtantiam, nec efficit, quod ſint intra ſphæram &c. Quod, ſi dicas, quod, quantumuis ſint diſtantes, & extra ſphæram, nihilominus non ſolum ſint ſenſibiles, ſed etiam viſu percipiantur; ſtatim impugnaberis, quia non ſufficit ad validam conſecrationem ſenſibilitas quomodocunque, ſed requiritur ſenſibilitas intra ſphæram; cæteroqui, ſi materia per milliare diſtans, vel oculo perſpicaci, vel ope teleſcópij poſſet videri, poſſet in tali diſtantia conſecrari, quod nemo dicet.

Sed, ſi hic inquiras, qualis propinquitas requiratur, vt materia poſſit dici eſſe intra ſphæram, & qualis diſtantia, vt poſſit dici eſſe extra ſphæram; tunc reſpondebo cum *Suarez diſp. 45. ſect. 5., Henriquez lib. 8. cap. 14., Valentia tom. 4. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 3., Soto in quarto diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 2., Vaſquez part. 3. diſp. 71. cap. 4.*, tunc materiam dici propinquam, vt ſit intra talem ſphæram, quando ità eſt præſens conſecranti, vt ſecundum communem modum loquendi, poſſit verè, & propriè deſignari, & demonſtrari per pronomen *Hoc*, & *hic*, & tunc

26 Propinquitas quænam.

tunc diſtantiam eſſe talem, vt materia dicatur eſſe extra ſphæram, quando non poſſit per illa pronomina deſignari. Ratio in vniuerſum deducitur ex inſtitutione Chriſti Domini, qui talem formam præſcripſit; forma autem intelligenda eſt ſecundum propriam verborum ſignificationem; ſignificatio verò propria horum pronominum *Hoc*, & *hic* eſt, vt ſecundum communem modum loquendi res ita ſit præſens, vt de illa verificetur pronomen *hoc*, non illud, quod ex genere ſuo inuoluit diſtantiam rei. Sed adhuc reſtat explicandum qualis præſentia requiratur, vt poſſit verificari pronomen *hoc*, vel *hic*. Aliqui dixerunt, requiri, vt ſonus verborum attingat materiam conſecrandam; ſed his libentèr non adhæreo, ſicuti, nec adhærent *Henriquez lib. 8. cap. 14., Filliutius tract. 4. cap. 3. quæſt. 3.*, ea potiſſimum ratione, quia poteſt eſſe præſentia ſufficiens, etiam ſi ſonus vocis ad rem illam præſentem non perueniat, & diſtantia non ſufficiens, quamuis ſonus vocis perueniat; vt ſi in primo caſu res diſtaret per duos duntaxat paſſus, & vox eſſet tenuis, vt ad illos non extenderetur, & in ſecundo, ſi res diſtaret per centum paſſus, & vltra, & vox ita eſſet elata cum clamore, vt illam attingeret. Melius, & congruentiùs crederem, hanc præſentiam ſufficientem ratione propinquitatis, & abſentiam non ſufficientem ratione diſtantiæ taxandam eſſe prudentum iudicio.

27 Non eſt neceſſe, quod ſonus verborum attingat materiã.

28 Vinum in dolio incluſum eſt ſatis præſens.

Ex eo autem, quod diximus, rem ità debere eſſe præſentem, vt poſſit deſignari per pronomen *Hoc*, & *hic*, multa deducuntur pro deciſione multorum caſuum, valdè accommoda; & primò quoad caſus, in quibus eſt, ſeu eſſe poteſt materia ſufficientèr præſens, infero, quod, ſi vinum fuerit in Calice cooperto, vel in dolio incluſum, & hoſtiæ in pixide contentæ, aut latentes ſub alijs hoſtijs, aut ſub mappa, modo ſint coram Sacerdote, ſint ſufficientèr præſentes, vt validè poſſint conſecrari, quandoquidem poſſunt deſignari per particulam *Hoc*, vel *hic*; nec eſt neceſſe, quod actu videantur; & ſicuti de vino incluſo in dolio benè dicitur, hoc vinum eſt optimum, de pecunia incluſa in ſacculo. Hæc pecunia eſt mea, de hoſtia in pixide incluſa, hæc eſt triticea, ità non eſt, cur dici non poſſit de vino, & hoſtia incluſa. *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus.* In hanc illationem conſentiunt *Suarez diſp. 45. ſect. 5., Henriquez lib. 8. cap. 14., Bartholomæus ab Angelo Dialog. 4. §. 334.* Secundò eſſe ſufficientèr præſentem hoſtiam à tergo Sacerdotis exiſtentem, ſi illam manibus teneat, ſecus ſi illam præ manibus non habeat. Ratio quoad primam partem eſt, quia dum exiſtit præ manibus Sacerdotis, de illa poteſt verificari pronomen *hoc*; quoad ſecundam verò, nec ex genere ſuo, nec ex aliquo ſenſu per illud pronomen poteſt deſignari, niſi Sacerdos faciem, & oculos ad illam reuoluat. In hanc quoque illationem conſentiunt idem *Suarez, qui ſupra, Valentia tom. 4. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 3.*

29 Hoſtia in tabernaculo incluſa non eſt ſufficientèr præſens.

Ex aduerſo non intelligitur ſufficientèr præſens hoſtia exiſtens poſt parietem, vel in tabernaculo; non enim poteſt dici. *Hæc hoſtia, ſed illa.* Ità *Suarez, Valentia, Filliutius loc. cit.*, nec item hoſtia diſtans triginta paſſibus propter eandem rationem, cum dici nequeat *Hæc*, ſed potius *illa*; ſed quid dicendum erit, ſi diſtet ſolum viginti paſſibus, res eſt ſub diſſidio. Affirmant *Henriquez lib. 8. cap. 14. num. 2., Summa Corona num. 26. ad finem.* Negat *Bonacina de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. 2. puncto 6. num. 11.*

30 Materia infinita, ſi ſit præſens, eſt conſecrabilis.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, conſtat materiam Euchariſtiæ non habere, quantum eſt de ſe, terminum verſus magnitudinem, ſeu maximum, quod ſic, limitari tamen ratione præſentiæ; vndè, ſi per Diuinam potentiam in eodem loco præſenti conſtitueretur infinita quantitas panis, vel vini compenetrata, non eſſet, cur non eſſet validè à Sacerdote conſecrabilis, cum eſſet materia apta, & præſentia ſufficiens. Sed, an habeat terminum verſus paruitatem, ſeu minimum, quod ſic, infrà quod non poſſit validè fieri conſecratio; reſolutio dependet à quæſtione phyloſophica, an quantitas componatur ex indiuiſibilibus finitis, an verò ex partibus in infinitum diuiſibilibus; ſed, cum hoc potius ad ſpeculationem, quam ad praxim pertineat, ideò in eius diſſolutione non immoror. Hoc vnum pro re præſenti ſtatuo, ratione ſcilicet ſenſibilitatis poſſe reſtringi, adeo vt, ſi minima illa quantitas ſit ſenſibilis, poſſit validè conſecrari, ſi verò talis ſit, vt non ſit humano modo ſenſibilis, non ſit conſecrabilis.

Dubitatur tertiò quoad intentionem miniſtri, an, ſi incæperit conſecrationem ſine vlla prorſus intentione, ſed poſtea in proſecutione intentionem habuerit, validè confecerit ſacrificium?

31 Cõſecratio incæpta ſine intentione nõ reualidatur per ſubſequentẽ intentionem.

Reſpondeo, ſi incæperit verba eſſentialia ſine debita intentione, & deindè poſita intentione illis non repetitis formam perfecerit, non validè ſacrificium confeciſſe. Conſentiunt *Sairus lib. 2. cap. 4. quæſt. 5., Chamerota de Sacrament. cap. 1. dub. 7., Madernus lib. 2. de Sacrament. in communi quæſt. 5. art. 6. num. 6., Bonacina de Sacram. in genere diſp. 1. quæſt. 3. §. 3. propoſit. 4. num. 14.* Ratio ex eo deducitur, quod, ſi

Sacerdos omiſſis primis verbis eſſentialibus reliquum formæ ſupra materiam proferret, etiam cum debita intentione, nihil efficeret, ergo etiam, ſi ſine debita intentione aliqua verba formæ protulerit, & deindè poſita intentione reliquum formæ protulerit non repetitis verbis eſſentialibus præmiſſis ante intentionem nihil efficiet, nec validum conſtituet ſacrificium, nec Sacramentum. Antecedens à nemine reuocatur in dubium. Conſequentia probatur, quia, quod prima verba eſſentialia fuerint omiſſa, vel, quod fuerint prolata ſint intentione, quoad effectum conficiendi ſacrificium ſibi æquiualent, quandoquidem verba efficaciam non habent ſine intentione. Confirmatur, quia intentio habet determinare verba ad ſignificationem Sacramentalem, ſine qua non poteſt ſubſiſtere, nec Sacramentum, nec ſacrificium, ſed quando intentio non eſt cum omnibus verbis eſſentialibus, non poteſt eſſe ſignificatio Sacramentalis, ergo &c.

32 Secus, ſi non ſit incæpta quoad eſſentialia. Dixi, *ſi incæperit verba eſſentialia*, quod ſignantèr dixerim pro forma Sacramentali Baptiſmatis, & Pænitentiæ, in quibus ſecundum regularẽ morem Eccleſiæ dicitur: *Ego te baptizo, ego te abſoluo*; ſi etenim pronuntiato ly *ego* ſine vlla intentione, & immediatè ante prolationem aliorum verborum excitata debita intentione eadem protulerit, certum eſt, quod validè baptizauerit, & abſoluerit, cum intentio caderet ſupra totum formam eſſentialem; ly etenim *ego* non eſt de eſſentia formæ, cum implicitè contineatur in illo verbo concepto in perſona prima *baptizo*, & *abſoluo*.

Dubitatur quartò; an intentio conficiendi ſacrificium ad aliquem prauum finem inualidet ipſum ſacrificium. Senſus huius dubitationis hic eſt, an, ſi Sacerdos conſecraret adhibita debita materia, & forma, & intentione conficiendi ſacrificium, ſed ad effectum, & finem, vt materia conſecrata vteretur ad conficiendum ſortiligium, validum cõficeret ſacrificium, & Sacramentum, an verò inualidum ex illa praua intentione.

33 Prauitas finis non vitiat. Reſpondeo, ex illa praua intentione, ſi fuerint adhibita alia eſſentialitèr requiſita, non inualidari ſacrificium, nec Sacramentum *Cabrera quæſt. 64. art. 8. num. 62., Madernus de Sacrament. in communi qu. 5. art. 6. nu. 17.*, & in hoc conueniunt communitèr. Ratio ex eo deducitur, quia poſitis omnibus eſſentialibus requiſitis ad ſacrificium non eſt, cur non debeat validum reſultare ſacrificium, etiam ſi interueniat alia praua intentio in ſacrificante, quandoquidem hæc praua intentio eſt ſecundaria, & ordinata ad effectum extrinſecum, nec poteſt inualidare eſſentialia, ergo, nec ipſum ſacrificium, quod eſſentialitèr debet reſultare ex requiſitis eſſentialibus appoſitis. Confirmatur ex prauitate miniſtri etiam ab Eccleſia ſegregati, & hæretici non reſultat inualiditas ſacrificij; quando omnia eſſentialia ſunt poſita, ergo neque ex prauitate intentionis eiuſdem. Conſequentia probatur, quia non minus eſt extrinſeca ſacrificio improbitas miniſtri, ac ſit peruerſitas intentionis eiuſdem.

Hoc tamen vnum hic aduerterem, quod, quamuis ſacrificans cum illa praua intentione validum conficeret ſacrificium, illicitum tamen conſtitueret, & grauitèr peccaret, & quidem duplici titulo ſacrilegij, & quatenus actionem iniquam ſacrificio adiungeret, & quatenus rem conſecratam ordinaret ad malefica, & ſi ſortilegium ordinaret ad alium turpem finem, puta ad excitandam fæminam ad mæchandum, aliam noxam contraheret luxuriæ &c. 34 Reddit tamen illicitum.

Dubitatur quintò; an pro applicatione fructus ſacrificij ità requiratur intentio virtualis in miniſtro applicante, ſicuti pro oblatione, & confectione eiuſdem ſacrificij requiritur in miniſtro offerente, & conficiente?

Reſpondeo, in miniſtro pro applicatione ſacrificij non eſſe neceſſariam intentionem actualem, ſeu virtualem, ſed ſufficere habitualem, præteritam ſcilicet non retractatam. Conſentiunt *Suarez diſp. 13. ſect. 3. §. dico ſecundo, Lugus diſp. 8. ſect. 6. num. 93., Bonacina de Sacrament. in genere diſp. 1. qu. 3. punct. 2. §. 3. n. 11., Maſtrius diſp. 1. quæſt. 7. art. 2. n. 286., Mddernus tract. 2. de Sacram. in communi quæſt. 5. art. 5. n. 6., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrific. cap. 4. §. 2. num. 30.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi applicatio non reſpicit eſſentiam ſacrificij, ſed collationem fructus, ergo non maior intentio requiritur ad eandem applicationem, ac ad collationem, ſeu receptionem fructus, ſeu gratiæ; ſed ad receptionem fructus, ſeu gratiæ non requiritur intentio actualis, nec virtualis, ſed ſufficit habitualis, ergo etiam ad applicationem. Confirmatur, quia non militat eadem ratio de intentione quoad confectionem ſacrificij, & de eadem quoad applicationem fructus, quandoquidem intentio quoad confectionem cõcurrit phyſicè, & cauſatiuè, intentio vero quoad applicationem non concurrit phyſicè cauſando, ſed merè applicando; maior autem intentio requiritur ad phyſicè per ſe cauſandum, ac requiratur ſolummodò ad applicandum cauſatum, ſeu quod aliundè cauſatur. 35 Pro applicatione ſacrificij non requiritur intẽtio actualis.

Hinc deduces, quod, ſi Sacerdos externa die abſolutè dixerit ſacrificium, quod die ſe-

36 ſequenti conficiam, intendo applicare pro Caio, valida ſit applicatio, quantumuis illa intentio ſit præterita, & interrupta per ſomnum, aliaſque occupationes diſparatas, dummodò non fuerit retractata, cum verè perſeueret intentio habitualis. Intellige tamen, ſi illa prior intentio externa die habita fuerit abſoluta, non autem, ſi habuit merum deſiderium applicandi, quia deſiderium applicandi non eſt vera applicatio.

Illatio ex mox dictis.

Neque dicas aduerſus reſponſionem, applicare ſacrificium nihil aliud eſſe, quam offerre, & conficere ſacrificium pro aliquo, ſed ad conficiendum, & offerendum non ſufficit intentio merè habitualis, ergo neque ad applicandum. Hæc conſequentia probatur, quia non videtur maior intentio requiri ad conficiendum opus cum relatione ad determinatam perſonam, ac requiratur ad conficiendum opus ſimplicitèr, & abſolutè. Rurſus ad applicandum validè fructum ſacrificij requiratur intentio, ſecundum quam operetur, vt miniſter Chriſti Domini; non operatur autem in Miſſa ſimplicitèr, & propriè, vt Chriſti miniſter, niſi dum exercet actionem, in qua conſiſtit eſſentia ſacrificij, ad hoc autem requiritur intentio, ſiue actualis, ſiue virtualis, ergo &c. Si inquam, hæc di-

37 cas; ſtatim impugnaberis; nam offerre ſimplicitèr eſt quid diuerſum ab offerre determinatè pro aliqua perſona, ſeu in vtilitatem eiuſdem; primum dicit oblationem, ſeu confectionem ſacrificij in recognitionem ſupremi dominij Dei; ſecundum importat ſacrificium iam cauſatum, & tanquam quid ſaltem virtualitèr præcedens referri ad vtilitatem eius, pro quo applicatur; ad conficiendum autem requiritur actio phyſicè cauſatiua, adeoque intentio efficax, quæ non poteſt eſſe, niſi actualis, vel virtualis; ad cauſatum autem alteri applicandum ſufficit intentio concomitans, adeoque habitualis. Ad id, quod ſubditur, dico in ſacrificio Miſſæ Sacerdotem duplicitèr ſe gerere, vt miniſtrum Chriſti Domini; primò, vt agens merè in perſona Chriſti, & quaſi loquens, vt Chriſtus, ſub qua ratione operatur ſolum in conſecratione, in qua concipit verba in perſona eiuſdem; ſecundò, vt eſt inſtitutus à Chriſto Domino, & operans non directè, vt perſona Chriſti, ſed ſecundum poteſtatem ab eodem acceptam; atque hoc modo ſe agit in omni alio ſui ordinis actu, & præcipuè in fructus Euchariſtiæ applicatione, eiuſdemque diſpenſatione; in miniſterio primo modo ſumpto neceſſaria eſt intentio ſaltem virtualis, non ſic in miniſterio ſumpto ſecundo modo propter rationes ſuperius adductas.

Côficere, & applicare ſunt diuerſa.

Dubitatur ſextò; an, ſi deficiat debita, & requiſita intentio in miniſtro in confectione ſacrificij, vel aliorum Sacramentorum, Deus ſuppleat talem defectum.

Procedit hæc dubitatio præcisè in ſuppoſitione, qua miniſter ſupponat habere debitam intentionem, quam re vera non habeat, eo modo, quo quis accederet ad Sacramentum Pænitentiæ exiſtimans ſe verè attritum, cum tamen talis non ſit; ſi enim ſupponamus, quod miniſter certè ſciat, ſe non habere ſufficientem intentionem, & nihilominus ſacrificet, non eſt præſumendum, quod Deus ſuppleat talem patentem, & inexcuſabilem defectum.

Reſpondeo; probabilius Deum non ſupplere talem defectum, ita vt validum fiat ſacrificium, ſeu Sacramentum. Hæc reſponſio, quamuis communis, videtur habere contrarios *Silueſtrum verb. Baptiſmus tertio nu. 12., Paludanum in quarto diſt. 6. quæſt. 2. art. 3., D. Antoninum tertia part. tit. 14. cap. 13. §. 10.* Ratio ex eo deſumitur, quod Concilium Florentinum in decret. vnionis, & Tridentinum *ſeſs. 7. c. 11.* expreſsè ſtatuunt ad conficiendum ſacrificium, ſeu Sacramentum indiuiſibilitèr requiri materiam, formam, & intentionem miniſtri, ſed, ſi deficiat materia, vel forma, nullus eſt, qui aſſerat Deum ſupplere, vt fiat ſacrificium, vel Sacramentum, ergo, ſi deficiat intentio æquè requiſita ad valorem eorundem, nec Deus ſupplebit &c. 38

Deus non ſupplet defectum intentionis.

Dixi, *vt validum fiat ſacrificium*. Sed, an Deus, quantumuis non ſuppleat, vt fiat verum ſacrificium, vel Sacramentum, ſua tamen miſericordia, & ineffabili prouidentia efficiat, vt conferatur effectus ſacrificij, vel Sacramenti. *Madernus tract. 2. de ſacrament. in communi quæſt. 5. art. 6. num. 20.*, loquens ſpecialitèr de baptiſmo aſſerit, Chriſtum non ſupplere defectum intentionis miniſtri conferendo gratiam infantibus ex illa regula generali Ioannis. 3. *Niſi quis renatus ſit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt &c.* Quinimmò loquens de adultis aſſerit etiam, quod, quamuis accedentes ad baptiſmum cum vera, & reali contritione conſequantur gratiam, ſi tamen ille baptiſmus non ſit cum debita intentione miniſtri, non conſequantur illam, vt Sacramentalem, nec recipiant caractherem. Quod, ſi hæc verificantur in baptiſmate neceſſariò ad ſalutem, à fortiori debent verificari in ordine ad alia Sacramenta non ità neceſſaria; probabilius etenim eſt, quod Deus ſuppleat ex ſua benignitate neceſſaria, potius quam non neceſſaria, &, ſi non ſupplet quoad neceſſaria, quomodo poſſumus præſumere ſupplementum pro non neceſſarijs? 39

An ſaltē conferat gratiam.

Du-

40 Dubitatur ſeptimò; an ſacrificans cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non tamen Eccleſia Romana, verè, & validè ſacrificet. *D. Antoninus tertia parte tit. 14. cap. 13. §. 10.*, dicit, non requiri, quod ſit intentio id faciendi, quod facit Eccleſia Romana, aut iſta, aut illa, ſed, quod ordinauit Chriſtus Dominus, & facit Eccleſia Catholica, quæcunque illa ſit; vndè, ſicuti nos intendimus facere, quod facit Eccleſia noſtra, & non alia, ità intendant facere hæretici, quod facit illorum Eccleſia, & non alia; Eccleſia autem illorum eſt Sinagoga Satanæ, & tamen nos non rebaptizamus ab eis baptizatos, quia intendunt facere, quod Chriſtus inſtituit. Hæc ferè ad verbum idem *D. Antoninus loc. cit.*

Intentio relata ad inſtitutionem Chriſti valida eſt

In toto hoc ratiocinio adhæreo D. Antonino, qui loquitur in terminis baptiſmi collati cum recenſita intentione faciendi, non quod facit Eccleſia Romana, ſed, quod ordinauit fieri Chriſtus Dominus, aut Eccleſia vera quæcunque illa ſit, quod etiam arbitror verificari in ordine ad ſacrificium Miſſæ, ſi fiat à Sacerdote verè, & legitimè ordinato, & cum intentione faciendi, quod Chriſtus inſtituit.

41 Sed quid erit dicendum, ſi miniſter intendat facere, quod faciunt Caluiniſtæ, non quod facit Eccleſia Romana credens Romanam eſſe veram Eccleſiam, Caluiniſticam verò falſam. In hac hypotheſi *Bonacina de Sacrament. in genere diſp. 1. qu. 3. punct. 2. §. 3. num. 9.*, loquens in terminis baptiſmi aſſerit, non verè baptizare, cùm non intendat facere, quod facit vera Eccleſia, ſed eam excludat, quod à fortiori debet dicere de miniſtro cum tali intentione ſacrificante, atque pro hac ſua ſententia allegat *Suarez diſp. 13. ſect. 2.*, *Sairum lib. 1. c. 4.*, *Bellarminum lib. 5. de Sacram. cap. 27.*, *Bartholomæum ab Angelo Dial. 1. §. 20.*, *Filliutium tract. 1. cap. 5. quæſt. 3. num. 73.*, *Reginaldum lib. 26. num. 40.*

Quid, ſi intendat facere, quod facit alia Eccleſia.

Aduerſus hanc opinionem videtur militare, quod Eccleſia Catholica, ſeu Catholici, quantumuis certò norint, & credant Eccleſiam Caluiniſticam eſſe falſam, & Sinagogam Satanæ, tamen non reprobant baptiſmum, & ſacrificium à Caluiniſtis iuxtà intentionem ſuæ Eccleſiæ collatum, & confectum, tanquam inualidum, ergo neque, vt inualidum debent reprobare baptiſmum, & ſacrificium à ſe ipſis collatum, & confectum iuxtà intentionem Eccleſiæ Caluiniſticæ; ſi enim intentio Caluiniſtarum iuxtà normam ſuæ Eccleſiæ, quantumuis falſæ, non irritat, nec videtur intentio Catholicorum relata ad intentionem Eccleſiæ Caluiniſticæ, quam falſam norunt, irritare. Ratio autem fundamentalis huius ratiocinij videtur in eo conſiſtere, quia, quamuis Eccleſia Catholica falſam credat Caluiniſticam, & Caluiniſtica Catholicam falſam, quia tamen vtraque credit Chriſtum Dominum eſſe Sacramentorum Authorem, & inſtitutorem, vtraque debet intendere id efficere, quod Chriſtus inſtituit, vndè licet inter ſe diſcrepent in alijs, vtraque tamen intendit in ſua intentione ſe conformare inſtitutioni Chriſti, quod ſatis eſt ad validitatem Sacramenti; vndè, licet Catholicus intendat facere, quod facit Eccleſia Caluiniſtica, quam falſam credit, quia tamen Caluiniſtica intendit facere, quod Chriſtus inſtituit, & ipſe Catholicus videtur velle, quod Chriſtus inſtituit, adeoque validè conficere. Quid iam in hac controuerſia ſentiendum? Mihi magnam vim facit præſens ratiocinium, in cuius confirmationem addo, quod licet in tali intentione faciendi, quod facit Eccleſia Caluiniſtica ſcientificè errat cognoſcens falſitatem talis Eccleſiæ, non errat tamen in intentione generali id efficiendi, quod Chriſtus inſtituit, & ipſius priuatus error cum ſcientia corrigitur per conformitatem ad Chriſti ordinationem, & intentionem. In hoc tamen Sacroſanctæ Eccleſiæ iudicio, & cenſuræ me remitto, præcipuè cum allegati DD. contrarium ſentientes non modicum roboris conferant ſententiæ oppoſitæ.

ARTICVLVS V.

Exploduntur nonnulla quoad applicationem Sacrificij.

SVMMARIVM.

Applicatio facta à ſubdito contra voluntatem ſuperioris tenet remiſſiuè. 1.
Etiam facta contra iuſtitiam. 2.
Non licet anticipata celebratio, & applicatio pro eo, qui primò oblaturus eſt ſtipendium. 3.
An ſit valida variæ opiniones. 4.
Refertur opinio Cacherani. 5.
Abſolutè eſt inualida. 6.
Applicatio facta poſt peractum ſacrificium non tenet. 7.
Fructus illius ſacrificij non eſt transferibilis à Sacerdote in alium. 8.
Non reuiuiſcit Sacramentum in fauorem eius, cui poſtea applicatur. 9.
Probabilius tenetur quilibet ſacrificans offerre pro tota Eccleſia. 10.
Deducitur ex Canone Miſſæ. 11.
Etiam ex Eccleſiæ praxi, & communi DD. conſenſu. 12.
Satisfit obiecto Suarez. 13.

Fructus ſpecialiſſimus non eſt applicabilis alteri à Sacerdote. 14.
Etiam, ſi Sacerdos eodem non indigeat. 15.
Nec Sacerdos poteſt pro illo aliud ſtipendium accipere. 16.
Alij offerentes minus principales nequeunt fructum ſuum alijs applicare. 17.
Applicatio poteſt eſſe relata ad intentionem alterius. 18.
Explicatur cum diſtinctione, quomodo hoc poſſit eſſe. 19.
Sacrificium nulli ſimpliciter applicatum ponitur in theſauro Eccleſiæ. 20.
Quando pro nullo applicauit, præſumitur pro ſe ipſo applicaſſe. 21.

1 Facta à ſubdito inuito ſuperiore tenet remiſſiuè.

PLura de hac applicatione in præcedentibus examinauimus, & ſignantèr, an valida ſit applicatio facta a Sacerdote ſubdito contra voluntatem expreſſam ſuperioris, vbi, quod, ſi pro vno fuerit à Sacerdote applicatum, & à ſuperiore pro altero, ſubſiſtat applicatio Sacerdotis celebrantis, non illa ſuperioris; item, an requiratur pro tali applicatione intentio miniſtri, vel actualis, vel virtualis, an verò ſufficiat merè habitualis non retractata.

Modo nonnulla veniunt examinanda, quæ ad rem præſentem plurimum poſſunt conferre, & maxime accommoda ſunt præſenti inſtituto.

2 Etiam facta contra iuſtitiam.

Primum eſt, an valida ſit applicatio à Sacerdote celebrante facta cōtra iuſtitiam, Religionem, aliamque virtutem. Senſus huius difficultatis in hoc conſiſtit, an, ſi Sacerdos ratione accepti ſtipendij ex iuſtitia, vel ratione voti ex Religione teneatur ſacrificium pro Paulo applicare, & applicet actu, & expreſsè pro Andrea, validè applicet, an irrita cenſenda ſit applicatio. Sentiendum eſt, validam eſſe applicationem ſic à Sacerdote factam. Conſentit *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 4. §. 2. num. 38., & ſeqq., Ledeſma part. 2. quæſt. 16. art. 14.* Ratio ex eo deſumitur, quia collatio fructus ſacrificij dependet ab actuali applicatione, non à debito, ſeu ab obligatione applicandi, ſicuti extinctio debiti prouenit ab actuali ſolutione, non ab obligatione ſoluendi, ſed actualis applicatio eſt pro Andræa, non pro Paulo, quamuis pro hoc ſit debitum, vel ex iuſtitia, vel ex Religione, ergo eidem Andreæ proderit, non Paulo. Confirmatur primo, quia ad validam applicationem requiritur intentio ſaltem habitualis, quæ non ſit retractata; ſed pro Paulo, vel nulla fuit intentio, quamuis præceſſerit debitum, vel iuſtitiæ, vel Religionis, vel, ſi fuit pro tempore contractæ obligationis, intelligitur retractata per ſubſequentem intentionem actualem applicandi pro Andræa, ergo &c. Neque dicas, quod illud debitum applicandi æquiualeat actuali applicationi, vndè alibi diximus, aliquid eſſe actu, & eſſe debitum paria eſſe per textum *in l. qui cum alio vbi Decius in fin., ff. de reg. iur.*; contra enim impugnaberis, quia fallit hæc regula in ijs, quorum eſſe dependet ab exercitio voluntatis, & in quibus ex diſpoſitione inſtituentis requiritur voluntas non quomodocunque, ſed in actu. Confirmatur ſecundo, quia applicatio facta per Sacerdotem ſubditum ſacrificantem contra obedientiam, & contra voluntatem ſuperioris tenet in fauorem eius, cui applicatur per ea, quæ latè ſuprà probata ſunt, ergo à fortiori tenebit, ſi facta fuerit contra iuſtitiam, & Religionem. Conſequentia probatur, quia fortiorem vim habet obedientia, ſeu voluntas ſuperioris ad irritandam voluntatem ſubditi, quam debitum, ſeu obligatio iuſtitiæ, & Religionis, ergo &c.

3 Anticipata applicatio pro eo, qui primo oblaturus eſt ſtipendium nō licet.

Secundum eſt, an valida, & licita ſit applicatio anticipata facta à Sacerdote pro eo, qui primo ſtipendium offeret, aut à Deo ſcitur primo oblaturus. Hanc anticipatam applicationem prohibitam eſſe clarè liquet ex decreto Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum emanato *ſub die 14. Nouembris 1605.*, relato *à Marchino de Sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 31.*, ex quo decreto clarè liquet, illicitam eſſe talem anticipatam applicationem, quod etiam ſatis efficacitèr euincunt ſubſequentes conſiderationes; primò, quia poteſt contingere, quod ille, qui primo oblaturus eſt ſtipendium, non conſequatur fructum ſacrificij, cum fortè pro illo tempore, pro quo à Sacerdote applicatur ſacrificium non ſit diſpoſitus. Secundò, quia poteſt, ſi non in toto, ſaltem in parte priuari fructu, quem cæteroqui conſequeretur, quandoquidem, quando offert ſtipendium, per illam oblationem ſe quodamodo diſponit, & ſciens pro ſe applicandum ſacrificium, regularitèr actus exercet, medijs quibus maiorem gratiam poſſet recipere, quæ omnia ceſſant, quando iam ſacrificium peractum eſt, & applicatum. Tertiò, quia data illa anticipata applicatione fideles retraherentur ab eleemoſinis erogandis pro celebratione Miſſarum, ſi ſcirent Sacerdotes intendere pro illis ſatisfacere per applicationem anticipatam.

4 An ſit valida varię opiniones.

Difficultas igitur ſolummodò verſatur circa validitatem, an ſcilicet ſubſiſtat illa anticipata applicatio, & ille, pro quo anticipatè offertur, conſequatur effectum eiuſdem ſacrificij. Hoc vnum certum eſt, non

non ſubſiſtere ſuſpenſionem, ſi Sacerdos ſic applicans intendat ſuſpendere effectum eiuſdem ſacrificij, vſq; dum per primum oblatorem ſibi conferatur ſtipendium, quia non eſt in poteſtate eiuſdem illam ſuſpenſionem inducere, nec fructum in futurum reſeruare, vt notant *Vaſquez tertia parte diſp. 234. cap. 3. num. 22., Coninchus tertia part. qu. 83. art. 1. dub. 9. concl. 9. n. 122., Rodriquez in ſumma prima parte cap. 25. num. 9.* Sed ex eo, quod dicatur, non eſſe in ipſius poteſtate ſuſpendere, nec in futurum reſeruare effectum, oritur difficultas, an non obſtante illa intentione ſuſpendendi, nihilominus immediatè effectus conferatur, an verò, nec tunc, nec quando ſtipendium ponitur, producatur, ac proindè applicatio ita ſe habeat, ac ſi non fuiſſet poſita. Ex vna parte videtur, quod poſita pro tempore celebrationis Miſſæ applicatione immediatè effectus conferatur, cum ex natura ſua hic effectus conſequatur ex ſacrificio ſic applicato, nec ſit in poteſtate applicantis illum ſuſpendere; vndè ad normam cauſarum neceſſariarum poſitis omnibus requiſitis effectus non poteſt tolli. Ex alia parte, cum effectus dependeat ex intentione applicantis, & intentio ſit, vt non conferatur, niſi poſito ſtipendio, eodem non poſito non videtur effectus ponendus, & ſic ad nihilum prodeſſet. In hoc ſuppoſito, quod validè ſacrificium poſſit anticipatè offerri pro primo oblaturo ſtipendium, de quo mox ſubdam, & item ſuppoſita actuali applicatione non conditionata, ſed abſoluta pro tempore ſacrificij, vel ante illud, crederem, non obſtante illo animo ſuſpendendi effectum, immediatè in eum, pro quo fit applicatio, prouenire propter rationem pro prima parte adductam, quia poſitis ſcilicet omnibus requiſitis effectus in cauſis neceſſarijs non poteſt ſuſpendi, nec obſtat id, quod pro aduerſa parte aſſerebatur; nam licet re vera effectus ſacrificij dependeat ex voluntate, & intentione applicatis, eadem tamen intentione cum applicatione poſita ex natura ſua ille effectus conſequitur, nec eſt poſtea in poteſtate Sacerdotis illum ſuſpendere; qui enim vult antecedens, & cauſam non poteſt nolle conſequens, ſeu effectum naturalitèr prouenientem.

5 Opinio Cacherani. Dixi *ſuppoſito, quod ſacrificium validè poſſit anticipatè offerri*, quod eſt meta præſentis quæſtionis. Circa quam *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt ſacrificio cap. 4. §. 2. nu. 40.*, arbitratur aliquando talem applicationem validam eſſe, aliquando inualidam; tunc validam arbitratur, quando ille, qui poſt applicationem, & ſacrificium celebratum obtulit ſtipendium, erat in eadem indigentia, & capacitate, quando applicatum eſt ſacrificium, in qua reperitur, quando offert ſtipendium, tunc inualidum cenſet, quando pro tempore, quo applicatum eſt ſacrificium, non erat indigens, nec capax. Rationem pro prima parte affirmatiua adducit, quia pro illo tempore, quo fit applicatio, nihil eſt, quod poſſit impedire fructum eiuſdem, cum pro illo tempore, quo fit applicatio, ſubiectum ſit capax, & indigens, & in mente Dei ſit determinatum, quamuis pro tunc non cognitum ab offerente, & applicante. Rationem pro ſecunda parte negante ex eo deducit, quia tunc, quando fit applicatio, cum ſubiectum non ſit indigens, nec capax, effectus ſacrificij in ordine ad ipſum nihil prodeſſet.

Abſolutè ego arbitror inualidam eſſe. 6 Abſolutè eſt inualida. Rationem ex eo deſumo, quia applicatio, vt ſit valida, debet eſſe circa ſubiectum determinatum, nec ſufficit, quod poſſit determinari per euentum futurum, ſed applicatio relata ad eum, qui primus oblaturus eſt ſtipendium, non eſt de ſubiecto determinato, ergo non eſt valida. Maior probatur, quia talis applicatio eſt actio humana, &, vt ſit valida, debet eſſe efficax, ſed quando eſt circa ſubiectum indeterminatum non eſt humana, cùm ſit ſine cognitione eius, ad quem, ſeu quod dirigitur, nec efficacia actionis poteſt eſſe cum indeterminatione ſubiecti, ergo &c. Minor etiam euincitur, quia tunc, quando fit applicatio, non poteſt fieri deſignatio ſubiecti, pro quo fit talis applicatio. Neq; dicas, quod, quamuis ſubiectum tunc ſit indeterminatum quoad applicantem, quatenus non eſt cognitum, ſit tamen determinatum apud Deum, cui eſt præſens ille, qui primo oblaturus eſt ſtipendium; contra enim impugnaberis, quia, vt ingenuè fatetur ipſe Cacheranus, actiones humanæ debent humana, non Diuina notitia regulari. Rurſus non poteſt validè applicari in ordine ad fructum ſacrificij conſequendum ſubiecto, niſi ſit habitualitèr ſaltem diſpoſitum per ea, quæ ſupra probauimus, ſed ille, qui primo oblaturus eſt ſtipendium pro hoc ſacrificio, non poteſt eſſe ſaltem in ordine ad ipſum habitualitèr diſpoſitus, cum enim non nouerit pro ſe ipſo offerendum, non poteſt actum in ordine ad eius fructum elicere; vbi autem actus non præceſſit non retractatus, non poteſt eſſe intentio habitualis, ergo &c. Adde, quod, ſi ſufficeret, quod ſubiectum ſit præſens Deo, quando per miniſtrum anticipatè applicatur ſine cognitione ex tunc, quiſnam ſit primò oblaturus ſtipendium, ſufficeret etiam applica-

tio conditionata de futuro, quia illa conditio eſt præſens Deo, & ſic intentio conditionata reſpectu Dei ex tunc tranſit in abſolutam, ſed hoc non eſt admittendum, nec admittitur à Cacherano, ergo neque primum. Quamobrem rectè dicit *Suarez diſp. 79. quæſt. 83. art. 1. ſect. 11.*, quod, ſicuti Deus, nec punit, nec præmio afficit ex his, quæ præuidet futura, ſed iuxta præſentem hominis intentionem, & diſpoſitionem, ita nec conferat effectus Sacramentorum, aut ſacrificij.

7 Applicatio facta poſt peractum ſacrificium nõ tenet.

Tertium eſt, an valida ſit applicatio ſacrificij facta à Sacerdote poſt peractum ipſum ſacrificium, quod antecedentèr non applicauit. Videntur aliqui affirmare, ea moti ratione, quia Sacerdos offerendo ſacrificium ſine præuia applicatione pro aliquo, acquiſiuit ius in illo, & quodamodo fecit ſuam illam ſatisfactionem, cuius propterea ſemper retinet poteſtatem, adeoque tanquam de re ſua poteſt de illa diſponere applicando pro quocunque voluerit. Sed abſolutè ſentiendum eſt, illam applicationem poſtpoſitam ſacrificio iam peracto, non ſubſiſtere, adeoque nullius roboris eſſe. In hoc conſentiunt *Suarez diſp. 79. quæſt. 83. art. 1. ſect. 11.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 4. §. 2. num. 41.*, *& alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur primò, quia ſacrificium Miſſæ non eſt poteſtate Sacerdotis, niſi, quando offertur, ſicuti Sacramentum non eſt in poteſtate miniſtri, niſi quando conficitur, &, ſicuti quando conficitur Sacramentum, tunc ſolummodò cauſat ſuos effectus, ita, quando offertur ſacrificium, tunc ſolum in eo, pro quo offertur, ſuam exercet cauſalitatem, ergo, ſicuti confecto Sacramento Sacerdos non habet aliquam poteſtatem in illud, ità confecto ſacrificio non habet &c. Confirmatur primò, quia poſitis omnibus eſſentialitèr requiſitis, & ſimul debitè applicatis ad ſacrificium immediatè conſequitur eiuſdem effectus, nec eſt in poteſtate Sacerdotis illum ſuſpendere, ergo non poterit poſtea illum pro alio applicare; quæro etenim, cui ceſſerit ille effectus productus in confectione ſacrificij? Si dicas ipſi celebranti, iam non erit ab eodem in alium transferibilis; cæteroqui effectus, qui iam anteceſſit, poſſet poteſtate Sacerdotis ab eodem auferri, & in alterum transferri, quod non eſt dicendum; ſi dicas, reponi in Theſauro Eccleſiæ; etiam non erit extrahibilis virtute eiuſdem Sacerdotis. Confirmatur ſecundò, quia ſemel dato, quod Sacerdos poſt peractum ſacrificium poſſet illud applicare, plura emanarent abſurda; & primò, ſi ipſe dum celebrat, eſſet in peccato læthali, & per conſequens incapax recipiendi fructum, poſſet hunc ſuſpendere, donec conſtitueretur in gratia, & fieret capax, & tunc ſibi applicare, quod nemo dicet. Secundò, ſi Sacerdos non haberet ſtipendium pro Miſſa poſſet illam offerre, & accepto poſtea ſtipendio illam eandem Miſſam iam oblatam applicare pro eo, qui poſtea ſtipendium obtulit, quod eſt inauditum. Tertiò, quia poſſet quis per annum integrum, & vltra celebrare ſine applicatione; quo elapſo, vel ab eodem, vel à pluribus accipere ſtipendia correſpondentia Miſſis in eodem anno celebratis, & illas poſtea applicare in ſatisfactionem eorum, qui ſtipem obtulerunt, quod etiam malè olet.

Nec obſtat primò id, quod ſuprà innuebatur pro contraria ſententia, quod ſcilicet Sacerdos offerendo ſacrificium, nec applicando tunc pro aliquo, acquirat ius in illo, & faciat quodamodo ſuum, & proindè poſſit de illo pro libertate diſponere; Nec item ſecundò id, quod aliqui circumferunt apud *Cacheranum loco cit.*, quod ſcilicet, ſicuti aliquod Sacramentum ratione reuiuiſcentiæ effectum ſuum conferat, poſtquam peractum eſt, ita & hoc poſſet peragere ſacrificium; Non, obſtat, inquam, non primum, quia dato, quod Sacerdos offerendo ſine præuia applicatione acquirat ius in illud ſacrificium, quatenus fructus eiuſdem ipſi cedat, non eſt tamen tale ius, ſeu fructus, poſtquam ipſi ceſſit, in alium transferibile, ſeu transferibilis, ne detur tranſmigratio huiuſmodi fructus de ſubiecto in ſubiectum; Neque vrgeas, quod, quamuis non poſſet fieri, poſtquam ſacrificium peractum eſt, per modum ſimplicis applicationis, poſſit tamen fieri per modum communicationis ſpiritualium bonorum; Contra enim impugnaberis, quia hæc applicatio per modum communicationis ſupponit, quod fructus ſacrificij fuerit acquiſitus ab ipſo Sacerdote, & deindè per ipſum communicetur alteri, quod eſſe non poteſt, cum ea, quæ ſunt ex opere operato, cuiuſmodi eſt fructus, de quo loquimur, non ſint transferibilia, poſtquam vni ceſſerunt, in alium; &, ſicuti, ſi fructus iam eſſet applicatus vni per eundem Sacerdotem, vel antecedentèr, vel in actu oblationis non poſſet ab eodem auferri, & transferri in alium, ita poſtquam ſibi ceſſit, non poteſt illum in alium transferre, nec, vt miniſter Chriſti communicare. Deindè applicatio, de qua procedit præſens difficultas, debet eſſe à Sacerdote, vt miniſter Chriſti Domini, & prout exercet tale miniſterium nomine eiuſdem, quod præſtat dumtaxat, quando ſacrificat; vndè iam peracto ſacrificio quidquid agit, non agit,

8 Fructus quæſitus Sacerdoti non eſt transferibilis.

agit, vt miniſter Chriſti, & nomine eiuſdem, ſed proprio, ac ſi eſſet perſona priuata; ſicuti autem perſona priuata non poteſt fructum, qui ſibi obuenit, ex opere operato in alium transferre, ita nec ipſe Sacerdos.

9 Non eſt conſiderabilis in hoc reuiuiſcentia. Non ſecundum deſumptum ex illa reuiuiſcentia ad normam Sacramentorum, de qua in inſtantia aduerſa, quia illa reuiuiſcentia ſupponit Sacramentum, vel eius effectum, quod, ſeu, qui dicitur reuiſcere, præextitiſſe in ſubiecto, quod non verificatur in præſenti hypotheſi, cum nullus effectus, nullumque Sacramentum ſupponatur poſitum in eo, pro quo poſt peractum ſacrificium fit applicatio. Deindè in Sacramentis, in quibus ſupponitur fieri reuiuiſcentia huiuſmodi, non ſupponitur hæc fieri ex libertate miniſtri, ſed ex conditione ſubiecti, & propterea nulla eſt ratio tribuendi Miſſæ ſacrificio hanc reuiuiſcentiam ex mero arbitrio eius, qui celebrauit.

10 Tenetur Sacerdos offerre pro tota Eccleſia. Quartum eſt, an quilibet Sacerdos ſacrificans teneatur intẽtione generali offerre pro tota Eccleſia, vt inter omnia eius membra effectus diſtribuatur. Negat abſolutè *Suarez d. diſp. 79. quæſt. 83. art. 1. ſect. 9.* teneri, cum nullam agnoſcat obligationem talis oblationis, nec ex vi inſtitutionis, nec ex aliquo præcepto Diuino, nec Eccleſiaſtico, cum de huiuſmodi præceptis nullibi conſtet; quod, ſi dicatur hæc obligatio colligi ex Canone Miſſæ, reſpondet ibi ſolum orari pro omnibus in perſona Eccleſiæ, & ad ſummum generalitèr offerri pro omnibus quoad impetrationem, quod etiam videtur colligi ex *cap. viſum de conſecrat. diſt. 1.*, vbi ſolum fit mentio de orationibus, & deprecationibus pro defunctis, & viuis effundendis, non autem de aliquo onere oblationis, ſeu applicationis ſacrificij pro eiſdem. Deindè aſſerit, non eſſe aſſignabilem determinatam quotam portionis eiuſdem ſacrificij, quæ ſit applicabilis toti Eccleſiæ, ſeu omnibus eius membris. Abſolutè tamen ſentiendum exiſtimo, teneri intentione generali offerre pro tota Eccleſia, & pro omnibus fidelibus, dummodò non ſint ab Eccleſia ſegregati, vel per cenſuram, vel per apoſtaſiam. Conſentiunt *Sotus in quarto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, *Corduba lib. 1. quæſtionarij quæſt. 3. opin. 6.*, *Bonacina de Sacrament. Euchariſt. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 4. n. 9. verſ. ſed mihi dicendum, & punct. 5. num. 3.* Rationem ex eo deduco primò, quia Chriſtus Dominus hoc ſacrificium inſtituit, vt prodeſſet omnibus, & in ſacrificio cruento pro omnibus obtulit, vndè per Apoſtolum dicitur, Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo Sacerdos tenetur etiam pro omnibus illud offerre. Conſequentia probatur, quia Sacerdos, vt miniſter Chriſti in ſacrificio incruento illud ſaltem implicitè debet intendere, quod Chriſtus in inſtitutione eiuſdem, & in ſacrificio cruento intendit; vndè, quando etiam poſſet dubitare de valore illius diuiſionis fructus in generalem, medium, & perſonalem, potius dubitatio deſumenda eſſet in ordine ad valorem medium, cum Chriſtus pro nullo determinato obtulerit, quam de generali, cum pro omnibus mortuus fuerit; Neque dicas, quòd hac ratione teneretur Sacerdos ex vi inſtitutionis pro omnibus offerre, quod tamen non eſt dicendum; cæteroqui Eccleſia non poſſet aliquem excludere à participatione huius ſacrificij, cum poteſtatem non habeat quoad ea, quæ ſunt iuris Diuini ex vi inſtitutionis; Eccleſia autem excludit excommunicatos, & alios, ergo &c.; Contra enim impugnaberis, quia Chriſtus quidem inſtituit, vt pro omnibus applicaretur, & prodeſſet omnibus, ſed quaſi conditionatè, ſi ſcilicet fuerint in Eccleſia, & capaces; cum autem excommunicati, & alij huiuſmodi ſint quodamodo ab Eccleſia ſegregati, & fructus incapaces, hinc &c., & quæmadmodum Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit cum præcepto reſpectu omnium ſumendi; *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & bibentis eius Sanguinem*, ſub tacita tamen conditione, ſi intra Eccleſiam fuerint, & digni, nam ad hanc menſam non admittit indignos, & præcipit, carnem filiorum non dari canibus, ita &c.

Rationem deduco ſecundò, ex diſpoſitione Eccleſiæ, & quidem conformitèr ad inſtitutionem Chriſti Domini; nam in Canone Miſſæ fit oblatio pro vniuerſa Eccleſia, & pro omnibus fidelibus collectiuè, & diſtributiuè pro Summo Pontifice, pro Antiſtite, & pro omnibus circunſtantibus, ergo ſecundum diſpoſitionem eiuſdem Eccleſiæ applicatio pro omnibus facienda eſt; Nec obſtant ea, quæ ex Suarez ſupra afferebantur, quod ſcilicet in Canone Miſſæ ſolummodò pro omnibus oretur, & ad ſummum pro omnibus offeratur quoad impetrationem &c. Non obſtant, inquam, nam eodem modo Sacerdos commendat omnes fideles, ac circumſtantes. Ibi *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium*. Rurſus, *& omnibus orthodoxæ, & Catholicæ Fidei; &c.*; hæc autem commendatio non eſt per modum ſimplicis precis, & deprecationis, ſed per modum veræ, & realis oblationis. *Pro quibus tibi offerimus*, & hoc reſpicit omnes fideles, *vel qui tibi offerunt*, & hoc reſpicit circumſtantes, & 11 Euincitur ex Canone Miſſæ.

alios,

alios, qui concurrunt &c. Idem ferè reſ-pondeas ad id, quod adducitur *ex cap. viſum de conſecrat. diſtinct.* 1., licet enim in eodem textu ſolum fiat mentio de precibus, & deprecationibus; hæ tamen non debent ſumi nudè, ſed de precibus relatis ad oblationem, vt hæc fiat acceptabilis apud Deum.

12 Et ex cōmuni Ecclesiæ praxi.

Rationem deduco tertiò; ex communi Eccleſiæ vſu, & communi DD. conſenſu, adeovt plurimi expreſsè aſſerant, non poſſe Sacerdotem ſine labe aliquem excludere à participatione fructus ſacrificij, & ſignantèr hoc tradunt *D. Thomas ſecunda ſecundæ quaſt.* 25. *art.* 8., *&* 9., *Nauarrus de Oratione cap.* 19. *n.* 120., *Suarez diſp.*78.*ſect.* 2., *Miranda in manuali Prælatorum prima part. quaſt.* 41. *art.*5. *concluſ.* 1., *Moiſeſius tract.* 3. *cap.* 15. *n.* 33., cuius rei rationes plurimas adducit *Suarez loc. cit.*, & inter cæteras, quia Sacerdos aliquem excludens ageret contra Eccleſiæ præſcriptum, & intentionem; vndè non poſſum, quin demirer de inconſequentia eiuſdem Suarez, ſi enim agnoſcit eſſe contra præſcriptum Eccleſiæ aliquem excludere, ergo ex præſcripto Eccleſiæ debet omnes includere; quomodo ergo ſtatuit, nec ex præcepto Diuino, nec ex Eccleſiæ præſcripto *in d. diſp.* 79. *quaſt.* 83. *art.* 1. *ſect.* 9., teneri pro omnibus offerre.

13 Satisfit obiecto Suarez.

Ad illud, quod ſubdit *idem Suarez d. diſp.* 79. *ſect.* 9., non eſſe aſſignabile, quænam pars ſit applicabilis pro tota Eccleſia, & pro omnibus eius membris, remanet reſponſum in præcedentibus, vbi de infinitate intenſiua, & extenſiua valoris eiuſdem ſacrificij in actu primo, & quoad ſufficientiam; ex quibus etiam poteris reſpondere ad ea, quæ *loc. cit.*, ſubdit idem Suarez, nempè, quod, ſi ex neceſſitate hoc ſacrificium eſſet pro omnibus etiam defunctis applicandum, facilè omnes animæ à purgatorio liberarentur, & viuentes, ſi diu in ſtatu gratiæ perſeuerarent, vix haberent aliquem reatum pænæ, ſi per omnes Miſſas aliquam remiſſionem eiuſdem reciperent; poteris, inquam, reſpondere, quod licet hoc ſacrificium ſit infinitum intenſiuè, & in actu primo; non ſit tamen tale in actu ſecundo, & quoad efficaciam, vndè eius effectus limitatur ex diſpoſitione, & deuotione recipientis, quæ quandoque ità exigua eſt, vt modicum poſſit conſequi, & in pluribus, & pluribus ratione obicis effectus quilibet intelligitur impeditus; & quoad animas in purgatorio exiſtentes, cum non ſint capaces meriti, ac proindè nec diſpoſitionis, nec deuotionis, non intelligantur etiam capaces, niſi modici effectus. Cæterum ad hoc etiam tenetur reſpondere idem *Suarez*, dum *d. diſp.* 73. *ſect.* 2. *verſ. dico primo*, aſſerit ita eſſe ab Eccleſia inſtitutum, vt fiat oblatio pro vniuerſa Eccleſia, adeoque pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, ſi ergo pro omnibus defunctis offertur, cur purgatorium facilè omnibus animabus ibi exiſtentibus non euacuatur? Si pro omnibus viuis; cur exiſtentes in ſtatu gratiæ non eximuntur ab omni reatu pænæ? Si dicat, hoc in eius ſententia prouenire, quia valor ſacrificij eſt finitus intenſiuè, & ego dicam, quod, quamuis in mea ſententia ſit infinitus intenſiuè in actu primo; in actu tamen ſecundo ſit finitus.

Quintum eſt, an Sacerdos poſſit fructum Miſſæ ſpecialiſſimum ſibi competentem pro alio offerre, & hîc etiam obitèr examinabitur, an alij priuati, & ſecundarij offerentes, cuiuſmodi ſunt, v. gr. circumſtantes fructum ſibi competentem ex illa mediata, & ſecundaria oblatione pro alijs validè poſſint applicare. In ordine ad Sacerdotem ſacrificantem abſolutè ſentio, nec licitè, nec validè poſſe fructum ſpecialiſſimum ſibi competentem alteri applicare *Suarez tertia part. diſp.* 79. *ſect.* 9. *ad fin.*, *Rodriquez prima part. cap.* 250. *num.* 2., *Bonacina de Sacram. Euchariſtia diſp.* 4. *quaſt. vltim. punct.* 8. *num.* 16. Rationem ex eo deſumo primo, quia huiuſmodi fructus vtpotè proueniens ex conditione actionis exercitæ à celebrante eſt perſonalis, ſeu affixus perſonæ eiuſdem celebrantis, ergo non eſt transferibilis in alterum, à quo non eſt talis actio, cui eſt affixus. Secundò, quia effectus proueniens ex opere operato eſt proprium, & perſonale beneficium, & quaſi priuilegium perſonæ conceſſum, ergo ab eadem perſona non eſt in alterum transferibile argumento deducto à paritate indulgentiarum, quæ *ex D. Thoma in* 4. *diſtinct.* 20. *art.* 5., *quaſtiuncula tertia*, non ſunt transferibiles ab eo, cui conceduntur, niſi ſpeciali facultate in ipſis indulgentijs ipſi concedatur. Tertiò rationem deſumo ex paritate effectuum Sacramentorum, vt videre eſt in Baptiſmo, in quo ex opere operato conceditur baptizato remiſſio totius pænæ, nec tamen eſt in poteſtate eiuſdem ſe eadem remiſſione priuare, illamque in alium transferre; item in Sacramento Pænitentiæ, in quo effectus eiuſdem non eſt transferibilis à pænitente in alium, ergo hoc idem ſentiendum eſt in ſacrificio Miſſæ quoad fructum perſonalem. 14 Fructus ſpecialiſſimus nō eſt alteri applicabilis.

Hinc deducere poteris primo, non ſubſiſtere illam limitationem, quam apponunt *Scotus quodlib.* 20., *&* *Gabriel lect.* 26. *in Canone Miſſæ*, quod ſcilicet ille fructus perſonalis non poſſit alijs applicari, quando ipſemet Sacerdos indiget tali fructu, 15 Etiam ſi Sacerdos eodē non indigeat.

quaſi

quaſi, quod, ſi non indigeat, poſſit abſolutè in alium transferre; cum etenim ex genere ſuo talis effectus perſonalis ſacrificij non ſit transferibilis, vtique ſemper erit talis, ſiue Sacerdos indigeat, ſiue non indigeat.

16 Deducere poteris ſecundò, ſuppoſita hac noſtra doctrina ceſſare illam quæſtionem, an Sacerdos pro eadem Miſſa poſſit duplex ſtipendium accipere, alterum pro fructu medio, alterum pro fructu perſonali, quem à ſe ipſo abdicet in fauorem alterius; ceſſare inquam, quia, cùm non poſſit fructum illum à ſe ipſo abdicare, certè nequit pro illo ſtipendium accipere. Sed ratio, ob quam nequeat ſtipendium illud recipere, non prouenit ex eo, quod fructus ille non ſit alteri applicabilis, cum non detur, nec dari poſſit pro illo fructu ſine labe ſimoniacæ prauitatis; ſed, quia decretum eſt poſitiuè, quod Sacerdos pro ſacrificio Miſſæ non poſſit exigere, niſi quantum congruit eius ſuſtentationi partiali iuxtà taxam Eccleſiæ, quæ eſt, vt non exigatur pro eodem ſacrificio, niſi vnicum congruum ſtipendium, quod vtique ſeruandum eſſet, quantumuis fructus ille eſſet in alium transferibilis. Ex quibus poteris deducere, quod, quando ex Sacra Congregatione Concilij iuſſu Alexandri VII. 1659. *die 29. Octobris* declaratum eſt, *Sacerdoti, qui recepit eleemoſinam, vt pro vno celebret, non licere aliam eleemoſinam accipere ab altero, cui partem illius fructus, ſeu valoris eiuſdem ſacrificij ipſimet celebranti debitam ſpecialem noncupatam applicet*, hoc omni iure, & ratione ſtatutum ſit, non ſolum, quia hoc redolet auaritiam, ſed etiam, quia fructus ille non videtur transferibilis.

Nec Sacerdos poteſt pro illo aliud ſtipendium accipere.

17 In ordine ad alios priuatos, & minus propriè offerentes, idem aſſerendum eſt, nempè non poſſe fructum ex opere operato ipſis competentem in alium transferre, vt expreſsè ſentit *Suarez d. diſp. 79. ſect. 9. in fine*, propter rationes ſuprà recenſitas; nec obſtare poteſt, ſi dicatur, nullam eſſe repugnantiam, nullumque præceptum obſtans, quominus poſſint applicare ſatisfactiones ſuas, ſiue pro animabus purgatorij, ſiue pro alijs viuentibus, cum facti fuerint Domini illarum, quamuis proueniant ex ſacrificio Miſſæ; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, quamuis poſſint ſatisfactiones ſuas, quæ ſunt ex opere operantis, ſiue fidelibus viuis, ſiue defunctis exiſtentibus in purgatorio, non tamen poſſunt illas applicare, quæ ſunt ex opere operato, & ſpecialitèr ad ipſos pertinent tanquam ſpeciale, & perſonale beneficium, vt notat *Suarez loc. cit.*

Alij offerentes minùs principales nequeunt fructum ſuũ alijs applicare.

Sextum eſt, an Sacerdos poſſit validè applicare referendo intentionem ſuam in intentionem alterius, quatenus dicat: *Intendo hanc Miſſam applicare pro eo, pro quo Petrus, v. gr. applicuerit.* Non dubitarem, vtique poſſe hoc Sacerdotem præſtare, & quidem validè. Hoc comprobat communis praxis primò in ſubditis Religionum Sacerdotibus, in quibus iuxtà ſuperius dicta reſidet poteſtas applicandi ſacrificia, quæ conficiunt, etiam priuatiuè quoad voluntatem, & intentionem ſuperioris, & tamen ipſi regularitèr ſacrificia applicant iuxtà mentem, vel ſuperioris, vel eius, cui demandata eſt cura Miſſarum, nec vllus eſt, qui hanc praxim audeat condemnare. Secundò in ijs, qui ex commiſſione aliorum ſtipendium offerunt Sacerdotibus pro applicatione Miſſarum dicentes: *Tot Miſſas celebra iuxtà meam intentionem*, nec aperiunt, ad quem determinatè ſit relata illa intentio, & tamen nullus eſt, qui dubitet applicationem relatam ad intentionem eius, qui nomine alterius ſtipẽdia offert, eſſe validam. Quod, ſi dicas, in hoc, & præcedenti caſu intentionem Sacerdotis celebrantis, licet relatam vel ad intentionem ſuperioris, vel miniſtri, vel eius, qui de commiſſione alterius ſtipendia obtulit, eſſe quodamodo determinatam ad ſubiectum hic, & nunc determinatum, vel à ſuperiore, vel ab offerente ſtipendium, ac proindè mirum non eſſe, ſi ſit valida, & ſuum conſequatur effectum; ſed quid erit, ſi intentio Sacerdotis referatur ad eum, quem Petrus, *v. gr.* voluerit? Tunc cum diſtinctione procedendum eſt, vel etenim, quando ſacrificium à Sacerdote offertur, Petrus pro aliqua determinata perſona applicuit, & tunc certè valida eſt applicatio, & ille, pro quo Petrus applicuit ſacrificij fructum, conſequetur, quia in hoc intelliguntur omnia requiſita interuenire; vel tunc, quando ſacrificium offertur, Petrus pro aliquo non applicuit, & tunc ex defectu debitæ intentionis, & applicationis, applicatio Sacerdotis relata ad illam Petri ſuo carebit effectu, & ratio eſt, quia, cum applicatio Sacerdotis fuerit quodamodo conditionata, & non inuenerit complementum conditionis omninò inefficax redditur. Quod, ſi dixeris aduerſus primam partem huius diſtinctionis, quod, quamuis Petrus, tunc quando Sacerdos obtulit, applicuerit, non videatur tamen ſufficiens illa applicatio, cum ſubiectum, cui facta fuit, non innotuerit eidem Sacerdoti; cæteroqui etiam valida foret applicatio pro eo, quem Deus voluerit, quod tamen eſt contra ſuperius dicta. Si, inquam, hoc dixeris, ſtatim dicam, in primis, quod hac ratione non ſubſiſteret applicatio, quam refert

18 Applicatio poteſt eſſe relata ad intentionem alterius.

19 Quomodo hoc poſſit eſſe

refert ſubditus ad intentionem ſui ſuperioris, vel adminiſtratoris Miſſarum, cum ipſi celebranti non innoteſcat determinatè perſona, pro qua Superior, vel adminiſtrator applicat, nec item applicatio, quam refert ad intentionem eius, qui ſtipendium offert, vt applicet iuxtà intentionem eiuſdem offerentis, ſi hæc referatur ad alium, cum non innoteſcat Sacerdoti hic alius, quod nemo dicet. Deindè nulla eſt neceſſitas ad validitatem applicationis, vt perſona, pro qua offertur in indiuiduo, & materialitèr innoteſcat offerenti, ſed ſatis eſt, quod ſit determinata, vel per ipſum offerentem, vel per alium, cui offerens accommodet ſuam intentionem, vt euenit in caſu præſenti. Ad illud, quod ſubditur de applicatione pro eo, quem Deus voluerit, non video, cur hæc non poſſit ſubſiſtere, nec aduerſatur ſuperius dictis, quia ibi dicta procedunt de intentione relata ad euentum futurum, quem Deus præuidet; hæc autem applicatio, de qua modo loquimur, reſpicit determinatè perſonam, quam hic, & nunc vult Deus independentèr à quacunque futuritione euentus, nec Deus confert effectus Sacramentorum, & ſacrificij ex his, quæ præuidet futura, ſed iuxtà præſentem hominis intentionem, & diſpoſitionem; applicatio autem, quæ eſt relata ad intentionem Dei abſolute eſt præſens, & de obiecto præſenti, adeoque &c.

Septimum eſt in inquirendo, quid erit de effectu ſacrificij, ſi Sacerdos nulli applicuerit. Procedit ſolummodò dubium de fructu medio, nam de generali, & perſonali non eſt dubitandum, cum primus cedat toti Eccleſiæ, ſecundus celebranti, ille ex diſpoſitione Eccleſiæ, iſte ex vi actionis. Hic aduertendum eſt, an Sacerdos aduertentèr, & cum deliberatione omiſerit applicationem, quatenus poſitiuè noluerit alicui applicare, nec ſibi ipſi, vel ex inaduertentia omiſerit; ſi ex inaduertentia, adhuc duplicitèr poteſt res conſiderari; primò, quatenus Sacerdos antecedentèr habuerit intentionem proficiendi ſibi, vel ſatisfaciendi obligationi, quam contraxit, ſed ad illam intentionem neutiquam poſtea reſpexerit, non tamen retractauerit. Secundò, quatenus nullam intentionem præcedentem habuerit, nec modo habeat, poſitiuè tamen non excluſerit. Iuxtà hanc triplicem conſiderationem dubium eſt dirimendum.

20 *Fructus nulli applicatus ponitur in Theſauro Eccleſiæ,*

Iuxtà primam, quæ tamen non debet præſumi, niſi ex maxima peruerſitate celebrantis poſitiuè excludentis applicationem, ſentiendum eſt, reponi in Theſauro Eccleſiæ, vel ab eodem non extrahi, iuxtà, quod de tali Theſauro diuerſimodè ſentiunt; Alij etenim aſſerunt, quod Theſaurus Eccleſiæ conſiſtat in fructu infinito paſſionis, & meritorum Chriſti Domini, qui totus eſt in eodem Theſauro, vndè loquentes de fructu ſacrificij Miſſæ dicunt, non eſſe de nouo comparatum, & a Deo acceptatum, ſed eſſe portionem infiniti valoris paſſionis Dominicæ. Iſti ſtatuunt, quod, quando ſacrificium per Sacerdotem non applicatur pro aliquo, non extrahatur à Theſauro eiuſdem Eccleſiæ, ſed in eodem remaneat. Alij diſtinguentes Theſaurum Eccleſiæ à merito, & ſatisfactone Chriſti illum conſtituunt ſolum in meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum, & alijs, quæ ſpeciali aliquo titulo ſunt acquiſita Eccleſiæ, inter quæ etiam numeratur portio ſatisfactionis proueniens ex ſacrificio ex opere operato; nam, eo ipſo, quod Eccleſia per ſuum miniſtrum obtulit, intelligitur acquiſiuiſſe ius ſpeciale ad illam ſatisfactionem; quæ ex hoc titulo intelligitur eſſe de nouo comparata, & acceptata à Deo; Iſti ſtatuunt, hanc ſatisfactionem ſacrificij non applicati per Sacerdotem reponi in Theſauro Eccleſiæ, cum de nouo comparetur, & acceptetur à Deo ad differentiam illorum, qui ſtant pro prima ſententia, qui agnoſcentes illam ſatisfactionem eſſe præciſè portionem paſſionis, & meritorum Chriſti, in quibus conſiſtit Theſaurus Eccleſiæ, cum nemini fuerit per Sacerdotem applicata, non dicunt extrahi, ſed remanere in eodem Theſauro. Quodcumque ex his tu dixeris, nihil dixeris incongruum, & ſemper dixeris ſacrificium illud non applicatum omni actuali effectu carere, & nulli determinatè prodeſſe, quod eſt id, quod ſpecialitèr intenditur in hoc dubio.

Iuxtà ſecundam, ſentiendum eſt, prodeſſe ipſi celebranti, vel ei, cui antecedentèr erat obligatus, cum etenim primo intentionem habuerit ſibi ipſi proficiendi, vel ſatisfaciendi obligationi iam cum alio contractæ, nec talem intentionem retractauerit, iam intentionem ſufficientem intelligitur habuiſſe, vel habere ad ſibi, vel alteri ſatisfaciendum, & in hoc merito conſentiunt *Suarez dict. diſp. 79. ſect. 9. verſ. tertio inquiri poteſt propè medium, Cacheranus tract. 9. de Euchariſt. vt ſacrificio cap. 4. num. 44.*

Iuxtà tertiam, omiſſis aliorum opinionibus, quibus ſtatuunt, vel reponi huiuſmodi fructū in Theſauro Eccleſiæ, vel non extrahi iuxtà ea, quæ dicebamus in prima conſideratione, dicendum eſt, vel partim cedere eidem celebranti, & partim diſtribui inter omnes fideles iuxtà illud. *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis, & pro omnibus fidelibus Chriſtianis viuis, atque defun-* 21 *Præſumptio ſtat pro ipſo.*

defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad ſalutem &c. Omiſſis, inquam, his opinionibus probabilius ſentio, cedere Sacerdoti celebranti ex præſumpta interpretatiua, & implicita ipſius intentione ſibi proficiendi ſacrificio, in quantum poteſt.

Hic latè agendum eſſet in ordine ad applicationem ſacrificij Miſſæ, quandonam ſit facienda ex neceſſitate pro fundatore ex vi fundationis, & quando non, dum non conſtat de voluntate expreſſa eiuſdem ad obligandum ad talem applicationem; ſed quia de hoc latè agendum erit infrà, dum de Capellanijs, ideo in hoc non immoramur, ſed ad alia examinanda progredimur.

ARTICVLVS VI.

De requiſitis in Sacerdote ſacrificaturo, ſi non ad validam, ſaltem ad licitam confectionem ſacrificij, & ſumptionem.

SVMMARIVM.

Requiſita, alia ex parte animæ, alia ex parte corporis. 1.
Ad licitam confectionem, & ſumptionem requiritur fides, & ſtatus gratiæ. 2.
Grauiſſimè peccat Sacerdos ſacrificans cum conſcientia peccati læthalis. 3.
Non tamen duplex peccatum committit, alterum ratione confectionis, alterum ratione ſumptionis. 4.
Eſt peccatum in genere ſacrilegij. 5.
Non tamen grauiſſimum in ordine ad alia. 6.
In confeſſione ſufficit, quod exprimat ſe ſacrificaſſe in peccato læthali, quamuis non exprimat numerum, nec ſpeciem. 7.
In eo, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis præ-requiritur confeſſio ad confectionem ſacrificij. 8.
Non ſolum ex iure Eccleſiaſtico, ſed etiam Diuino. 9.
Præceptum præmittendæ confeſſionis eſt affirmatiuum. 10.
In aliquo caſu poteſt Sacerdos ſacrificare præmiſſa ſolum contritione, & quonam. 11.
Carentia confeſſarij qualis eſſe debeat. 12.
Alia moralis, alia phyſica, & quid vtraque. 13.
Quid agendum ſit, quando Sacerdos eſt innodatus reſeruatis, & confeſſarius non habet poteſtatem abſoluendi ab ipſis. 14.
Sententia Vaſquez refertur. 15.
Sententia Dianæ. 16.
Sententia Arriagæ. 17.
Præfertur ſententia Cacherani. 18.
Dubia aliqua circa eandem ſoluta. 19.
Alia dubia circa moralem abſentiam confeſſarij. 20.
Exiſtente mortis periculo non extante Sacerdote, niſi muto, poteſt ab eodem ſumi viaticum elicito duntaxat actu contritionis. 21.
Sacerdos non exiſtente confeſſario poteſt celebrare ad communicandum exiſtentem in mortis periculo. 22.
Etiam ad vitandam grauem infamiam. 23.
Quandonam eſſet periculum illius infamiæ. 24.
Etiam, ne populus deſtituatur Miſſa in die feſto. 25.
Ob adimplendum præcisè præceptum Paſchalis Communionis non excuſatur ab onere præmittendæ confeſſionis. 26.
Tenetur præmittere confeſſionem peccati læthalis obliti, ſi recordetur ante ſacrificium, vel Communionem. 27.
Alij caſus, in quibus tenetur præmittere confeſſionem, recenſentur. 28.
In caſibus, in quibus excuſatur à præuia confeſſione, non excuſatur ab onere præmittendæ contritionis. 29.
Reſpondetur nonnullis obiectis. 30.
Contritio, vbi haberi non poteſt confeſſio ſacramentalis, requiritur de iure Diuino naturali. 31.
Accedens ſcienter cum ſola atritione ponit obicem ad gratiam. 32.
Nec ſufficit contritio purè exiſtimata. 33.
Sacerdos conſcius peccati læthalis, qui celebrauit cum ſola contritione, tenetur quam primum confiteri. 34.
Intellige, ſi ſacrificauit, ſecus, ſi præcisè communicauit more laicali. 35.
Sacerdos, qui poſt peractam conſecrationem ab vno, qui ſtatim defecit, ſupplet eius defectum, ſi ſuppleuit cum conſcientia peccati læthalis, tenetur quam primum confiteri. 36.
Idem dicendum de eo, qui peregit officium feriæ ſextæ in Paraſceue. 37.
Qui vrgente neceſſitate celebrauit non præmiſſo actu contritionis, tenetur quam primum confiteri. 38.
Qui ſine neceſſitate celebrauit in peccato læthali, cum haberet copiam confeſſarij, non tenetur poſtea quam primum confiteri. 39.
Rationes pro hoc aſſerto. 40.
Quid dicendum ſit de Sacerdote, qui confeſſus eſt, ſed oblitus alicuius peccati læthalis, an teneatur quam primam confiteri. 41.
Probabilius præceptum Tridentini confitendi quam primum non eſt merè declaratiuum, ſed diſpoſitiuum. 42.
Hoc præceptum non obligat Laicos. 43.
Rationes pro hoc aſſerto. 44.
Explicatur quid importet ly, quam primum. 45.
Actualis deuotio, & carentia peccati venialis non eſt neceſſaria ſimpliciter quoad effectum primarium. 46.

Eſt tamen quoquo modo neceſſaria ad effectum ſecundarium. 47.
Rationes pro aſſerto. 48.
Venialia non pugnant cum effectu ſacrificij, ſeu Euchariſtiæ. 49.
Etiam ſi commiſſa fuerint in ipſo actu ſacrificij. 50.
Soluuntur argumenta contraria. 51.

1 Requiſita ex parte animæ, & corporis.

QVamuis in præcedentibus dixerimus, probitatem, & fidem non eſſe neceſſariam in Sacerdote ſacrificante ad validam confectionem ſacrificij, indubitatum tamen eſt, & probitatem, prout importat carentiam culpæ læthalis, & fidem prærequiri ad licitam confectionem eiuſdem; nec ſolum fides, & probitas ſunt requiſitæ ad licitè conficiendum, ſed etiam alia, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis, quorum alia ſunt ſimpliciter neceſſaria, alia ſolum ſecundum quid, & ad melius eſſe, de quibus omnibus ex profeſſo hic agendum eſt, & quidem congruo ordine; cum enim egerimus in præcedentibus de requiſitis ad validè conficiendum ex parte celebrantis, & offerentis, ita conſentaneum videtur, vt agamus de neceſſarijs, & congruis reſpectu eiuſdem ad licitam confectionem, & licet hæc, quæ dicentur ſub hoc titulo, videantur eſſe communia, nedum conficientibus, ſed etiam omnibus ſumentibus, quia tamen ſpecialiori quidam iure, & ratione requiruntur in celebrante, ideò eidem attribuuntur, & de eodem quæſtio hæc inſtituitur, licet cæteri ſumentes non eximantur ab onere huiuſmodi diſpoſitiones habendi.

Incipiendo igitur à requiſitis ex parte animæ, quæ quoad ſimplicem neceſſitatem ſunt fides, ſtatus gratiæ habitualis, quoad congruum eſſe actualis deuotio, & feruor ſpiritus.

2 Prærequiritur fides, & ſtatus gratiæ.

Dico primò; ad licitam confectionem huius ſacrificij requiritur ex parte conficientis non ſolum fides, ſed etiam ſtatus gratiæ, & hoc non ſolum ratione ſumptionis, quia requiritur in omnibus licitè ſumentibus, ſed etiam ratione confectionis *D. Thomas tertia part. quæſt. 64. art. 6.*, loquens in genere de conficiente omnia Sacramenta in peccato læthali, & *Caieranus*, *Gonet. diſp. 6. art. 4.*, *Suarez diſp. 15. ſect. 4.*, *Vaſquez diſp. 136. cap. 3.*, *Lugus diſp. 8. ſect. 9.*, *Arriaga diſp. 20. ſect. 1.*

Non ſolum deducitur ex varijs textibus iuris Canonici, & præcipuè *in cap. quæſitum de tempor. ordin.*; item *in cap. neceſſe eſt 1. quæſt. 1.*, *& cap. Sacerdotes ibidem*, & auctoritatibus SS. PP., & præcipuè *Auguſtini lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 10.*, vbi habet *Omnia Sacramenta, cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*, ſed etiam ex varijs ſcripturæ locis. *Exod. 19. Sacerdotes, qui accedant ad Dominum, ſanctificentur, & alibi.*

Ratione inſuper ſic euincitur, quia, qui ex ſua prauitate Sacramentorum, ſeu ſacrificij effectum, ad quem ordinata ſunt, impedit, illicitè, & iniurioſè Sacramenta, & ſacrificium tractat, ſed qui Sacramenta, ſeu ſacrificium conficit cum conſcientia peccati læthalis vera pænitentia non expiati, gratiæ puriſſimo Sacramentorum, ſeu ſacrificij effectui obicem ponit, ergo illicitè Sacramentum, ſeu ſacrificium conficit. Hinc SS.PP. ſeriò monent, malos Sacramentorum miniſtros ſe ipſos dumtaxat lædere, & Sacramenta, cum obſint indignè tractantibus, prodeſſe tantum per eos dignè ſumentibus. Confirmatur, quia improbitas Sacerdotis in actu conficientis Sacramentum, vel ſacrificium valdè diſſona eſt ſanctitati actionis, qua conficitur Sacramentum, effectus, qui per Sacramentum confertur, Chriſti, cuius nomine miniſter operatur, conſecrationis, qua ad Sacramentale miniſterium deputatur; vndè in miniſtris antiquæ legis *Exodi 14. Leuitici 19.*, *& Iſaiæ 58.*, maxima ſanctitas præcipiebatur in miniſterio illorum ſacrificiorum, quæ tantum erant figura præſentis ſacrificij, vt præcipuè colligitur ex illo *Leuitici 19. Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum*, &, ſi hæc requirebatur pro ſacrificijs in figura, quid erit de figurato?

Ex his deducere poteris, quam enormitèr, & ſacrilegè peccet miniſter ſacrificij Miſſæ, qui ore polluto non ſolum ſacra myſteria conficit, ſed etiam labijs ſacrilegis ſumit. Sed, an iſte in talis confectione, & ſumptione duplex peccatum ſacrilegij contrahat, alterum ratione confectionis, alterum ratione ſumptionis, non ità certum videtur; certius tamen crederem, nonniſi vnicum, ſed intenſiuè grauius committere, quia licet illæ duæ actiones ſint ſecundum ſe materialitèr ſeparatæ, & vna pertineat ad eſſentiam, altera ad complementum, quia tamen ad inuicem ordinantur ad complendum, & eſſentialitèr, & integralitèr vnum tantum ſacrificium, nonniſi vnum peccatum in conficientem miniſtrum, & ſumentem refundunt. 3 Sic ſacrificans grauitèr peccat. 4 Nō tamē duplex peccatū cōmittit.

Sed, ſi hic quæras, quantum, & quale ſit peccatum, quod committit miniſter conficiens, & ſumens Euchariſtiam in peccato læthali; tunc plura dicam; & primò eſſe peccatum ex genere ſuo læthale in ſpecie ſacrilegij; Quod ſit ex genere ſuo læthale ex eo deducitur, quia eſt cum 5 Eſt in genere ſacrilegij.

grau

graui irreuerentia Sacramenti, & magna iniuria Chriſti inſtitutoris; quod ſit in genere ſacrilegij, ex eo euincitur, quod ſit cum læſione rei ſacræ, & directè opponatur virtuti Religionis. Secundò loquendo comparatiuè ad alia peccata dico, non eſſe grauiſſimum, grauius tamen alijs pluribus; non eſt omnium grauiſſimum, quia peccata, quę opponuntur virtutibus Theologicis ſunt grauiora; & item peccatum, quod directè fit in contemptum eiuſdem Euchariſtiæ, eſt grauius indigna ſumptione Sacerdotis conficientis, & ſumentis in
6 peccato læthali; quale eſſet peccatum, quo quis in contemptum eiuſdem ipſum pedibus conculcaret, vel beſtijs comedendum traderet. Loquendo verò in eodem genere ſacrilegij eſt grauior culpa in conficiente, & ſumente ex malitia, & actuali contemptu, quam in conficiente, & ſumente ex infirmitate, & timore incurrendi infamiam, ſi omitteret confectionem, & ſumptionem; item eſt grauior culpa, ſi conficiat, & ſumat cum grauiori peccato in linea læthalis, ac cum leuiori in eadem linea; item, ſi accedat, conficiat, & ſumat cum pluribus noxis læthalibus; ac ſi ſumat cum vnica dumtaxat, quia in illo eſt maior indignitas.

Non eſt tamen grauiſſimum.

Sed, an, qui confecit, & ſumpſit indignè ratione noxæ læthalis, qua premebatur, teneatur in confeſſione exprimere ſpeciem peccati, ſi vnico tantum erat irretitus, vel ſpecies peccatorum diuerſas, quibus deturpabatur, & numerum eorundem, an verò ſufficiat exprimere ſe conſcium peccati læthalis confeciſſe ſacrificium, & ſumpſiſſe non exprimendo, nec ſpecies, nec numerum. Iuxtà diuerſitatem ſententiarum hæc difficultas dirimenda eſt. Qui ſuſtinent in confeſſione vltrà ſpecies, & numerum peccatorum neceſſariò aperiendas eſſe etiam circumſtantias notabilitèr aggrauantes, ſentiunt ex conſequenti etiam in hac hypotheſi aperiendas eſſe ſpecies, & numerum peccatorum, cum quibus, ſeu cum quo miniſter confecit, & ſumpſit, quia illa ſpecies, & multitudo peccatorum poteſt notabilitèr aggrauare illud peccatum indignæ ſumptionis;
7 Qui verò ſuſtinent, circumſtantias etiam notabilitèr aggrauantes, dummodò non mutent ſpeciem, non eſſe ex neceſſitate aperiendas, ſuſtinent etiam non teneri exprimere, nec ſpecies, nec numerum peccatorum, quia, ſiue confecerit, & ſumpſerit indignè, vel ratione vnius peccati, vel ratione plurium, ſiue in vna, ſiue in altera ſpecie, nonniſi vnicum peccatum indignæ ſumptionis contraxit, ad quod materialitèr ſe habet, quod peccata, ratione quorum indignè ſumpſit, ſint plura, vel pauciora, vel in vna, vel in altera ſpecie. Atque iuxtà hunc ſecundum ſenſum procedunt *Vaſquez diſp.* 207. *c.* 1. *num.* 12., *Lugus diſp.* 14. *ſect.* 1. *num.* 17., *Arriaga diſp.* 45. *ſect.* 1. *nu.* 5., *Laurea diſp.* 25. *art.* 7. *n.* 160., quibus ego adhæreo, cum ſentiam, circumſtantias peccatorum, quantumuis notabilitèr aggrauantes, non eſſe ex neceſſitate in confeſſione aperiendas.

Sufficit, vt exprimat in confeſſione indignam ſumptionem.

Sed quomodo ſibi debeat conſulere Sacerdos ſacrificaturus, qui ſibi læthalis culpæ conſcius eſt. Caietanus ante Concilium Tridentinum expreſsè aſſeruerat, non eſſe obligationem præmittendi Sacramentalem confeſſionem reſpectu illius, qui ſibi conſcius erat læthalis peccati ad confectionem, & ſumptionem Euchariſtiæ, ſed ſufficere, quod ſibi contritus videretur. Sed hanc opinionem expreſsè damnat *Concilium Tridentinum ſeſs.* 13. *cap.* 7. Quarè communicare volenti reuocandum eſt in memoriam illud præceptum. *Probet autem ſeipſum homo*, Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere audeat; quod idem clarius definit idem *Concilium can.* 11. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinacitèr aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat*. 8

Ad ſacrificium prærequiritur confeſſio.

Sed hic oritur difficultas, an præceptum præmittendæ confeſſionis ad confectionem, & ſumptionem Euchariſtiæ proueniat ſolummodò ex lege non ſcripta Eccleſiaſtica, nempè ex illa conſuetudine, de qua meminit *Tridentinum loc. cit.*, an verò ex præcepto Apoſtolico præcisè, quatenus fuerit ab Apoſtolo 1. *Corinth.* 11., impoſitum propria auctoritate, an verò ex aliquo iure Diuino poſitiuo, an tandem ex præcepto naturali conſequente neceſſario inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ, ex natura eiuſdem. Eſſe ex præcepto Eccleſiaſtico ſcripto, & item non ſcripto expreſsè conſtat ex definitione Concilij Tridentini mox recitata. Eſſe etiam ex præcepto Apoſtolico patet ex illis verbis Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 11. *Probet autem ſe ipſum homo*, per quæ verba ſatis communitèr volunt DD. non ſolum præcipi diſcuſſionem, & examen conſcientiæ, tanquam medium, ſed etiam confeſſionem Sacramentalem, tanquam finem; quod tamen præceptum non eſt Apoſtoli, vt Auctoris, ſed vt promulgatoris, non ex ſe præcipientis, ſed tradentis, quod à Domino acceperat iuxtà illud: *Ego enim accepi à Domino* 9

Et hoc etiam ex præcepto Diuino.

mino, quod & tradidi vobis. Eſſe de iure Diuino, vt certum ab omnibus Catholicis admittitur, non tamen certo ſcripturæ loco deſignatur, ſed per traditionem Apoſtolorum à Deo emanatum, vt certum aſſeritur. An verò hoc præceptum fuerit diſtinctum à iure naturali proueniente ex natura rei ex ipſa inſtitutione Sacramenti. Probabilius exiſtimo ex tali iure naturali prouenire, & ex ipſa inſtitutione, quidquid ex aduerſo dixerint *Suarez. diſp. 66. ſect. 3. §. dico ſecundo*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 2. n. 20*. Hoc exigit dignitas, & excellentia huius ſacrificij, & Sacramenti ſupra alia omnia ſuppoſita inſtitutione eiuſdem, & Sacramenti Pænitentiæ. Hoc indicauit ſatis expreſsè factum Chriſti Domini, qui, antequam conficeret hoc ſacrificium, & poteſtatem conferret Apoſtolis illud offerendi, ceremoniam externam ablutionis pedum ipſorum peregit ad abſtergendas ſordes corporis, quod fuit ad indicandum externo ſigno requiri ablutionem internam, & ſpiritualem animæ præſtandam non per actum purè internum, ſed externum iuxta modum à Chriſto inſtituendum reſpectu Apoſtolorum, & inſtitutum reſpectu ſucceſſorum. Hoc etiam declarauit *Apoſtolus 1. Corinth. 11.*, per illa verba *probet autem ſe ipſum homo*, quem textum Cacheranus ipſe contrariæ ſententiæ aſſertor refert non ſolum ad examen, & diſcuſſionem conſcientiæ, tanquam medium, ſed etiam ad Sacramentalem confeſſionem tanquam finem, vndè non percipio, quomodo nunc aſſerat hoc præceptum non eſſe ex vi inſtitutionis naturale, dum nunc exponens dictum Apoſtoli dixit non importare præceptum Apoſtoli, vt Auctoris, ſed promulgatoris, & tradentis, quod à Chriſto Domino acceperat, & inuoluere non ſolum diſcuſſionem conſcientiæ, vt medium, ſed etiam Sacramentalem confeſſionem, vt finem. Id autem, quod Apoſtolus dicit, accepiſſe à Chriſto Domino non eſt aliquod præceptum poſitiuum diſtinctum ab ipſa inſtitutione, cum de illo non conſtet, ſed id, quod ſeriò fecit Chriſtus Dominus implicitè indicando per illam externam pedum ablutionem externam expiationem animæ iuxtà modum à Chriſto inſtituendum per Sacramentalem confeſſionem, quam tunc etiam inſtituit, quod etiam clarius elucet ex eo, quod poteſtas vtriuſque Sacramenti eadem ordinatione conferatur.

10 Quod eſt affirmatiuum.

Quamuis autem hoc præceptum ex Diuina ordinatione, & ex ipſa natura rei proueniat iuxtà modum mox explicatum, non tollitur tamen, quin in aliquibus caſibus poſſit ſacrificium confici, & offerri præmiſſa ſolum contritione, non Sacramentali confeſſione; hi autem caſus reducuntur potiſſimum ad carentiam confeſſarij ex neceſſitate communicandi, ſeu conficiendi ſacrificium. Ratio, cur Sacerdos exiſtens in peccato læthali eximatur in certis caſibus ab onere præmittendæ Sacramentalis confeſſionis, ea eſt, quia licet hoc præceptum implicitè inditum ſit inſtitutioni eiuſdem ſacrificij, & Sacramenti ratione ſupremæ eius excellentiæ, & dignitatis, eſt tamen præceptum poſitiuum, & affirmatiuum; præceptum autem affirmatiuum, quantumuis Diuinum non obligat ad ſemper, & pro ſemper, ergo in aliquibus caſibus non obligat. Quod autem huiuſmodi præceptum ſit affirmatiuum ex eo euincitur, quia ad faciendum pertinet, & ad poſitiuum actum confeſſionis conducit. Quod autem huiuſmodi caſus reſoluantur in carentiam confeſſarij deducitur *ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 7.* Ibi: *Modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod, ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſq; præuia confeſſione celebrauerit, quam primum confiteatur*; ex quibus verbis duo deducuntur, ad hoc, vt Sacerdos poſſit, quando ſibi conſcius eſt peccati læthalis, ſine præuia confeſſione celebrare; primum eſt, quando non eſt copia confeſſarij; ſecundum quando vrget neceſſitas Euchariſtiæ ſumendæ, vel ſacrificij conficiendi. De hoc vtroque plura veniunt hic examinanda. 11 Poteſt quandoq; celebrare non præmiſſa cõfeſſione.

12 Carentia cõfeſſarij qualis eſſe debeat.

Circa primum de carentia confeſſarij quæritur, quandonam hic dicatur ſufficientèr abeſſe ad effectum, vt poſſit Sacerdos ſine confeſſione celebrare. Pro quo aduerte, dupliciter poſſe dici confeſſarium abeſſe; phyſicè ſcilicet, vel moralitèr; tunc dicitur phyſicè abeſſe, quando non eſt præſens præſentia corporali; tunc dicitur abeſſe moralitèr, quando, quamuis ſit præſens præſentia corporali, non eſt tamen præſens moralitèr; quatenus non eſt in ſtatu exercendi poteſtatem propriam, vel, quia mutus eſt, vel penitus ſurdus. Circa abſentiam phyſicam quæritur, quanta debeat eſſe, ſeu quantum debeat diſtare confeſſarius à Sacerdote celebraturo, vt ille dicatur quoad præſentem effectum abeſſe. Certa regula non videtur poſſe aſſignari, cum ratione locorum, perſonarum, & aliarum circumſtantiarum poſſit eſſe ſufficiens maior, vel minor diſtantia localis; maior diſtantia poteſt eſſe ſufficiens reſpectu vnius, & reſpectu alterius minor non erit ſufficiens; vndè regularitèr potius eſt attendendum impedimentum ad adeundum, vel colloquendum eum confeſſario, quam eadem diſtantia, nec impedimentum debet ex neceſſi-

neceſſitate eſſe tale, vt afferat phyſicam acceſſus, & colloquij impoſſibilitatem, ſed ſufficit, quod magnam afferat incommoditatem, & moralem impoſſibilitatem, quæ correſpondet eidem incommoditati; quanta autem debeat eſſe hæc incommoditas arbitrio prudentum remittendum eſt, nec reſpectu omnium idem ſtatuendum eſt, nec etiam reſpectu eiuſdem in diuerſis circumſtantijs; ſic reſpectu Petri, v. gr. non erit difficilis acceſſus ad duo, vel tria milliaria, quod reſpectu Pauli fortè erit impoſſibile, ſi non Phyſicè, ſaltem moralitèr, quinimmò reſpectu eiuſdem Petri hic, & nunc, ſeu in hac circumſtantia duo milliaria non afferent incommoditatem magnam, nec impoſſibilitatem moralem, & in alia circumſtantia vnum dumtaxat milliare talem afferet incommoditatem, vel ratione conditionis viarum, vel ratione ætatis, vel indiſpoſitionis corporis, vel ratione inclementiæ aeris, vel ratione periculi latronum &c.

13 Alia phyſica, alia moralis. Circa verò abſentiam moralem, tunc nemine diſceptante cenſetur Confeſſarius abſens, qui, quamuis ſit præſens corpore, eſt tamen abſens ſenſu, vel, quia penitus mutus, vt non poſſit abſolutionem verbalem impendere, vel ſurdus, vt non poſſit audire confeſſionem. Sed, an in hypotheſi ſurditatis confeſſoris cenſeatur etiam abſens ad hunc effectum eximendi Sacerdotem celebraturum ab onere actualis confeſſionis, quando licet non poſſit confeſſarius audire verba confeſſionis, poteſt tamē per nutus peccata, ſeu ſpecies peccatorum, & numerum percipere. Videtur prima fronte eſſe ſufficientèr abſens, quia modus confitendi per nutus non eſt modus vſitatus, & conſuetus, & non poteſt eſſe, niſi cum magna incommoditate pænitentis, & cum periculo, ne benè peccata percipiantur, vel percipiantur etiam ab alijs à confeſſario. Nihilominus remoto periculo manifeſtationis in ordine ad alios, & habita morali certitudine, quod per nutus peccata percipiētur per ſurdum, arbitrarer, non cenſeri ſufficientèr abſentem, vt Sacerdos non præmiſſa confeſſione hoc modo facienda poſſit celebrare; licitus etenim eſſe poteſt modus confitendi per nutus, quando alitèr fieri non poſſet; crederem tamen in hac hypotheſi, congruentius confeſſionem peragendam eſſe per ſcripturam exhibitam eidem confeſſario ſurdo, in qua continerentur peccata pænitentis, quia tunc ceſſaret periculum manifeſtationis, & certè peccata perciperentur per confeſſarium. Cenſetur item abſens moralitèr, quando confeſſarius habet ſolummodò iuriſdictionem quoad venialia, & non quoad læthalia, & Sacerdos indigens confeſſione ſibi conſcius eſt læthalium, quia tunc perinde eſt, ac ſi non eſſet Confeſſarius.

Sed quid dicendum erit, ſi confeſſarius eſſet quidem præſens, & haberet iuriſdictionem quoad læthalia, non tamen quoad reſeruata, & Sacerdos, qui debet celebrare, haberet reſeruata, an tunc confeſſarius cenſeretur eſſe abſens, ità vt Sacerdos innodatus huiuſmodi reſeruatis non teneretur præmittere confeſſionem. In hoc varias inuenio opiniones. 14 Quid agēdum, ſi confeſſarius nō habeat poteſtatem abſoluendi à reſeruatis.

Prima eſt *Vaſquez tertia part. diſp. 208. cap. 2., & de pænitentia quæſt. 91. art. 3. dub. 9.*, aſſerentis in hac hypotheſi, poſſe Sacerdotem celebrare, non præmiſſa Sacramentali confeſſione, quia tunc confeſſarius idoneus intelligitur moralitèr abeſſe ob defectum iuriſdictionis in ordine ad reſeruata, nec licitum ſit dimmidiare confeſſionem. 15 Sentētia Vaſquez.

Secunda eſt *Dianæ part. 2. tract. 14. reſol. 65., & part. 3. tract. 4. reſol. 104.*, aſſerentis valdè probabile eſſe, poſſe Sacerdotem innodatum reſeruatis ſubijcere clauibus non reſeruata reticitis reſeruatis, non tamen ad hoc teneri, ſicque tenetur ſentire confeſſarium moralitèr non abeſſe quoad poteſtatem, vt poſſit Sacerdos eidem confiteri, non quoad vim ipſum obligandi ad confitendum. 16 Sentētia Dianæ.

Tertia eſt *Arriagæ diſp. 46. ſect. 3.*, docentis confeſſarium, tunc cenſeri ſufficientèr moralitèr præſentem, non ſolum quoad effectum, vt Sacerdos innodatus reſeruatis poſſit eidem confiteri, & præmittere confeſſionem ſacrificio, ſed etiam quoad effectum ipſum obligandi ad præmittendam confeſſionem; & rationem adducit, quià ex vno capite adeſt præceptum Diuinum præmittendi ſacrificio Sacramentalem confeſſionem reſpectu eius, qui ſibi conſcius eſt læthalium, & ex alio poteſt confeſſionem dimmidiare, & ſi poteſt, vtique tenetur; quod autem poſſit, ex eo deducit, quia, quando quis ex confeſſione rationabitèr timet ſibi graue damnum imminere, poteſt peccatum, ex quo timet illud damnum, reticere, ergo etiam poterit reticere peccatum reſeruatum, cùm ex illius confeſſione graue onus ſibi immineat bis idem peccatum confitendi, nempè illi confeſſario, qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, à quo propterea, niſi ad ſummum indirectè poteſt abſolui, & alteri habenti facultatem abſoluendi, à quo directè abſoluatur. 17 Sentētia Arriagæ.

Quarta eſt *Cacherani tract. 9. de Eucharistia, vt Sacramento cap. 4. §. 2. num. 34.*, diſtinguentis hoc pacto, vel etenim Sacerdos celebraturus eſt innodatus tantum mortalibus, & vtique omnibus reſeruatis,

vel

vel eſt innodatus mortalibus aliquibus non reſeruatis, & alijs reſeruatis; ſi tantum reſeruatis ſit innodatus, videtur ſentire, perindè ſe habere, ac ſi non haberet copiam confeſſarij, ac propterea non præmiſſa confeſſione, ſed poſita contritione poſſe celebrare, quia tunc, nec directè, nec indirectè poteſt ab illo confeſſario abſolui, ſi verò eſt innodatus mortalibus alijs reſeruatis, alijs non reſeruatis, tunc videtur ſentire cum tertia ſententia, teneri nõ reſeruata confiteri, vel ſimul cum reſeruatis, vel fortè etiam reſeruatis reticitis, quia tunc per abſolutionem directam à non reſeruatis, intelligitur abſolui indirectè à reſeruatis cum onere tamen illa ſubijciendi confeſſioni apud confeſſarium habentem facultatem abſoluendi ab eiſdem reſeruatis.

18 Præfertur ſententia Cacherani.

Huic quartæ opinioni adhæreo quoad vtramque partem; & quidem quoad primam non videtur hæſitandum, cum nulla ſit poteſtas in confeſſario, nec directè, nec indirectè ab illis abſoluendi; quod, ſi dixeris in ea hypotheſi poſſe indirectè abſolui, quatenus, licet habeat læthalia duntaxat reſeruata, poſſit tamen habere venialia, per quorum abſolutionem ſuppoſita ipſorum confeſſione ab eiſdem reſeruatis abſoluatur indirectè; tunc aliqui reſpondent, hoc non officere, nec obligare pænitentem ad venialia clauibus ſubijcienda, cum hæc non cadant ſub præcepto. Sed *Arriaga loc. cit.*, exiſtimat ex neceſſitate huiuſmodi venialia eſſe confeſſioni ſubijcienda ad effectum conſequendi abſolutionem indirectam à reſeruatis, & ad obiectum, quod venialia non cadant ſub præcepto confeſſionis, reſpondet, quod, licet non cadant per ſe ſub tali præcepto, cadant tamen per accidens ex ſuppoſitione, quod teneatur ad communionem accedere, ad quam requiritur ſtatus gratiæ, non quomodocunque, ſed cum ea maiori certitudine morali, qua poteſt, quæ maior certitudo habetur per confeſſionem quantumuis venialium ſolummodò, quam per

19 Soluuntur nonnulla dubia.

contritionem; per confeſsionem autem ſolummodò venialium videtur poſſe haberi etiam indirecta læthalium reſeruatorum; cum etenim etiam venialia remittantur per gratiam remiſsiuam, non per ſolam externam condonationem, & gratia repugnet cum peccato læthali per aduentum eiuſdem gratiæ ceſſare debent peccata læthalia, quæ ſunt imcompoſsibilia cum ipſa. Quoad ſecundam ſatis euincitur per rationem ſuperius adductam, quod ſcilicet per abſolutionem à peccatis læthalibus non reſeruatis intelligantur & indirectè abſoluta, & læthalia reſeruata. Sed, an in hac ſuppoſitione exiſtentiæ peccatorum læthalium reſeruatorum cum non reſeruatis, poſsint ſolummodò ſubijci clauibus non reſeruata reticitis reſeruatis, an verò omnia ex neceſsitate ſint ſubijcienda, tunc *Arriaga loco cit.*, videtur ſentire, poſſe ſolummodò ſubijci non reſeruata, cum exiſtimet poſſe fieri dimmidiatam confeſsionem, ne teneatur bis eadem peccata confeſsioni ſubijcere, quod eſt onus valdè graue eidem pænitenti. Sed *Suarez diſp. 66. ſect. 4.*, *Nugnus quæſt. 80. art. 4.*, *Reginaldus lib. 29. num. 103.*, *Auerſa q. 8. ſect. 6.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 7. art. 8. n. 14.*, ſentiunt teneri omnia, tam reſeruata, quam non reſeruata ſubijcere, eo quia illud onus bis ſubijciendi eadem peccata non ſit tale, vt præponderet præcepto Diuino de integritate Sacramenti. Hanc ſecundam opinionem tutiorem crederem, niſi eſſet moralis certitudo, quod confeſſarius ob peccata reſeruata, ad quæ non habet facultatem, non eſſet abſolutionem elargiturus, quia tunc eſſet ſufficiens ratio dimmidiandi eandem confeſſionem vrgente ex alio capite onere acquirendi ſtatum gratiæ per remedia certiora.

20 Alia dubia diluuntur.

Hic diſputant DD., an ſufficientèr intelligatur confeſſarius moralitèr abeſſe; vt celebraturus vrgente neceſſitate celebrandi eximatur ab onere præmittendi confeſſionem, primò, quando quidem adeſt idem confeſſarius, ſed talis eſt, vt apud ipſum nequeat pænitens confiteri, niſi cum minori deuotione, & vtilitate, aut cum maiori rubore, & verecundia. Hoc contingeret primo, quando non eſſet confeſſarius proprius, cui ſolet pænitens deuotius, & vtiliùs confiteri; ſecundò, quando pænitens eſt Regularis, & non adeſt, niſi Confeſſarius ſæcularis, apud quem timet amittere bonam exiſtimationem propriam, & famam ſuæ Religionis. In primo caſu *Riccardus in quarto diſtinct. 17. art. 3. quæſt. 4.*, *Silueſter verbo Euchariſtia 3. quæſt. 14.*, ſentiunt tunc intelligi confeſſarium cenſeri moralitèr abeſſe, vt celebraturus eximatur ab onere præmittendæ confeſſionis. In ſecundo idem ſentiunt *Roſella, & alij Summiſtæ*. Sed contrarium in vtroque caſu tutius eſſe arbitror cum *Suarez diſp. 66. ſect. 4. §. circa primam Gonetto diſp. 9. art. 2. n. 27.*, *Cacherano tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 2. num. 34.*, *Maderno tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 7. art. 8. num. 5.*, quia reuerentia Sacramento, & præcepto Diuino debita debet præualere priuatæ vtilitati, & deuotioni, & notæ maioris ruboris, & verecundiæ.

Circa ſecundum punctum ſupra propoſitum de neceſſitate vrgente ſumendi Eucha-

cha-

chariſtiam, vel conficiendi ſacrificium, qua ſolum exiſtente poteſt Sacerdos ſacrificaturus non præmiſſa Sacramentali confeſſione cum ſola contritione celebrare, vel alius ſumere Euchariſtiam non exiſtente copia confeſſarij, quæritur modo, qualis debeat eſſe hæc neceſſitas? Varios caſus talis neceſſitatis recenſent DD., per quos breuitèr nos tranſcurremus eos approbando, qui talem neceſſitatem important, alios reprobando, qui cum eadem ſaltem ſufficientèr non compatiuntur.

21 Non exiſtente Sacerdote, niſi muto poteſt accipi ab eodem viaticũ ſine confeſſione.

Primus eſt, quando Sacerdos, vel alius conſtituitur in neceſſitate ſumendi viaticum exiſtente mortis periculo, nec adeſt Sacerdos, qui poſſit abſoluere, puta, quia mutus omninò eſt, nec poteſt proferre formam abſolutionis, tunc etenim elicito actu contritionis poteſt, vel ab eodem Sacerdote muto, vel à Diacono viaticum ſumere; nec in hoc eſt, qui dubitet. Hic tamen caſus, vt per ſe patet, non eſt proprius Sacerdotis ſacrificaturi, ſed communis cuicumque ſumpturo viaticum.

22 Etiam ad communicandũ exiſtentẽ in mortis periculo poteſt Sacerdos celebrare.

Secundus, quando adeſt neceſſitas alterum communicandi per modum viatici exiſtentem in proximo mortis periculo, quia præceptum tribuendi viaticum proximè morituro præponderat illi præcepto conficiendi ſacrificium reſpectu exiſtentis in peccato læthali præmiſſa confeſſione Sacramentali; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Sacerdos etiam in ordine ad communicandum morte periclitantem non poſſit ſacrificare non ieiunus, & ſine veſtibus Sacerdotalibus, & propterea multominus, ſi exiſtat in peccato læthali, ſine confeſſione Sacramentali, cum fortius vrgeat præceptum præmittendæ confeſſionis, cum ſit Diuinum, quam ſacrificandi in ieiunio, & veſtibus Sacerdotalibus, cum hoc ſit purè Eccleſiaſticum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè obſeruant *Lugus diſp. 14. ſect. 5. num. 110.*, *Arriaga diſp. 46. ſect. 3. ſubſect. 3.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. ſect. 2. num. 35.*, impedimentum peccati eſt occultum, & poteſt per contritionem remedium confeſſionis ſuppleri; impedimentum autem ieiunij fracti, & defectus ſacrarum veſtium eſt manifeſtum, nec vllo remedio ſuppleri poteſt. Sed hæc reſponſio in ordine ad Sacerdotem non ieiunum quoad manifeſtum eſſe, latam patitur inſtantiam in eo, qui ieiunium fregerit alijs omnibus ignorantibus; ſed reſpondere poſſunt præcitati DD., quod licet fractio ieiunij non ſit manifeſta, requiratur tamen ſimul, & ſemel, vt defectus eiuſdem ieiunij per quid aliud ſuppleatur, ſicuti ſuppleri debet defectus actualis confeſſionis per contritionem, quod ſupplementum defectus ieiunij neutiquam per aliud haberi poteſt. Sed de hoc fortè occurret infrà ſermo vberior.

23 Etiam ad vitãdam grauem infamiã.

Tertius caſus eſt, quando deficiente copia confeſſarij emergeret periculum grauis, & notabilis infamiæ, ſi Sacerdos a ſacrificio abſtineret. Hoc contingeret in caſu, quo Sacerdos iam Miſſam inchoaſſet, & tunc recordaretur alicuius peccati læthalis non confeſſi, aut tunc nouum peccatum læthale committeret; non enim teneretur, aut ſacrificium inceptum relinquere, aut ad Altare confeſſarium accerſere, quia quodcunque ex his fieret, ſemper redoleret in grauem ipſius infamiam. Sed, quid eſſet dicendum, ſi Sacerdoti actu celebranti alius Sacerdos confeſſarius inſeruiret, an, tunc Sacerdos celebrans teneretur accerſere Sacerdotem inſeruientem, & illi confiteri? Crederem, vtique teneri, ſi non adeſſent alij, qui ſacrificio aſſiſterent, quia tunc non poſſet dici non adeſſe copiam confeſſarij, nec aliqua infamiæ nota conſurgeret.

24 Quandonam eſſet periculũ illius infamiæ.

Sed, an id, quod dicitur de Sacerdote celebrante, quod ſcilicet inchoato ſacrificio præmiſſa præcisè contritione poſſit ſacrificium proſequi, & abſoluere, ne infamia notaretur, poſſit etiam dici de Laico, qui iam acceſſit ad cancellos communicaturus, & tunc recordatur alicuius peccati læthalis non confeſſi; Si re vera adeſſet rationabile periculum grauis infamiæ, aut ſcandali in adſtantibus, vtique concederem poſſe communicare præmiſſo præcisè actu contritionis; ſed fateor, me vix percipere periculum huiuſmodi infamiæ, & ſcandali, cum plurimi in dies videantur accedere, & recedere, nec tamen notantur infamia, nec ſcandalum ingerunt. Si tamen quis ſpeciatim exiſtens propè cancellos petijſſet ſacram ſinaxim, & poſtea recordaretur peccati læthalis, tunc certè aſſererem, poſſe communionem proſequi emiſſo ſolummodò contritionis actu, quia ſecus incurreret notam infamiæ.

25 Etiam ne priuetur populus Miſſa in die feſto.

Quartus eſt, quando, ſi Sacerdos non celebraret, populus in die feſto priuaretur ſacro, cum alius non adeſſet, qui celebraret, & hoc non ſolum ratione infamiæ, quæ poſſet cedere Sacerdoti non celebranti, & ſcandali, ſed etiam ratione damni in eodem populo ob carentiam ſacrificij in illo die feſti. Sed, an hoc ſolum intelligendum ſit in Parocho, qui ex proprio munere tenetur curare, vt populus ſacrum audiat ad adimplendum preceptum Eccleſiaſticum, an verò in quocunque alio Sacerdote exiſtente in aliquo loco, in quo alius Sacerdos non exiſtat. *Madernus tract. 3. de Euchariſtia ſacrificio quaſt. 7. art. 8. num. 21.*, videtur hunc caſum coarctare ad ſolum Parochum ob onus, quod illi incum-

incum-

incumbit, curandi, ne populus ſacro in die feſto careat. Sed ego ampliando arbitrarer, hoc onus etiam afficere alium Sacerdotem, qui ſolus exiſteret in tali loco, ſi ſolitus fuiſſet alijs diebus non feſtiuis quotidiè celebrare, quia, quamuis ipſe non teneatur ex proprio munere curare, vt populus ſacrum audiat, tenetur tamen ſaltem ex charitate non impedire, vt audiat, & non celebrando pro die feſto, cum diebus ferialibus ſolitus eſſet celebrare, ingereret non modicam ſpeciem ſcandali, nec notam infamiæ effugeret.

26 *Non ſufficit cauſa præciſa adimplēdi onus Paſchalis communionis.*

Quintus caſus adiungitur ab aliquibus, & præcipuè *à Paludano in 4. diſt. 9. quæſt. 4. concl. 10., Enriquez lib. 8. de Euchariſt. cap. 46. § 4., Lugo diſp. 14. ſect. 5. nu. 116.,* quando ſcilicet ipſe Sacerdos exiſtens in peccato læthali teneretur ratione feſti ſacrum audire, nec alius eſſet, qui poſſit celebrare, quod etiam extenditur ad caſum, quando vrgeret præceptum communionis Paſchalis, nec adeſſet confeſſarius, quia tunc poteſt adimpleri præceptum Eccleſiaſticum, nec præceptum Diuinum præmittendæ Sacramentalis confeſſionis, vrget propter impotentiam ob defectum confeſſarij. Sed hunc caſum ſufficientem eſſe ad eximendum ab onere præmittendæ confeſſionis negant *D. Antoninus in ſumma tertia parte tit. 13. num. 6. §. 7., Herinez diſp. 6. quæſt. 6. num. 79., Suarez diſp. 66. ſect. 4. §. maior difficultas,* quia præceptum Euchariſticum non obligat, quando non poteſt impleri conuenienti modo; non poteſt autem impleri conuenienti modo, quando ſolummodo impleri poteſt cum tranſgreſſione alterius præcepti, maximè, ſi hoc ſit Diuinum. Alij tunc caſum approbant tanquam ſufficientem, ſi ſit cum additamento alicuius periculi infamiæ, ſeu ſcandali ratione omiſſionis, reprobant verò, ſi ſit ſine tali additamento; exiſtimant enim, quod præceptum ſumendæ Euchariſtiæ in Paſchate non ſit tale, vt obliget etiam exiſtentem in peccato læthali ſine præuia confeſſione. Hanc tertiam opinionem tutiorem exiſtimo, & in praxi obſeruandam propter rationes pro eadem adductas.

27 *Tenetur etiā præmittere confeſſionem peccati obliti, ſi illius recordetur ante communionem.*

Pro ſexto caſu eum aliqui aſſignant, quo Sacerdos, v. gr. confeſſionem præmiſiſſet, ſed in eadem oblitus fuiſſet alicuius peccati læthalis, cuius, ſi recordaretur ante confectionem ſacrificij aſſerunt poſſe ſacrificare non præmiſſa illius confeſſione, rationemque adducunt, quia ex vna parte iam adimpleuit præceptum præmittendæ confeſſionis, ex alia parte illud peccatum, cuius oblitus eſt in confeſſione, intelligitur ſaltem indirectè remiſſum per abſolutionem aliorum peccatorum, quæ confeſſus eſt. Hic tamen caſus eſt abſolutè reijciendus, quandoquidem præceptum præmittendæ confeſſionis non obligat præcisè ad confitendum, ſed ad confitenda omnia peccata lethalia ante confectionem ſacrificij, vel communionem; atque ita intelligunt hoc præceptum *Suarez diſp. 66. ſect. 4. verſ. ſed huius occaſione, Lugus diſp. 14. ſect. 6., Diana part. 1. tract. 14. reſol. 48., Arriaga diſp. 46. ſect. 3. ſubſect. 2., Madernus tract. 3 de Euchariſt. Sacrament. quæſt. 7. art. 8. num. 16.* Intellige, niſi alia concurrant, vel ratione infamiæ, vel ſcandali, vel damni, quæ excuſent ab onere talis peccati læthalis obliti pro tunc, quando vrget neceſſitas ſacrificandi, vel ſumendæ communionis, clauibus ſubijciendi.

Alios caſus alij recenſent, quos ſufficientes exiſtimant ad deobligandum ab onere præmittendæ confeſſionis ante confectionem ſacrificij, vel communionem, puta ad ſatisfaciendum voto ſacrificandi, vel communicandi in aliquo peculiari feſto, ad non interrumpendam conſuetudinem frequentis communionis, ad non fraudandum ſe fructu ſpecialis deuotionis, aut ad lucrandam indulgentiam. Sed hos omnes, & ſimiles caſus non arbitror ſufficientes ad eximendum à tali onere; non etenim præponderant præcepto Diuino ſe conſtituendi in ſtatu gratiæ per remedium tutius. 28 *Alij caſus recenſentur.*

29 *Tenetur tamen præmittere contritionē.*

In caſibus tamen omnibus præmiſſis, in quibus eximimus reum culpæ læthalis ab onere præmittendæ confeſſionis ante confectionem ſacrificij, vel communionis, non eximimus tamen ab onere præmittendæ contritionis ſaltem exiſtimatæ. In hoc conſentiunt ferè omnes, licet diſcrepent aliqui recentiores innominati apud *Suarez d. diſp. 66. ſect. 5.,* volentes ſufficere ſolam attritionem, qui tamen temeritatis cenſura notantur ab eodem *Suarez loc. cit.* Ratio in vniuerſum ea eſt, quia ad accedendum licitè ad Sacramenta viuorum requiritur in accedente ſtatus gratiæ ſaltem exiſtimatus, quia Sacramenta viuorum ſupponunt vitam, quæ per ſolam gratiam habetur, ergo etiam ad conficiendum ſacrificium Miſſæ, vel ad ſumendam Euchariſtiam talis ſtatus requiritur, quinimmò à fortiori, cum hæc, ſeu hoc ſit alijs dignius, & excellentius propter excellentiorem dignitatem rei oblatæ; ſed reus culpæ læthalis non confeſſæ, & cuius contritionem ſaltem æſtimatam non habet, non poteſt dici habere ſtatum gratiæ, cum in peccatore aliundè haberi non poſſit, niſi vno, vel altero ex dictis remedijs confeſſionis, vel contritionis, ergo &c.

Neque dicas primò, quod, quando eſt

ratio

30 ratio excuſans ab onere præmittendæ confeſſionis, vel ad ſacrificium, vel ad communionem ex nulla lege præcipiatur præuia contritio; non lege naturali, quia hæc obligat tantum ad dignè, & ſanctè tractanda ſacra; non aliquo iure poſitiuo, Diuino, vel Eccleſiaſtico, quia hoc ſolum obligat ad præmittendam confeſſionem, quando poteſt, non autem contritionem; nam, ſicuti, qui tenetur confiteri in Quadrageſima, ſi non poſſit, non propterea tenetur emittere contritionem, ita &c. Secundò, quia peccator exiſtens in peccato læthali communicans cum ſola atritione, quamuis ſit ſine præuio ſtatu gratiæ, non impedit Euchariſtiæ effectum, nec ponit obicem poſitiuum, cum non committat nouum peccatum, ergo licitè communicat, adeoque, ſi ſit Sacerdos etiam licitè ſacrificat. Tertiò, quia contritio purè exiſtimata non confert ratione ſui ad effectum Sacramenti, nec perficit intrinſecè actum atritionis, nam demus, quod illa contritio exiſtimata non ſit vera contritio, vtique illam habens accedit cum ſola atritione, & tamen hæc eſt ſufficiens ad effectum Euchariſtiæ, non ſola atritio eſt ſufficiens &c. Contra enim impugnaberis, & quidem ad primum dico, contritionem, vbi haberi non poteſt Sacramentalis confeſſio, requiri ex lege naturali, quod latè probat

Nonnulla contraria eliduntur.

31 *Suarez d. diſp. 66. ſect. 5. verſ. ſolum ſupereſt* deducta ratione ex dignitate, & excellentia huius ſacrificij, ſeu Sacramenti, & latè deducitur ex dictis per nos ſuprà, vbi ſtatuimus Sacramentalem confeſſionem ex lege naturali Diuina prærequiri ad hoc ſacrificium, & ſumptionem Euchariſtiæ, quod militat à fortiori de contritione, quando confeſſio haberi non poteſt; nec militat ratio de eo, qui v. gr. in Quadrageſima obligatus eſt ad confeſſionem Sacramentalem, quam, ſi nequit ex legitima cauſa emittere, non propterea tenetur pro eo tempore ad actum contritionis eliciendum; Non militat, inquam, quia pro eo tempore onus confeſſionis obligat ſecundum ſe, non in ordine ad aliud, quæ propterea, ſi fieri non poteſt, nec ratione ſui, nec ratione alterius obligat ad contritionem; onus autem confeſſionis in affecto peccato læthali ad confectionem ſacrificij, vel Sacramentalem communionem obligat ratione alterius, nempè ratione ſacrificij, vel communionis, quæ propterea confeſſio, ſi haberi non poteſt, ſupplenda eſt per contritionem, vt conſtituatur in ſtatu gratiæ requiſito ad huiuſmodi confectionem, vel communionem.

Contritio in hac hypotheſi requiritur de lege naturali.

Ad ſecundum abſolutè negandum eſt, accedentem cum ſola atritione cognita, vt tali non ponere obicem ad effectum Euchariſtiæ, nec ipſum impedire; quinimmò eſt accedere cum nouo peccato, ſiquidem certum eſt, hoc eſſe Sacramentum viuorum, quod exigit ſtatum gratiæ in accedente; qui autem accedit cum ſola atritione cognita, vt tali, non accedit apertè in ſtatu gratiæ, cum atritio per ſe gratiam non conferat, nec arbitrandum eſt, eam conferre ſimul cum Sacramento, quandoquidem ex ſuperius dictis Euchariſtia non habet ex ſe de atrito facere contritum; tum quia debet ſupponere ſtatum gratiæ in ſumente ſaltem exiſtimatum, non conferre. 32

Sola atritio cognita, vt talis non ſufficit.

Ad tertium fateor, contritionem præcisè exiſtimatam nihil in re addere ſupra atritionem, ſed ſolummodò quendam reſpectum ad bonam fidem accedentis, quæ, an ſufficiat ad effectum Sacramenti acquirendum, valdè controuerſum eſt apud Doctores, qui licet regulariter in eo conueniant, quod atritio cognita, vt talis, non ſufficiat, non conueniunt tamen in eo, quod contritio exiſtimata ſufficiat. Probabilius ego arbitror iuxtà ſuperius dicta non ſufficere ad effectum eiuſdem conſequendum; ſufficere tamen ad recipiendum idem Sacramentum ſine nouo peccato, cum bona fides, & exiſtimatio contritionis ad eodem excuſet, quod ſufficit ad præſens intentum. 33

Nec contritio purè putata.

Hoc, quæ hactenus diximus, reſpiciunt diſpoſitionem requiſitam, vel in Sacerdote ſacrificante ex neceſſitate ſine confeſſione Sacramentali præuia ex inopia confeſſarij, antequam ſacrificet, vel in ſumente ex eadem neceſſitate, antequam ſumat; Nunc explicandum venit, quid agere debeat Sacerdos poſt peractum ſacrificium, quando ſacrificauit ſine confeſſione, quando antecedentèr ſibi conſcius erat peccati læthalis, an ſcilicet teneatur ſtatim habita copia cōfeſſarij confeſſionem peragere, & quo iure, &, an id, quod dicitur de Sacerdote, qui ſacrificauit ſine confeſſione, dicendum etiam ſit de laico, qui ſumpſit eadem confeſſione non præmiſſa, ita vt, ſicuti, ſi ille teneatur, quam primum confiteri, ita & iſte teneatur.

Sacerdotem, qui ſacrificauit non præmiſſa confeſſione, teneri quam primum confiteri, eſt expreſsè definitum per *Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7.* Ibi- *Quod, ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quam primum confiteatur*, & licet aliqui hanc Concilij diſpoſitionem referant ad ſolum conſilium, non ad præceptum, cum Concilium non loquatur per verba præceptum importantia, nihilominus incongruè ad ſolum conſilium referunt, cum Concilium loquatur per verba imperatiui modi, nempe *confiteatur*, quæ, vt plurimum important 34

Sacerdos poſt peractum ſacrificium tenetur in prædictis caſibus, quam primum confiteri.

præceptum, nec modo amplius ambigendum eſt de tali præcepto ſtante declaratione *Alexandri VII. ſub die 18. Martij 1666.*, qui inter cæteras damnauit propoſitionem in ordine trigeſimam octauam, qua dicebatur. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum.*

Dixi *Sacerdotem, qui ſacrificauit &c.*

35 Intellige, ſi verè ſacrificauit. Sed quid dicendum erit de Sacerdote, qui non ſacrificauit, ſed ſine præuia confeſſione vrgente neceſſitate præcisè communicauit, ſeu Euchariſtiam ſumpſit? In hac hypotheſi abſolutè ſentio, præceptum Tridentini ad ipſum non referri, quandoquidem loquitur ſolum de Sacerdote, qui ſine confeſſione celebrauit, non qui præcisè communicauit communione quodamodo laicali; vndè de eodem idem dicendam erit, quod dicetur infrà de laicis.

36 Quid dicendum ſit de eo, qui ſuppleuit ſacrificium alterius, qui deceſſit poſt conſecrationem. Rurſus, quid erit dicendum de Sacerdote, qui propriè non ſacrificauit conſecrando, ſed poſt conſecrationem à Sacerdote factam, qui poſt eandem immediatè improuiſa morte peremptus eſt, ſacrificium perfecit, vel de eo Sacerdote, qui officium feriæ ſextæ in Paraſceue, in quo non fit conſecratio, peregit, an iſti comprehenduntur ſub diſpoſitione Concilij Tridentini præcipientis Sacerdotem, qui ſine præuia confeſſione celebrauit, confiteri quam primum? *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrament. cap. 4. §. 3. num. 62.*, allegatis *Siluio quæſt. 80. art. 4. quæſit. 2. §. de illo autem, Suarez diſp. 66. ſect. 6., Lugo diſp. 14. ſect. 7. num. 139., Amico diſp. 26. num. 34.*, abſolutè ſentit in vtroque recenſito caſu Sacerdotem comprehendi ſub diſpoſitione Concilij adducta etiam ratione, quia Sacerdos in vtroq; caſu communicat communione Sacerdotali partialitèr ſacrificando, & exercendo actionem Sacerdotis propriam. Sed non modicum negotij videtur faceſcere aduerſus eundem Cacheranum id, quod ipſe docuit *de ſacrificio Miſſæ cap. 2. §. 3. nu. 41.*, ipſum ſcilicet eſſentialitèr in ſola conſecratione conſiſtere, ità vt hæc ſit tota eſſentia eiuſdem; *eodem cap. 2. §. 2. num. 29.*, non offerri in die Paraſceues verum ſacrificium pro vera actione ſacrificandi acceptum, & tunc nihil fieri in perſona Chriſti, totumque, quod tunc fit, eſſe cæremoniam ab Eccleſia inſtitutam; ex quibus infertur, quod, ſi tota eſſentia in conſecratione conſiſtat, incongruè dicat Cacheranus, quod Sacerdos partialitèr ſacrificet; totum enim, quod eſt extra eſſentiam adæquatam ſacrificij, nec partialitèr poteſt ad eſſentiam eiuſdem ſacrificij pertinere, &, ſi nec partialitèr ſacrificat, quomodo poteſt ſubdi legibus Sacerdotis formalitèr ſacrificantis? Non enim, vt ſupra dicebamus, præceptum Tridentini afficit Sacerdotem quomodocunque, ſed Sacerdotem, vt ſacrificantem; &, ſi nihil fit in perſona Chriſti, ſed totum, quod fit, eſt mera cæremonia Eccleſiaſtica, quomodo Sacerdos poteſt obligari ad ea, quæ iniunguntur præcisè ratione ſacrificij, quod fit in perſona Chriſti? Sed ad hæc omnia reſpondere poterit Cacheranus, quod, licet ſint extra eſſentiam ſacrificij, non ſint tamen extra ſubſtantiam eiuſdem, adeoque Sacerdotem dici partialitèr ſubſtantialitèr ſacrificare, licet non partialitèr eſſentialitèr, eaſque actiones exercere verè ex officio Sacerdotali, non merè laicali, ac proindè obſtringi præcepto Tridentini. Sed, quamuis hæc Cacherani reſponſio poſſet ſubſiſtere in ordine ad Sacerdotem ſupplentem vices Sacerdotis mortui poſt conſecrationem, quia tunc iſte diceretur ſubſtantialitèr complere ſacrificium, licet non eſſentialitèr, non videtur tamen poſſe ſubſiſtere in ordine ad Sacerdotem exercentem officium feriæ ſextæ Paraſceues, quia, cum tunc nullum fiat ſacrificium, non poteſt dici eiuſdem ſubſtantiam complere. Deindè durum videtur aſſerere, quod præceptum illatum contra Sacerdotem ſacrificantem extendatur etiam aduerſus Sacerdotem verè non ſacrificantem, ſed præcisè integralitèr complentem. Certè idem met *Cacheranus ibidem num. 63.*, aſſerit, quod verba Concilij quoad vim obligandi ſumi debeant, vt ſonant; verba autem ſonant celebrationem Miſſæ. Ibi *abſque præuia confeſſione celebrauerit*, quæ non conſiſtit in mero complemento ſubſtantiali, ſed potius in eſſentiali perfectione, cum omnes fateantur Concilij præceptum eſſe ſtrictè intelligendum. Hæc omnia mihi magnam vim faciunt; propter tamen communem conſenſum in ſententiam contrariam ab illa non diſcedendum exiſtimo.

37 Quid de eo, qui peregit officium feriæ ſextæ in Paraſceue.

Rurſus, quid erit dicendum de Sacerdote, qui vrgente neceſſitate ſine præuia confeſſione celebrauit, nec in defectum confeſſionis præmiſit contritionem, nec propoſitum confitendi poſt eandem celebrationem habita copia confeſſarij, an iſte obligabitur præcepto Tridentini ad confitendum quam primum. Affirmatiuè reſpondendum eſt, cum *Vaſquez diſp. 208. cap. 3. nu. 23., Amico diſp. 26. n. 33., Lugo diſp. 14. ſect. 7. num. 149.* Ratio ex eo deducitur, quia in hoc militant ea omnia, quæ ex diſpoſitione Concilij requiruntur, neceſſitas ſcilicet, negatio confeſſionis, nec Concilium requirit ad obligandum ad confitendum quam primum contritionem, 38 Qui vrgente neceſſitate celebrauit ſine contritione tenetur, quam primum confiteri.

nem, aut propoſitum confeſſionis peracto ſacrificio, ergo non eſt, cur iſte non obligetur huiuſmodi præcepto; Neque dicas, quod, ſicuti ex infrà dicendis, ſi confeſſio omiſſa fuerit non ex inopia confeſſarij, ſed ex voluntate, ſeu malitia Sacerdotis, qui ſacrificauit, non obligetur ex vi Tridentini peracto ſacrificio quam primum confiteri, ita, ſi contritio fuerit omiſſa non ex aliqua impotentia, ſed ex voluntate, ſeu malitia eiuſdem, etiam non obligetur, quandoquidem contritio eſt ſubſtituta in ſubſidium confeſſionis; Contra enim impugnaberis, quia non ſubſiſtit paritas, quandoquidem Concilium loquitur præcisè de confeſſione omiſſa ex neceſſitate, non autem de contritione, cuius propterea diſpoſitio non eſt extendenda vltra id, quod verba ſonant, nec etiam ex paritate rationis, cum verſemur in præcepto poſitiuo, quod eſt ſtricte intelligendum.

39 Celebrās ſine neceſſitate in peccato læthali non tenetur, quā primum cōfiteri. Hinc deduces, quod, ſi ſine neceſſitate exiſtente confeſſario miniſter ſacrificij ſibi conſcius de peccato læthali omiſerit confeſſionem præmittere ſacrificio, non teneatur eodem peracto, quam primum confiteri; quandoquidem, vt mox innuebam, Concilium ſolum loquitur, quando confeſſio omiſſa eſt ſolummodò vrgente neceſſitate, nec haberi poteſt copia confeſſarij, quod propterea non eſt extendendum ad caſum non exiſtentis neceſſitatis; quod, ſi dicas, quod videatur à fortiori obligari ille, qui ex malitia, & propria voluntate omiſit confeſſionem, ac obligetur ille, qui neceſſitate cogente omiſit; quandoquidem iſte omittendo confeſſionem non peccauit, ille verò grauitèr peccauit; adeoque, ſi primus tenetur ex præcepto Tridentini confiteri quam primum, à fortiori tenebitur ſecundus; Statim impugnaberis, quia in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui aggrauantis non valet argumentum necà paritate, necà maioritate rationis, ſed ſtandum eſt præciſis verbis legis obligantis; lex autem Tridentini loquitur præcisè de ſacrificante vrgente neceſſitate non præmiſſa confeſſione, non autem de ſacrificante illa omiſſa ex malitia, vel prauæ voluntatis affectu; quod, ſi quæratur ratio diuerſitatis, tunc dicere poſſumus, non eſſe quærendam mentem legiſlatoris quoad non expreſſa in lege ad extendendam vim eiuſdem legis, quando verba eiuſdem coarctant ad caſum in eadem lege expreſſum; Si tamen coniectando velimus

40 Rationes pro hoc dicto. aliquid dicere quoad rationem diuerſitatis præſumptiuè ad mentem eiuſdem Concilij, poſſumus aſſerere cum *Suarez d. diſp. 66. ſect. 7. verſ. tertio declarandum*, quod ſcilicet hoc præceptum datum ſit ad tollendam occaſionem fingendæ neceſſitatis celebrandi ſine præuia confeſſione, vt ſcilicet Sacerdos ſibi conſcius læthalis cognoſcens, ſi non confiteatur ante ſacrificium, quod immediate poſt teneatur confeſſionem habere, non ſibi facilè ſuadeat neceſſitatem vrgere, ſed ſtudeat adhibita maiori diligentia confeſſionem præmittere, quæ ratio non poteſt militare reſpectu Sacerdotis ex propria malitia ſine neceſſitate celebrantis ſine confeſſione, qui, ſicuti ſpreto Diuino præcepto tantum audet, tantum etiam audebit non obſtante etiam præcepto Eccleſiaſtico; vndè benè ſubdit *Cacheranus dict. tract. 9. de Eucharistia, vt Sacramento cap. 2. §. 3. num. 64.*, quod præceptum iſtud confitendi quam primum reſpectu Sacerdotis malitiosè celebrantis eſſet dumtaxat in laqueum, & in perditionem, & proindè præſumendum, quod pia mater Eccleſia noluerit tali præcepto illum alligare.

Rurſus, quid erit dicendum de Sacerdote, qui celebrauit præmiſſa confeſſione, licet integra formalitèr, non tamen materialitèr ob obliuionem alicuius peccati læthalis non ſubiecti clauibus, an iſte peracto ſacrificio tenebitur quam primum confiteri. Pro reſolutione conſiderandum eſt, an peccati obliti recordatus fuerit ante Miſſam incæptam, vel poſt ipſam inchoatam, & ſi poſt ipſam inchoatam, an ante conſecrationem, vel peracta iam conſecratione, an verò tantum poſt terminatum ſacrificium. Si recordetur ante incæptionem Miſſæ, vel eadem incæpta, non tamen adhuc facta conſecratione, dico abſolutè comprehendi ſub hoc præcepto quam primum confitendi; non enim quid deficit, quod requiratur ex diſpoſitione Concilij ad talem comprehenſionem, cum interueniat, & vrgens neceſſitas, & non præmiſſa confeſſio ob inopiam confeſſarij. Exciperem tamen in caſu, quando adhuc Miſſa incæpta non eſt, & ſine ſcandalo, nullaque alia neceſſitate vrgente poſſet a ſacrificio celebrando recedere; tunc etenim, ſi non recederet, cum poſſet, non diceretur celebrare cum vrgente neceſſitate, ſed ex propria voluntate, ac propterea de ipſo eſſet dicendum, quod dictum fuit de celebrante ex malitia. Si recordaretur facta iam conſecratione iuxtà ſententiam Cacherani, aliorumque ſupracitatorum aſſerentium, quod quando mortuo Sacerdote celebrante poſt conſecrationem alius ſuffectus eſt ad complendum ſacrificium, hic ſi fuerit ſibi conſcius peccati læthalis, ſubdatur legi Concilij, aſſerendum certè eſt, quod, ſi recordatus fuerit Sacerdos læthalis peccati obliti poſt conſecrationem, ſed ante ſumptionem compre- 41 Quid dicendum ſit de Sacerdote, qui oblitus eſt peccati læthalis.

hendatur ſub præcepto Concilij, eo quia, quod ſubſequentèr præſtat, præſtat ritu, & actione Sacerdotali; iuxta verò ſententiam aſſerentem, quod tunc, cum ſit iam completum ſacrificium eſſentialitèr per conſecrationem, non teneatur Sacerdos alteri iam mortuo poſt eandem conſecrationem ſuffectus, ſtare præcepto Tridentini, aſſerendum etiam eſt, & in hoc caſu, quo Sacerdos celebrans ſolummodò poſt conſecrationem recordatus fuit peccati læthalis in confeſſione obliti, non teneri lege eiuſdem Tridentini, cum ſolummodò recordatus fuerit poſt confectum eſſentialitèr ſacrificium. Si verò recordatus fuerit completo plenè ſacrificio, tunc indubitati iuris eſt non comprehendi ſub præcepto eiuſdem Tridentini, quia Concilium ſolum loquitur de Sacerdote, qui celebrat alicuius læthalis actualitèr conſcius; hic autem, nec ante celebrationem, nec in ipſo actu celebrationis habet actualem conſcientiam læthalis.

42 Conciliũ Tridentinum diſponit, nõ merè declarat.

Circa huiuſmodi præceptum Tridentini diſputant DD., an ſit ſolummodò declaratiuum alicuius præcepti Diuini, vel naturalis, an verò ſit abſolutè per ſe diſpoſitiuum independentèr à quocunque alio iure præcedente. *Scotus in quarto diſtinct. 9. quæſt. vnica in fine, Laurea diſp. 25. art. vlt. num. 177.*, ſuſtinent hoc præceptum eſſe iuris Diuini, ac proindè Tridentinum ſolummodò illud declarare, & nil de nouo diſponere, ratione ex eo deducta, quod motiuum requirendi confeſſionem præuiam ad Euchariſtiam eſt in ordine ad reddendam ſenſibilem vnitatem inter Chriſtum, & communicantes ſignificatam per ipſum Sacramentum; hoc autem motiuum videtur magis vrgere poſt communionem, ſiquidem poſt ipſam magis vnitas reſultat, ergo, ſi de iure Diuino præmittenda eſt confeſſio in ordine ad hunc effectum, ſi hæc vrgente neceſſitate non fuit poſita, erit poſt communionem quamprimum ponenda, & quidem etiam de iure Diuino, quandoquidem procedit ex eodem motiuo, quo procedit obligatio confeſſionis ante Euchariſtiam, ergo, ſi ex eodem motiuo procedit, vtique ex eodem iure. Alij tamen, & quidem magis congruè ſtatuunt, hoc præceptum non eſſe Diuinum, ſed merè Eccleſiaſticum Concilij, ſcilicet Tridentini, adeoque reſpectu ipſius eſſe diſpoſitiuum independentèr à quocunque alio iure; atque ſic ſentiunt *Suarez diſp. 66. ſect. 6., Siluius quæſt. 80. art. 4. quæſit. 2., Vaſquez diſp. 208. cap. 3. num. 16., Lugus diſp. 14. ſect. 7. num. 137., & alij magis communitèr*. Probatur, quia nullibi conſtat de tali præcepto, nec directè, nec conſecutiuè; non directè, quia non eſt aſſignabilis textus, vbi hoc ſtatuatur; non conſecutiuè, quatenus ſcilicet inferatur ex illo Apoſtoli. *Probet autem ſeipſum homo*, ex quo communiter deducunt præceptum Diuinum de præuia confeſſione ad ſumptionem Euchariſtiæ, quia illud mandat fieri diſcuſſionem, & confeſſionem ante ſumptionem, non autem poſt illam, quinimmò ex eo, quod præcipiat pro tempore antecedenti, eo elapſo non videtur amplius obligare; iuxta regulam generalem, ſecundum quam, qui omittit aliquem actum præceptum pro determinato tempore, eo elapſo non tenetur illum exercere. Ad rationem pro contraria ſententia adductam, dico motiuum principale præcipiendi confeſſionem Sacramentalem ante ſumptionem Euchariſtiæ fuiſſe ad cõſtituendum accedentem in ſtatu gratiæ eo tutiori modo, quo poſſet, & hoc, vt dignè accederet, vndè illud præceptum reſpexit ſumptionem in fieri, non poſtquam facta eſt. Deindè, quamuis daremus motiuum talis præcepti fuiſſe allegatum ab aduerſarijs, non propterea ſequeretur id, quod ipſi ex illo inferunt. Eſto enim, quod idem motiuum militet pro confeſſione tam præmittenda communioni, quam poſtponenda, non propterea ſequitur, quod vtraque cadat ſub eodem præcepto, nec valet illatio à ratione legis ad legem, neq; vbicunque eſt ratio legis, ibi eſt eadem lex.

Ex eo autem, quod dixerimus, quod præceptum confitendi quam primum ſit præceptum poſitiuum Eccleſiaſticum, ac proindè ſtrictè intelligendum, prout verba, quibus conceptum eſt, ſonant, ſequitur, quod non obliget laicos, qui vrgente neceſſitate non præmiſſa confeſſione communicant, ſeu communicarunt; Concilium enim ſolum loquitur de Sacerdotibus, qui eadem neceſſitate vrgente Miſſam celebrarunt, vndè etiam ſupra diximus, quod etiam Sacerdotes extra Miſſam communicantes more laicali non comprehendantur ſub hoc præcepto, quod, cum ſit oneroſum, non eſt extendendum vltra id, quod verba ſonant; Neque repetas rationem Tridentini æquè militare pro Sacerdotibus Miſſam celebrantibus, ac pro laicis communicantibus; ſiquidem, ſiue ratio fuerit ad conſtituendum accedentem in ſtatu tutiori gratiæ, ſiue ad ſignificandam vnitatem ſenſibilem inter Deum, & communicantes; æquè procedit de laico, ac de Sacerdote; contra adhuc impugnaberis primo ex mox dictis, quia non valet illatio à ratione legis ad legem. Secundo negando pro vtroque militare eandem rationem, ſiquidem, cum Sacerdos teneatur ex proprio officio frequentèr cele- 43 Hoc præceptum non obligat laicos

brare

brare ſubeſſet facilius periculo ſæpius celebrandi ſine præuia confeſſione, ad quod periculum auertendum, & obligandum Sacerdotem ad ſibi ſine mora conſulendum Concilium illud præceptum appo-

44 Rationes pro hoc aſſerto.

ſuit; hoc autem non militat reſpectu laici, in quo non poteſt conſiderari illud periculum iteratæ communionis ſine præuia confeſſione, cum non vrgeat reſpectu eiuſdem onus ex officio ſæpius communicandi, quod vrget celebrandi in Sacerdote. Quod, ſi vrgeas, quod hac ratione Sacerdos, qui communicauit more laicali, teneretur, quam primum confiteri, cum ipſe ſit Sacerdos, & ex officio debeat frequentèr celebrare, quod tamen eſt contra ſuperius dicta; adhuc impugnationem recipies, quia, vel ille Sacerdos, qui more laicali communicauit, non eſt ſolitus frequentèr celebrare nullo ipſum premente onere, vel ſolitus eſt frequentèr celebrare, vel ex onere, vel ex pietate; ſi primum ſupponatur, iam eadem ratio militat pro ipſo, quæ militat pro laico; nec adeſt illud periculum frequentèr celebrandi ſine præuia confeſſione, quod militat in eo, qui vel ex onere, vel ex alia cauſa ſolet frequentèr celebrare; ſi ſecundum, cum illa communio more laicali ſit reſpectu eiuſdem quodamodo inſueta, non videtur conſiderata à lege, niſi, vt purè laicalis, cum lex non conſideret, niſi ea, quæ vt plurimum eueniant, non ea, quæ accidunt in caſu inſueto, & particulari. Deindè; licet reſpectu eiuſdem militet ratio legis, non militat tamen pro ipſo lex, quæ ſolum loquitur de Sacerdote celebrante.

45 Quid ſignificet ly, *quam primum*.

Remanet vltimo loco examinandum quid importet ly, *quam primum*. Circa quod varios dicendi modos inuenio, in quibus non vacat immorari ſingulos referendo, & refellendo. Hoc vnum tanquam omninò certum, & determinatum refero per ly, *quam primum*, non intelligi, quod teneatur confiteri ſuo tempore, hoc eſt ante aliam Miſſæ celebrationem, ſeu, quando occurrit aliundè confitendi obligatio; tum quia ad hoc aliundè tenetur independentèr à diſpoſitione Concilij; tum quia hoc damnatum reperitur ab Alexandro VII. ſub die 18. Martij 1666., dum damnauit propoſitionem, quæ eſt inter ab ipſo prohibitas in ordine 39. qua dicebatur: *Illa particula: Quam primum, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. Pro reſolutione dubij regula deſumenda eſt penſatis duabus potiſſimum circunſtantijs, nempè præſenti, & futura copia confeſſarij, & periculo nouæ neceſſitatis celebrandi, aut differendi valdè diu confeſſionem; ſi enim tale periculum adſit, & copia confeſſarij ſit præſens, etiam eadem die, qua ex neceſſitate celebrauit ſine præuia confeſſione, & timeatur rationabilitèr alia die non futura confeſſarij copia, tunc certè tenebitur habita prima occaſione, etiam ſi eueniat eadem die, confiteri, quod, ſi prætermittat, grauitèr peccabit contra diſpoſitionem Concilij; ſi verò tale periculum non adſit, tunc poterit vltra primam diem differre, etiam ſi in eadem die haberet opportunitatem confeſſarij, & expectare aliam opportunitatem, etiam intra triduum, ſi moralitèr certus ſit talem opportunitatem ſe habiturum.

Proſequendo iam, quæ in principio huius articuli propoſuimus de alijs requiſitis ex parte animæ, non ſolum quoad neceſſitatem, ſed etiam quoad congruum eſſe, quæ ſpecialitèr conſiſtunt in actuali deuotione, feruore ſpiritus, & carentia venialium.

Dico, nec actualem deuotionem; nec carentiam peccatorum venialium 46

46 Actualis deuotio, & carentia venialium non eſt ſimplicitèr neceſſaria.

eſſe ſimplicitèr neceſſariam ad fructuoſum effectum primarium ſacrificij, & Euchariſtiæ. Dixi *ad fructuoſum effectum primarium*, pro quo aduerte, effectum huiuſmodi Euchariſtiæ duplicem aſſignari, alterum primarium, qui conſiſtit in augmento gratiæ habitualis, alterum ſecundarium, qui conſiſtit in interna dulcedine ſpirituali, in remotione mediata venialium, & in collatione auxiliorum copioſiorum. De primo effectu procedit noſtrum aſſertum, non de ſecundo, ad quem videtur neceſſaria actualis deuotio, & carentia venialium actualium, & hæc etiam, quamuis non ſit neceſſaria ad effectum primarium vt ſupra, eſt tamen valdè vtilis; quod autem vtraque ſit neceſſaria ad effectum ſecundarium, ex eo euincitur quoad ſpiritualem dulcedinem internam, quia hæc reſultat ex actibus intellectus, & voluntatis, quibus anima fruitur peculiari vnione, & præſentia Chriſti Domini; huiuſmodi autem nequeunt eſſe in anima diſſipata in extranea, & ſine actuali deuotione; quoad remiſſionem verò venialium, cum hæc ex ſupradictis non poſſit eſſe, niſi mediata, vtique hunc effectum præſtare debet excitando ad actus doloris, & pænitentiæ, qui actus non videntur poſſe eſſe ſine actuali deuotione, &, ſi loquamur de

47 Quomodo ſit neceſſaria ad effectũ ſecundarium.

venialibus actualibus commiſſis pro tempore ſacrificij, vel communionis, certè Euchariſtia non poteſt eorundem remiſſionem cauſare, quia committerentur, & remitterentur pro eodem tempore, quod repugnat; quoad collationem copioſiorum auxiliorum ex eo euincitur, quia iſta potiſſimum conſiſtunt in pijs affectionibus, & ſanctis cogitationibus, quæ impediuntur, nec copioſè excitantur in mente diſtracta;

& non

& non affecta actuali deuotione; quod autem ſit vtilis ad intenſiorem effectum primarium deducitur ex ijs, quæ in præcedentibus docebamus, quod ſcilicet, quo magis ſubiectum eſt diſpoſitum, eo maiorem gratiam conſequatur; Neque ex hoc inferas, quod hoc pacto carentia actualis deuotionis, & exiſtentia venialium fruſtraret Euchariſtiam aliqua parte ſaltem ſui effectus primarij, quod eſt contra id, quod dicitur in aſſertione, quod ſcilicet actualis deuotio, & carentia venialium non ſit neceſſaria ad fructuoſum effectum primarium; Non, inquam, hoc inferas, quia Euchariſtia ſecundum ſe ex opere operato habet cauſare gratiam in ſubiecto, in quo non extet obex independentèr ab ipſius diſpoſitione, & propterea ad hanc diximus, nō eſſe neceſſariam actualem deuotionem, & carentiam venialium; quod deindè poſtea in ſubiecto magis diſpoſito etiam ex opere operato cauſet vberiorem effectum gratiæ, & propterea, quod, qui non ſe diſponit per actualem deuotionem, & per remotionem venialium non conſequatur illum maiorem effectum primarium, hoc non efficit, quod actualis deuotio ſit neceſſaria ſimplicitèr ad effectum primarium ſacrificij, vel Sacramenti conſequendum, ad illum ſcilicet, qui prouenit à ſacrificio, vel Sacramento ſecundum ſe, in quo ſenſu dumtaxat procedit noſtra aſſertio, licet conferat ad conſequendum effectum maiorem, prout hic dependet à diſpoſitione conficientis, vel recipientis.

48 Rationes pro aſſerto.

Probatur iam primò noſtra aſſertio auctoritate *D. Thomæ hic qu. 79. art. 8.*, vbi non ſolum directè comprobat noſtrum aſſertum in ordine ad effectum primarium, ad quem diximus non eſſe neceſſariam actualem deuotionem, & carentiam venialium, ſed etiam in ordine ad ſecundarium effectum, ad quem diximus, vtramque eſſe neceſſariam; hoc enim pacto loquitur. Effectus huius Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.

Secundò probatur ratione quoad actualem deuotionem, quia actualis deuotio non requiritur ex neceſſitate ad talem effectum primarium, nec ex aliquo iure poſitiuo, ſiue Diuino, ſiue humano, nec ex aliqua naturali obligatione proueniente ex natura ſacrificij, ſeu Sacramenti; non ex aliquo iure Diuino poſitiuo, quia de hoc nullibi conſtat, & ſi adducatur illud Apoſtoli, *probet autem ſe ipſum homo*, hoc non importat præceptum de actuali deuotione, ſed de diſcuſione conſcientiæ in ordine ad peccata læthalia, & confeſſione eorundem; non ex iure humano, quia *Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7.*, loquens de præparatione neceſſaria in communicaturo, ſeu ſacrificaturo ſolum requirit, quod hic ſibi conſcius non ſit alicuius peccati læthalis, &, ſi conſcius ſit, ſolum emundet conſcientiam per confeſſionem Sacramentalem, nec aliquam mentionem facit de actuali deuotione, quam certè non omiſiſſet recenſere, ſi neceſſaria eſſet, ergo &c. Non ex aliqua obligatione naturali, quia, ſi hæc adeſſet, vtique adeſſet in ordine ad alia omnia Sacramenta, quod nemo aſſerit.

Tertiò probatur quoad idem, quia infantes, & pueri ante vſum rationis ſunt capaces effectus Euchariſtiæ, vt colligitur ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, quæ dabatur infantibus, & paruulis, vt relatis pluribus hiſtorijs tradit *Lugus diſp. 13. ſect. 2. num. 11.*, & vlterius docent *Ledeſma part. 4. quæſt. 2. art. 8. dub. 5.*, *Alanus lib. 2. de Euchariſtia c. 37.*, *Vaſquez diſp. 202. cap. 2.*, *Amicus diſp. 28. num. 7.*, & alij recentiores communitèr, & tamen iſti non ſunt capaces actualis deuotionis, ergo actualis deuotio non eſt ſimplicitèr ſecundum ſe neceſſaria ad effectum primarium Euchariſtiæ, ſecus incongruè per veterem Eccleſiam data fuiſſet pueris, ſi fuiſſent incapaces effectus primarij eiuſdem. Confirmatur, quia non minus videtur neceſſaria intentio in ſuſcipiente Euchariſtiam, ac deuotio, ſed ad effectum eiuſdem ſuſcipiendum non eſt neceſſaria intentio actualis, ſed ſufficit virtualis, & fortè etiam habitualis, ergo nec deuotio actualis.

49 Venialia non pugnant, cū effectu Euchariſtiæ.

Quartò probatur quoad carentiam venialium, quia accedens ad ſacrum miniſterium ſacrificij, vel ad Euchariſtiam cum peccato veniali, non ponit obicem effectui eiuſdem ſacrificij, ſeu Euchariſtiæ, ergo non eſt, cur non conſequatur effectum primarium eiuſdem, adeoque carentia eiuſdem non eſt ſimplicitèr neceſſaria ad talem effectum primarium. Antecedens probatur, quia vel loquimur de venialibus exiſtentibus ante confectionem, vel ſuſceptionem Euchariſtiæ, vel de venialibus commiſſis in ipſa confectione, vel ſumptione; ſi loquamur de primis, ex eo euincitur, quia nullum adeſt præceptum, nullaque lex præcipiens confeſſionem, vel dolorem peccatorum venialium tanquam medium neceſſarium ad ſumendam fructuoſè Euchariſtiam, ſicuti eſt præceptum præmittendi confeſſionem, vel dolorem læthalium ad eandem, ergo carentia peccatorum venialium præexiſtentium non

eſt

eſt ſimplicitèr neceſſaria &c., cæteroqui incongruè fuiſſet præcepta confeſſio, & dolor pro læthalibus, & non pro venialibus, ſi hæc æquè fuiſſet neceſſaria, ac illa; ſi loquamur de peccatis venialibus commiſſis in ipſa confectione ſacrificij, vel ſumptione Euchariſtiæ, adhuc iſta poſſunt conſiderari duplicitèr, vel prout ſunt diſparata, & non connexa cum ipſa Euchariſtia, cuiuſmodi eſt propoſitum elicitum in ipſo actu leuitèr mentiendi, vel leue furtum committendi, vel ſunt formalitèr connexa cum ipſa Euchariſtia, vt, ſi ordinet ipſam Euchariſtiæ ſumptionem ad inanem gloriam, vel ſumat cum diſtractione formalitèr, & per ſe intenta; ſi loquamur de diſparatis, cum hæc non habeant cõnexionem cum eadem ſumptione, parum referre poſſunt, quod, vel fuerint commiſſa ante ſumptionem, vel committantur in ipſo actu ſumptionis, cum non afficiant ipſum Sacramentum, & merè concomitanter ad illud ſe habeant, vndè de eiſdem idem dicendum eſt, quod mox dictum fuit de exiſtentibus ante confectionem, vel ſumptionem; ſi de connexis, cum

50 Etiam cõmiſſa in ipſo ſacrificio.

etiam iſta non prætergrediantur limites venialium, non conſtituunt ſubiectum indignum, & incapax gratiæ habitualis augmenti; Neque dicas, quod, quamuis peccatum veniale compatiatur cum gratiæ augmento, non poſſit tamen ad illud diſponere ſubiectum, neque tale augmentum cauſare, cum afficiat, & inficiat ipſam communionem, voluntatemque communicandi ordinando communionem ad inanem gloriam, vel eandem ſumendo cum diſtractione formalitèr, & per ſe volita; iuxtà quem ſenſum aliqui etiam aſſerunt communicantem cum tali formali intentione peccare læthalitèr, vt ex Nugno refert *Gonetus diſp. 8. art. 3. §. 2. num.* 58.; contra enim impugnaberis, & quidem incipiendo ab hoc vltimo indubitati iuris eſſet quod, ſi communicans cum tali intentione formali peccaret læthalitèr, non conſequeretur effectum primarium Euchariſtiæ, quia communicaret cum obice poſitiuo, ſeu ponens obicem ad effectum gratiæ Sacramentalis; ſed, an verè peccet læthalitèr, non libentèr affirmarem, quia, cum finis ille non ſit peccaminoſus ſecundum ſe læthalitèr, non poteſt transfundere malitiam læthalem in actu; nam, quod ſit formalitèr volitus, efficit quidem, quod ſit magis intenſiuè voluntarius, non autem quod mutet genus, aut ſpeciem; mutaret autem genus, ſi de veniali tranſiret in læthale; proſequendo poſtea principale punctum inſtantiæ dico, non diſponere quidem ſubiectum ad effectum gratiæ, neque illum cauſare, non tollere tamen, quin ſubiectum habeat diſpoſitionem non repugnantem effectui gratiæ, qui prouenit ex virtute Sacramenti ex opere operato, cum hic non exigat, niſi, vt idem ſubiectum ſit capax eandem gratiam recipiendi, quæ capacitas non tollitur per peccatum veniale, quamuis commiſſum in ipſo actu communionis cum illa intentione directa inanis gloriæ, & voluntariæ diſtractionis, niſi hæc coniungantur cum ſpretu, & poſitiuo contemptu eiuſdem Sacramenti.

Aduerſus vtramque partem noſtræ ſententiæ congeruntur nonnulla argumenta, quæ iam exprimo, & ſoluo. Primum eſt deſumptum *ex Concil. Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 7., vbi requirit in ſumente maximam reuerentiam, & ſanctitatem; quomodo autem poteſt eſſe hæc maxima reuerentia, & ſanctitas ſine actuali deuotione, & cum peccatis venialibus ſiue actualibus, ſiue habitualibus? Secundum ex eo deſumitur, quod, ſicuti cibus materialis non nutrit ſine cooperatione, & actione viuentis, ita, nec cibus ſpiritualis ſpiritualitèr nutriat ſine cooperatione ſumentis; vbi autem nulla eſt deuotio actualis, non poteſt eſſe cooperatio, quia hæc debet eſſe ſpiritualis, nec poteſt in alio conſiſtere, quam in bono actu, & deuotione. Tertium deſumitur ex effectibus, quatenus experientia comperimus multos frequentèr accedentes indeuotè, & diſtractè nullum conſequi gratiæ augmentum, cum nullum exhibeant veſtigium huiuſmodi augmenti acquiſiti. 51 Soluuntur argumenta contraria

Sed hæc non valdè premunt; non primum, quia Concilium duplicem aſſignat diſpoſitionem in ſumente, alteram ad melius, ſeu vtilius eſſe, alteram ad ſimplicitèr eſſe; in ordine ad primam exigit maximam reuerentiam, & ſanctitatem, illamque exponit verbis ſolummodò exhortatorijs, iſtam verbis requirentibus probationem requiſitam ab Apoſtolo per illa verba. *Probet autem ſeipſum homo*, quæ eſt de indagine peccatorum læthalium, & eorum confeſſione.

Non ſecundum, quia in primis in ſententia, quam ſupra expoſuimus, concedente paruulis communicantibus effectum Euchariſtiæ, non habet vim aliquam inſtantia, quia in ipſis non poteſt eſſe cooperatio per actualem deuotionem, & tamen conſequuntur effectum gratiæ; nec valet in hoc paritas de cibo materiali ad ſpiritualem, quandoquidem, cum materialis debeat conuerti in ſubſtantiam aliti, exigit actionem vitalem eiuſdem; cibus autem ſpiritualis non conuertitur in ſubſtantiam ſumentis, ſed potius ſubſtantiam ipſius in ſe ipſum conuertit, adeoque &c. Deindè

in

in ſententia negante effectum Euchariſtiæ paruulis communicantibus, dicendum eſt, hanc comparationem haberi præcisè ex voluntate ſumentis, quatenus intendit Sacramentum recipere.

Non tertium, quia gratis omninò dicitur, in ſumentibus frequentèr indeuotè, & diſtractè diſtractione ſolummodò veniali non conferri effectum Euchariſtiæ, qui licet vel nullum, vel modicum veſtigium ſui apparentèr relinquat, poteſt tamen internè ſuam cauſalitatem præſtare in præſeruatione à lethalibus, aliiſque internis affectibus.

ARTICVLVS VII.

De requiſitis in miniſtro Sacrificij Miſſæ ex parte corporis.

SVMMARIVM.

Ieiunium naturale requiritur. 1.
Non de iure Diuino, ſed Eccleſiaſtico. 2.
In quo conſiſtat ieiunium naturale. 3.
Quod frangit hoc ieiunium debet eſſe comeſtibile, vel potabile. 4.
Et debet ſumi per modum cibi, vel potus. 5.
Nec guttula aquæ tranſmiſſa cum ſaliua, nec animalculum per tranſpirationem frangunt. 6.
Nec reliquia cibi intra dentes diei præcedentis. 7.
Nec aromata, nec folia Tabaci in ore maſticata frangunt. 8.
Humor, & ſanguis è capite difluens non frangunt. 9.
Oſſicula, lapilli, globuli aurei non frangunt. 10.
Nec papirus, nec fuſtulum ligni frangit. 11.
Nec Tabacus in puluere, nec in fumo. 12.
Tabacus in folia in aliqua quantitate traiectus in ſtomachum probabilius frangit. 13.
Quanam quantitas dici poſſit trahi per modum ſaliuæ. 14.
Hoc ieiunium debet incipere à media nocte. 15.
Quid ſentiendum ſit de Saccaro miſſo in os ante mediam noctem cum dubio, an totum ante illam fuerit deglutitum. 16.
Exiſtente vno tantum Horologio media nox computatur à primo pulſu illius. 17.
Exiſtentibus pluribus Horologijs poteſt celebraturus ſequi quodcunque voluerit. 18.
Cardinalis in peruigilio Natiuitatis Domini in ſacello Pontificis celebraturus non ex neceſſitate ſeruat ieiunium à media nocte diei præcedentis. 19.
Opinio Lugi aſſerentis Pontificem anticipare mediam noctem. 20.
Probabilius Pontifex in hoc diſpenſat. 21.
Hoc præceptum ieiunij non obligat exiſtentem in mortis periculo. 22.
Non ieiunus non poteſt ſacrificare ob communicandum infirmum in periculo mortis conſtitutum. 23.
Ratio, ob quam non poſſit non ieiunus, poſſit autem exiſtens in lethali ſine prauia confeſſione. 24.
Etiam in eadem infirmitate non ieiuno poteſt iterum conferri viaticum. 25.
Duplex ſtatus periclitantis. 26.
Quantum tempus debet interiacere inter vnam, & aliam communionem. 27.
Sumpto ſemel viatico in eadem infirmitate, ſi iteranda eſt communio, probabilius non ieiuno iteranda eſt per modum viatici. 28.
Qui ſumpto viatico committit nouum peccatum lethale non tenetur de iure Diuino iterum communicare. 29.
Etiam ante mortem violentam poteſt non ieiuno conferri communio. 30.
Conſultius foret, ſi damnatus ad mortem die mortis communicaretur. 31.
Reus communicatus die præcedenti, ſi piè petat, poteſt etiam ipſa die mortis communicari. 32.
An in prædictis caſibus poſſit non ieiunus communicare. 33.
Tenentur Domini temporales concedere damnatis tempus congruum ad pænitentiam. 34.
Quantum debeat eſſe hoc tempus. 35.
Sententia negans eum, qui ſanus manè communicauit, poſſe eadem die iterum communicari, ſi conſtituatur in mortis articulo. 36.
Sententia affirmans refertur. 37.
Si licita eſt communio eadem die, eſt etiam debita. 38.
Probabilius licita eſt, & debita. 39.
Soluuntur argumenta contraria. 40.
Reijcitur ſubterfugium Suarez. 41.
Sacerdos, qui die feſto ſummo mane celebrauit non poteſt iterum celebrare adueniente Principe, ſeu magno populo. 42.
Nec licet Miſſam inchoatam per aduentum Principis repetere. 43.
Soluitur obiectum deſumptum ex c. conſuluiſti de celebrat. Miſs. 44.
Ratione reuerentiæ Sacramenti licitum eſt, quandoque illud ſumere non ſeruato ieiunio. 45.
Et etiam ratione diſpenſationis. 46.
Etiam ratione complementi ſacrificij. 47.
Exponuntur caſus circa hoc complementum. 48.
Si Sacerdos poſt purificationem nouerit aliquas reliquias remanſiſſe poteſt illas ſumere. 49.
Si cognouerit poſt completum ſacrificium non poteſt illas ſumere. 50.

Alij

Alij caſus numerantur. 51.
Ratione ſcandali Sacerdos, qui non ieiunus Miſſam inchoauit, poteſt perficere. 52.

AD licitam confectionem ſacrificij, & ſumptionem Euchariſtiæ duo ex parte corporis potiſſimum aſſignantur requiſita, ieiunium ſcilicet naturale à media nocte ante ſumptionem, & munditia corporis. De vtroque hic eſt ex profeſſo ratiocinandum.

1 Ieiunium naturale requiritur. Ieiunium naturale prærequiri ad confectionem ſacrificij, & ad ſumptionem Euchariſtiæ regularitèr loquendo eſt certo certius, & definitum in pluribus Concilijs, quę referunt *Bellarm. in controu. lib. 2. de Miſſa c. 14*, *Vaſquez diſp. 211. c. 1.* Difficultas ſolũmodò verſatur in inueſtigãdo, an requiratur ex pręcepto Diuino, ſiue poſitiuo, ſiue naturali, an verò tantũ ex Eccleſiaſtico, & quidē nõ eſſe de iure Diuino poſitiuo, ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto clarè liquet ex eo, quod nullibi conſtet de tali iure ſcripto, & de non ſcripto conſtat ex eo, quod nullus Apoſtolorum tradiderit, ſe id a Chriſto Domino accepiſſe; quod, ſi dicatur, quod à tempore Apoſtolorum incęperit hęc obſeruantia ieiunij; hoc tamen non infert ex iure Diuino procedere, ſed ad ſummum ex Apoſtolica conſuetudine; non ex iure Diuino

2 De iure tantum Eccleſiaſtico. naturali; tum quia Chriſtus Dominus hoc ſacrificium inſtituit, & confecit in vltima cœna non ieiunus, & Sacramentum diſcipulis tradidit poſt eſum Agni; nec hoc præceptum Diuinum naturale inferri poteſt ex dignitate, & reuerentia debita eidem ſacrificio, ſeu Sacramento; quandoquidem hæc appellat quidem quandam congruentiam, non abſolutam neceſſitatem, ſeu obligationem. Eſſe verò de iure Eccleſiaſtico, & quidem antiquiſſimo colligitur ex *D. Auguſtino Epiſt. 118. ad Ianuarium c. 5. & 6.*, vbi latam mentionem facit de hoc præcepto, & eius antiquitate; Solum hic reſpondendum remanet contra ſectarios ad id, quod reſultat ex facto Chriſti Domini, qui non ieiunus confecit hoc ſacrificium, & non ieiunis diſpenſauit, quod factum ipſi adducunt ad excludendam neceſſitatem ieiunij in ſumente; Sed breuitèr dicendum eſt, factum Chriſti fuiſſe ad miſterium, non ad præbendum nobis exemplum, aut præceptum idem faciendi.

Hoc ieiunium debet eſſe naturale, nec ſufficit præcisè Eccleſiaſticum, ac proindè debet inuoluere priuationem cuiuſcunque comeſtibilis, & potabilis in quacunque licet modiciſſima quantitate ad differentiam Eccleſiaſtici, quod non frangitur, niſi per notabilem quantitatem vltra vnicam comeſtionem, vndè *Concil. Bracarenſe II.* prohibet, ne aliquis quocunque cibi præſumpto oblationem conſecret in Altari, & *Toletanum VII.* ait; nullus poſt cibum, potumq; quantumlibet minimũ Miſſas facere pręſumat, & licet huiuſmodi Concilia videantur pręcisè loqui de Sacerdotibus Miſſas celebrantibus; ex communi tamen Eccleſiæ praxi, & recepta conſuetudine extenduntur etiam ad laicos communicaturos; Ex eo autem, quod dixerimus per cibum, vel potum etiam in modiciſſima quantitate frangi ieiunium naturale, & impediri in miniſtro confectionem ſacrificij, & in laico Communionem Sacramentalem, nollem inferas, modiciſſimam quantitatem cibi, vel potus ſumptam ante Euchariſtię confectionem, & ſumptionem non inducere, niſi culpam leuem, vel leuiſſimam deducta ratione ex natura præcepti poſitiui Eccleſiaſtici, cuius læſio in materia leui, & exigua non inducit culpam grauem; Nollem, inquam, hoc inferas, quia id, quod cadit ſub præcepto, non eſt illa modica quantitas, ſed communio poſt quamcumque modicam cibi quantitatem, quæ communio eſt res grauis. Dici etiam poteſt præceptum naturale conſiſtere in indiuiſibili, quod propterea læditur per quamcunque modicam quantitatem; vndè licet illa modica quantitas in ſe ſit res leuis, prout tamen violat præceptum conſiſtens in indiuiſibili, ſit res grauis.

3 Ieiunium naturale in laico quid ſit.

Quamuis autem dicatur modiciſſima quantitas cibi, & potus ieiunium naturale frangere, hoc tamen intelligendum eſt ſub duplici conditione, quod ſcilicet illa modica quantitas habeat rationem comeſtibilis, vel potabilis, & quod ſumatur per modum comeſtionis, & potationis; de cuius ratione eſt, quod aliquid ab extrinſeco ori immiſſum per ſe, & ratione ſui tranſmittatur per guttur ad ſtomachum; Defectu huius ſecundæ conditionis, nec guttula aquę, quam quis os abluendo traijcit ſimul cum ſaliua immixta, nec animalculum, quod in os inuolat, & per reſpirationem traijcitur, habent rationem potus, & cibi, ac proinde non frangunt ieiunium naturale ad communionem requiſitum, quia nec actio, qua gutta aquæ cum ſaliua traijcitur, eſt potatio, ſed ſaliuæ deglutio, nec actio, qua animalculum cum reſpiratione attrahitur, eſt comeſtio, ſed reſpiratio. Hoc idem, quod dicitur de gutta aquæ commixta ſaliuæ proportionalitèr intelligendum videtur de reliquijs cibi die præcedenti relictis intra dentes, quæ, ſi ſimul cum ſaliua traijciantur, non habent rationem cibi, nec ieiunium naturale violant, dummodò ex inaduertentia traijciantur, nam, ſi ſcientèr, & ex induſtria traijcerentur, non poſſent habere meram rationem ſaliuæ, cum poſſent à ſaliua ſepa-

4 Quod frangit debet eſſe comeſtibile, & potabile.

5 Et ſumi per modũ cibi, & potus.

6 Gutula aquæ trãmiſſa cũ ſaliua, & animalculum per tranſpirationem non frangunt

ſeparari, & expui, quod optimè videtur conſideraſſe *D.Thomas quæſt.* 80. *articulo* 8. *ad quartum*, vbi dicit reliquias illas non frangere ieiunium, addita tamen conditione, ſi caſualitèr tranſglutiantur. Ad hoc confirmandum non placet ratio, quam aliqui adducunt amplianteſ etiam, quando aduertentèr illæ reliquiæ fuerint tranſmiſſæ, nempè, quod illa comeſtio non eſſet hodierna, ſed externa, cum illæ reliquiæ die præcedenti fuerint in os immiſſæ. Non placet, inquam, quia comeſtio non eſt demmenda a tempore, quo cibus in os traijcitur, ſed à tempore, quo in ſtomachum.

7 Nec modicæ reliquiæ cibi diei præcedentis.

8 Nec aromata, nec folia Tabaci in ore contrita frãgunt.

Defectu eiuſdem conditionis, nec aromata, nec tabaci folia in ore retenta, maſſicata, & contrita habent rationem cibi, ac proindè, nec frangunt ieiunium naturale, etiam ſi quid modiciſſimum ipſorum ſimul cum ſaliua, & per modum eiuſdem traijciatur, quia non habent rationem comeſtionis. Extirpanda tamen eſſet hæc conſuetudo recipiendi in os ante ſacrificium Miſſæ, ſeu ante communionem huiuſmodi aromata, & folia tabaci, præſertim in magna, & iterata quantitate, non ſolum propter fœditatem corporalem, quam ingerunt non congruam puritati huius Sacramenti, ſed etiam propter periculum, ne in tanta quantitate, & frequentia, qua ſumitur, aliquid deglutiatur, quod tranſgrediatur limites ſaliuæ ex ſuppoſitione, quod haberet rationem cibi, quod, an verum ſit, videbimus infra.

9 Nec humor, nec ſanguis à capite difluens.

Defectu eiuſdem humor, vel ſanguis à capite difluens in os, & ex eodem tranſmiſſus ad ſtomachum, non habet rationem cibi, adeoque non frangit ieiunium, non ſolum, quia non eſt ab extrinſeco ori immiſſus, ſed etiam, quia per modum ſaliuæ traijcitur, & nimis durum foret, quin immò moralitèr impoſſibile obligare ante communionem ad expuendam omnem ſaliuam, & quodcunque a capite in os difluit.

10 Oſsicula, lapilli, & globuli aurei non frangunt.

Defectu primæ conditionis oſſicula, lapilli, globuli aurei, ſeu argentei, ænei, ferrei, & alia huiuſmodi non frangunt ieiunium naturale, quia non habent rationem comeſtibilis; nec digeruntur, nec alterantur, ſed integra egeruntur, quod ſi dicatur, quod aurum habeat nutrire, dicendum eſt, hoc verificari ſolummodò, quando eſt reſolutum, vel factum potabile, vt notat *Diana part. 2. tract.* 14. *reſol.* 52. *& part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 38.

Sed quid erit dicendum de papyro, fruſtulo ligni minus ſolidi, terra, creta, & ſimilibus? Cacheranus difficultatem hanc aſſerit eſſe ſub quæſtione, & ipſe eandem irreſolutam relinquit. *Diana loc. mox citatis*, abſolutè aſſerit, non frangere ieiunium; tum quia hæc non habent rationem comeſtibilis; tum quia hæc quantumuis ſumantur in magna quantitate nõ frangunt ieiunium Eccleſiaſticum, adeoque, nec frangere poſſunt naturale, cum ieiunium Eccleſiaſticum, & naturale non differant, niſi in eo, quod in Eccleſiaſtico datur paruitas materiæ, non ſic in naturali; cæterum materia, quæ non eſt apta frangere Eccleſiaſticum, quantumuis ſit in magna quantitate, nec erit apta naturale in quacunque quantitate illa ſit. Reſolutio præſentis difficultatis videtur ab eo pendere, an requiratur, quod illud, quod ſumitur per modum cibi, vel potus debeat eſſe nutritiuum, an ſufficiat, quod quoquo modo alteretur in ſtomacho ad hoc, vt frangat ieiunium requiſitum ad ſumptionem Euchariſtiæ. *Diana part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1., *S. Iuan. part.* 1. *de Euchariſtia qu.* 7. *art.* 10. ſentiunt debere eſſe nutritiuum, nec ſufficere, ſi ſumatur per modum cibi, quia applicatio agentis non poteſt facere de non cibo cibum, & Eccleſia ſolum prohibuit cibum. E contra verò *Antonius de Leone part.* 2. *§.* 4. *num.* 10., exiſtimat, non eſſe neceſſe, quod ſit nutritiuum, dum loquens de tabacco, ſiue in puluere, ſiue in folio, ſiue in fumo, dicit ſemper aliquid traijci in ſtomachum, & parum refert, quod ſit nutritiuum, vel non. Ego probabilius arbitror de eo, quod ſumitur per modum cibi ad hoc, vt frangat ieiunium, debere eſſe quoquomodo nutritiuum, quidquid deindè ſit de eo, quod ſumitur per modum potus, cum hoc ſe habeat per modum vehiculi, quod abſtrahit ab eſſe nutritiuo, vel non nutritiuo, quod dixerim ſpecialiter propter eos, qui aſſerunt pura elementa non eſſe nutritiua; ex quo conſequeretur, quod, ſi potus etiam deberet eſſe nutritiuus, pura aqua non frangeret ieiunium, quod eſt contra communem ſententiam DD., & Eccleſiæ, niſi fortè, velint dicere, vix dari puram aquam, quę non ſit commixta cum alijs qualitatibus ſecundum ſe nutritiuis. Suppoſito ergo, quod id, quod ſumitur per modum cibi, debeat eſſe nutritiuum, abſolutè etiam ſentio, nec chartam, nec fuſtulum ligni, nec alia enumerata frangere ieiunium naturale, quia propriè non habent nutrire, & licet *Cacheranus tract.* 9. *de Euchariſtia, vt Sacram. c.* 4. *§.* 5. *n.* 108., 11

11 Nec papirus, nec fuſtulum ligni traiecta frangunt.

aſſerat, quod huiuſmodi in ſtomacho robuſtiorum patiantur magnam alterationem, nec integra egerantur, & ſignantèr papyrum nutrire mures, hoc tamen nihil euincit, quandoquidem illa alteratio non habetur ex eo, quod pars aliqua conuertatur in ſubſtantiam aliti, ſed ex vehementi calore ſtomachi, & commixtione

cum

cum alijs, quæ concoquuntur in ſtomacho, & licet papyrus ſit nutrimentum reſpectu muris, non eſt tamen nutrimentum reſpectu hominis.

Nec Tabaccus in puluere, nec in fumo.

12 Ex ijs etiam poteſt deduci, quod nec tabacus in fumo, nec in puluere habeat ieiunium naturale frangere, cum nec ſumantur per modum cibi, nec habeant vim nutritiui, & licet aliqui, inter quos *Antonius de Leone part. 2. §. 4. num. 15.*, aſſerant fumum nutrire, cum narrentur aliqui ſolo fumo ad multos dies vitam diſtuliſſe, eoſdem tamen impugnat *Granado in tertia parte controu. 6. tract. 10. diſp. 8. num. 4.*, qui etiam ampliando aſſerit, quod, etiam ſi fumus fuerit tantæ quantitatis, vt ad aliquam nutritionem ſufficiat, adhuc tamen non frangat ieiunium, quia fumus non ſumitur per modum cibi per commeſtionem, ſed per reſpirationem. Cæterum fumum non nutrire, latè probat *Dandinus de animal. lib. 2. commun. 53. digreſſ. 25.*, vbi etiam aſſerit, hiſtorias relatas ab Antonio de Leone non eſſe credendas. Quod, ſi vlterius idem *Antonius de Leone loc. cit.* referat tabaci ſumptionem fuiſſe Sacerdotibus ante ſacrificium prohibitam *per Concilium Limenſe act. 3. cap. 20.*, & per alia à DD. allegata; reſpondet *Diana part. 5. tract. 13. reſol. 11.* prohibitionem non emanaſſe ratione fractionis ieiunij, ſed ratione vomitus, quem illis in regionibus prouocat. Sed quid erit dicendum de tabacco in folio? Si ſumatur præcisè ad extractionem humorum è capite, & non deglutiatur, iam dictum eſt ſupra, ieiunium naturale non frangere. Sed quid, ſi traijciatur in aliqua quantitate in ſtomachum,

13 Tabacus in folio in aliqua quantitate traiectus frangit.

adeò vt non poſſit habere rationem ſaliuæ? Tunc, vt ſupra, erit videndum, an habeat vim nutritiuam, an non, & tunc diudicandum: Crederem, quoquomodo habere rationem nutritiui, & ieiunium naturale frangere, quia conſtat herbis alijs rebus admixtis, quæ omnia vim aliquam habent nutriendi, & licet dicatur, quod in quacunque quantitate ſumatur non violet ieiunium Eccleſiaſticum, adeoque inferatur, quod nec etiam per modicam quantitatem violet naturale; hoc tamen non videtur officere, quia ieiunium Eccleſiaſticum regulandum eſt ſecundum conſuetudinem, ſecundum quam aliqua, quantumuis ſecundum ſe nutritiua, admittuntur in quacunque quantitate ſine violatione ieiunij, vt videre eſt in cocholate, alijſque, quæ ſumuntur per modum medicinæ, & in quocunque hauſtu vini; ieiunium verò naturale ſumitur, prout excludit quamcunq; licet modiciſſimam quantitatem rei commeſtibilis. Addi etiam poteſt, quod licet tabacus ſit quoquo modo nutritiuus, non ſit tamen talis ſecundum omnem ſubſtantiam, ſed ſecundum aliquas particulas maximè ingredientium, adeoque in quacunque quantitate ſumatur non nutriat, niſi ſecundum aliquas particulas, quæ per ſe non ſunt aptæ ieiunium Eccleſiaſticum violare, cum hoc non conſiſtat in indiuiſibili, eſt tamen aptus frangere ieiunium naturale in quacunque minima quantitate, in qua ſit nutritiuus, cum per quodcunque minimum tollatur.

Ex eo item, quod ſupra dixerimus, quod, 14
ſi aliquid deglutiatur per modum ſaliuæ,

Quænam quantitas dici poſſit traici per modũ ſaliuæ.

quod ſit modicum, puta gutta aquæ, non violet ieiunium naturale, oritur ratio dubitandi inter DD., quanta poſſit eſſe illa res, vt dici poſſit traijci per modum ſaliuæ? Rodriquez apud *Granadum in tertia parte controu. 6. diſp. 8. num. 8.*, ſentit tantum aquæ, quæ contineri poſſit in aualena, poſſe deglutiri per modum ſaliuæ, & non violare ieiunium; ſed nimis latè loquitur, quandoquidem illa aqua in illa quantitate eſt in ore manifeſte ſenſibilis, vt diſtincta à ſaliua, & vt plurimum ſaliuam ipſam ſuperat.

Hoc ieiunium naturale, ſicut, & Eccle- 15
ſiaſticum incipit à media nocte cum hoc tamen

Hoc ieiunium debet incipere à media nocte.

diſcrimine, quod, ſicuti in Eccleſiaſtico paruitas materiæ excuſat, ita excuſare videtur & modicitas temporis, adeo vt, ſi per aliquod breue tempus cænam inceptam ante mediam noctem proſequatur poſt eandem, eidem non imputetur ad culpam ſaltem grauem contra præceptum ieiunij; ita ſicuti in naturali non datur paruitas materiæ, ita nec modicitas temporis.

Circa hoc tempus mediæ noctis triplex 16
emanat difficultas, hic breuitèr examinanda.

Quid ſentiendum ſit de ſaccaro in os Miſſo ante mediam noctem in dubio, quod totum ante illam fuerit deglutitum.

Prima eſt, an, ſi Sacerdos, vel alius manè communicaturus ſaccharum, vel quid ſimile in os immiſerit, vt paulatim liqueſcens raucitudinem, vel diſtillationem temperaret, & aliquid eiuſdem ſacchari poſt mediam noctem remanſerit, quod in ſtomachum fluat, impediatur à ſacrificio conficiendo, vel Sacramento ſumendo ratione violati ieiunij naturalis: Pro reſolutione plura conſidero, & primò, an totum ſaccharum liquatum fuerit ante mediam noctem, & ſolum aliquid poſt mediam noctem liquatum remanſerit; ſecundò, an non totum liquatum fuerit, ſed aliquid ſolidum remanſerit, quod poſtea liquatum poſt mediam noctem in ſtomachum fuerit traiectum; tertiò, an dubium ſit, an totum conſumptum fuerit ante mediam noctem, an verò ſolum modo poſt eandem, cũ ſomno captus exiſtente adhuc ſaccharo in ore dormierit, nec poſſit diſcernere, an antea, vel poſt mediam noctem

fuerit liquatum, & conſumptum. Iuxtà primam conſiderationem cum diſtinctione reſpondeo; vel etenim illud liquatum, quod remanſit poſt mediam noctem, modicum eſt, ità vt ſe habere poſſit, & deglutiri per modum ſaliuæ, vel multum eſt, adeo vt excedat quantitatem ſaliuæ, quam regularitèr habere ſolet ſi ſit quid modicum, ita vt conſiderari poſſit per modum ſaliuæ, abſolutè crederem, non impedire celebrationem Miſſæ, nec ſumptionem Euchariſtiæ propter rationes ſuperius adductas; ſi ſit multum, ita vt excedat quantitatem ſaliuæ ſimplicitèr, ſentio, impedire celebrationem, & communionem, quia denegari non poſſet, quin illud ſit quid potabile, & diſtinctum a ratione ſaliuæ, cum illam ſuperet; quodcunq; autem potabile, quantumuis modicum frangit ieiunium naturale. Iuxtà ſecundam conſiderationem dico, quod, ſi illud ſolidum, vt tale deglutiatur poſt mediam noctem frangat ieiunium naturale, & impediat ſacrificium Miſſæ, & communionem, quia illud habet rationem cibi, & vtique eſt nutritiuum; ſi verò poſt mediam noctem in ore detineatur, ita vt paulatim liquetur, & ſucceſſiuè deglutiatur, tunc etiam aſſero, frangere ieiunium, & impedire, quia perindè eſſet, ac ſi poſt mediam noctem immiſſum eſſet in os, vt liquaretur, & tranſmitteretur ad ſtomachum, nec poſſet dici, quod ſe haberet per modum ſaliuæ; tum quia eandem ſuperaret, tum quia haberet continuationem multarum partium, quæ eſſent ſeparabiles per expulſionem; cæteroqui poſſet multum ſacchari etiam poſt mediam noctem in os poni, quod, cum ſucceſſiuè liquaretur, poſſet dici ſumi ſucceſſiuè per modum ſaliuæ, & ſic non frangere ieiunium, quod non videtur dicendum. Iuxta tertiam conſiderationem *Lugus diſp. 15. ſect. 2. num. 42.*, diſtinguens inter dubium proueniens ex commeſtionis actu, & proueniens ex commeſtionis tempore aſſerit, quod ſi dubium ſit ex primo capite, quatenus dubitet, an vere comederit, nec ne, vtique non impediat communionem, ſi verò ſit ex ſecundo capite, quatenus dubitet, an quando comedit, vel bibit fuerit poſt mediam noctem, vtique communionem impediat. *Henriquez diſp. 6. quæſt 5. num. 59.*, recenta eadem diſtinctione aſſerit in vtroque dubio licitam eſſe communionem ex eo forte motiuo, quod in dubijs melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem. *Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 41. num. 40.*, in vtroque dubio reputat communionem illicitam, eo quia poſſeſſionem computet pro pręcepto. Ego verò abſolutè re conſiderata ſecundum ſe arbitror in tali dubio non poſſe abſolutè communicare ex generali regula, quia in concernentibus ſtatum animę in dubijs tutior pars ſit eligenda. Dixi *ſecundum ſe*, nam quandoque ratione adiacentis poteſt eſſe fortior ratio obligans ad communionem, puta ſi vrgente neceſſitate omittens communicare, ingereret ſcandalum, quod aliundè non poſſet euitare; nam tunc pia mater Eccleſia non eſt pręſumenda in caſu dubio velle communionem prohibere cum tanto detrimento.

17
Exiſtente vno tantum horologio media nox computatur à primo illius pulſu.

Secunda difficultas eſt in explicando, quomodo computanda ſit media nox, vel exiſtente vnico tantum horologio, vel pluribus exiſtentibus, inter quæ ſit quædam modica diuerſitas. Vnico tantum exiſtente horologio ratio dubitandi verſatur in eo, an media nox deſumenda ſit à primo pulſu horologij, an verò ab vltimo pulſu, an verò à medio. Procedit de horologio Hiſpanico, quod habet mediam noctem deſignare, non de Italis, quæ regularitèr mediam noctem non deſignant, ſed horas dumtaxat ſuccedentes. Communius arbitrantur mediam noctem incipere à primo pulſu horarum eandem deſignantium *Sancius ſect. 42. n. 20.*, *Diana part. 3. tract. 4. reſol. 36. §. notandum*, qui aſſerunt, quod, ſi Sacerdos, vel communicaturus bucellam in os immiſerit, & immediatè audiatur primus pulſus horarũ deſignantium mediam noctem, teneatur eijcere, & ſi intra primum, & vltimum pulſum bibat non poſſit manè ſequenti communicare; figunt enim iſti primam mediam noctem indiuiſibilitèr terminare in vltimo ſigno immediatè præcedente primum pulſum horarum. Exiſtentibus verò pluribus horologijs, inter quæ ſit quædam temporis diuerſitas, difficultas verſetur in eo, an teneatur Sacerdos, vel alius communicaturus manè ſequenti ſequi illud, quod prius mediam noctem deſignat, an poſſit ſequi vltimum, vel intermedium inter primum, & vltimum.

18
Exiſtentibus pluribus horologijs ſequi poteſt celebraturus quodcunque voluerit.

Diana part. 3. tract. 4. reſol. 36., & *part. 4. tract. 3. reſol. 19.* arbitratur, poſſe Sacerdotem, vel alium manè communicaturum ſequi quodcunque maluerit, quia plura, & diuerſa horologia habent rationem plurium, & diuerſarum opinionum probabilium, quam ſententiam ego amplectendam arbitrarer, ſi vnum quodque horologium æquè probabilitèr certum tempus mediæ noctis deſignaret; Cæterum, ſi vnum horologium, ſiue ſit primum, ſiue ſecundum ex continuata experientia iuſtius tempus deſignaret, & cætera varia eſſent, illud potius, & tutius ſequendum crederem; vt videtur etiam adnotaſſe *Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. num. 4.*

Tertia difficultas eſt in explicando, quo-

19 Quid ſentiendum ſit de Cardinali celebrante coram Pontifice ante mediam noctem Natiuitatis Domini.

quomodo cohæreat hoc præceptum ſeruandi ieiunium naturale à media nocte, quod vtique generale eſt, cum caſu, quo Cardinalis in Sacello Pontificio longè ante mediam noctem celebrat in peruigilio Natiuitatis Domini. Plures exiſtimant Cardinalem illum ſeruare ieiunium à media nocte diei præcedentis. Sed hoc licet ab aliquibus Cardinalibus celebraturis in illo peruigilio ante mediam noctem coram Pontifice obſeruetur; non tamen obſeruatur ab omnibus, vt teſtatur *Cacheranus d. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 4. §. 6. num. 124.*, qui, dum ſcriberet Romæ de hanc materia, aſſerit, ſe comperiſſe poſt diligentem inquiſitionem, quod licet aliqui ſeruent, ſeu ſeruauerint tale ieiunium, alij tamen non ſeruant, ſed in eodem peruigilio habeant prandium conſuetum. Retento igitur, quod ex neceſſitate Cardinalis in illo peruigilio ante mediam noctem celebraturus non debeat eſſe ieiunus, quęritur, quo titulo, ſeu qua ratione cohoneſtante hoc præſtet. *Cardinalis de Lugo diſp. 15. ſect. 2. num. 36.*, exiſtimat primo Summum Pontificem reſpectu Cardinalis celebraturi propriè non diſpenſare, vt celebret ante mediam noctem, ad quod aſſerendum pluribus rationibus mouetur, & primò, quia illa Miſſa cenſenda eſt celebrari, & eſſe intra diem Natiuitatis Domini, non intra diem peruigilij, cæteroqui in manè peruigilij non poſſet Cardinalis celebrare, ne intra eandem diem bis celebraret, ad quod noua diſpenſatio requireretur; ſecundò, ſi illa Miſſa eſſet intra diem peruigilij; elapſa nocte eiuſdem natiuitatis poſſet idem Cardinalis in manè tres alias Miſſas celebrare, cum vnicuique in illo die liceat tres Miſſas dicere, quod tamen Cardinalis non præſtat; tertiò, quia Cardinalis, qui ex diſpenſatione ante mediam noctem celebrauerit poſſet in illa Miſſa ſumere purificationem, & deindè manè ſubſequenti celebrare, cum poſſet dici ieiunus a media nocte, quod eſt contra

20 Opinio Lugi aſſerentis Pontificē anticipare mediā noctem.

praxim, & illius Miſſæ rubricam; quartò, quia ſi peruigilium Natiuitatis Domini occurreret in die Dominico adſtantes illi Miſſæ ſatisfacerent præcepto audiendi ſacrum in illo die Dominicæ, non audiendi Miſſam in die feſto Natalis Domini. Exiſtimat ſecundo, in illo peruigilio Natiuitatis Domini Summum Pontificem anticipare initium diei Natalis, & velle illud initium non a media nocte, ſed ab vna, vel altera hora ante mediam noctem deſumendum eſſe, & per hoc effugere intendit vim omnium argumentorum, quæ mox allata ſunt quoad ſimplicem diſpenſationem. Sed Lugus incidit in Scillam, dum euitare nititur charybdim. Si intelligitur anticipata media nox diei ſolemnis Natiuitatis Domini; ergo non ſolum ille Cardinalis poſſet ante conſuetam mediam noctem celebrare, ſed alij omnes Sacerdotes non ſolum in Alma Vrbe, ſed etiam extra illam; rurſus, ergo ſicuti ipſe Cardinalis, qui in peruigilio manè prandium accepit poteſt celebrare, etiam alij, qui prandium acceperunt poterunt communicare; rurſus, ergo poſſet quis tempore illius Miſſæ ante conſuetum mediæ noctis carnes comedere, cum ſumeret in die Natiuitatis &c. Quod,

21 Probabilius Pontifex in hoc diſpenſat.

ſi Lugus reſpondeat intelligi ſolummodò anticipatum diem Natiuitatis Domini quoad illam Miſſam, & in fauorem Cardinalis, non aliorum; hoc idem reſpondendum erit ad ea, quæ ipſe Lugus obijciebat contra ſimplicem diſpenſationem; hæc etenim eſt purè quoad anticipationem Miſſæ, & quoad ieiunium in fauorem Cardinalis celebrantis, non aliorum, adeo vt quoad alia, & reſpectu aliorum talis Miſſa eodem modo ſe habeat, ac ſi celebraretur poſt mediam noctem. Quamobrem probabilius exiſtimo in hoc Pontificem diſpenſare vt ſupra, non anticipare diem Natiuitatis Domini.

Hoc præceptum requirens ieiunium naturale in ſacrificaturo, vel in communicaturo, quamuis ſecundum ſe ſtrictum videatur, patitur tamen nonnullas exceptiones, quarum prima eſt neceſſitas ſumendi viaticum in articulo, ſeu periculo mortis. Hoc communitèr recipitur ab omnibus, & ita ſeruat communis Eccleſiæ praxis. Communitèr hanc exceptionem probant ex eo, quod præceptum ſumendi viaticum in periculo mortis ſit Diuinum, præceptum verò ſumendi ieiunè ſacrum Chriſti Domini Corpus ſit Eccleſiaſticum; Diuinum autem præualere debet Eccleſiaſtico. Sed huic communi rationi non acquieſcit *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 6. nu. 113.*, exiſtimat enim, quod potuerit Eccleſia per præceptum poſitiuum obligare ad non ſumendum viaticum, niſi ſeruato ieiunio naturali, adeovt velle potuerit, quod potius quis moriatur ſine viatico, quam ſine ieiunio, ea proportionali ratione, qua voluit, vt Sacerdos

22 Præceptum ieiunij non obligat exiſtentē in periculo mortis.

potius moriatur ſine communione, quam quod celebret ſine ſacris veſtibus non obſtante, quod præceptum communicandi in articulo mortis ſit Diuinum; præceptum verò non conſecrandi, niſi exiſtentibus ſacris veſtibus ſit tantum Eccleſiaſticum; vndè ipſe rationem refundit in maximam neceſſitatem, & indigentiam, quam moriturus habet Euchariſtiæ ſumendæ, qua ſtante non eſt præſumendum piam Matrem Eccleſiam velle, ſeu voluiſſe, vt quis cum tanto diſpendio moreretur ob

præ-

præciſum defectum ieiunij. Fateor præceptum Diuinum quandoque cedere Eccleſiaſtico, non quia hoc fortiùs ſit, ſed quia præceptum Diuinum quoad ſui executionem ordinatum eſt, vt reuerentèr adimpleatur ſeruatis ſcilicet, quæ in ordine ad debitam reuerentiam ab Eccleſia præcipiuntur; Eccleſia autem in ordine ad reuerentem Euchariſtiæ ſumptionem aliqua præcipit abſolutè, aliqua conditionatè; abſolutè ſcilicet, quod ſacrificium non fiat, niſi per Sacerdotem ſacris veſtibus indutū; conditionatè verò, vt non ſumatur Sacramentum à non ieiunio, niſi exiſtente in mortis periculo, vel alijs circunſtantijs, de quibus infrà. Si autem quæratur ratio, cur abſolutè requirat ſacra indumenta in conficiente ſacrificium etiam ad communicandum infirmum in articulo, ſeu periculo mortis conſtitutum, & ſolum requirat conditionatè ieiunium in ſumpturo ſacrū viaticum, dicam rationem congruentiæ ex eo deſumi poſſe, quia actio conficiendi ſacrificium eſt actio Sacerdotalis, quæ principalius reſpicit Dei cultum, adeoque ſtrictius exigit inſignia, quæ ad maiorem eiuſdem cultum conferunt; actio verò ſumendi Euchariſtiam per ſacrificium confectam reſpicit potius vtilitatem ſumentis, adeoque mirum non eſt, quod Eccleſia ſtrictius exigat ea, quæ ad immediatum Dei cultum conferunt, quam ea, quæ ad vtilitatem ſumentis.

Hic diſputant DD., an Sacerdos non ieiunus ad communicandum alium in articulo mortis exiſtentem conficere ſacrificium poſſit, in quo ex neceſſitate ipſe debet communicare? *Maior in 4. diſt. 9. q. 3. art. 5.* aſſentit, in ordine ad communicandum infirmum in articulo mortis conſtitutum poſſe Sacerdotem non ieiunium conficere ſacrificium, & in eodem communicare ad effectum conſecrandi particulam ſimul cum hoſtia à ſe ipſo ſumenda deferendam ad ſic periclitantem, cuius opinionem *Arriaga diſp. 44. ſect. 3. ſubſect. 4. n. 41.* probabilem exiſtimat ea fortè ratione, quod præceptum obligans ad finem non obſtante non ieiunio obliget etiam ad media neceſſaria ad eundem finem ipſo etiam non obſtante. *Gonetus verò diſp. 9. art. 2.*
23 Non ieiunus nō poteſt ſacrificare, vt infirmus communicetur.
num. 43., *Vaſquez diſp. 211. cap. 5. n. 61.*, *Cacheranus d. 14. § 6. nu. 115.*, ſententiam Maioris improbabilem omninò ſentiunt, ſed dicunt Sacerdotem non ieiunium non poſſe ſacrificare, & communicare ad effectum conſecrandi particulam deferendam infirmo periclitanti. Rationem primò ex eo deducunt, quia conſuetudo Eccleſiæ, quæ eſt interpres præcepti, & intentionis eiuſdem, obtinuit quidem, vt non ieiunus in articulo mortis poſſit communicare, non autem obtinuit, vt Sacerdos non ieiunus poſſit ſacrificare, & communicare in ordine ad communicandum alium vitæ periclitantem; ſecundò, quia hoc Sacramentum, licet maioris ſit dignitatis comparatiuè ad alia, eſt tamen minoris neceſſitatis, ergo maior habenda eſt ratio reuerentiæ debitæ eidem dignitati, quam neceſſitatis proximi; Neque dicas, quod hac ratione neque liceret periclitanti non ieiuno ſumere Euchariſtiam per modum viatici, quia potius habenda eſt ratio reuerentiæ debitæ Sacramento, quam neceſſitatis periclitantis; contra enim impugnaberis, quia Eccleſiaſtica conſuetudo iam declarauit in caſu neceſſitatis propriæ præceptum Eccleſiaſticum non obligare, non iam in caſu neceſſitatis alienæ; Deindè neceſſitas propria in tali periculo eſt neceſſitas intrinſeca, quæ fortiùs obligat, neceſſitas verò ex parte miniſtri ſit valdè extrinſeca, & accidentaria, & quæ rariſſimè ſolet accidere ſtante conſuetudine, quam habet Eccleſia ſeruandi Euchariſtiam pro infirmis; vndè expediens non fuit, vt propter talem neceſſitatem nonniſi rarò contingentem daretur occaſio violandi præceptum.

Neque hic audiendi ſunt, qui dicunt, poſſe Sacerdotem propter neceſſitatem communicandi infirmum ſacrificare non præmiſſa confeſſione Sacramentali, quantumuis ſibi conſcius ſit peccati læthalis, ergo à fortiori in ſimili neceſſitate poterit non ieiunus ſacrificare ad conſulendum eidem infirmo de ſacro viatico. Dixi *à fortiori*, quia præceptum præmittendæ confeſſionis ad communionem in ſibi conſcio de peccato læthali eſt Diuinum; præceptum verò de non communicando, niſi ſeruato ieiunio eſt merè Eccleſiaſticum. Non inquam, audiendi ſunt, quia præceptum 24 Cur non poſſit nō ieiunus, poſſit autem exiſtens in peccato.
Eccleſiaſticum poteſt quandoque vniuerſalius obligare, quam præceptum Diuinum, ſi materia id requirat, quod præcipuè verificatur in caſu præſenti, in quo licet præceptum ieiunij naturalis in ordine ad communicaturum immediatè proueniat ab Eccleſia nititur tamen poteſtati eidem à Chriſto collatæ, & eſt quodamodo determinatio quædam iuris Diuini, & naturalis; quando quidem de iure Diuino eſt, vt conficiendo hoc ſacrificio ſeruetur reuerentia, & decentia conueniens, non determinando quænam, & qualis hæc debeat eſſe, quam poſtea Eccleſia determinauit, vt ſcilicet non fieret hoc ſacrificium, niſi ſeruato ieiunio, niſi ſacris veſtibus adhibitis, & ſimilibus &c. Deindè confeſſio ſacramentalis non propter ſe ipſum præcipitur, ſed in ordine ad iuſtificationem requiſitam, vt medium ad ſacram communionem; hoc autem medium, quando haberi

beri non poteſt per ſacramentalem confeſſionem, haberi poteſt per contritionem, adeoque mirum non eſt, quod præceptum confeſſionis, quandoque non obliget; ieiunium verò eſt diſpoſitio per ſe intenta, quæ per aliud ſuppleri non poteſt, adeoque &c.

Hic in ordine ad ea, quæ dicta ſunt, quod ſcilicet periclitanti etiam non ieiuno

25 In eadem infirmitate non ieiunus poteſt pluries communicari.

poſſit, & debeat conferri viaticum, oritur ratio dubitandi, an ſemel eidem in eadem infirmitate per modum viatici communicato poſſit iterum conferri viaticum, quantumuis non fuerit ieiunus. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quòd ideo videatur concedi in articulo mortis conſtituto communio per modum viatici, quantumuis non fuerit ieiunus, quinimmò de hoc præceptum vrgeat, quia eſt præceptum Diuinum de communicando in articulo mortis præualens præcepto Eccleſiaſtico de ieiunio; ſed hæc ratio ceſſat, quando iam in eadem infirmitate poſita eſt communio per modum viatici, quia iam præceptum Diuinum eſt adimpletum, ergo &c. Exiſtimo tamen, probabilius eſſe, etiam in eadem infirmitate licere iterum communicare etiam non ſeruato ieiunio. Conſentiunt *Suarez diſp. 68. ſect. 5.*, *Tabiena verb. communio, §. 48.*, *Armilla in ſumma eodem verb. §. 18.*; & quidem duplex ſtatus in eodem infirmo poteſt conſiderari; primus, quando prius fuit in periculo mortis, atque illud euaſit, & cæpit aliquantulum conualeſcere, & poſtea iterum in idem periculum incidit; ſecundus, quando idem periculum perſeuerat, quin potius augetur, & durat per multos dies poſt communionem primam; Iuxta primum ſtatum non eſt heſitandum, quin poſſit ſuperueniente nouo periculo iterum communicare, quinimmò arbitror, non ſolum poſſe, ſed etiam teneri iterum communicare ex præcepto Diuino. Ratio eſt, quia præceptum Diuinum obligat ad communicandum in articulo mortis, non ſemel tantum in vita, ſed quoties articulus mortis de nouo obuenerit, qui ſit diſtinctus ab alio quocunque præcedenti; quando autem iam primum periculum ceſſauit, & infirmus cæpit conualeſcere, & deinde in ſimile recedit periculum, hoc cenſetur nouus neceſſitatis articulus, ergo &c. Iuxta ſecundum ſtatum vtique arbitror, poſſe iterum communicari elapſis aliquot diebus, non tamen teneri. Ratio, cur poſſit

26 Duplex ſtatus periclitantis.

ex eo deducitur, quia Euchariſtia per modum viatici non ſolum datur ob adimplendum præceptum Diuinum, ſed etiam ad ſubueniendum infirmo contra inſidias, & tentationes Diaboli, quæ crebrò in illo periculo ſolent eundem vexare; licet ergo ratione præcepti Diuini in illa hypotheſi non ſit amplius communio neceſſaria, nec debita, eſt tamen maximè expediens, & maximè proficua in illa neceſſitate infirmo; non eſt autem præſumendum, quod pia Mater Eccleſia velit illo præſidio priuare ſic periclitantem in illo periculo. Ratio autem, cur non teneatur ex eo deducitur, quod mox innuebamus, quia iam præceptum Diuinum adimpletum eſt per primam communionem incæpto illo periculo, nec ratione tentationum ſuperuenientium eſt neceſſaria iterata communio, licet valdè expediens, cum non ſit vnicum remedium pro illis ſuperandis communio, cum per alia remedia poſſint ſuperari, cæteroqui durante illo periculo ferè quotidiè eſſet repetenda, cum ferè quotidiè tentationes ſuperueniant.

Hic diſputant DD., an aliquod tempo- 27 Quātum tempus debet labi inter vnā, & aliam cōmunionē

ris, & quodnam debeat intercedere inter primam communionem ſumptam in illo periculo, & ſecundam eodem perſeuerante. Conſentiunt omnes inter vnam, & alteram communionem aliquod tempus requiri, ſed quantum debeat eſſe illud tempus, non conueniunt. *Nauarrus part. 2. lib. 5. concl. 41.*, dicit, debere eſſe multum; quantum verò determinatè remittit arbitrio boni, & prudentis viri. Alij aſſignant triginta dies. Alij, inter quos *Nugnus in tertia part. tom. 1. quæſt. 80. art. 8.*, aſſignant decem, vel octo dies. Alij, inter quos *Poſſeuinus de offic. Curati art. 8. num. 21.*, aſſignat ſex dies. Alij, inter quos *Laiman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 20.*, aſſerunt, quod ſi infirmus aſſuetus ſit ex deuotione ſæpius communicare, poſſit poſt alteram diem iterum communicare. Alij, inter quos *Hurtadus apud Dianam part. 11. tract. 6. reſol. 16.*, exiſtimant infirmum in eadem infirmitate multoties poſſe communicari interiecto dumtaxat interuallo trium dierum, dummodò ſemper ſit in articulo mortis: Hoc ego iudicio prudentis Confeſſarij remittendum exiſtimo.

Sed, an quoties in eodem periculo mortis contingat infirmum communicari poſt ſumptum viaticum alijs vicibus, & vtique non ſeruato ieiunio ſemper eidem ſit conferenda communio per modum viatici ob ieiunium non ſeruatum, an verò poſſit ſimpliciter communicari. Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod viaticum, cum ex genere ſuo ordinetur ad roborandum infirmum in ordine ad exitum, videtur quoad finem æquiparari Extremæ Vnctioni; quæ datur tanquam robur ad luctam, &, ſicuti Extrema Vnctio in eadem infirmitate non eſt iteranda, niſi tranſacto diuturno tempore, ita nec videtur iterandum viaticum; & cum ex alio capite pia Mater Eccleſia benignè indulgeat, quod infir-

infirmus ſumpto viatico poſſit iterum communicari elapſis à ſumptione eiuſdem paucis diebus, nec præſcribat ſub formalitate viatici, ſequitur, quod poſſit, & debeat iterari ſub ratione ſimplicis communionis, non ſub ratione viatici, vt ex vno capite non reiteretur intra paucos dies viaticum, ſicuti intra eoſdem non eſt reiteranda Extrema Vnctio, & ex alio conſulatur indigentiæ infirmi contra diabolicas tentationes. Adde, quod conceſſio communicandi

28 Iteranda eſt per modum viatici.

non ſeruato ieiunio non ſit neceſſario connexa cum formalitate viatici, nam facta conceſſione per Pontificem ex cauſa communicandi alicui non ieiuno, non debet neceſſario communicari per modum viatici, adeoque ſemel communicato infirmo per modum viatici in eodem periculo non videtur eidem iterum conferenda communio per modū viatici. Aliqui in hac hypotheſi arbitrantur poſſe, vel per modum viatici, vel per modum ſimplicis communionis licitè conferri, quia ex vna parte non vident præceptum, quod iterata illa communio debeat eſſe per modum viatici; ex alia parte vident conceſſionem in illa infirmitate abſolutam. Attenta tamen conſuetudine, de qua plures Parochos interrogaui, abſolutè crederem conferendam eſſe per modum viatici.

Hæc, quæ modo diximus de iterata communione in eadem infirmitate ſiue per modum viatici, ſiue per modum ſimplicis communionis non ſeruato ieiunio procedunt facultatiuè, quatenus conceditur poſſe, non tamen coarctantur ad velle; Sed quid erit dicendum, ſi infirmus ſumpto iam viatico, & perſeuerante eodem periculo inciderit in nouum peccatum læthale, an tunc obligabitur coactiuè ad iterum communicandum? Ratio dubitandi ex eo videtur conſurgere, quod idem motiuum

29 Poſt nouū peccatum non tenetur iterum communicare.

communicandi poſt nouum peccatum læthale videtur vrgere; quod vrgebat ante ſumptum primum viaticum, quandoquidem ante primum viaticum, ideò viget præceptum Diuinum de communicando, quia roborari debet infirmus iam attenuatus viribus ſpiritualibus ob præcedentes culpas contractas ad ſuſcipiendum iter arduum ad Cæleſtem Patriam, ſed hoc idem motiuum vrget iam ſuſcepto primo viatico quando infirmus incidit in nouam culpam læthalem, ſiquidem per hanc vis à præcedenti viatico collata deperditur, & omnia merita præcedentia mortificantur, ergo adhuc vrget præceptum de iterum communicando. His tamen non obſtantibus ſentiendum exiſtimo, non teneri amplius ex præcepto Diuino communicare, vndè, ſi non communicet, non ob hoc contrahet nouum peccatum læthale. Rationem ex eo deduco, quia præceptum Diuinum de communicando in articulo mortis iam adimpletum eſt, nec commiſſio noui peccati poſt adimplementum præcepti renouat idem præceptum; nec vrget argumentum ex aduerſo allatum, quandoquidem dato etiam, quod idem motiuum vigeret, non propterea induceret nouam obligationem ex præcepto, quia finis legis non cadit ſub lege, vt in ſimilibus docet *Suarez diſp. 68. ſect. 4. verſ. ſed quid*. Deindè negandum eſt vrgere idem motiuum, quandoquidem licet vis viatici antecedentèr collati per peccatum attenuetur, & præcedentia merita mortificentur, per ſuperuenientem tamen pænitentiam, quæ habenda eſt per Sacramentum eiuſdem pænitentiæ reuiuiſcunt, vt latè dicemus infrà, dum de Pęnitentia.

Nec ſolum in periculo mortis naturalis conferendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ non ieiuno, ſed etiam præcedentèr ad mortem violentam, quando, nec anticipari poteſt communio, nec differri mors, vel ſupplicium, prout ſtatuunt *Suarez d. diſp. 68. ſect. 3. verſ. in præſenti ergo quæſtione in fin.*, *Hurtadus de Euchar. diſp. 9. difficul. 16.* 30 Etiam ante mortem violentā non ieiunus poteſt communicare.

Circa hunc articulum mortis violentæ, ſeu circa damnatum ad mortem plura inſurgunt dubia nunc diſcutienda. Primum eſt, an Reo morte denuntiata ſit conferenda Euchariſtia die præcedenti ad mortem, an verò eadem die ante mortem. Diuerſis in locis diuerſimodè obſeruatur. Panormi, & in Regno Caſtellæ aſſerit *Diana part. 5. tract. 3. reſol. 38.*, ex conſuetudine pridiè ad mortem reos damnatos communicari. *Corſetus ſing. 68. art. 3.*, teſtatur Romæ ipſo die mortis communicari. Alij aſſerunt, poſſe dari viaticum vna hora ante patibulum. Quamuis ſatisfiat præcepto, ſiue pridiè ante mortem, ſiue eadem die mortis damnatus communicetur, conſultius tamen fore crederem, ſi eadem die mortis communicaretur, vt tolerabilius mortem ſubiret, & tentationes Dæmonis tunc magis vigentes ſuperaret. 31 Conſultius foret ſi Reus ipſa die mortis communicaretur.

Secundum eſt, an, ſi die præcedenti ad mortem damnatus communicauerit poſſit iterum, ſi piè, & deuotè petat, eadem die mortis iterum communicare. Ratio dubitandi ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, conſurgit, nempè exiſtentem in periculo mortis naturalis, & iam communicatum per modum viatici non poſſe, niſi poſt aliquot dies iterum communicari, à qua regula non videtur excipiendus exiſtens in caſu ineuitabili mortis violentæ. Nihilominus *Sancius in ſelect. diſp. 4. num. 4.*, poſſe iterum eadem die mortis communicari, addens minus pium eſſe illi denegare, quam 32 Communicatus die præcedenti poteſt etiam communicare die mortis.

con-

concedere, quod certè maximè expediens arbitror propter vehementes tentationes, quæ in homine alias perdito poſſunt tunc exuberare.

Tertium eſt, an in vtroque præcedenti dubio poſſit damnatus ad mortem etiam non ieiunus communicare. Iuxtà varias conſiderationes dirimendum eſt hoc dubium, vel etenim denuntiata Reo morte aliquot dies ſuperſunt ad ipſius executionem, vel eadem die ſententia eſt executioni mandanda. Si ſuperſunt aliquot dies ad executionem ſententiæ, certum eſt, quod damnatus pro die, pro qua debet communionem ſumere, teneatur à media nocte præcedente ieiunium ſeruare, quandoquidem, vt benè notat *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 4. §. 6. n. 114.*, non ceſſat præceptum ſimplicitèr ieiunij ex eo, quod communio ſit ſumenda per modum viatici, ſed ſolum ex ſuppoſitione, qua alitèr quis periclitetur ſine viatico mori; Cæterum, ſi morti proximus ſine magno

33 An non ieiunus poſſit communicari.

incommodo, & difficultate poſſit ſimul adimplere præceptum Diuinum ſumendi viaticum, & Eccleſiaſticum communicandi ieiunè, certè debet vtrumque ſeruare, quia non ceſſat hoc præceptum Eccleſiaſticum ſeruandi ieiunium, niſi quando alitèr non poſſit, vel ſimplicitèr, vel ſine magna difficultate, & incommodo. Quod, ſi ſupponas, quod dilata fuerit communio ad diem executionis ſententiæ, & à media nocte damnatus non ſeruauerit ieiunium, vel ex cauſa, vel ex incuria; & inquiras, an tunc ſit communicandus non ieiunus, vel differendum ſupplicium ad alteram diem; tunc *Cacheranus loc. cit.*, aſſerit communicandum eſſe etiam non ſeruato ieiunio, nec differendam executionem ſententiæ, quia non eſt in hoc ſcrupuloſè procedendum; cum Eccleſiæ benignitas, & praxis ſatis hoc declaret, & etiam inſinuat Rituale Romanum per illa verba. *Poteſt viaticum breui morituris dari non ieiunis*; nec præceptum Eccleſiaſticum communicandi ieiunè videtur debere prçualere executioni ſententiæ legitimè prolatæ. Si verò ſententia mortis ſit eadem die executioni mandanda; tunc videndum eſt, an ſolum obſtet circunſtantia ieiunij non ſeruati, vel indiſpoſitio damnati non voluntaria, quatenus intra illud modicum tempus non ex voluntate contumaci, ſed quia ita exigit ſtatus eiuſdem conſcientiæ ad ſe diſponendum ad mortem per confeſſionem, & communionem; ſi obſtet ſolummodò defectus ieiunij; tunc aſſerendum eſt poſſe, & deberi eidem conferri communionem etiam non ieiuno propter rationem mox adductam; ſi verò obſtet indiſpoſitio eiuſdem damnati non voluntaria, quæ requirat aliquod tempus ad confeſſionem, & communionem habendam, tunc eidem tale tempus concedendum eſt, & diferendum ſupplicium, vt videtur colligi *ex clement. cum ſecundum de pænit., & remiſſ.*, vbi in primis Pontifex hortatur in Domino

34 Tenetur Principes cōcedere damnatis tempus ad pænitentiam.

Dominos temporales, & obſecratur per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, & licet ibi procedat per verba exhortatiua, & deprecatiua, important tamen neceſſitatem præcepti, quia inuoluunt conſilium reuerentiæ, quod obligat, ſicut præceptum, quando id eſt neceſſarium ob reuerentiam perſonarum, ad quas conſilium reuerentiæ dirigitur. Adde, quod, quando obſecratio eſt per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, inducat obligationem, nam, qui miſericordiam facere recuſat, Chriſtum, qui eſt miſericordia, negat per textum *in cap. omnis 7. quæſt. 1., & cap. ſerpens de pænit. diſt. 1.* Deindè ibi Pontifex præcipit locorum ordinarijs, vt moneant Dominos temporales, ne pænitentiam impediant damnatis, eoſdemque compellant Eccleſiaſtica cenſura; & licet hic textus videatur tantum procedere contra Dominos temporales denegantes ſimplicitèr pænitentiam, nihilominus afficit eoſdem, qui tempus neceſſarium ad eandem pænitentiam non concedunt, nam, qui tollit medium neceſſarium ad finem, & finem ipſum tollere cenſetur; nec ſolum tempus ad confeſſionem neceſſarium concedere tenentur, ſed etiam neceſſarium, & commodum ad ſacram communionem per textum *in c. cum in te de pænit., & remiſſ.*

Sed, an hoc tempus ad diſpoſitionem per Pænitentiæ Sacramentum, & Euchariſtiæ concedendum ſit damnato, etiam ſi interim timeatur eripiendus è carcere. Affirmat *Ochogauia tract. de Euchariſtia quæſt. 14. num. 10.*, ponderans Pontificem *in d. clem. cum ſecundum de pænit., & remiſſ.* loqui abſolutè, nec hanc conditionem requirere, & quod minus inconueniens eſt, quod damnatus eripiatur è carcere temporali, quam, quod rapiatur ad carcerem ſempiternum; limitat tamen in caſu, quo ereptio, quæ timetur, foret nociua Reipublicæ, quia tunc bonum publicum debet præualere priuato. In hoc caſu timoris fugæ, ſeu ereptionis è carcere ego ar-

35 Quantũ tempus ſit concedendum.

bitrarer eſſe quidem concedendum tempus confeſſionis, & communionis, ſed breuius, vt quantum fieri poſſit, conſulatur ſaluti ſpirituali eiuſdem damnati, & ſimul iuſtitiæ vindicatiuæ, & periculo damni Reipublicæ ob fugam. Sed, ſi quæratur, quantum temporis ſit concedendum damnato non exiſtente periculo fugæ ad ſibi conſulendum per Sacramentum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ, & quantum imminente tali

M fugæ

fugæ periculo. In ordine ad primum *Ochogauia tract. de Euchariſtia qu.* 14. *n.* 10. aſſignat tres, vel quatuor dies. Regularitèr in hoc dominio Mediolanenſi tempus, quod conceditur, tangit tres dies, adeo vt vna die à prandio mors denuntietur, altera dies integra inſumatur in diſpoſitionibus ſpiritualibus, tertia die ante prandium mors inferatur; alibi breuius, alibi extenſius tempus conceditur. In ordine ad ſecundum ſatis erit, ſi quatuor, vel quinque horæ concedantur.

Ex occaſione eorum, quæ hactenus dicta ſunt, alia nonnulla dubia emergunt. Primum eſt, an, ſi quis manè gaudens perfecta mentis, & corporis ſalute ex deuotione communicauerit, & poſt prandium inopinato morbo correptus in periculo mortis conſtituatur, teneatur eadem die non obſtante prima communione, & fractione ieiunij iterum communicare per modum viatici ad ſatisfaciendum præcepto diuino de communicando in articulo mortis. Secundum, an, ſi Sacerdos in die feſto ſummo manè celebrauerit in loco, in quo alius Sacerdos non extat, & deindè eodem manè perſeuerante ſuperuenerit, vel magnus Princeps cum magno Comitatu, vel maxima populi multitudo, qui ſacrum non audierint, poſſit iterum celebrare non obſtante, quod ieiunium fregerit, vel per Purificationem, vel per ſumptionem potus, vel cibi.

36 Sẽtentia aſſerens eum, qui mane ſanus communicauit, non poſſe eadem die communicari, ſi ſit in mortis periculo.

Ratio dubitandi quoad primum pro parte negante, quod ſcilicet, nec teneatur, nec poſſit iterum communicare per modum viatici, ex eo conſurgit, quod duplex contra illam iteratam communionem pro eadem die vrget præceptum, alterum de non communicando bis eadem die, alterum de non communicando non ſeruato ieiunio, nec poteſt dici, quod præceptum Diuinum de communicando in articulo mortis debeat præponderare vtrique illi præcepto Eccleſiaſtico de non communicando bis, & de non communicando ſine ieiunio; non, inquam, poteſt dici, quia præcepto Diuino intelligitur ſufficientèr iam ſatisfactum per communionem eodem manè factam, etiam ſi tunc, quando communicauit, non intenderit ſatisfacere illi præcepto Diuino, cum tunc ignorauerit ſe eſſe in periculo mortis, & tale præceptum vrgere, quod multis exemplis poteſt euinci; & primò in eo, qui in die feſto ſacrum audiuit ignorans eſſe diem feſtum, qui propterea intelligitur non intendiſſe ſatisfacere præcepto, cum neſciuerit, tunc præceptum vrgere, & tamen habita cognitione de die feſto non tenetur aliud ſacrum audire; ſecundò in eo, qui communicauit in Paſchate ignorans illud eſſe tempus Paſchale, vel ſe teneri in Paſchate communicare, qui tamen non tenetur iterum communicare, quia iam ſatisfecit, ergo &c. Accedit, quod præceptum Diuinum de communicando in articulo mortis habet pro fine armare fideles contra tentationes Diabolicas in illo extremo conflictu; hic autem finis ſufficientèr habetur per communionem habitam eodem manè. Pro hac opinione ſtant *Suarez diſp.* 69. *ſect.* 3., *Coninchus hic qu.* 80. *art.* 11., *Lugus diſp.* 16. *num.* 37., *Gonetus diſp.* 9. *num.* 35.

Pro parte affirmante poſſe, & teneri iterum communicare, vrgent ſequentes rationes; primò, quia præceptum Diuinum tunc tantum incipit obligare, quando incipit vrgere periculum mortis, ſed quando manè communicauit ſanus ex deuotione nullo modo vrgebat mortis periculum, ergo per illam communionem non ſatisfecit præcepto Diuino. Conſequentia probatur, quia per actionem exercitam pro tempore, pro quo præceptum non obligat, non ſatisfit eidem præcepto; ſic, ſi præceptum audiendi ſacrum, vel ieiunandi obliget pro craſtina die, non ſatisfacit quis præcepto huiuſmodi audiendo ſacrum, & ieiunando hodierna die. Secundò, quia *ex Concil. Nicano can.* 13., *Toletano* 11. *can.* 18., *Agathenſi can.* 11., *Anciran. cap.* 22., *Arauſicano cap.* 13., *Arelatenſi* 2. *cap.* 12., *Carthaginenſi* 4. *cap.* 77., *&* 78., dicitur obligari homo ex præcepto, vt ex hac vita migret, ad ſumendum viaticum, ſed, qui hoc animo non communicauit, non propriè ſumpſit viaticum, ergo tenetur iterum occurrente tali periculo, eo animo communicare. Atque pro hac opinione ſtant *Gaſpar Hurtadus diſp.* 10. *diffic.* 2., *Vaſquez diſp.* 214. *num.* 14., *Diana part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 197., *Arriaga diſp.* 44. *ſect.* 3., *Madernus tract.* 3. *de Euchariſtia Sacram. qu.* 7. *art.* 7. *num.* 18., qui etiam aſſerit ita in praxi obſeruatum fuiſſe cum Patre Claudio Aquauiua Generali Societatis Ieſu, & cum alijs ex eadem Societate, qui, cum communicaſſent manè, & Veſpere in graue mortis periculum incidiſſent, iterum per modum viatici communionem eadem die ſumpſerunt. Quid iam in hac controuerſia concludendum? — 37 Sententia affirmans.

Dico primò, ſi eſt licita per modum viatici communio ei, qui paulò ante, vel eadem die communicauit ex deuotione, etiam eſt debita. Ratio ex eo deducitur, quia non eſt licitum eadem die bis communicare contra præceptum Eccleſiaſticum, niſi vrgente fortiori præcepto; vbi enim fortius non vrget, præceptum Eccleſiaſticum in ſuo robore remanet, ergo, ſi licitè poteſt per modum viatici iterum communicare, debet, ſic vrgente præcepto Diui- — 38 Si licita eſt, eſt etiam debita.

no;

no; Neque dicas relaxationem præcepti de non communicando bis eadem die non eſſe ratione fortioris præcepti tunc vrgentis, ſed ex benigna indulgentia eiuſdem Eccleſiæ, vt omni meliori modo conſulatur indigentiæ periclitantis, & non tantum ad neceſſitatem, ſed etiam ad faciliorem exitum; contra enim impugnaberis, quia Eccleſia non conſueuit relaxare ſua præcepta non exiſtente neceſſitate; ſic non indulget, vt qui manè in infirmitate communicauit, poſſit iterum in Veſperis communicare, quantumuis infirmitas augeatur; quinimmò iuxtà plurimorum placitum, nec indulget, vt die ſequenti valeat communicare; ſignum ſatis perſpicax, quod, ſi permittit, quod communicato in manè ex deuotione poſſit in Veſpere iterum conferri viaticum, ideò permittat, quia fortius præceptum Diuinum vrgeat.

39 Probabilius eſt licita.

Dico ſecundò, probabilius eſſe vigere obligationem conferendi viaticum illi, qui manè ex deuotione communicauit, ſi poſt talem communionem inopinatò ſuperuenerit articulus mortis. Ratio reſultat ex ijs, quæ dicta ſunt pro ſecunda ſententia affirmatiua fundata in ratione præcepti Diuini præualentis cuicunque Eccleſiaſtico; Nec obſtant ea, quæ pro ſententia negante afferebantur; non primum de duobus præceptis Eccleſiaſticis, quia iſta debent cedere Diuino, quantumuis eſſent multo plura; nec valet exceptio aduerſantium, quod præcepto Diuino fuerit ſatisfactum per communionem matutinam ex deuotione factam, prout allatis exemplis illuſtrarunt; non valet, inquam, quia per illam communionem non poteſt dici ſatisfeciſſe præcepto, cum pro illo tempore præceptum non vrgeret; nemo autem dicitur ſatisfacere præcepto, quando ipſum non vrget; præceptum autem Diuinum non vrget, niſi vrgente mortis periculo, quod pro eo tempore, quo manè ex deuotione communicauit, non vrgebat; & ſicuti per ieiunium hodiernum non ſatisfacit præcepto vrgente pro craſtino, ita &c.

40 Soluuntur argumenta contraria

Exempla, quæ in confirmationem exceptionis aduerſantium afferebantur nihil euincunt, quia, præter quam quod non ità verum continent, ſicuti ſibi ſuadent aduerſarij, adhuc nos non premunt, nam pro ea die, qua quis ſacrum audit, & pro tempore, quo communicat, vrget præceptum de auditione ſacri, & de communione Paſchali, licet ipſe ignoret, nec ignorantia tollit, quin fuerit adimpletum præceptum, quod pro eo tempore vrgebat. Non ſecundum deſumptum ex eo, quod per primam communionem factam manè ex deuotione habeatur finis Diuini præcepti communicandi in articulo mortis, qui eſt armare periclitantes ad extremam luctam; quandoquidem, cum illa communio non fuerit ordinata ad hunc finem, nec ex diſpoſitione communicantis, nec ex præcepto Diuino, non videtur habere illos peculiares effectus, quos ſpeciatim cauſat viaticum, qua viaticum. Deindè finis præcepti non cadit ſub præcepto, & quamuis habeatur finis, non habetur tamen adimplementum præcepti.

Quod, ſi vrgeas *cum Suarez diſp. 69. ſect. 3. verſ. Rogabis*, quod vnuſquiſque in ſuis actibus cenſeatur habere intentionem virtualem, & implicitam adimplendi omnem obligationem, quam poteſt, & debet, licet fortè ignoret, adeoque etiam manè communicans ex deuotione cenſeatur implicitè velle conditionatè adimplere præceptum viatici, ſi periculum eſſet mox futurum, nam ſi cognouiſſet tale periculum, per modum viatici communicare voluiſſet, & cum tale periculum ſit præſens, licet ab ipſo ignoratum, vtique cenſendum eſt cadere ſub illa intentione virtuali; ſtatim impugnaberis, quia in primis nullus, ſeu fortè nullus, dum ex deuotione communicat, cogitat de adimplemento præcepti viatici obligantis in articulo mortis, & qui communicat in Paſchate cogitat quidem de adimplemento præcepti Eccleſiaſtici, non Diuini communicandi per modum viatici, vndè illa virtualis intentio eſt piè excogitata ab eodem Suarez ad propugnandam propriam ſententiam, non verè exiſtens, præcipuè, cum intentio virtualis præſupponat præuiam intentionem actualem præexiſtente virtute in effectibus, quæ præuia intentio non præſumitur. Deindè intentio adimplendi præceptum debet eſſe de opere exercito pro tempore vrgentis præcepti, non de opere exercito pro tempore, pro quo præceptum non vrget; præceptum autem Diuinum non vrget, niſi exiſtente mortis periculo, quod non eſt, quando ex deuotione communicat. Tandem, ſi illa virtualis intentio verè exiſteret, & per illam adimpleretur præceptum Diuinum in communione habita cum eadem intentione ex deuotione, & extrà mortis periculum, in Sacerdotibus præcipuè aſſuetis quotidie celebrare, actum eſſet de præcepto Diuino communicandi in articulo mortis, cum præcedens communio habita ante duos, vel tres dies ante tale periculum ſufficeret.

41 Reijcitur Suarez.

In ordine ad ſecundum dubium ſupra excitatum de Sacerdote, qui in die feſto ſummo manè celebrauit in loco, in quo alius Sacerdos non exiſtit, an ſcilicet poſſit iterum ſuperueniente magno Principe cum magno Comitatu, qui ſacrum non audierit, vel magna populi multitudo indigens

ſacrificio, vt adimpleat præceptum tunc vrgens de auditione ſacri, celebrare. Silueſter, & Angelus ex Abbate *in cap. conſuluiſti de celebratione Miſſarum*, aſſerunt poſſe in allegatis caſibus de Aduentu Magni Principis Sacerdotem, altero Sacerdote non exiſtente, celebrare iterum, ne Princeps, vel populus ſacro deſtituatur; addunt tamen conditionem, *dummodò ſit ieiunus*, quæ reddit caſum metaphyſicum; nam vel Sacerdos, qui ſummo manè celebrauit præuidit Principem, vel magnum populum adfuturum, vel non præuidit, nec potuit rationabilitèr præuidere; ſi præuidit, debuit ſummo manè deſiſtere à celebratione, & expectare, ne contra præceptum Eccleſiæ compelleretur bis celebrare; ſi non præuidit, nec potuit præuidere, debuit ex præſcripto Eccleſiæ in prima Miſſa purificationem ſumere, nec potuit remanere ieiunus, & ſic incongruè apponeretur illa conditio, *dummodò ſit ieiunus*, cum non poſſit dari caſus, quo poſt celebrationem primæ Miſſæ remaneat ieiunus; vndè iuxtà hanc ſententiam remota illa conditione dicendum videtur, quod ſimplicitèr in fauorem illius Principis, vel populi confluentis poſſit iterum celebrare, nam, ſicuti ratione, & intuitu eorundem ceſſat præceptum Eccleſiaſticum de non celebrando bis eadem die, ità ratione ipſorum ceſſare debeat, & alterum de celebrando ieiunè.

42 Per aduentum magni Principis nō poteſt eadem die Sacerdos bis celebrare.

Verum reiecta hac ſententia abſolutè ſentiendum eſt, nec ex cauſa aduentus Principis, nec magni populi poſſe Sacerdotem iterum eadem die celebrare, quia, vt benè notat *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 24. quæſt. 6. verſ. excipiunt tamen auctores*, nec aliquo canone, nec aliquo iure hæc facultas bis celebrandi ob allegatas cauſas probatur. Adde primò, quod nec Princeps, nec magnus populus obligatur ea die, quantumuis feſtiua ex præcepto audire ſacrum ipſos excuſante defectu Sacerdotis, qui valeat celebrare, vndè ob hanc cauſam non eſt violandum præceptum de non celebrando bis eadem die. Adde ſecundò, quod licitum non eſt Sacerdoti maximè non ieiuno bis celebrare etiam in ordine ad conferendum viaticum exiſtenti in proximo mortis periculo per ea, quæ ſupra latè probauimus, ergo multo minus erit licitum bis celebrare in die feſto ad effectum, vt Princeps, vel magnus populus ſacrum audiat. Conſequentia probatur, quia fortius ius vrget ad ſubueniendum conſtituto in articulo mortis per ſacrum viaticum, cum ad hoc vrgeat præceptum Diuinum, quam ad conſulendum Principi, vel magno populo de Miſſa in die feſto, quia ad audiendum ſacrum ſolum tenentur de iure Eccleſiaſtico, quinimmò in hac hypotheſi non tenentur excuſante defectu Sacerdotis, vt ſupra.

Sed, an ſaltem per aduentum magni Principis, vel magni populi poſſit Miſſa incæpta repeti, vt integram audiant. Bardus, & alij apud *Dianam part. 11. tract. 5. reſolut. 45.*, aſſerunt, quod, ſi Miſſa peruenerit ſolum vſque ad offertorium, vtique poſſit repeti, ſecus verò, ſi vſque ad canonem. Ipſe verò *Diana ibidem*, allegatis alijs pluribus abſolutè aſſerit, non licere, etiam ſi hoc contigerit in die feſto, & multo minus, ſi in diebus ferialibus, in quibus nullum præceptum vrget audiendi ſacrum, & licet DD. contrariæ ſententiæ aſſerant hanc facultatem repetendi ſacrum non fundari in præciſa neceſſitate illud audiendi, ſed in quadam honeſtate, & conuenientia, ſecundum quam expedit magnates maximè Eccleſiaſticos quotidie ſacrum audire; nihilominus honeſtas illa, & conuenientia talis non eſt ſecundum eundem Dianam, & alios ab eodem citatos, vt ceſſare faciat obligationem præcepti Eccleſiaſtici; vndè ad roborandam hanc ſuam opinionem *Diana loc. cit.* refert duplex Concil. Prouinciale alterum Mediolanenſe, alterum Hiſpalenſe, per quæ abſolutè præcipitur Miſſam inchoatam non eſſe repetendam, nec ex cauſa ſuperuenientię magni Principis, & ſignantèr Mediolanenſe ſtrictè procedens diſponit, quod facta confeſſione ſit Miſſa continuanda, non repetenda.

43 Nec Miſſam inceptam repetere.

Huic Dianæ opinioni tanquam probabiliori adhærendum exiſtimo, & propter auctoritatem prædictorum Conciliorum, & propter praxim Eccleſiæ, ſecundum quam non repetitur; quamuis grauis culpæ non damnarem Sacerdotem, qui inſtante illo Principe ob ipſius reuerentiam repeteret inchoatum vſque ad offertorium, cum reuerentia illi debita annexa probabilitati contrariæ ſententiæ poſſet cohoneſtare defectum illum, ſi qui eſt, in re modica.

Aduerſus noſtram ſententiam negantem poſſe licitè bis celebrari ex recenſitis cauſis ſtare videtur textus *in cap. conſuluiſti de celebrat. Miſſarum, & in cap. te referente eod. tit.*, vbi dicitur. Excepto die Natiuitatis Domini, & niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat non licere eadem die bis celebrare, vbi nota illam particulam, *niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat*, quam explicans *Gloſa in d. cap. conſuluiſti*, nomine neceſſitatis intelligit non ſolum vtilitatem ſacrificium facientis, ſed etiam perſonarum rem Diuinam audientium; hæc autem vtilitas rem Diuinam audientium non poteſt congruentius intelligi, quam in ordine ad magnos Principes ſuperuenientes, & multitudinem populi indigentis ſacro in die feſto. Sed hic textus

non

44 Soluitur obiectum *ex cap. conſuluiſti.*

non videtur obeſſe, quandoquidem ly, *niſi cauſa neceſſitatis*, refertur ſolum ad caſus ex conſuetudine in Eccleſia practicatos, qualis eſt caſus, quo quis ob penuriam Sacerdotum, vel ob paupertatem locorum præficiebatur duplici Eccleſiæ Parochiali, quia tunc ob vtilitatem vtriuſque populi permittebatur Parocho, dummodo fuerit ieiunus, in vtraq; eadem die celebrare, ne vnus, vel alter populus beneficio ſacri in die feſto deſtitueretur, quam praxim in hoc caſu ſolummodo aſſerit *Bonacina de Sacram. Euchariſt. diſp. 4. qu. vlt. punct. 7. §. 5. num. 10. verſ. verum, vt dixi*, ſeruari Deindè dato etiam, quod allegatus textus *in d. cap. conſuluiſti*, comprehenderet titulo neceſſitatis hunc caſum, de quo hic loquimur, contraria tamen conſuetudine modo hoc abolitum eſt, vt teſtantur communitèr DD. in hac materia ſcribentes.

45 Licitum eſt ratione reuerentiæ Sacramẽti illud ſumere quandoq; ſine ieiunio.

Nec ſolum in articulo mortis, alijſque caſibus ſupra recenſitis licitum eſt ſumere Euchariſtiam non ſeruato ieiunio, ſed etiam in alijs caſibus extra talem articulum ratione reuerentiæ debitæ Sacramento, & ratione diſpenſationis Romani Pontificis, vel complementi.

Ratione primi numeratur primo caſus, quo eſſet manifeſtum periculum, vt Hoſtia Sacroſancta, niſi conſumeretur, eſſet iniurioſè ab infidelibus contrectanda. Secundò, quando ingruente incendio eſſet expoſita voracitati flammarum. Tertiò, quando immineret periculum, ne à beſtijs comederetur; tunc etenim non extante ieiuno poſſet licitè à non ieiuno conſumi, ratio eſt, quia fortius eſt præceptum de euertenda iniuria Sacramento imminente, quam præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda eadem ieiunè.

46 Et etiam per diſpẽſationem

Ratione ſecundi omnes caſus recenſentur, in quibus Pontifex diſpenſauit, vt ſumi poſſet Euchariſtia etiam poſt ſumptum cibum; ſic de facto refert *Famianus Strada lib. 1. de Bello Belg.*, Pontificem diſpenſaſſe Carlo V. Imperatori, vt poſſet etiam non ieiunus Euchariſtiam ſumere, item refert *Gonetus diſp. 9. art. 2. num. 44.* Paulum V. anno 1619. diſpenſaſſe Dominæ de Londæijs in Gallia, vt poſſet poſt prandium communicare ad compeſcendũ horribilem corporis tremorem, quo à Diabolo agitabatur immediatè poſt ſumptum cibum, nec quieſcebat, donec eidem ſacra Euchariſtia traderetur, qua ſumpta tremor ceſſabat, nec Dæmon ipſam vexabat. Quæ olim ex cauſa conceſſerunt Summi Pontifices, poſſunt, & modo Pontifices ſucceſſores concedere.

Ratione tertij comprehenduntur omnes caſus, in quibus complendum eſt ſacrificiũ ſecundum omnes partes, vel eſſentiales, vel ſubſtantiales integrantes; ſignanter comprehenditur primo caſus, quo Sacerdos facta conſecratione in ſumptione cognoſcit alteram ſpeciem, in qua conſecrauit, non fuiſſe materiam aptam, & proportionatam, quatenus, v. gr. hoſtiam, quam conſecrauit, cognoſcit non eſſe triticeam, ſed hordeaceam, vel loco vini aquam in Calice appoſuiſſe, in eaque conſecraſſe; tunc etenim non obſtante, quod per ſumptionem hoſtiæ hordeaceæ, vel aquæ ieiunium fregerit, poteſt, & debet nouam hoſtiam conſecrare, vel vinum, & ſumere, & hoc ad effectum complendi ſacrificium. 47 Etiam ad complendum ſacrificium

Sed quid erit dicendum, ſi poſt conſecrationem inuenerit vtramque ſpeciem eſſe ſubſtantialitèr defectuoſam, an tunc tenebitur iterum in vtraque conſecrare, & ſumere non obſtante, quod per ſumptionem primarum ieiunium fregerit? Tunc *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 6. num. 118.*, ſentit, non poſſe fracto ieiunio per ſumptionem earundem ſpecierum iterum conſecrare, nec ſumere, cum etenim ſacrificium non fuerit inchoatum, non eſt neceſſitas illud perficiendi, & ſic in ordine ad complementum non ceſſat præceptum communicandi ieiunè; ſed non libentèr alij acquieſcunt, quia licet eſſentialia ſacrificij fuerint inualidè cõfecta defectu materiæ proportionatæ, omnia tamen concomitantia, præparatoria, & ſubſequentia fuerunt adamuſim coram Eccleſia confecta, quæ videntur exigere, vt ſacrificium per eſſentialia compleatur, &, ſicuti iuxtà ſuperius dicta, ſi Sacerdos ad canonem peruenerit etiam ex aduentu magni Principis non poteſt congruè repetere, quod iam dixit, & confecit, etiam ſi non inchoauerit eſſentialia, nonniſi, quia iam dictum, recitatum, & confectum, licet non eſſentiale confert onus ad proſequendum, ità ſi omnia præcedentia, concomitantia, & ſubſequentia confecerit, licet non ſint eſſentialia, tenebitur ratione eorundem proſequi per poſitionem eſſentialium. 48 Exponũtur caſus, in quibus poteſt ſumi ad cõplendum ſacrificiũ.

Addunt, quod licet daremus, quod ratione præciſa complendi ſacrificium (cum illud non inchoauerit) non poſſet non ieiunus iterum conſecrare, & ſumere, teneretur, ſeu poſſet ex alio capite iterum conſecrare, & ſumere ad euitandam ſcilicet admirationem in populo, & fortè ſcandalum, & ſicuti, ſi bona fide non ieiunus accederet ad Altare, & Miſſam incæperit, cognito poſtea non ieiunio poſſet Miſſam proſequi, ne ſcandalum in populo ingereret, vt infrà videbimus, ità, ſi omnia concomitantia, & ſubſequentia confecerit, cognita inidoneitate materiæ, per

eius

cuius ſumptionem fregit ieiunium, poterit iterum conſecrare, & ſumere &c. Sed non recedendum arbitrarer ab opinione Cacherani propter rationem ab eodem adductam; nec poteſt in hoc conſiderari ſcandalum, cum poſſet reliquum Miſſæ per modum orationis perficere.

49 Reliquias hoſtiæ cognitas poſt purificationẽ poteſt Sacerdos ſumere.

Comprehenditur ſecundò caſus, quò Sacerdos ſumpto Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, ſumptaque etiam ablutione deprehendit aliquas reliquias hoſtiæ à ſe ſumptæ, ſeu particularum a ſe ipſo conſecratarum pro laicis communicandis in corporali remanere, tunc etenim poteſt illas ſumere, quantumuis ieiunium fregerit per ſumptionem purificationis, vt docent *Caietanus in ſumma verb. Miſſæ celebratio*, *Vaſquez diſp. 209. cap. 5. num. 31.*, *Marchinus de Miſſæ ſacrificio part. 3. cap. 3. num. 17.*, *Madernus quæſt. 7. art. 7. n. 15.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 6. num. 121.* quidquid ex aduerſo ſenſerint *D. Antoninus tertia part. ſummæ tit. 12. cap. 6. §. 9.*, *Roſella verb. Euchariſtia 3. num. 13.*, volentes illas reliquias reſeruandas eſſe in craſtinum, vel alteri ieiuno, & ad communicandum diſpoſito tradendas. Ratio noſtri aſſerti ea eſt; quia talium reliquiarum ſumptio pertinet ad complementum eiuſdem ſacrificij, & eſt vna, & eadem moraliter actio cum ea, quam celebrans ieiunus inchoauit.

50 Cognitas poſt completum ſacrificiũ per ſe nõ poteſt ſumere.

Sed quid erit dicendum, ſi illas reliquias deprehenderit poſt perfectum totaliter ſacrificium, & poſt reditum ab Altari in Sacriſtiam. *Cacheranus loc. cit.*, ſentit non poſſe eaſdem amplius ſumere, quia tunc iam eſt completum ſacrificium, nec illarum ſumptio poteſt eſſe vna, & eadem actio cum præcedenti ſumptione. Per ſe loquendo rectè procedit Cacheranus; ex accidenti tamen poteſt ſumere etiam poſt reditum in Sacriſtiam, puta, ſi illæ reliquię non poſſent reſeruari ſine magna irreuerentia earundem.

Quid iam dicendum, ſi illæ reliquiæ non eſſent ab eodem Sacerdote in illo ſacrificio conſecratæ? Etiam dicendum eſt, cum eodem *Cacherano*, *Maderno loc. cit.*, *Suarez diſp. 68. ſect. 6.*, non poſſe ſumi ab ipſo Sacerdote poſt ſumptam purificationem, quia nec pertinent ad idem ſacrificium, nec ſunt complementum eiuſdem, adeoque nec vna, & eadem actio moralis cum ipſo.

51 Alij caſus quibus ſumitur fracto ieiunio.

Ad hunc caſum reducitur primo ille, quo in die Paraſceue particula hoſtiæ conſecratæ vino non conſecrato miſcetur, quando etenim ſumitur, tunc moraliter loquendo prius deglutitur aliqua pars vini, antequam deglutiatur ipſa particula conſecrata. Secundò ille, quem fieri licitè poſſe aſſerit *Suarez loc. cit.*, quando ſcilicet communicandus eſt infirmus, qui propter nimiam ſiccitatem non poſſet particulam deglutire, tunc etenim poteſt particula conſecrata vino non conſecrato miſceri, & tradi infirmo; in quo etiam caſu prius aliquid vini deglutiretur. Tertiò ille, quo particula in Miſſa vino conſecrato commixta in ſumptione ſanguinis remaneret adhærens Calici; tunc etenim ex rubricarum Miſſalis præſcripto, vel poſſet vinum non conſecratum in Calice infundi, & ſic deglutiri, quamuis aliqua pars vini prius deglutiretur, vel digito illam trahere ad os Calicis, & ſic ſumere. Quartò ille, quo particula conſecrata palato, & ori eius, qui ſumpſit, ita adhæreret, vt non poſſet illam traijcere; tunc enim liceret iterum, atque iterum vinum, vel aquam ſumere, donec traijceretur, & hæc omnia, & ſimilia propter eam rationem, quia eſt vna, & eadem moraliter actio pertinens ad complementum, vel ſacrificij, vel ſumptionis inchoatæ.

Comprehenditur tertiò caſus, quo Sacerdos Miſſam inchoauerit, & iam conſecrauerit vel in vtraque, vel in vna tantum ſpecie, & immediatè poſt, vel inopinato fato perierit, vel ſubito morbo correptus non poſſet perficere, tunc etenim, ſi non eſſet alius Sacerdos ieiunus, poſſet, & deberet aſſumi non ieiunus ad perficiendum ſacrificium iuxtà decretum *Concil. Toletan. 7.* relatum *in cap. nihil 7. qu. 1.*

Hic controuertunt DD., an ratione ſcandali vitandi poſſet Sacerdos non ieiunus ſacrificium inchoatum non tamen quoad eſſentialia, perficere, & laicus non ieiunus Euchariſtiam ſumere. *Nauarrus in manuali cap. 21. num. 53.*, ſentit etiam propter vitandum ſcandalum non licere hoc Sacramentum ſumere poſt cibum, vel potum. Sed, ſi reuera ſcandalum immineret, quod vitari non poſſet, arbitror poſſe Sacerdotem ſacrificium perficere, & laicum communicare, quod videtur conſideraſſe *D. Thomas quæſt. 83. art. 6. ad ſecundum*, vbi ait *tutius reputarem, quod Miſſam inceptam desereret, niſi graue ſcandalum timeretur*; vbi nota in primis illam particulam *Tutius reputarem*; quæ non indicat neceſſitatem; Deindè *illam, niſi graue ſcandalum immineret*, per quam excipit à cõmuni regula caſum imminentis ſcandali, quod aſſerit Cacheranus vix poſſe non timeri in Miſſis, quæ in Eccleſijs publicè celebrantur etiam cum aliqua Sacerdotis infamia, ſubdens non ſufficienter vitari hoc ſcandalum, hæcque infamia per hoc, quod Sacerdos publicè proteſtetur ſibi in memoriam veniſſe fractũ ieiunium, nam hoc ipſum importare poteſt aliquam

52 Ratione ſcandali vitandi poteſt Sacerdos nõ ieiunus Miſſam inchoatã perficere.

infamiæ notam, nec facilè ab omnibus crederetur. In vniuerſum vbicunque interuenire poteſt ſcandalum coniunctum cum aliqua infamia, quæ alitèr vitari nequeat, ſiue in Sacerdote ſacrificante, ſiue in laico communicaturo, etiam fracto ieiunio poteſt ille ſacrificare, hic communicare, quandoquidem exceptio de vitando ſcandalo in omnibus præceptis locum habet, vbi contrarium non eſt intrinſecè malum, & obligatio legis poſitiuæ non obligat cum tanto onere, & diſcrimine. Verum tamen eſt, quod in laico communicaturo facilius vitari poſſit occaſio ſcandali, & infamiæ.

ARTICVLVS VIII.

De alijs diſpoſitionibus requiſitis ex parte Corporis.

SVMMARIVM.

Diſpoſitiones aliæ poſitiuæ, aliæ negatiuæ. 1.
Sacerdos celebraturus ſacras veſtes debet induere. 2.
Fæminæ communicaturæ quomodo debeant accedere. 3.
Diſpoſitio negatiua duplicis generis, & qualis. 4.
Quomodo ſordeſcentes ſint arcendi. 5.
Sordes carnalis pollutionis multiplex. 6.
Sordes carnalis pollutionis etiam illicita, ſi fuerit purgata per confeſſionem, non impedit ſimplicitèr. 7.
Nec inducit ſecundum ſe in ſumente culpam venialem. 8.
Soluuntur obiecta deſumpta ex Concilijs. 9.
Quandoque ratione effectuum impedit ſub veniali. 10.
Intellige ad tempus, & quodnam. 11.

1 Diſpoſitiones poſitiuæ, & negatiuæ.

Diſpoſitiones ex parte corporis aliæ poſſunt eſſe poſitiuæ, aliæ negatiuæ. In ordine ad poſitiuas, ſi loquamur de Sacerdote celebraturo certum eſt, ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico requiri indumenta Sacerdotalia, ſine quibus licitè celebrare non poteſt; ſi verò non ſit celebraturus, ſed præcisè communicaturus more laicali, tunc ex quadam congruentia ratione ſtatus deberet adhibere ſtolam, ſed non ex neceſſitate, cum nullibi reperiatur lex hoc præcipiens, ſed ad ſummum ſuadens; ſi verò loquamur de laico communicaturo, nulla lex reperitur præcipiens determinatum habitum, ſeu veſtium apparatum; ex reuerentia tamen debita Sacramento nõ debet habitus eſſe ſcenicus, nec qui adhiberi ſolet ad lubrica bacchanalium, nec qui excitet potius ad cachinos, quam ad pietatem; cæterum vnuſquiſque licitè accedere poteſt ad hoc Sacramentum cum habitu iuxta propriam conditionem, & ſi ſit perſona pauper, & vilis etiam cum veſtibus laceris.

2 Sacræ veſtes requirũtur.

In ordine tamen ad fæminas ex ſpeciali diſpoſitione *Innocentij XI. ſemper recolendæ memoriæ*, ſancitum eſt, ne accedant cum ſinu magna ex parte patente, nec cum bracchijs vſq; ad medietatem nudatis cum prohibitione Sacerdotibus, ne ſacrum cibum eiſdem miniſtrent, & confeſſarijs, ne eiſdem beneficium abſolutionis impendant. 3 Fæminæ quomodo debeant accedere

In ordine ad negatiuas difficultas verſari poteſt, vel in ordine ad carentiam ſordium, ſiue prouenientium ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco ratione corporalis indiſpoſitionis, vel in ordine ad carentiam ſordis ex carnali pollutione. Si loquamur de diſpoſitione negatiua primi generis, dicendum eſt, quod, ſi ſordes fuerint patentes, & afferentes quandam adſtantibus nauſeam, ſiue proueniant ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco, carentia earundem in communicaturo publicè, & in conſortio aliorum ex magna congruentia ſit neceſſaria, adeoque ille in loco publico, & frequentia adſtantium redundante ſit arcendus, vt ſentit *Gacheranus tract. 9. de Euch. vt Sacram. cap. 4. §. 6. num. 129.*, vt de ſordeſcente extrinſecè, ſeu ab extrinſeco probat ex relatione *D. Cipriani ſerm. de lapſis*, vbi, cum antiquitus Euchariſtia dari ſoleret in manus, & quidam manibus immundis a Sacerdote accepiſſet hoſtiam conſecratam, non inuenit in ipſis, niſi cinerem, de ſordeſcente verò ab intrinſeco probat *ex cap. tua nos de Cleric. agrot.*, quem textum afferit ex mente *Arriagæ diſp. 44. ſect. 1.*, importare leproſum arcendum eſſe à communione in loco publico. Sed, ſi benè perpendatur hic textus, ſolum indicat miniſtrum publicum, ſi lepra fuerit infectus, remouendum eſſe ab officio propter ſcandalum, & nauſeam populi, cui debet miniſtrare. Si verò ſordes non fuerint patentes, nec ita manifeſtæ, vt non ingerant adſtantibus nauſeam, tunc non erit eidem etiam in loco publico deneganda communio. 4 Diſpoſitio negatiua duplex. 5 Quomodo ſordeſcentes ſint arcendi.

Si loquamur de diſpoſitione negatiua ſecundi generis, notandum eſt primò, an illa ſordes carnalis pollutionis, vel copulæ fuerit illicita, & peccaminoſa, an verò licita, & vtpotè coniugalis, honeſta, vel vtpotè non procedens ex cauſa illicita non peccaminoſa, qualis eſt pollutio nocturna proueniens ex illuſione Dæmonis, vel ex imbecilitate naturæ; ſecundò conſideranda eſt in illa copula, ſeu pollutione, ſi fuerit illicita, triplex ſordes, altera ex parte corporis, quæ eſt corporalis fæditas reli- 6 Carnalis pollutio multiplex.

relicta ab ipſa copula, vel pollutione, altera ex parte animæ, quæ eſt macula ſpiritualis ratione peccati indè reſultantis; tertia ex parte quodamodo vtriuſque, quæ eſt commotio ſpirituum, & euagatio mentis; ſi verò fuerit licita, conſideranda venit ſolummodo illa fæditas corporalis, & illa ſpirituum commotio cum mentis euagatione; ſpirituali etenim macula omninò caret cum ſit licita, & honeſta. Quibus pro notitia ſuppoſitis plura dico

7 Sordes carnalis pollutionis etiam illicita, ſi fuerit purgata per confeſſionem non impedit ſimpliciter.

Et primò, quod ſiue fuerit licita, ſiue illicita, dummodo fæditas animæ in hac ſecunda ex peccato conſurgens fuerit per pænitentiam aſperſa, non impediat ex neceſſitate, ſeu ſub graui ſumptionem ſacræ Euchariſtiæ. In hoc conueniunt *D. Thomas tertia part. quæſt. 80. art. 7. per totum*, *Suarez diſp. 68. ſect. 2.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacram. cap. 4. §. 6. n. 130., & ſeqq.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtia quæſt. 7. art. 7. num. 2., & alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quia ex neceſſitate regularitèr non vetatur ſacra communio, niſi propter peccatum læthale, vt colligitur ex *D. Gregorio in Epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum*, & ex *D. Auguſtino 12. ſuper Geneſim ad literam, & ex D. Thoma d. quæſt. 80. art. 7.*, ſed ex pollutione inuoluntaria, & ex copula coniugali ſecundum ſe nulla conſurgit macula ſpiritualis, quæ ſit læthalis, & ex pollutione voluntaria, & ex copula fornicaria, quamuis conſurgat noxa læthalis, intelligitur tamen ſublata per pænitentiam, & confeſſionem Sacramentalem, quæ, ſicuti in alijs etiam grauioribus peccatis animam purificat, & reddit aptam ad Euchariſtiam ſumendam, ita non eſt, cur non purificet in hoc peccato luxuriæ, & reddat aptam &c., ergo &c.

8 Nec inducit in ſumente ratione ſui culpam venialem

Secundò ſiue fuerit licita, ſiue illicita ex Sacramentali tamen confeſſione præuia purgata ratione corporalis fæditatis, nec etiam ex congruentia ſecundum ſe inducente culpam venialem regularitèr impedit ſacram communionem. Dixi *ſecundum ſe*, nam ratione effectuum, quos cauſat, poteſt impedire ſub veniali, vt mox ſubdam. Dixi, *regularitèr*, nam quandoque fæditas poteſt eſſe talis, vt arceat ſub leui. Ratio eſſe poteſt primò, quia talis corporalis fæditas per ſe non pertinet ad honeſtatem morum, nec ad bonitatem, & malitiam moralem. Secundò, quia, vel illa fæditas eſt præterita, vel adhuc perſeuerat, ſi eſt præterita; quamnam indecentiam poteſt afferre? Sicuti enim peccata præterita, & extincta non officiunt, nec indecentiam ingerunt, ita multo minus poteſt officere, & indecentiam ingerere fæditas corporalis; ſi adhuc perſeueret, erit quidem ex quadam decentia, non tamen inducente noxam aliquam, ne quidem venialem abſtergenda, antequam fiat acceſſus ad ſacram Euchariſtiam. Deindè cum illa corporalis macula regularitèr ſit latens, nec innoteſcat, nec ratione ſui, nec ratione ſcandali poteſt officere; non ratione ſui, quia ſecundum ſe non pertinet ad moralem malitiam; non ratione ſcandali, & horroris in alijs, cum non innoteſcat, &, ſicuti lutum, aut aliqua alia ſordes excrementitia, quando latent, non impediunt, ita nec hæc macula; vndè meritò ſubdit *Suarez dict. diſp. 68. ſect. 2. verſ. dico primo prope medium*, quod ſolum pro ratione maculæ corporalis cauendus eſt aliorum horror, & ſcandalum.

Nec obeſſe poteſt Concil. Eliberitanum relatum *in cap. omnis ſexus de conſecratione diſt. 2.*, vbi præcipitur coniugatis abſtinentia à copula coniugali per tres dies ante ſumptionem Euchariſtiæ, ex quo decreto colligitur, quod non niſi poſt tres dies à copula coniugali eiſdem permittenda ſit ſacra communio; nec item id, quod aſſerit *Dionisyus Alexandrinus Epiſt. ad Baſilid. can. 2.*, loquens de fæminis menſtruatis, quod, ſi piæ, & fideles ſint, non debeant ſic affectæ attingere Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ex quibus verbis cum Cacherano ſic efformo argumentum. Non minus debent arceri viri, qui paſſi ſunt pollutionem à Sacramento, ac fæminæ, quæ patiuntur menſtrua, ſed fæminæ menſtruatæ arcendæ ſunt per aliquot dies, ergo, & viri poſt pollutionem &c. Non, inquam, obeſſe poteſt; Non primum; quia Concilium Eliberitanum intelligendum eſt procedere non ex præcepto, ſed ex conſilio; vel contraria conſuetudine abolitum eſt; non ſecundum propter eandem rationem contrariæ conſuetudinis, & etiam quando adhuc vigeret prohibitio quoad fæminas menſtruatas, non tamen eſſet hæc extendenda ad maſculos, vel fæminas paſſos, ſeu paſſas pollutionem, quia, cum verſemur in lege poſitiua, non eſt facienda extenſio vltra expreſſa etiam ex paritate rationis. 9 Explicantur Concilia.

Tertiò, ſiue fuerit licita, ſiue illicita, purgata tamen præuia Sacramentali confeſſione, ratione effectuum, quos cauſat, quandoque ſub veniali impedit ſacram Communionem ad tempus. Conſentiunt *D. Thomas d. quæſt. 80. art. 7.*, *Suarez d. diſp. 68. ſect. 2. verſ. ſecundo dicendum eſt*, *Cacheranus, & Madernus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia, vt ſupra innuebam, non rarò huiuſmodi pollutio, quantumuis non peccaminoſa, & copula coniugalis relinquunt quendam ſenſum voluptatis, & motum ſpirituum deſeruientium ad gene- 10 Quandoque ratione affectuum impedit ſub veniali.

generationem, & mentis euagationem, quæ omnia compati nequeunt cum deuotione, quin potius important indeuotionem, & diſtractionem aliqualitèr voluntariam, quæ nequit eſſe ſine peccato veniali.

Dixi, *quandoque*, quando ſcilicet eſt cum huiuſmodi ſpirituum commotionibus, & mentis euagationibus, poteſt enim contingere, quod in aliqua perſona paccatæ naturæ eaſdem non cauſet, vel ſi cauſat, immediatè extinguantur, in quo caſu non erit, cur debeat à ſacra menſa arceri. Item, vt benè notat Madernus, poteſt contingere, vt ille, qui pollutionem etiam voluntariè paſſus eſt, ita ſit per eleuationem mentis in Deum ſpiritualibus deditus, & per pænitentiam ab illis commotionibus, & euagationibus abſtractus, vt ſit melius diſpoſitus, quam alij plures, qui tali pollutione non fuerunt inquinati.

11 Intellige ad tempus, & quodnam

Dixi, *ad tempus*, quod intellige, quando cauſata eſt illa commotio ſpirituum, & mentis euagatio; quando etenim nulla excitata eſt, non video, qua ratione poſſit impediri acceſſus ad ſacram menſam; Quantum verò debeat eſſe illud tempus, pro quo ponitur impedimentum, eſt res controuerſa apud DD. Nonnulli aſſignant tempus trium, vel quatuor dierum *ex cap. omnis homo de conſecratione cap. 3.* Alij ponunt tempus viginti quatuor horarum, vt *D. Thomas, & alij* argumento deducto *ex Leuit. 25., & Deuteron. 23.* Alij ſtatuunt, vt illa pollutio, vel copula non contingat intra eundem diem naturalem. Sed, cum tota ratio illius impedimenti proueniat ex illis effectibus commotionis ſpirituum, & mentis euagationis, tandiu illud impedimentum perſeuerabit, quandiu illi effectus perdurabunt, vnde hoc tempus ampliandum, vel reſtringendum erit iuxtà pium affectum eius, qui pollutionem paſſus eſt, & communicare intendit, vel iuxtà diſcretionem pij confeſſarij, qui penſatis omnibus diudicet.

In vniuerſum tamen ad prudentèr iudicandum, an tempus ſit protrahendum, vel reſtringendum, ſequentia ſunt ponderanda, & quidem in ordine ad pollutionem inuoluntariam, ſi prouenerit ex Dæmonis tentatione, non erit diferenda communio, quia debet præſumi, quod Dæmon illum perturbare intendat, ne ſacris vacet, tunc autem rationabilitèr præſumi debet ex Dæmonis tentatione prouenire, quando pollutio inuoluntariè ſolet pro illis diebus accidere, pro quibus propoſitum habet communicandi, vt notat *Suarez d. diſp. 68. ſect. 2. verſ. ex hac enim generali regula*; ſi prouenerit ex cauſa naturali, minus differenda eſt communio, ac, ſi fuerit ex cauſa voluntaria. In ordine verò ad copulam coniugalem, ſi prouenerit ex voluntate præciſè prolis procreandæ, præſumptiuè minus communio differenda eſt, ac ſi prouenerit ex nimia concupiſcentia carnis, & voluptate, quia in hoc ſecundo caſu maior diſtractio, ſeu hebetudo mentis, magiſque radicata præſumitur in ordine ad res ſpirituales, adeoque &c.

ARTICVLVS IX.

De alijs offerentibus minus principalibus.

SVMMARIVM.

Offerentes varij minus principales. 1.
Offerentes primi ordinis, quomodo dicantur, & per quid offerre. 2.
Offerentes ſecundi, & tertij ordinis dicuntur offerre per aliquam ſuam actionem. 3.
Offerentes minus principales cuiuſcumque ordinis ſint, qua tales non participant de fructu ſacrificij ex opere operato. 4.
Fructus ex opere operato eſt alligatus actioni ſacrificali. 5.
Excluduntur rationes contrariæ. 6.

IN præcedentibus examinauimus offerentem immediatum in perſona Chriſti, & vt miniſtrum eiuſdem, omneſque qualitates, & conditiones ex parte eiuſdem requiſitas; nunc ex profeſſo examinandos aſſumimus alios, qui dicuntur offerre, ſed minus principalitèr, qui tamen ſunt in quaſi diuerſo ordine, alij enim remotius, alij minus remotè, alij proximius dicuntur offerentes. In primò ordine ſunt omnes fideles iuxtà illud Canonis. *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*, & illud, *vndè, & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs ſua ſancta*; vbi nomine cunctæ familiæ Dei, & plebis ſuæ ſanctæ, teſte Cacherano, & ferè omnibus conſentientibus veniunt omnes Chriſti fideles. 1 Offerentes minus principales qui, & quales. In ſecundo ordine conſtituuntur illi, qui Miſſam audiunt præſertim, prout exercent aliquem actum exterioris cultus ſimul cum Sacerdote ſacrificante. In tertio illi, qui Sacerdoti celebranti ad Altare deſeruiunt, & qui ſtipendium, vel exhortationem erogant, vt Miſſa pro ipſis applicetur. In hoc toto conſentiunt omnes ferè DD. Scholaſtici, & inter cæteros *Suarez diſp. 77. ſect. 3., Vaſquez diſp. 226. cap. 2., Lugus diſp. 19. ſect. 12.*

Difficultas ſolummodò eſt in explicando quomodo concurrant, vt dici poſſint offerentes. Aliqui apud *Suarez loc. cit.*, ſtatuunt dici offerentes ex eo, quod circa rem obla-

oblatam actus interioris deuotionis ſimul cum Sacerdote externè ſacrificante exerceant. Sed, præterquam quod, hoc non eſt commune omnibus offerentibus iuxtà triplicem aſſignatum ordinem, cum omnes fideles in vnoquoque ſacrificio, quod in Eccleſia Dei celebratur, non exerceant illos actus interioris deuotionis, patitur latam difficultatem, quandoquidem ſacrificium, ſeu oblatio computatur inter actiones omninò externas, nec poteſt conſiſtere in actione purè interiori. Quamobrem pro offerentibus primi ordinis, qui ſunt omnes fideles, dicendum eſt dici tales per quandam denominationem extrinſecam, vel conſiſtentem in eo, quod omnes conſtituant vnum corpus myſticum Eccleſiæ, ſintque membra eius, ſicque totum corpus denominetur offerens ab oblatione, quam præſtat per Sacerdotem, tanquam per eius partem, ea proportionali ratione, qua totus homo denominatur videns per actionem, quæ exercetur ab eius parte, nempè ab oculo, & licet actiones, quæ exercentur in corpore phyſico per partem, attribuuntur toti, non tamen alijs partibus ſecundum ſe ſumptis, vt videre eſt in homine, qui dicitur videns per oculum, non tamen pes, vel manus dicitur videns, hoc tamen fallit in corpore myſtico, & morali, quia in corpore miſtico Eccleſiæ ita fidelis eſt pars eiuſdem, vt etiam ſit ſuppoſitum diſtinctum, & propterea capax actionum, & denominationum; quod non militat in corpore phyſico, cuius ſingulæ partes non ſunt ſuppoſita, quibus ſolis tribuuntur actiones; vel conſiſtentem in eo, quod licet Sacerdos, qui miniſtrat reſpectu ſingulorum fidelium non poſſit dici illorum miniſter, cum ſit ſuperior ad illos, nihilominus ſit à Deo conſtitutus mediator inter Deum ipſum, & homines, & Aduocatus, & Legatus; ſicuti igitur actiones, quas præſtat Aduocatus, & Legatus, vt talis attribuuntur illis, quorum dicitur Aduocatus, & Legatus, ita oblatio, quam præſtat Sacerdos, vt mediator, & Legatus fidelium, eiſdem fidelibus tribuitur, eoſdemque denominat offerentes.

2 *Offerentes primi ordinis quomodo concurrant.*

Pro offerentibus verò ſecundi, & tertij ordinis non ità præciſè res ſe habet, nec ſolum conſtituuntur tales per denominationem illam extrinſecam conſiſtentem in vno, vel altero modo explicato, ſed etiam per aliquam actionem ab ipſis exercitam; qui etenim Sacerdoti ad Altare ſacrificanti inſeruiunt, vel qui erogant ſtipendium, vt pro ipſis fiat ſacrificium, denominantur offerentes etiam per actionem propriam, qua cooperantur actioni ſacrificali Sacerdotis.

3 *Offerentes ſecundi, & tertij ordinis quomodo offerant.*

Hic latè diſputant DD., an omnes iſti offerētes minus principales iuxtà triplicem ordinem aſſignatum, quatenus tales præciſè ſunt, participent de fructu eiuſdem ſacrificij ex opere operato. Dixi, *qua tales præciſè ſunt*, non enim negauerim, eoſdem de eodem fructu participare, quatenus Sacerdos pro illis offert, & quidem magis illos, pro quibus ſpecialiter offert Sacerdos, quam eos, pro quibus ſolum offert generalitèr. Dixi, *ex opere operato*, non enim controuerti poteſt, quin ex opere operantis per proprios actus meritorios poſſint conſequi fructum proportionatum eiſdem actibus. Abſolutè ſentio, qua tales præciſè ſunt, non participare de fructu ſacrificij ex opere operato. Conſentiunt *Suarez diſp. 79. ſect. 8. §. ſecundo de Eccleſia*, *Amicus diſp. 33. ſect. 6. num. 195.*, *Vaſquez diſp. 231. cap. 3. num. 11.*, *Lugus diſp. 19. ſect. 11. num. 233.*, *Arriaga diſp. 53. ſect. 3. num. 12.* Aduerte hic tamen, quod Suarez, & Amicus, non ſentiunt in vniuerſum quoad omnes, ſed diſtinguentes inter offerentes primi ordinis, qui ſunt remotiores, & ſolum per extrinſecam denominationem, & inter offerentes ſecundi, & tertij ordinis, qui ſunt proximiores, & tales per aliquam propriam actionem, aſſerunt quidem primos non participare de fructu ſacrificij, qua tales ſunt; ſecundos verò, & tertios participare. Ex aduerſo etiam quoad illos, qui ſunt offerentes ſecundi, & tertij ordinis ſentiunt non participare *Vaſquez*, *Lugus*, *Ariaga*, quibus adde *Catheranum tract. 9. de Euchariſt.*, *vt ſacrificio cap. 4. §. 3. num. 55.* Atque his adhærendum exiſtimo.

4 *Offerentes minus principales, qua tales non participant de fructu ex opere operato.*

Probatur quoad primam partem de offerentibus primi ordinis; quia iſti per nullum actum proprium concurrunt ad ipſam oblationem ſacrificalem, ſed per meram denominationem extrinſecam, ergo ab ipſis præciſè; vt ſic offerentibus non eſt participabilis fructus ex opere operato, qui non confertur, niſi operanti, & concurrenti, vel per propriam actionem, vel receptionem. Confirmatur, quia fructus Paſſionis Chriſti Domini non confertur ex opere operato, niſi applicetur, vel per propriam actionem, vel per aliquam receptionem, ergo etiam fructus oblationis ſacrificalis in Miſſa non confertur, niſi per propriam actum, & receptionem; quando autem ſunt offerentes ſolum in habitu, & in extrinſeca denominatione, nec actum proprium exercent, nec aliquid recipiunt, per quod eis talis fructus applicetur, ergo &c.

Probatur ſecunda pars de offerentibus ſecundi, & tertij ordinis, quia fructus ex opere operato ſolum prouenire poteſt ex oblatione per poteſtatem ſpecialitèr à Chri-

ſto

ſto conceſſam, & exercitam more Sacerdotali, ſiue talis fructus ſpectet ad ipſum offerentem, ſeu ad alios, pro quibus ipſe offert; ſed alij offerentes non offerunt per poteſtatem ſibi à Chriſto collatam, nec modo Sacerdotali, ergo, vt tales non percipiunt &c. Confirmatur paritate Sacramentorum, in quibus fructus alligatus phyſicæ ipſorum ſumptioni non percipitur per ſumptionem moralem, quæ habetur per motionem, exhortationem, & iuuamen ad phyſicè ſuſcipiendum, ergo, nec fructus alligatus in ſacrificio Miſſæ reali oblationi factę per Sacerdotalem actionem percipi poteſt à morali offerente. Neque obeſſe poteſt, quod in alijs Sacramentis mouentes, exhortantes, & promouentes ad ſumendum non concurrant in eodem genere cauſæ, nec propriè denominentur ſumentes, alij autem offerentes ſimul cum Sacerdote concurrunt in eodem genere cauſæ, & dicuntur verè offerentes iuxtà illud Canonis. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, præcipuè cum alij offerentes conſtituant ſimul cum Sacerdote vnum morale offerens. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſumptio, vtpotè actio phyſica, & ſe habens per modum nutritionis eſt alligata ſumenti, nec extenditur ad alios mouentes ad ſumptionem, cum illi non nutriantur; oblatio verò vtpotè actio quaſi moralis verſans circa terminum extrinſecū, & diuerſo modo à diuerſis attingibilem, eſt quidem alligata principalitèr Sacerdoti, tanquam à Chriſto deputato, minus autem principalitèr eſt communis alijs fidelibus, & omnes denominat; vndè mirum non eſt, quod ex ſumptione ſolum denominetur ſumens, qui ſumit, non alij cooperantes, qui non ſumunt; in oblatione verò nō ſolum denominetur offerens ille, qui principalitèr offert, ſed etiam, qui offerunt minus principalitèr; nec obſtat, quod in Canone dicantur offerentes alij à Sacerdote, nempè inſeruientes, circum ſtantes &c., quia hoc intelligendum eſt iuxtà modum vniuſcuiuſque; quod idem dic de eo, quod ſubditur, quod ſcilicet omnes conſtituant vnum moralitèr offerens; hoc enim intelligendum eſt ſecundum habitudinem, & modum vniuſcuiuſque.

5 Fructus ex opere operato eſt alligatus actioni ſacrificali.

6 Quod, ſi ex hoc inferas, ergo ſaltem minus principalitèr, & ſecundum habitudinem ſuam alij offerentes à Sacerdote debent participare ex fructu eiuſdem ſacrificij ex opere operato; ſtatim reſpondebimus negando conſequentiam, ſi reduplicatiuè ſumatur de offerentibus, vt offerentibus, cum effectus ex opere operato ex Chriſti Domini inſtitutione ſit alligatus actioni ſacrificali, & miniſtro eandem exercenti ſecundum poteſtatem eidem à Chriſto Domino collatam, quæ reſidet in ſolo Sacerdote ſacrificante.

Reſoluūtur obiecta.

Quod, ſi vlterius vrgeas, quod hac ratione non eſſent melioris conditionis, qui proximiùs, & per propriam cooperationem concurrerent ad ſacrificium, inſeruientes, circumſtantes, & erogantes ſtipendium, ac illi, qui remotius concurrunt ſine aliqua ſua cooperatione per ſolam denominationem extrinſecam reſultantem ex actione Sacerdotis nomine Eccleſiæ, & fidelium; ſiquidem æquè iſti, ac illi, vt offerentes non conſequerentur aliquem effectum ex opere operato; ſtatim etiam impugnaberis, quia licet ſub hac ratione in ordine ad effectum ex opere operato, quatenus offerentes ſunt, ſint æqualis rationis, ſub alia tamen ratione longè melioris conditionis ſunt; primò, quia cooperantes per propriam actionem habent ex propria cooperatione meritum operis operantis, quod non habent illi, qui nullum exercent actionem; ſecundò, quia, quamuis cooperantes per propriam actionem, quatenus offerentes ſunt nullum effectum conſequantur ex opere operato, conſequuntur tamen maiorem effectum etiam ex opere operato, quatenus ſacrificium pro illis offertur, quia ratione illius cooperationis magis ſe diſponunt ad illius effectum conſequendum.

QUÆSTIO IV.

De cauſa materiali, & ſubiectiua Sacrificij Miſſæ.

EXaminata cauſa efficiente Sacrificij Miſſæ eiuſdem cauſam materialem, & ſubiectiuam examini ſubijcimus. Hæc duplex eſt, altera remota, quatenus eſt materia Sacramenti, quod Sacramentum poſtea offertur, & per actionem Sacerdotalem tranſit in rationem ſacrificij; altera proxima, prout appellat ſubiectum, in quo immediatè recipitur effectus eiuſdem ſacrificij. Quamuis de prima non videatur hic agendum, cum ſit materia Euchariſtiæ, vt Sacramenti, non vt ſacrificij, quia tamen id, quod offertur in ſacrificio eſt totum Sacramentum conſtans ex materia, & forma, & id, quod concurrit, tanquam res ad ſacrificium non ſolum eſt Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, ſed etiam

ſubſtantia panis, & vini, ideò non incongruè ad perfectam notitiam omnium, quæ pertinent ad ſacrificium, agemus etiam de tali materia.

ARTICVLVS I.

De cauſa materiali remota Sacrificij Miſsæ.

SVMMARIVM.

Complexa plura virtualitèr diſtincta. 1.
Errores varij circa materiam remotam Euchariſtiæ. 2.
Exponitur verus ſenſus Catholicorum. 3.
Non quicunque panis proueniens ex tritici ſemine eſt apta materia. 4.
Panis confectus ex farina tritici, & ex modico milij eſt aptus, ſi tritici farina valdè præponderet. 5.
Siue azimus, ſiue fermentatus eſt aptus. 6.
Ex præcepto tenentur Græci in fermentato, Latini in Azimo conſecrare. 7.
Probabilius Chriſtus conſecrauit in Azimo. 8.
Ambo ſub graui tenentur in ſuo pane conſecrare. 9.
Nonnulli caſus dubitabiles. 10.
Non licet Latino conſecrare in fermentato etiam in neceſſitate communicandi infirmum. 11.
Nec in neceſſitate, vt populus ſacrum audiat in die feſto. Ibid.
Soluitur obiectum contrarium. 12.
Latinus tranſiens per loca Græcorum, & Græcus per loca Latinorum quomodo ſe gerere debeant. 13.
Latinus, qui poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei nouit hoſtiam eſſe ſubſtantialitèr corruptam, non exiſtente alio azimo poteſt conſecrare in fermentato. 14.
Panis debet eſſe aqua naturali compactus. 15.
Excluduntur varij hæreticorum errores. 16.
Debet eſſe igne coctus. 17.

1 Multiplex cõplexum. IN Euchariſtia plura conſiderari poſſunt complexa ſaltem virtualitèr diſtincta, & per conſequens plura, quæ habeant rationem materiæ, ſeu cauſæ materialis. Primum eſt ex rebus, & verbis, rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Secundum ex re ſignificata, & ſignificatione, illa tanquam materia, iſta tanquam forma. Tertium ex effectu, qui conſequitur, & ex ſubiecto, in quo recipitur. Quartum ex Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, & ex ſpeciebus, ex illis effectiuè ſuſtentantibus, ex iſtis effectiuè ſuſtentatis. De ijs omnibus in præſenti quæſtione per varios articulos erit agendum, & licet ad præſens inſtitutum ſacrificij Miſſæ videatur ſolum pertinere tertium complexum ex effectu, & ſubiecto, prout hoc appellat cauſam ſubiectiuam, pro qua applicari poſſit, & in qua recipi effectus eiuſdem ſacrificij, quia tamen omnia illa complexa, vel vt effectus, vel vt cauſa inuoluuntur in eodem ſacrificio, ne aliquid deſit, quod ad perfectam ipſius cognitionem conferre poſſit, omnia examinabimus ſecundum rationem materialem, quam inuoluunt. De materia primi complexi agetur in hoc, & ſequentibus duobus articulis, de reliquis in ſubſequentibus.

Incipiendo iam à materia conſecrationis panis mirum eſt, in quot errores tranſierint Hæretici antiqui. Artotyritæ conſecrabant in pane, & Caſeo, Cathaphrygæ, & Peputiani in pane ex farina, & ſanguine infantium confecto. Gnoſtici, & Manichæi horribilius in pane humano ſemine compacto. Ophitæ in ſolo pane, quem ſerpens lambuerat. Aquarij in ſola aqua conſecrabant, alij in ſolo lacte. In horum errorum, & ſimilium confutatione non immorabimur, cum ipſi ſint antiquitate deleti, & tot Conciliorum decretis penitus ſublati. 2 Referuntur Hæreticorũ errores.

Communis, & omninò certus Catholicorum ſenſus eſt, quod ſolus panis triticeus aqua naturali compactus, & igne coctus ſit materia apta Euchariſtiæ. Et quidem, quod debeat eſſe ex neceſſitate triticeus colligitur *ex Concil. Florent. in decreto Eugenij*, vbi determinatè pro materia huius Sacramenti aſſignatur panis triticeus, & licet Pontifices antiquiores Eugenio IV., & Concilia priora Florentino aſſignauerint pro materia panem ex frumẽto, quod latius patet tritico, & complectitur omnia grana habentia ariſtas; nihilominus præſumendum eſt, quod nomine frumenti ſimplicitèr intellexerint primum analogatum eiuſdem, hoc eſt partem principaliorem, quæ eſt triticum; vndè meritò ſubdunt *Suarez diſp. 44. ſect. 1. §. dicendum verò, & Vaſquez diſp. 170. art. 3. n. 18.*, quod ſolum apud profanos auctores, non autem apud ſacros nomen frumenti ſit commune omni grano habenti ariſtas, cum apud iſtos ſolum ſit proprium, & appropriatum tritico. Adde, quod ſolum panis triticeus dicatur ſimplicitèr panis, cum alij ex alia materia dicantur ſolum panes cum addito, ſcilicet ex milio, ex hordeo &c. 3 Veritas Catholica exponitur.

Hic ſolum oritur difficultas, quinam panis veniat ſub nomine triticei, vt validè poſſit terminare conſecrationem. *D. Thomas tertia part. quæſt. 74. art. 3. in corpore*, ſen-

4 ſentire videtur, quodcunque poteſt ex tritici ſemine generari, venire ſub nomine tritici, aptumque eſſe validæ conſecrationi ex illo vulgari principio, quod generans generet ſibi ſimile in ſpecie; vndè infert, quod, cum quandoque in aliquibus regionibus, & fortè etiam in eadem in agris ſterilioribus ex tritici ſemine oriatur ſiligo, non autem ſpeltha, nec far, eadem ſiligo poſſit validè in pane confecta conſecrari. Sed hęc regula D. Thomæ non videtur ſubſiſtere, ſi nudè ſumatur quandoquidem teſte Plinio apud *Eſtium in 4. diſt. 8. §. 6.*, etiam triticum quandoque etiam in terris deterioribus degenerat in Lolium, & Auenam, quæ tamen nemine diſceptante non ſunt materia apta conſecrationi. Abſolutè ego arbitror, neque panem ex ſiligine, neque ex ſpeltha, neque ex fare eſſe materiam idoneam, vt validè poſſit conſecrari, cum non ſolum accidentalitèr, ſed etiam ſubſtantialitèr differant à tritico, vt deduci poteſt ex diuerſitate accidentium odoris, coloris, & ſaporis, quæ indicant diuerſam ſubſtantiam; nec valet argumentum deductum ex illo phyloſophico principio, quod ſimile generet ſibi ſimile in ſpecie; non valet, inquam, quia principium productiuum ſiliginis, quando oritur ex ſemine tritici, non eſt ſolum ipſum ſemen, ſed etiam terra, in qua ſeritur, & ſol tanquam cauſa æquiuoca, qui iuxtà diuerſas diſpoſitiones, quas inuenit in ſubiecto, in quo agit, diuerſimodè operatur; cum igitur diuerſa ſit terra, in qua ex ſemine tritici oritur ſiligo, ab illa, in qua ex eodem oritur triticum, & ſol in vna, ac in alia diuerſimodè operetur, non eſt mirum, quin diuerſus in ſpecie effectus producatur, &, ſicuti ex diuerſitate terræ ratione diuerſarum diſpoſitionum ſol in vna producit aurum, in alia argentum, quæ ſunt diuerſa in ſpecie infima, ita &c.

Siligo orta ex ſemine tritici non eſt apta.

5 Sed quid erit dicendum, ſi panis fuerit confectus non ſolum ex farina tritici, ſed etiam ex farina ſpelthæ, milij, vel aliarum ſpecierum, an tunc validè poterit conſecrari? Attendendum erit, quid præponderet; ſi enim præponderet valdè triticũ, tunc cenſeri debet, aptam eſſe materiam conſecrationi, ſecus, ſi præponderent aliæ ſpecies; nam in primo caſu ſecundum communem æſtimationem panis cenſetur triticeus, non ſic in ſecundo.

Mixtum ex tritico, & milio eſt aptum, ſi triticum præualeat.

6 Suppoſito iam, quod panis aptus conſecrationi debeat eſſe triticeus, dubitatur, an debeat eſſe azimus, an fermentatus. Hæc controuerſia orta eſt inter Græcos, & Latinos, dum non conſtante, an Chriſtus Dominus in azimo, an verò in fermentato conſecrauerit, illi conſueuerunt in fermentato, iſti in azimo conſecrare, hac tamen diuerſitate inter ipſos exiſtente, quod Latini morem Græcorum conſecrandi in fermentato non reprobabant, Græci verò morem Latinorum conſecrandi in azimo damnare cæperunt tempore Michaelis Cerularij Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Latinos habere incæpit tanquam hæreticos, & Azimitas vocabat. Adeò inualuit hæc Græcorum audatia, vt ad eam confringendam celebratum fuerit Concilium Florentinum, in quo concordatum fuit, vt validè, ſiue in fermentato, ſiue in azimo conficeretur Sacramentum. Sed poſtea Græci in ſuas regiones reuerſi neglectis Concilij definitionibus, in quas conſenſerant, ad priſtinos ſuos errores redierunt, & in apertum ſciſma declinarunt damnantes iterum morem Latinorum tanquam Iudæizantium, & Hæreticorum. Contra hunc Græcorum errorem ſtat veritas Catholica in eodem Concilio Florentino definita, quod ſcilicet validè ſiue in azimo, ſiue in fermentato fiat conſecratio; ex præcepto tamen Latini in azimo, Græci in fermentato debeant con-

Siue azimus, ſiue fermentatus eſt aptus.

ſecrare. Ratio videtur hanc veritatem 7 quoad validitatem in vtroque efficacitèr euincere, quandoquidem panis azimus à fermentato, & è contra non differunt ſubſtantialitèr, ſed ſolum accidentalitèr, eo modo, quo vinum album à rubro, ergo ſicuti æquè in vino rubro, & albo fieri poteſt conſecratio, ità æquè in fermentato, & in azimo. Neque in hoc quoad validitatem res regulanda eſt ad normam eorum, quæ Chriſtus in inſtitutione huius Sacramenti ſeruauit; cæteroqui, ſi Chriſtus Dominus in azimo conſecraſſet, inualidè conficeretur Sacramentum in fermentato, &, ſi ille in fermentato conſecraſſet, inualidè fieret in azimo, ſiue ergo Chriſtus conſecrauerit in azimo, ſiue in fermentato, non tollitur, quin in vtroque validè poſſit fieri conſecratio; non enim omnia, quæ Chriſtus in inſtitutione Sacramentorum fecit, ſunt neceſſaria ad illorum valorem, nec variatio aliqua accidentalis ab ijs, quę Chriſtus fecit, ſatis eſt ad eadem Sacramenta irritanda.

Græci in fermentato Latini in Azimo debēt conſecrare.

Sed, ſi quæras, an verè Chriſtus conſecrauerit in azimo, an verò in fermentato. 8 Probabilius arbitror, conſecraſſe in azimo, quandoquidem hoc Sacramentum inſtituit prima die azimorum, pro quo tempore vetitũm erat Hæbreis, vti pane fermentato. Neque hic audiendi ſunt Græci aſſerentes, Chriſtum anticipaſſe vltimam Cænam ante diem primam azimorum, ante quam non erat vetitum, vti fermentato. Non, inquam, audiendi ſunt primò, quia gratis omninò adſtruunt, hanc anticipationem, cum ex ſacris paginis de illa non

Chriſtus in azimo conſecrauit.

inno-

innoteſcat; ſecundò data etiam, ſed non conceſſa illa anticipatione nil penitus euinceretur, quandoquidem non eſt præſumendum, quod Chriſtus Dominus exactus rituum, & cæremoniarum obſeruator ab eiſdem receſſerit, inter quas erat, vt agnus comederetur in azimis.

9 Præceptū vtroſque obligat ſub graui. Quod verò neceſſitate præcepti Sacerdos Latinus teneatur in azimo, Græcus in fermentato celebrare, expreſsè colligitur ex eodem Concil. Florentino, & ex motu proprio Pij V. edito anno 1566. incipiente *Prouidentia Romani Pontificis*. Sed, ſi inquiratur hic, an illud præceptum reſpectu Græci conſecrandi in fermentato, & reſpectu Latini in azimo obliget ſub graui, & cui fundamento innitatur; reſpondebimus, certè obligare ſub graui, quod colligitur ex verbis grauibus, & indignationem grauem inferentibus. Ibi. *Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœnis*, & graues pænas inducentibus. Ibi, *ac perpetuæ ſuſpenſionis pœnis à Diuinis diſtrictius inhibemus*. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum verſetur ſolum inter azimum, & fermentatum differentia accidentalis, videatur incongrua diſtrictio illa ſub graui culpa, & pæna notabili ſuſpenſionis à Diuinis. Non inquam, obeſſe poteſt, quia grauitas, & leuitas culpæ non ſemper deſumitur à grauitate, & leuitate materiali rei, circa quam verſatur, ſed quandoque, & vt plurimum à motiuo, ratione cuius fit diſtrictio præceptiua, quod, ſi fuerit graue, obligat ad obſeruantiam ſub graui, ſi verè leue, nonniſi ſub leui. Cum igitur motiuum talis decreti eo fuerit directum, vt tolleretur occaſio iteratæ ſciſcionis, quæ prouenire poſſet ex eo, quod in eadem Eccleſia, v. gr. Græca videretur difformiter conſecrari, modo in azimo, modo in fermentato, & hoc certè ex genere ſuo ſit graue, ideò non eſt hæſitandum, quod obliget ſub graui.

10 Varij caſus dilucidi. Sed, an hoc præceptum ſit tale, vt in nullo caſu poſſit licitè violari? Deciſio pendet à qualitate caſuum, vel neceſſitatum, quæ poſſunt contingere. Primus caſus controuertibilis eſt, quando vrget, v. gr. in Eccleſia latina neceſſitas communicandi infirmum in articulo mortis conſtitutum, nec reperitur pro tunc in tali loco panis azimus. Secundus, quando etiam non reperitur panis azimus, & niſi celebretur in fermentato, vniuerſus populus carere deberet ſacro in die feſto. Tertius, quando Sacerdos Græcus tranſit per loca Latinorum, & Latinus per regiones Græcorum, an hic poſſit in fermentato ille in azimo conſecrare. Quartus, quando Sacerdos Latinus conſecrauit quidem in pane azimo, & poſt conſecrationem Calicis inuenit hoſtiam, in qua conſecrauit, eſſe ſubſtantialitèr corruptam, & alius panis azimus ibi non reperiatur, an tunc ad complendum ſacrificium, poſſit adhibere fermentatum.

In ordine ad primum, & ſecundum caſum abſolutè ſentio, non licere Sacerdoti Latino celebrare in fermentato, nec Sacerdoti Græco in azimo. Conſentiunt *Suarez diſp. 64. ſect. 3. §. vnum verò, Paſquez diſp. 174. cap. 4. num. 38., Madernus tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 2. art. 1. num. 18., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrament. cap. 2. §. 2. n. 38.* Ratio eſt, quia præceptum communicandi infirmum in articulo mortis, & audiendi ſacrum in die feſto eſt affirmatiuum, licet primum ſit Diuinum, ſecundum tantum Eccleſiaſticum; ſed præceptum affirmatiuum non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed dumtaxat cum debitis circumſtantijs, & quando impleri poteſt ſeruatis ſeruandis, & legibus ab Eccleſia præſcriptis, ergo, cum hic obſtet lex Eccleſiaſtica prohibens Sacerdoti Latino conſecrare in fermentato, non poterit Sacerdos in eodem conſecrare etiam ad effectum communicandi infirmum, & vt populus audire poſſit ſacrum in die feſto. Accedit primò quod præceptum communicandi infirmum, & audiendi ſacrum in die feſto non eſt tale neceſſitate medij, adeoque non videtur obligare exiſtente alio præcepto non conſecrandi in pane fermentato. Accedit ſecundò, quod ex præactis non eſt licitum conſecrare ſine ſacris veſtibus etiam ad effectum communicandi moribundum, ergo nec licitum erit ad eundem effectum Sacerdoti Latino conſecrare in fermentato. 11 In neceſſitate cōmunicādi infirmū nō poteſt Latinus conſecrare in fermentato. Nec in neceſſitate, vt populus ſacrum audiat.

Neque dicas, quod, quantumuis præceptum communicandi infirmum, & audiendi ſacrum ſit affirmatiuum, pertineat tamen ad charitatis, & Religionis officium, præceptum verò reſpectu Latini conſecrandi in azimo, & reſpectu Græci in fermentato ſit item affirmatiuum, ſed pertineat tantum ad ritum, & cæremoniam; in concurſu autem duorum præceptorum affirmatiuorum, vnius pertinentis ad charitatis, & Religionis virtutem, alterius tantum ad ritum, & cæremonias, debet præualere illud, quod ſpectat ad charitatem, & Religionem; contra enim impugnaberis, quia, quando ritus pertinet ad reuerentiam Sacramento debitam, præceptum de ipſo ſeruando præualet alteri præcepto affirmatiuo pertinenti ad charitatem, & Religionem, ſic, quia celebrare in ieiuno, in Altari, accenſis luminibus, & adhibitis veſtibus Sacerdotalibus reſpiciunt reuerentiam Sacramento debitam, 12 Soluitur obiectum

præ-

præceptum de illis ſeruandis præponderat præcepto communicandi infirmum per modum viatici, & audiendi ſacrum in die feſto, ita &c. Deindè etiam ille ritus pertinet ad Religionem, & reſpicit modum ritè, & conuenientèr conficiendi Sacramentum, adeoque verſatur circa ipſum; audire autem ſacrum in die feſto, & communicare infirmum in articulo mortis cōſtitutum reſpiciunt potius vtilitatem fidelium, & conſequentia ad ipſum Sacramentum; ea autem, quæ ſunt requiſita ad dignitatem Sacramenti ſunt præferenda ijs, quæ pertinent ad vtilitatem fidelium.

13 Quomodo ſe gerere debeat Latinus in locis Græcorum, & è contra.

In ordine ad tertium plura dico, & primò, quod, ſi Græcus tranſeat per loca Latinorum, in quibus etiam extat Eccleſia Græca, vel Latinus tranſeat per loca Græcorum, in quibus extat Eccleſia Latina, vterque teneatur in propria Eccleſia conſecrare ſeruato proprio ritu, adeoque Græcus in fermentato, Latinus in azimo *Suarez d. ſp. 44. ſect. 4., Gonetus diſp. 3 de Euchariſt. art. 1., Madernus tract. 3. de Euchariſt., vt Sacrament. quæſt. 2. art. 1. num. 21., Cacheranus tract. 9 de Euchariſt., vt Sacram. cap. 2. §. 2. num. 40.*, & ratio eſt, quia, cum ibi exiſtat Eccleſia propria, ſe conformare tenetur ritibus illius, quod videtur colligi *ex Eugen. IV. in literis vnionis*. Secundò, quod, ſi Græcus in loco Latinorum, in quo non extat Eccleſia Græca fixerit domicilium, nec amplius habeatur, vt aduena, & peregrinus, tunc teneatur conſecrare in azimo, quia ratione domicilij ibi fixi factus eſt ſubditus loci, & habetur, vt Latinus, vt ſtatuit *Cacheranus loc. cit.*, vbi teſtatur de communi. Tertiò, quod, ſi Græcus, vt præcisè peregrinus tranſeat per loca Latinorum, & Latinus, vt talis tranſeat per loca Græcorum, nec in locis Latinorum ſit Eccleſia Græca, nec in locis Græcorum ſit Eccleſia Latina, etiam probabilius eſt, quod Græcus in fermentato, Latinus in azimo teneatur conſecrare *Suarez diſp. 64. ſect. 3. §. illud verò, Vaſquez diſp. 174. c. 3. num. 28., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 27. art. 2. §. ſolum poſſet, Madernus dict. qu. 2. art. 1. num. 23.*, & hoc ſpecialitèr propter decretum Eugenij IV. in literis vnionis. Ibi: *Vnumquemque Sacerdotem debere conficere Euchariſtiam in azimo, vel fermentato iuxta ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem*, & propter motum proprium Pij V., idem prorſus ſtatuentis, quæ iura videntur perſonalia, & afficere perſonas, non loca; vnde videmus in dies hæc praxis ſeruari, dum Sacerdotes Græci tranſeuntes per partes Italiæ celebrant in fermentato.

In ordine ad quartum aſſerendum eſt, in illo ſpeciali caſu, quo poſt peractam conſecrationem in vtraque ſpecie reperitur hoſtia ſubſtantialitèr corrupta non exiſtente alio pane azimo, in quo fieri poſſit noua conſecratio, licere Sacerdoti Latino conſecrare in fermentato, & hoc ad effectum complendi ſacrificium, quod eſt ex neceſſitate Sacramenti, & de iure Diuino, quæ præponderant præcepto Eccleſiaſtico conſecrandi in azimo reſpectu Sacerdotis Latini. Dixi, *poſt peractam conſecrationem in vtraque ſpecie*, nam, ſi ante conſecrationem ſub ſpeciebus vini dignoſceretur hoſtia conſecrata ſubſtantialitèr corrupta, cum ſacrificium non eſſet eſſentialitèr inchoatum exiſtente conſecratione hoſtiæ inualida propter inidoneitatem materiæ, non eſſet neceſſe illud complere, ſed potius eſſet deſiſtendum, ne fieret contra præceptum reſpectu Latini conſecrandi in azimo.

14 Peracta conſecratione in vtraque ſpecie, ſi panis inueniatur corruptus poteſt Latinus non exiſtente azimo cōſecrare in fermentato.

15 Debet eſſe aqua naturali cōpactus.

Dixi, *aqua naturali compactus*; & per hoc excluditur primò lac, quidquid ex aduerſo dixerit *Arriaga diſp. 10. ſect. 2.*, quia panis ex lacte loco aquæ coagulatus non ſolum ſpecie morali differt a pane aqua naturali confecto, ſed etiam ſpecie phyſica, vt probat *Cacheranus d. tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrament. cap. 2. §. 2. num. 25.*, arguendo a dulcedine, & maiori candore, quæ non poſſunt adhærere, niſi ſubſtantiæ eiuſdem lactis ibi remanentis, cæteroqui illa accidentia dulcedinis, & candoris, vel migrarent de ſubiecto in ſubiectum, vel producerentur de nouo in ipſa ſubſtantia panis, quod neutrum dici poteſt; non primum, quia eſt contra naturam accidentium commigratio à ſubiecto in ſubiectum, non ſecundum, quia qualitates ſecundæ non ſunt actiuæ. Excluditur ſecundò ſanguis extractus è corpore infantium, prout iniquè adſtruebant Caſei, Phrygæ, & Peputiani propter eandem rationem, quia ſcilicet color, & ſapor ſupponunt exiſtentiam ſubſtantiæ eiuſdem ſanguinis, cui inhæreant, ne detur illa tranſmigratio accidentium, vel actiuitas in qualitatibus ſecundis. Excluditur tertiò ſemen humanum, vt temerè ſomniabant Gnoſtici propter eandem rationem. Excluditur quartò aqua roſacea, quidquid ex aduerſo dixerint *Caietanus qu. 74. art. 7., Alenſis part. 4 qu. 10. memb. 4. art. 1. §. 5., Pontius diſp. 44. quæſt. 3. num. 21.*, qui adſtruebant parum curandum eſſe, an aqua ſit naturalis, an roſacea, cum ſolum deſeruiat ad coagulandum; cæterum quoad ſubſtantiam tota abſumitur vi caloris ignis decoquentis. Sed præterquamquod gratis aſſeritur, totam aquam quoad ſubſtantiam conſumi remanente qualitate odorifera, & ſaporis, quæ ex præactis nequeunt migrare de ſubiecto in

16 Excluduntur errores Hæreticorum.

in ſubiectum denegari non poteſt, quin conſtituat panem ſaltem moralitèr diuerſum à pane aqua naturali coagulato, nec ille panis poteſt dici vſualis. Excluduntur tandem quicunque alij liquores magis ab aqua diſtantes, puta oleum, mel, & vinum propter prædictas rationes, & panis ex illis confectus vix poſſet denominari panis ſine addito.

17 Debet eſſe igne coctus. Dixi, *igne coctus*, quia cruda farinæ coagulatæ maſſa non eſt propriè panis, adeoque nec validè conſecrabilis; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa farinæ maſſa non differat ſpecie à pane, adeoque ſit apta validę conſecrationi; nec item, ſi dicatur, quod mica panis recentèr cocti, ſi digitis comprimatur, reducatur in maſſam, & tamen hæc ſecundum communiorem ſententiam ſit conſecrabilis, ergo etiam maſſa farinę coagulatæ &c. Non inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia in primis plures ex Thomiſtis aſſerunt eſſe diuerſæ ſpeciei; dato deindè cum Scotiſtis, quod ſit eiuſdem ſpeciei, nihil tamen per hoc euincitur, quia illa maſſa abſolutè non poteſt dici panis vſualis, nec habet vſum panis; non ſecundum, quia licet per illam compreſſionem reducatur ad aliquam ſimilitudinem maſſæ farinaceæ, retinet tamen concoctionem, ſaporem, & aliqua alia accidentia propria panis cocti. Ex eo item, quod debeat eſſe igne coctus excluditur maſſa farinæ calore ſolis exſiccata, quia propriè non eſt panis, ſed potius lagana; non requiritur tamen, quod igne ſit coctus, vel in fumo, vel ſub cineribus, vel intra ferrum candens, vel in aliquo vaſe fictili, ſed quomodocunque coquatur, apta eſt materia conſecrationi.

ARTICVLVS II.

De materia remota conſecrationis ſanguinis.

SVMMARIVM.

Referuntur nonnulli Hæreticorum errores. 1.
Materia eſt vinum ex vite. 2.
Ceruiſia, & ſicera non eſt apta materia. 3.
Nec agreſtum, nec acetum, nec muſtum valdè decoctum. 4.
Enumerantur alia, quæ non ſunt apta materia, quamuis ſint ex vite. 5.
Omnia, quæ ſunt ſubſtantialitèr vinum, ſunt apta materia. 6.
Muſtum immediatè ab vuis expreſſum eſt apta materia, non licita. 7.
Omphacium non eſt aptum. 8.
Vinum congelatum, an ſit apta materia, eſt ſub lite. 9.
Vinum poſt conſecrationem congelatum remanet conſecratum. 10.
Vinum miraculosè productum eſt apta materia. 11.
Vinum ex vuis paſſis extractum, quomodo ſit apta materia. 12.
Vinum in offa imbibitum non eſt aptum. 13.
Soluuntur argumenta contraria. 14.
Vinum ex præcepto Eccleſiaſtico debet aquæ miſceri. 15.
Non de neceſſitate Sacramenti, nec ex iure Diuino. 16.
Aqua debet eſſe naturalis, & in modica quantitate. 17.
Debet miſceri in Altari, & in Calice. 18.

Eſt dogma fidei contra nonnullos Hæreticos volentes validè in aqua fieri conſecrationem, qui propterea Aquarij ſunt appellati, & alios, quorum meminit *Concilium Braccarenſe III.*, volentes poſſe conſecrari in lacte, & melle, quod materia apta conſecrationi Sanguinis debeat eſſe vinum ex vite, prout definiuit *Concilium Florentinum in decreto Eugenij*, vbi aſſignat pro materia Corporis Chriſti panem ex tritico, & pro materia Sanguinis eiuſdem vinum ex vite. Idem definiunt *Concilium Cartaginenſe III. cap. 24.*, *Lateranenſe in cap. firmitèr, & alia.* 1 Errores Hæreticorum. 2 Eſt vinũ ex vite.

Ex eo autem, quod debeat eſſe ex vite, plura, tanquam certa excluduntur; plura tanquam certa includuntur; plura tanquam dubia controuertuntur, de quibus omnibus, & ſingulis. 3 Non ceruiſia, nec ſicera.

Excluditur primò, tanquam quid certum ceruiſia, & Sicera, cum illa fiat ex frugibus, & præcipuè ex hordeo, iſta ex pomis; Secundò lac, mel, oleum, balſamum, & ſimilia. Tertiò ſuccus, qui ex melogranatis extrahitur, & hæc omnia, & ſimilia, quia non ſunt vinum de vite. 4 Nec agreſtum, nec acetum, item, nec muſtum valdè decoctum.

Excluditur item, quamuis ſit de vite, aggreſtum expreſſum ex vuis immaturis, & acetum, quia illud nondum eſt vinum, iſtud intelligitur iam corruptum. Item excluditur ſapor, ideſt muſtum ita decoctum, vt per decoctionem duæ ipſius partes fuerint conſumptę remanente tertia parte denſiori, & dulciori, cum hæc tertia pars iure cenſeatur ſubſtantialitèr diuerſa à vino, nec ad bibendum deſeruiat, ſed ad cibos condiendos. Item excluditur vini vapor, ideſt ſubtilior, & magis ignea ipſius pars vulgò *Acqua de vita*, *aut ſpirito di vino*, cum nulla ferè habeat accidentia vino communia. Item aqua, quæ ex vitis racemis ricisis decidis, cum nil vini, nec accidentia contineat. Item vappa, terrea ſcilicet, & magis craſſa vini pars, quæ tenuioribus particulis in allembico ſubſilientibus, aut alitèr in auram abeuntibus remanet ſine vini ſapore, aut vi. Item

vinum

5 Recenſentur alia, quæ non ſunt apta materia. vinum in vuis exiſtens, & non expreſſum, cum potiùs vim habeat cibi, quam potus. Item excluditur vinum aquatitium, quod fit ex aqua, poſtquam vuæ expreſſæ ſunt, quia illud non eſt ex vuis, ſed eſt mera aqua corticibus vuarum infuſa. Aduerte tamen, quod, ſi non expreſſis totalitèr vuis, ſed in modica quantitate extracto muſto eiſdem ſuperinfundatur aqua etiam in modica quantitate, non extrahatur à ratione validæ materiæ conſecrationis, cum adhuc remaneat vinum vſuale.

6 Omnia vina ex vite ſunt apta materia. Ex aduerſo certò includuntur omnia vina de vite conſueto modo extracta, quæ non ſint ſubſtantialitèr corrupta, vel notabilitèr mutata, quantumuis adinuicem comparata dicerentur inter ſe ſpecie differre. Dixi, *ſubſtantialitèr corrupta, vel notabilitèr mutata*, nam, ſi præcisè aliquo modo alterarentur, puta, ſi calefierent, & etiam, ſi modicè coquerentur, vt fieri conſueuit in Picæno, & Vmbria, ſi modico aquæ immiſcerentur, vt fieri ſolet Bononiæ, ſi externo aliquo odore imbuerentur, vel aliquo aromate condirentur, dummodo non ſint in maiori quantitate, quam vinum ipſum, certè non deſinerent eſſe materia apta conſecrationis. Cæterum ſiue ſit album, ſiue rubrum, quæ aliqui dicunt ſpecie differre, ſiue ſint eiuſdem, ſiue diuerſarum regionum, quæ ex terræ, & aeris diuerſitate magnam habent diuerſitatem, & in ſapore, & in odore, & in colore ſemper ſunt materia apta, cum ſemper ſint genimina vitis.

7 Muſtum immediatè ab vuis expreſſũ eſt aptum Quæ controuertuntur ſunt primò, an muſtum immediatè ab vuis expreſſum, & non depuratum ſit materia apta conſecrationi. Sentio, eſſe materiam aptam, non tamen licitam, niſi cohoneſtetur neceſſitate conſecrandi, vel ad communicandum infirmum in articulo mortis conſtitutum, vel celebrandi, ne populus in die feſto ſacro deſtituatur. Conſentiunt quoad omnes partes *Lugus diſp. 4. ſect. 1. num. 9., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrament. cap. 2. §. 3. n. 47., Madernus tract. 3. de Euchariſt. Sacram. quæſt. 2. art. 2.* Quod ſit materia valida, & apta colligitur *ex cap. cum omne crimen de conſecrat. diſt. 2.*, vbi dicitur, quod in neceſſitate poſſit exprimi botrus in Calice, aqua miſceri, & conſecrari, quod certè ſubſiſtere non poſſet, ſi non eſſet materia apta, & valida. Quod nõ ſit materia licita ex eo deducitur, quod non ſit vinum depuratum; quod deindè cohoneſtetur ratione neceſſitatum allegatarum euincitur ex *dict. cap. cum omne*, vbi illi caſus exprimuntur.

8 Omphacium non eſt aptum Controuertitur ſecundò, an non ſolum aggreſtum, ſed etiam vinum ex vuis etiam matureſcentibus, ſeu imperfectè maturis, & aliquantulum acerbis ſit materia non apta conſecrationi? Reſpondeo vinum ex vuis adhuc matureſcentibus, & non perfectè maturis, eſſe ſufficientem materiam conſecrationis, dummodò ita non ſint acerbæ, vt ſuccus ex illis expreſſus non ſit Omphacium, quandoquidem tunc erit propriè vinum, licet in aliqua qualitate deficiens. Cæterùm, ſi ſit Omphacium, non habet rationem vini, ſeu potus, ſed pro ciborum condimento deſeruit.

Controuertitur tertiò, an vinum congelatum ſit materia apta conſecrationi, & an vinum conſecratum, ſi congeletur, retineat conſecrationem. Quoad primum negant abſolutè *Armilla verb. Euchariſtia num. 19., Alanus lib. 1. de Euchariſt. c. 11., & alij plures*, ad quod aſſerendum pluribus rationibus mouentur, primò, quia arbitrantur per huiuſmodi congelationem vinum ſubſtantialitèr corrumpi, quod arguunt ex mutatione coloris, ſaporis, & ſimilium qualitatum. Secundò, quia vinum congelatum, quamuis ſubſtantialitèr ſit vinum, vt tamen tale eſt, non poteſt habere rationem potus, &, ſicuti gelu ex aqua compactum, quamuis ſit ſubſtantialitèr aqua, quia tamen non eſt aptum ablutioni, non poteſt eſſe materia apta baptiſmatis, ita vinum congelatum, quamuis ſit vinum, quia tamen, vt tale non poteſt habere rationem potus, non poteſt eſſe materia apta conſecrationi. Affirmant verò eſſe materiam aptam, quamuis non licitam *Silueſter verb. Euchariſtia 2. quæſt. 10., Angelus ver. Miſſa n. 23., Suarez diſp. 45. ſect. 1. verſ. vndè tertiò concludo*, & alij plures, quorum rationes ſunt; primò, quia illud eſt propriè vinum vitis, & ex natura ſua potabile; quod deindè reperiatur ſub illa qualitate congelationis omninò per accidens eſt, & ex genere ſuo, & ab intrinſeco facilè redigi poteſt ad formam potabilem; attendendum autem eſt ad id, quod res eſt ex genere ſuo, non ad id, quod eſt per accidens. Secundò, quia panis, qui ſit coctus, & præ duritie comedi non poſſet, niſi aliquo modo molifieret, eſt ſecundum communem opinionem materia apta, ergo etiam vinum, quod eſt congelatum quodque potari non poteſt, niſi liquefiat, erit materia apta &c. Tertiò ex differentia, quæ intercedit in aqua cõgelata in ordine ad Baptiſmum, & vinum congelatum in ordine ad conſecrationem, (& per hoc reſpondetur rationi, contrariæ ſententiæ ſecundo loco expoſitæ,) nam Sacramentum Baptiſmatis conſiſtit in actuali vſu, adeoque exigit actualem ablutionem, quæ haberi non poteſt per aquam congelatam, vt congelatam; Sacramentum verò Eu-

9 Vinum congelatum, an ſit aptum

O cha-

chariſtiæ conſiſtit in re permanente, hoc eſt in vino conſecrato; vinum autem congelatum eſt propriè, & ſubſtantialitèr vinum. Quartò, quia vinum congelatum poteſt lambi, & hac ratione habere poteſt rationem potus. Quid iam concludendum? Arbitror hanc ſecundam opinionem probabiliorem eſſe, quamuis conſulerem in praxim non eſſe reducendum propter dubietatem.

10 Vinum poſt conſecrationem congelatum retinet conſecrationem.

Ex his poteſt inferri à fortiori id, quod ſecundo loco propoſitum eſt, nempè vinum conſecratum, ſi fortè congeletur, retinere conſecrationem; ſi enim poteſt validè conſecrari, à fortiori, vt conſecratum, retinebit conſecrationem, non ſolum, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, ſed etiam, quia retinet ſpecies proprias vini, quibus perſiſtentibus ſemper perſeuerat ſubſtantia Sanguinis Chriſti Domini.

11 Vinum miraculosè productum eſt aptum

Controuertitur quartò, an vinum miraculosè productum, cuiuſmodi fuit illud ex aqua conuerſum in nuptijs Canæ Galileæ ſit aptum conſecrationi. Videtur negandum, quia non eſt vinum ex vuis expreſſum, quale diximus requiri ad validam conſecrationem. Sed ſentiendum abſolutè eſt, validè, & licitè conſecrabile eſſe. Ità ſentiunt *Henriquez, & alij* apud *Bonacinam de Sacrament. Euchariſt. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 2. num. 4.* Ratio eſt, quia licet tale vinum in modo productionis differat à vino naturalitèr producto, quoad intrinſecum tamen eſt eiuſdem ſpeciei, & rationis cum vino ex vuis expreſſo, &, ſicuti, ſi produceretur a Deo aqua eiuſdem rationis cum aqua naturali, hæc eſſet ſufficiens materia baptiſmi, quia ſecundum ſe eſſet verè naturalis, licet in modo productionis miraculoſa, ita &c. Nec obeſt, quod ex aduerſo aſſerebatur, tum quia nos diximus vinum conſecrabile debere eſſe ex vuis expreſſum; quia naturalitèr tale vinum alitèr haberi non poteſt, & ſecundum ordinem naturalem; cæterum, ſi quoad modum ſupernaturalitèr haberetur, non negamus illud eſſe conſecrabile; tum quia licet non eſſet ex vite formalitèr, eſſet tamen ex vite eminentèr, quatenus eſſet a Deo Auctore vitis; *Henriquez lib. 8. cap. 12.*

12 Vinum ex vuis paſſis extractum quomodo ſit aptum

Controuertitur quintò, an liquor extractus ex aſtaphide, ſeu vuis paſſis ſit materia apta ad conſecrationem. Affirmatiuè reſpondendum exiſtimo, niſi vuæ ſint ad nimiam ſiccitatem redactæ, vt nonniſi ex magna compreſſione humor aliquis extrahatur nimis ſpiſſus, & aquæ potius, quam vino ſimilior, vel niſi ita ſint ſiccæ, vt ad humorem extrahendum infundenda ſit maior aqua, quam ſit humor, qui ex illis poſſit extrahi. Conſentit *Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacramento cap. 2. § 3. num. 50.* Ratio ex eo deducitur, quia ceſſantibus illis conditionibus mox recenſitis vuæ illæ, ex quibus extrahitur ille liquor, ſunt ſubſtantialitèr vuæ, & ipſe liquor eſt ſubſtantialitèr vinum, ergo non erit, cur non debeat eſſe conſecrabilis; nec in hoc arbitror diſſentiri *Lauream in quarto diſp. 18. art. 3. num. 67., & Madernum de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 2. art. 2. n. 8.*, negantes huiuſmodi liquorum aptum eſſe conſecrationi, quandoquidem iſti intelligendi ſunt ſolummodò, quando vuæ ità ſunt ſiccæ, vt nonniſi magna compreſſione poſſit ex illis extrahi humor ille ſpiſſus, vel nonniſi appoſita maiori aquæ quantitate.

Controuertitur ſextò, an vinum imbibitum in offa panis, ſit validè conſecrabile. Affirmant *Arriaga diſp. 30. ſect. 3. num. 12., Heriuez diſp. 2. quæſt. 4. num. 31.* Mouentur iſti primò, quia panis vino imbutus eſt conſecrabilis in Corpus, ergo etiam vinum in eodem exiſtens erit conſecrabile in Sanguinem. Secundò, quia ſpongia, aut vas argenteum per artem poroſum, ſi ſint imbibita vino exiſtenti intra poros includunt vinum vtique in illo ſtatu conſecrabile, ergo etiam panis continens intra poros vinum continet materiam, vtique conſecrabilem. Negant verò *Lugus diſp. 4. ſect. 1. num. 12., Maſtrius diſp. 3. quæſt. 3. art. 2. num. 83., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt Sacrament. cap. 2. § 3. num. 53.*, eaque potiſſimum ratione mouentur, quia ratione illius commixtionis, & confuſionis panis cum vino hoc non eſt deſignabile per particulam *hoc*, vel *hic*; non enim poteſt dici ſimplicitèr hoc eſt vinum, hic eſt potus. Probabiliorem arbitror hanc ſecundam opinionem, cui obſtare non poteſt, quod, ſi vinum conſecratum imbibatur in offa panis adhuc retineat conſecrationem non obſtante illa commixtione, & confuſione, ergo etiam imbibitum in illa offa ante conſecrationem poterit valide conſecrari. Non, inquam, obſtare poteſt, quia plura requiruntur ad primam productionem, quam ad conſeruationem, cum multa facta teneant, quæ fieri prohibentur; nec requiritur illa exacta deſignatio in conſeruatione, quæ requiritur in prima productione. Ad rationes, quæ pro contraria ſententia afferebantur, iam reſpondendum eſt, & quidem ad primam dico, antecedens aſſumptum ab Herinez non ita certum eſſe, ſicuti ſupponitur, quamuis enim panis imbutus vino ſit comeſtibilis, non habet tamen rationem panis vſualis, ſicuti requiritur ad materiam Euchariſtiæ. Deinde admiſſo illo antecedente, non rectè deducitur conſequentia; licet enim panis vino imbutus ſit comeſtibilis, non tamen vinum

13 In offa imbibitum non eſt aptum

pane

14 Soluuntur rationes oppoſitæ.

pane imbibitum eſt potabile,&c, licet poſſet dici, quod vinum imbibitum pani poſſit lambendo potari, non propterea ſequitur, quod poſſit conſecrari, cum non poſſit ſimpliciter deſignari per pronomen *hoc*, vel *hic*, quod requiritur ad validam conſecrationem. Ad ſecundam reſpondet *Cacheranus loc. cit.*, aſſignando diſparitatem conſiſtentem in eo, quod vinum in ſpongia, aut in vaſe poroſo inexiſtens, non deperdat, vt in offa, rationem potabilis, neque induat rationem comeſtibilis, neque, dum extrahitur, trahit ſecum aliquas partes, aut accidentia ſpongiæ, aut vaſis poroſi, ſicut fit in extractione vini in offa exiſtentis, adeoque &c. Sed, quamuis in hoc verum dicat, non euacuat tamen difficultatem, quam ipſe opponit aduerſarijs aſſerentibus vinum in offa imbibitum poſſe conſecrari, dum obijciendo dicit, vinum illud non eſſe deſignabile per pronomen *hoc*, vel *hic*, cum nequeat dici, hoc eſt vinum, hic eſt potus; cum hoc etiam poſſit verificari de vino exiſtente in ſpongia, vel in vaſe poroſo; non enim poteſt dici, hoc eſt vinum, hic eſt potus. Quamobrem ratione negationis deſignabilitatis ego probabilius crederem, vinum illud in ſpongia, aut in vaſe poroſo exiſtens non eſſe conſecrabile.

15 Vinum ex præcepto Eccleſiaſtico debet aqua miſceri.

Hoc autem vinum, quod ex vuis expreſſum diximus, eſſe ſolum materiam conſecrabilem, debet eſſe mixtum aqua naturali, quod tamen non eſt ex neceſſitate Sacramenti requiſitum, nec ex iure Diuino, ſed tantum Eccleſiaſtico. Quod autem debeat eſſe aqua mixtum colligitur expreſsè *ex Concil. Flor. in literis vnionis Armenorum, & ex Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 7.*, quod autem non ſit ex neceſſitate Sacramenti euincitur potiſſimum ex ratione *Diuæ Thomæ quæſt. 74. art. 7. in corpore*, quia ſcilicet ſignificatio propria, & eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ reſpicit tum Corpus, tum Sanguinem Chriſti Domini, tum gratiam per modum refectionis ſpiritualis, nullum autem ex his ſignificat aquæ mixtio, ſed ſolummodo, vt inſinuat *Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 7.*, effuſionem aquæ cum Sanguine ex latere Chriſti, & vnionem populi, ſeu Eccleſiæ cum Chriſto, quæ ſignificatio, ſicuti non eſt eſſentialis Sacramento, ita nec debet cenſeri de eſſentia eiuſdem aquæ mixtio. Neque hic attendi debet id, quod circumfertur ex Diuo Cipriano, nempè, quod comparauerit mixtionem aquæ cum vino reſpectu Sanguinis ad mixtionem aquæ cum farina triticea reſpectu Corporis Chriſti, ex quibus poſtea infertur; quod, ſicuti aqua, per quam coagulatur farina, eſt de neceſſitate &c., ita & aqua commixta vino ſit de neceſſitate &c. Non, inquam, debet attendi, quia illa comparatio D. Cipriani non procedit ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; hoc eſt in ordine ad congruentiam, & neceſſitatem præcepti, non in ordine ad eſſentiam, & neceſſitatem Sacramenti. Quod autem non ſit de iure Diuino, ex eo colligitur, quod vbi expreſsè non conſtat de tali præcepto, non eſt inducendum ſine ſufficienti neceſſitate, & auctoritate, quæ non habentur de aqua vino miſcenda. Neque dicas, neceſſitatem haberi ex inſtitutione, & facto Chriſti Domini, qui ſecundum communem, & receptam ſententiam in vltima Cœna aquam vino conſecrando miſcuit; vndè *D. Ciprianus Epiſt. 63.* docet, mixtionem aquæ, & vini in Calice doceri à Chriſto exemplo magiſterij ſui, & præcipi, & ad illam referri illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, & *D. Iuſtinus Apolog. 2. ad Antoninum* ait, Apoſtoli enim in Commentarijs ſuis, quæ Euangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcipiſſe tradiderunt; auctoritatem verò ſufficienter haberi *ex Concil. Cartagin. III. Aurelianenſi IV.*, & alijs dicentibus aquam vino miſcendam ex Diuina traditione, ex mandato Saluatoris, ex inſtitutione Chriſti, quæ omnia inferunt præceptum Diuinum; Côtra enim impugnaberis, quia dato, & etiam conceſſo, quod Chriſtus Dominus in vltima Cœna aquam vino miſcuerit, (quidquid aliqui ex aduerſo aſſeruerunt,) non ex hoc infertur præceptum Diuinum de tali commixtione; non etenim omnia, quæ Chriſtus geſſit in inſtitutione huius Sacramenti, ſunt ex neceſſitate peragenda ex præcepto eiuſdem; ſic iuxta communiorem ſententiam Chriſtus conſecrauit in azimo, nec propterea eſt præceptum Diuinum, quod in ſolo azimo fiat conſecratio; ex facto quidem Chriſti arguitur maior conuenientia, non tamen neceſſitas ex præcepto. Ad auctoritates allegatas Conciliorum dicendum eſt, per illas ſolum importari huiuſmodi mixtionem deduci ex exemplo Chriſti Domini, & facto Saluatoris, non ex præcepto eiuſdem, & ſic dicitur traditio Diuina, quia importat id, quod factum eſt à Chriſto; dicitur mandatum, cuius nomine ex hoc loco venit præciſè conſilium, quod colligi poteſt ex eo, quod in ablutione pedum Apoſtolorum Chriſtus tradidit *Mandatum nouum do vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; quod tamen mandatum ablutionis, ſi literaliter ſumatur, non importat præceptum; dicitur, *inſtitutio Chriſti*, quia Chriſtus ita fecit, non quia ita fieri præcepit; cæterum ſi importaret præceptum, importaret aquæ mixtionem eſſe de neceſ-

16 Non de neceſſitate Sacramenti, nec de iure Diuino.

ſitate Sacramenti; quia, quidquid eſt neceſſarium ex Chriſti inſtitutione, eſt de neceſſitate Sacramenti. Quod autem ſit ex præcepto Eccleſiaſtico, deducitur ex allegatis *Concilijs Florentino in decreto vnionis, & Tridentino ſeſs. 22. cap. 7.*

17 Debet eſſe naturalis, & modica. Hæc aqua, quæ vino miſcenda eſt ex præcepto Eccleſiaſtico, debet eſſe naturalis, non artificioſa; vnde, ſi quis aquam artificialem miſceret, valide quidem conſecraret, quia vinum illa commixtum adhuc eſſet vſuale; & illa commixtio non eſt ex neceſſitate Sacramenti, grauitèr tamen peccaret, quia faceret contra præceptum Eccleſiæ in re graui. Hæc aqua miſcenda vino debet eſſe in modica quantitate, ne per mixtionem in magna quantitate vinũ à ſuo robore ita dimminuatur, vt deſinat eſſe vinum vſuale, & potius ſit aqua, quam vinum. Quanta autem debeat eſſe hæc modicitas aquæ miſcendæ, nõ debet ita eſſe modica, vt in vna guttula conſiſtat, nec tanta, vt vinum adæquet. *Lugus diſp. 4. ſect. 2. num. 38*, exiſtimat, poſſe ſine ſcrupulo apponi textam, vel quintam partem aquæ, & *Concilium Tiburienſe cap. 19.*, dicit, quod curare debeat Sacerdos, ne quantitas aquæ tertiam vini partem excedat. In hoc ſcrupuloſè non procedendum arbitror, ſed cauendum, ne ſit in tanta quantitate, vt vinum notabilitèr alteret.

18 Debet miſceri in Altari, & in Calice. Miſcenda eſt huiuſmodi aqua, non domi, nec in dolio, ſed in Altari, & in Calice, & in actu ſacrificij iuxta conſuetudines Eccleſiarum, vel immediatè poſt acceſſum Sacerdotis celebraturi ad Altare, vt mos eſt PP. Dominicanorum, vel ante oblationem, vt fert communis praxis Eccleſiæ. Hæc commixtio facienda eſt ab ipſo Sacerdote in miſſis priuatis, vel à Subdiacono in ſolemnibus. Quod, ſi ex obliuione aqua, vel in initio Miſſæ, vel ante ablutionem non fuerit vino commixta, & recordetur Sacerdos ante conſecrationem, tunc debet illam apponere, & immediatè conſecrare, vt ſeruetur præceptum Eccleſiaſticum, quod; ſi recordetur ſolum poſt peractam conſecrationem, tunc non debet apponere, quia præceptum eſt de commiſcenda aqua vino, non ſanguini.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo aqua vino commixta conuertatur in Sanguinem.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi. 1.
Aqua commixta non remanet poſt conſecrationem in ſui ſubſtantia. 2.
Si aqua poſt conſecrationem ſeparetur à vino conſecrato, deſinit eſſe conſecrata, & quomodo. 3.
Exceptio, ſed inanis. 4.
Non conuertitur in illam aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti, nec in humorem phlegmaticum. 5.
Signantèr probatur non conuerti in aquam fluxam à latere Chriſti. 6.
Et etiam non conuerti in humorem phlegmaticum. 7.
Explicatur textus in cap. cum quadam de celebrat. Miſſarum. 8.
Non conuertitur prius in vinum. 9.
Vinum non habet vim conuerſiuam aquæ in ſe ipſum. 10.
Aqua eſt maximè reſiſtitiua. 11.
Conuerſio non poteſt fieri breui temporis mora. 12.
Explicatur Innocentius III. 13.
Aqua cum vino tranſit immediatè in ſanguinem. 14
Euincitur ex SS. PP. 15.
Vinum cum modica aqua commixtum eſt vſuale. 16.
Argumenta contraria ex auctoritatibus deſumpta. 17.
Soluuntur hæc argumenta. 18.
Argumenta ex rationibus deſumpta. 19.
Soluuntur eadem argumenta. 20.
Modicum aquæ roſaceæ commixtum vino eſt conſecrabile. 21.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 22.

QVatuor ſub hoc titulo controuertenda veniunt. Primum, an aqua vino conſecrando commixta poſt conſecrationem remaneat in ſpecie, & ſubſtantia propria accidentibus vini circumfuſa. Secundum, an conuertatur in ſubſtantiam aquæ, quæ de Chriſti latere fluxit, aut in humorem phlegmaticum. Tertium, an prius conuertatur in vinum, & eo mediante in ſanguinem. Quartum, an immediatè conuertatur in ſanguinem. Singula expendo. 1 Rationes dubitãdi.

Aſſertio I. Aqua commixta vino ante conſecrationem regularitèr loquendo non remanet poſt conſecrationem in ſua ſpecie, & ſubſtantia accidentibus vini circumfuſa. 2 Poſt conſecrationem non remanet aqua.

In

In hoc conſentiunt omnes ferè Catholici, adeovt *Vaſquez diſp. 178. cap. 1. num. 1.*, aſſeruerit, ſe nullum inueniſſe auctorem ex ijs, qui vſque ad ipſius tempora prælo ſua ſcripta mandauerint, qui contrarium tradiderit.

Probatur, quia in conſecratione totum, quod in Calice reperitur, deſignatur per pronomen *hic*, nec vlla fit diſcretio inter vinum, & aquam; totum proponitur populo adorandum; ſed hoc minus congruè fieret, & nonniſi cum aliqua idololatriæ ſpecie in populo, ſi aqua remaneret in ſua ſubſtantia aquæ, ergo aſſerendum eſt, aquam non remanere in ſua ſubſtantia aquæ poſt conſecrationem. Confirmatur primò, quia non eſt præſumendum, quod Eccleſia ſciens, vel probabilitèr arbitrans, aquam commixtam vino ſimul cum illo non conuerti in ſubſtantiam Sanguinis Chriſti Domini, voluerit ſub præcepto imponere illam mixtionẽ præcipuè cũ ſimplicitèr nõ verificaretur forma conſecrationis ſimplicitèr: Hic eſt Calix Sanguinis mei, cum Calix non ſolum Sanguinem poſt cõſecrationem, ſed etiam aquam in ſua ſubſtantia contineret. Confirmatur ſecundò, quia data contraria opinione aſſerente aquam in ſua ſubſtantia remanere, Sacerdos per ſumptionem Calicis ieiunium naturale frangeret, ſicque primò Sacerdos, qui in die Natiuitatis Domini primam Miſſam celebrauit, & in vtraque ſpecie communicauit, non poſſet alias duas Miſſas celebrare, cum in ſumptione Sanguinis ſumpſiſſet etiam aquam in ſua ſubſtantia, per quam ieiunium eſſet violatum; Secundò quoties Eccleſia permittit ex neceſſitate bis in die celebrare, ſemper permittit cum conditione, ſi fuerit ieiunus, & non ſumpſerit purificationem, quam conditionem incongruè apponeret, ſi aquam in ſua ſubſtantia ſumeret ſimul cum Sanguine, quia per illam aquam ſemper eſſet ieiunium violatum.

3 Ex ſeparabilitate aquæ à vino conſecrato non arguitur, quod aqua non fuerit cõſecrata.

Aduerſus hanc noſtram aſſertionem validum militat argumentum ab experientia deductum, quandoquidem poſt conſecrationem ſubſtantia aquæ eſt ſeparabilis à ſpeciebus vini conſecratis, vel cum nimio frigore congelatur, vel miniſterio cuiuſdam operis ſecernitur; qua poſita ſeparatione ſic arguo. Per illam præciſam ſeparationem aqua non tranſmutatur, nec aliquam formam de nouo acquirit, cum nulla interueniat actio, nec naturalis, nec ſupernaturalis productiua illius nouæ formæ, ergo retinet priorem, quam habebat in ſtatu vnionis cum ſpeciebus vini conſecratis; ergo, ſicuti eſt poſt ſeparationem in ſua ſpecie propria aquæ, ita erat in tali ſpecie, dum erat vnita. Reſpondent aliqui ad hoc argumẽtum, quod etiam illa aqua, ſeu ſpecies eiuſdem poſt ſeparationem non ſint cum propria ſubſtantia aquæ, ſed cum ſubſtantia propria Sanguinis Chriſti Domini, quatenus conſecrationem, quam habuit in ſtatu vnionis cum ſpeciebus vini conſecratis, retineat adhuc poſt ſeparationem ab illis ſpeciebus, & licet dicatur, quod aqua, vt aqua non ſit apta conſecrari, dicunt tamen, quod, prout eſt conſecrata ſimul cum vino, ſit apta conſeruare, & retinere conſecrationem, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Sed non poſſum acquieſcere huic reſponſioni attenta communi doctrina Theologorum, ſecundum quam aſſerunt, quod eo vſque ſub ſpeciebus conſecratis remaneat ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, quouſque perſeuerant ſpecies panis, & vini, & deſinentibus talibus ſpeciebus deſinat quoque præſentia Corporis, & Sanguinis; Cum igitur facta ſeparatione illius aquæ, ſeu ſpecierum eiuſdem à ſpeciebus vini, in eadem non perſeuerent amplius ſpecies vini, neque in eadem aqua, ſeu ſpeciebus eiuſdem poteſt perſeuerare ſubſtantia Sanguinis Domini. Quamobrem ad argumentum dico, quod facta illa ſeparatione aquæ à ſpeciebus vini conſecratis, immediatè in ſpeciebus aquæ deſinente ſubſtantia Sanguinis Domini ſuccedat noua aqua per creationem, ea proportionali ratione, qua traiectis in ſtomacum ſpeciebus panis, vel vini conſecratis deſinentibus per corruptionem eiſdem ſpeciebus, & ſimul cum illis deſinente ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini, ſuccedit noua ſubſtantia nutritiua ſecũdum communem Theologorum conſenſum; vnde in re noſtra quando aqua, ſeu ſpecies eiuſdem ſeparantur à ſpeciebus vini conſecratis non remanent cum forma ſubſtantiali, quam habebant in ſtatu vnionis cum eiſdem ſpeciebus vini, ſed acquirunt nouum eſſe ſubſtantiale à Deo productum per creationem, ad quod datur actio creatiua Dei.

Dixi in aſſertione, *regularitèr loquendo* propter illos, qui dicunt aquam prius conuerti in vinum, & eo mediante in Sanguinem; ſi etenim quandoque in hac ſententia aqua non fuerit ante conſecrationem conuerſa in vinum, aut ex breuitate temporis, aut ex debilitate eiuſdem vini, vtique iuxta hanc ſententiam aqua non remaneret conſecrata, ſed remaneret ſub propria ſpecie ſubſtantiali, ſed, ſicuti hæc ſententia infrà infringetur, ita deſinit hæc illatio, quæ ex eadem deducitur. 4 Exceptio, ſed inanis

Aſſertio II. Illa aqua vino commixta ante conſecrationem non conuertitur per ipſam conſecrationem in illam aquam, quæ

5 Non conuertitur in aquam quæ fluxit à latere Chriſti

quæ fluxit ex latere Chriſti. Eſt communis. Pro quo aduerte, quod ex communi Theologorum, & SS. PP. conſenſu aqua illa, quæ de latere Chriſti fluxit non fuerit aqueus quidam humor quodamodo mixtus; ſed vera, & pura aqua elementaris miraculosè producta; quo ſuppoſito.

Probatur, quia illa aqua elementaris nec poteſt eſſe effectus conſecrationis Sacramentalis, nec pertinere ad Chriſtum in propria ſpecie exiſtentem, ergo aqua in Calice mixta ante conſecrationem per eandem conſecrationem non conuertitur in illam aquam elementarem, quæ fluxit de latere Chriſti Domini. Antecedens quoad primam partem probatur, quia verba conſecratoria id tantum efficiunt formalitèr loquendo, quod ſignificant, ſed ſignificant tantum Sanguinem, non aquam elementarem, ergo non efficiunt, niſi Sanguinem, ergo illa aqua, quæ fluxit à latere Chriſti, non eſt effectus eiuſdem conſecrationis. Quod, ſi dixeris, quod in con-

6 Rationes pro hoc aſſerto.

ſecratione panis ſignificetur per verba ſolum Corpus Chriſti Domini, non Anima, nec Sanguis, nec Diuinitas, & in conſecratione vini ſignificetur ſolum Sanguis, & tamen in illa ſimul cum Corpore ponitur Sanguis, Anima, & Diuinitas, in iſta cum Sanguine etiam Corpus, Anima &c., ergo etiam, quamuis verba conſecrationis vini ſignificent ſolum Sanguinem, quia tamen aqua illa fuit in Corpore Chriſti ſimul cum Sanguine, atrahant illam aquã, in quam aqua commixta cum vino ante conſecrationem per eandem conuertatur; ſtatim impugnaberis, quia in primis poſſet adſummum dici, quod illa aqua ex vi naturalis concomitantiæ atrahatur ſemel cũ Sanguine, ſicuti in conſecratione vini ratione eiuſdem concomitantiæ ſimul cum Sanguine atrahitur Corpus, non quod aqua commixta vino ante conſecrationem ex vi eiuſdem conſecrationis formalitèr conuertatur in illam aquam, quæ fluxit de latere Chriſti Domini, prout videntur intendere aduerſarij, dum dicunt conuerti in illam aquam. Deinde illa aqua, quæ fluxit a latere Chriſti non pertinet ad naturalem eiuſdem exiſtentiam, (& per hoc probatur antecedens quoad ſecundam partem,) ſed fuit miraculosè producta, ad indicandum myſterium Sacramentalis refectionis per Sanguinem, & ſpiritualis regenerationis per aquam, vel vnionis Chriſti Domini cum populo fideli ſignificatæ per aquam, ſeu cum Eccleſia, vndè non eſt de ratione Corporis humaui maximè glorioſi, cuiuſmodi eſt illud Chriſti Domini; vndè, quod tunc fuit ad myſterium miraculosè factum, & eſt extra rationem corporis naturalis, non eſt præſumendum perſeuerare in eodem corpore ſine aliqua neceſſitate ceſſante motiuo illius miraculoſæ productionis; ex quibus modo infertur, quod, cum illa aqua elementaris modo non exiſtat in corpore Chriſti glorioſo, cum non ſit de ipſius ratione, nec formalitèr ratione verborum, nec vi naturalis concomitantiæ ſub ſpeciebus vini ponatur.

Maior difficultas eſſe poteſt, an illa aqua vino commixta vertatur in humorem phlegmaticum, quod licet communitèr videatur abſurdius, ac ſtatuere, quod conuertatur in illam aquam elementarem, quæ fluxit à latere Chriſti, ſiſtendo tamen in rationibus naturalibus non videtur pati illas difficultates, quas patitur ſententia adſtruens conuerſionem illius aquæ vino mixtæ cum aqua, quæ fluxit à latere Chriſti; quandoquidem in primis illa conuerſio in humorem phlegmaticum poteſt eſſe formalitèr ex vi verborum conſecrationis, cum per illa verba poſſit ſignificari ſaltem implicitè; Pro quo aduerte iuxtà communem Medicorum conſenſum, quod ſanguis humanus, qui per venas excurrit, licet communi nomine ſanguis ſimplicitèr appelletur, conſtet tamen quatuor humoribus, quod cognoſcitur ex eodem è venis extracto, in quo huiuſmodi humores ſeparantur, & ex illis Medici dignoſcunt qualitates prædominantes; quo poſito ad rem noſtram ſic argumentor. Totum, quod per venas excurrit, ſanguis appellatur ſecundum communem modum loquendi, & tamen in eodem humor phlegmaticus ſecundum ſuam ſubſtantiam reperitur, ergo & ipſe, prout eſt commixtus cum ſanguine, ſanguis appellatur, ergo in conſecratione Sanguinis, & ipſe venit cũ eodem, ergo ex vi verborum, & ipſe ſub nomine ſanguinis venit ſub ſpeciebus vini. Rurſus Sanguis Chriſti Domini, qui ponitur ſub ſpeciebus eſt ille idem ſanguis cum eiſdem qualitatibus, & humoribus, qui exiſtit in Corpore Chriſti Domini glorioſo in Cœlis, ſed hic conſtat quatuor humoribus, ergo, & ille, ergo ex vi verborum ſub nomine ſanguinis ponitur, & humor phlegmaticus &c. Deinde humor ille phlegmaticus pertinet ad naturalem conſtitutionem corporis naturalis humani, cum hoc conſtet quatuor humoribus ad differentiam illius aquæ elementaris, quæ fluxit è latere Chriſti, ergo, & iſta ſimul cum ſanguine debet poni ſub ſpeciebus.

7 Nec in humorem phlegmaticum.

Dixi, *ſiſtendo in rationibus naturalibus*, nam tum propter cõmunem auctoritatem contrariam, tum propter definitionem *Innocentij III. in cap. in quadam de celebratione Miſſarum*, ab hac ſententia eſt receden dum, cùm præcipuè ibi damnetur ſententia

8 Expoſitio textus Innocentij III.

tia

tia hæc aſſerens conuerſionem illius aquæ in humorem illum. Sed, ſi benè perpenditur *textus in d. cap. in quandam* ibi comperietur ſolum damnari hæc ſententia, prout aſſerit aquam illam conuerti in illam aquam, quæ fluxit à latere Chriſti, quæque non fuerit aqua elementaris, ſed humor phlegmaticus, quod hæc ſententia non aſſerit; non enim dicit primò, quod illa aqua, quæ fluxit à latere Chriſti fuerit humor phlegmaticus, quod eſt id, quod damnatur *in d. cap. in quadam*, nec ſecundò, quod aqua vino commixta conuertatur in illam fluxam à latere Chriſti, ſed tantum, quod conuertatur in humorem phlegmaticum, qui eſt commixtus cum ſanguine, quique pertinet ad naturalem exiſtentiam corporis humani, quod non tangit, nec percutit Pontifex in illo *cap. in quandam*, vt legenti fit manifeſtum. Quidquid autem ſit de hoc propter communem auctoritatem, vt diximus ab hac opinione recedimus, & ad dubium, quod tertio loco propoſuimus, examinandum progredimur.

9 Non conuertitur prius in vinum.

Aſſertio III. Aqua vino commixta non conuertitur prius in vinum, & eo mediante per conſecrationem in ſanguinem. *Cardinalis Alanus lib. 1. de Eucharistia cap 13., Salmeron tom. 9. tract. 14. in Euang., Toletus lib. 2. ſummæ cap 25., Coninchus tom. 1. de Sacramentis quæſt. 74. art. 8., Cardinalis de Lugo diſp. 4 de Eucharistia ſect. 3 & 4, Eſparza lib. 10 qu. 62., Catheranus tract 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 2. §. 4. num. 75., Madernus tract. 3. de Euchariſtia Sacrament. quæſt. 2. art. 3.,* qui tamen ferè omnes dicunt ſolummodo, quod non eſt neceſſe, vt prius conuertatur in vinum, &, etiam ſi non conuerteretur prius in illud, adhuc conuerteretur in Sanguinem, non ſtatuentes, an verè prius conuertatur, vel non in vinum. Nos tamen radicaliter rem examinantes abſolutè aſſerimus, non conuerti prius in vinum, nec naturalitèr poſſe conuerti.

10 Vinum nō habet vim conuertendi aquam in ſeipſum.

Probatur iam primò, quia illa præuia conuerſio aquæ in vinum non poteſt naturalitèr contingere, ergo &c. Antecedens probatur, quia actio, ex qua poſſet haberi illa conuerſio non poteſt eſſe, niſi inter contraria, & contrarietas ſolum habetur inter primas qualitates, quia ſubſtantiæ, nihil eſt poſitiuè contrarium, ſed hæc contrarietas primarum qualitatum, non poteſt haberi inter qualitates aquæ, & vini, ergo, neque actio conuerſiua. Minor, in qua ſita eſt tota difficultas, ſic euincitur, quia vel conſideramus qualitates primas vtriuſque formales, vel virtuales; ſi formales, iſtæ non ſunt ſibi inuicem contrariæ; ſiquidem qualitates primæ aquæ ſunt frigiditas, & humiditas, quales ſunt etiam illæ vini; & licet vinum vtpote mixtum habeat aliquem calorem formalem, hic tamen adeo tenuis eſt, vt non ſufficiat ad aquæ corruptionem; ſi virtuales, hæ non ſunt operatiuæ, niſi excitentur à calore vitali, vt producant aliquam calorem formalem; in aqua autem nec extat calor vitalis, nec vinum in eadem producit aliquem calorem formalem, ergo &c.

11 Aqua eſt reſiſtitiua

Probatur ſecundò, quia aqua ex genere ſuo eſt maximè reſiſtitiua conuerſioni, & vinum nonniſi remiſsè actiuum, ergo naturalitèr per mixtionem vtriuſque non fit illa conuerſio. Antecedens quoad primam partem patet, quia, quantumuis maximo calore per ignem afficiatur, ita vt etiam ebulliat, non tamen corrumpitur, quinimmò etiam ſi reſoluatur ratione caloris concepti in tenuiſſimas partes, adhuc iſtæ retinent ſubſtantiam aquæ, ergo &c. Probatur etiam idem antecedens quoad ſecundam partem, quia vinum eſt mixtum virtute vitali vitis elaboratum, quod quando eſt ex vuis extractum, minus actiuum eſt, ſicuti ſanguis virtute vitali elaboratus, quando e venis eſt extractus, vix poteſt agere, ergo &c.

12 Ad conuerſionē requiretur tempus.

Probatur tertiò, quia data etiam poſſibilitate conuerſionis aquæ in vinum, adhuc ſine tali conuerſione aqua vino commixta per conſecrationem tranſit in ſanguinem, ergo illa conuerſio adhuc effectum nō eſt neceſſaria. Antecedens probatur, quia ad conuerſionem requiritur aliqua mora temporis, nec ſtatim fit, ac facta fuerit mixtio; ſed facta immediatè mixtione poteſt fieri conſecratio, quandoquidem ex rubricis Miſſalis, ſi Sacerdos pro tempore mixtioni præſcripto oblitus fuerit aquam vino miſcere, & recordatus fuerit immediatè ante conſecrationem, debet tunc miſcere, & ſtatim conſecrare, nec tunc inter mixtionem, & conſecrationem intercedit aliqua mora temporis, ac proindè pro illo modico tempore non potuit intercedere conuerſio.

13 Non aduerſatur Innocentius III.

Solum aliquid negotij videtur faceſcere, quod *Innocentius III. in cap. cum Marthæ de celebratione Miſſarum*, videatur apertè aſſerere opinionem aſſerentem aquam in vinum conuerti, eſſe probabiliorem, & *Catechiſmus Romanus de Euchariſtia cap. 4.*, tradit hanc opinionem de conuerſione in vinum eſſe ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonio roboratam; quinimmò idem *Innocentius lib 4 de Altaris myſterio c. 31.* expreſſius ſuam mentem in hoc explicat his expreſſis verbis. *Quibuſdam verò non abſurdum videtur, quod aqua cum vino tranſit in ſanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum,*

& vi-

& vinum per conſecrationem tranſit in ſanguinem. Quis enim ambiget aquam in vinum tranſire cum multo vino modicum infunditur aquæ? Sed, ſi benè expendantur verba eiuſdem Innocentij, quibus innituntur aduerſarij aſſerentes prius aquam in vinum conuerti, non diſtortè trahi poterunt ad germanum noſtræ ſententiæ ſenſum. Perpendamus primò illa verba, *aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*; certè illa præpoſitio, *Cum*, teſte *Ariſtotile 6. Topic. c. 6.* idem ſignificat, ac, *Et*, adeout ſenſus ſit aquam, & vinum in ſanguinem tranſmutari; non poſſet autem dici aquam, & vinum tranſmutari, ſi prius aqua conuerteretur in vinum, quia ſecus ſolum vinum tranſmutaretur. Secundò alia verba ſubſequentia *cum aqua in vinum tranſeat mixta vino*, & alia ſimilia relata *dicto lib. 4. de Altaris myſterio, ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum*; certè, cum dicatur mixta vino, & per admixtionem tranſire in vinum; vtiq; intelligenda ſunt illa verba, fieri vinum admixtione, non ſpecie, vel ſpecie tantum morali, non phyſica; atque iuxtà hunc ſenſum explicandus etiam eſt *Catechiſmus Romanus loc. cit.*, vt ſcilicet intelligatur ſolummodo de conuerſione in vinum morali, non phyſica. Quod, ſi vlterius ſubdat *Pontifex dict. lib. 4. de Altaris myſterio. Quis enim ambiget aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Hoc etiam intelligendum eſt de conuerſione morali, quatenus ratione vnionis cum vino ſimul cum illo conſtituit vinum vſuale; dicitur autem, quod modicum aquæ multo vino infunditur, quia ſi multum aquæ infunderetur, vinum ita alteraretur; vt non cenſeretur amplius vinum vſuale.

14 Conuertitur immediatè in ſanguinem.

Aſſertio IV. Aqua vino commixta per conſecrationem tranſit ſimul cum vino in ſanguinem. Conſentiunt ſatis communitèr Neotherici.

Probatur primò, quia illa aqua vino commixta poſt conſecrationem non remanet in ſua ſpecie ſubſtantiali aquæ, vt probatum eſt in prima aſſertione, nec tranſit in aquam, quæ fluxit ex Chriſti latere, nec in humorem phlegmaticum, vt probatum eſt in ſecunda, nec immediatè conuertitur in vinum, & poſtea in ſanguinem, vt probatum eſt in tertia, ergo per conſecrationem immediatè tranſit in ſanguinem. Conſequentia probatur, quia non eſt aſſignabile quid aliud, in quo remaneat, vel in quod tranſeat.

15 Auctoritates SS. PP.

Probatur ſecundò varijs SS. PP. auctoritatibus *D. Damaſceni lib. 4. fidei cap. 14. Propterea panis, vinumque, & aqua per inuocationem, & Aduentum Spiritus Sancti ſupernaturalitèr tranſmutatur in Corpus, & Sanguinem Chriſti. D. Ambroſij lib. 4. de Sacrament. cap. 5. Ante verba Chriſti Calix eſt vini, & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* In his auctoritatibus nota illa verba, *Vinum, & aqua, Calix vini, & aquæ plenus*, quæ important diſtinctionem inter vtrumque, quæ diſtinctio non adeſſet, ſi ante conſecrationem aqua eſſet in vinum ſubſtantialitèr phyſicè conuerſa. Neque hic audiendi ſunt, qui dicunt, huiuſmodi auctoritates SS. PP. intelligendas eſſe ſolummodo denominatiuè, denominatione ſcilicet deſumpta ab eo, quod aqua erat non denominatione ab eo, quod modo eſt; vndè in eiſdem dicitur *Aqua, & vinum*, quia prius erant talia, non quia modo ſint talia, cum aqua modo tranſierit in vinum, quod explicari poteſt ex illo Ioannis ſecundo, vbi legitur. *Vt guſtauit Architriclinus aquam vinum factam*, vbi appellatur aqua denominatione ab eo, quod ante erat, non ab eo, quod poſtea fuit, cum fuerit verum vinum. Non, inquam, audiendi ſunt, quia eſt diuerſa expreſſio, & per conſequens ſignificatio, dicere vinū, & aquam, ac dicere aquam factam vinum; primū importat diſtinctionem inter vtrumque, cum dicere hoc, & hoc importet duo, & vtique diſtincta; ſecundum importat vnum ſolummodo factum ex alio; vndè dicere debuiſſent SS. PP. vinum factum ex aqua, vel aquam factum vinum, vt ſaluetur denominatio ab eo, quod erat, non diſtinctè dicere aquam, & vinum.

Probatur tertiò, ratione aqua mixta vino, dato, quod phyſicè in vinum prius non conuertatur, eſt materia ſufficiens conſecrationis æquè, ac ſi eſſet in vinum conuerſa, ergo immediatè vi conſecrationis tranſit in ſanguinem, & per accidens, & extra rationem præſentis quæſtionis eſt, quod prius tranſeat in vinum. Antecedens probatur, quia iuxta commune placitum materia conſecrationis eſt vinum vſuale, quodque habet communitèr nomen, & vſum vini, ſed aqua vino commixta, ſi modica eſt, dato etiam, quod prius non conuertatur in vinum, eſt vinum vſuale æquè, ac eſſet conuerſa in vinum, ergo &c. Minor probatur, quia vinum vſuale diuiditur in vinum lymphatum, & purum; nam vinum lymphatum ex vi ſignificationis, & vinum aqua mixtum denotat ſimul vinum, & aquam; & vbi aqua eſt in vinum conuerſa phyſicè non eſt amplius vinum, & aqua. Deindè ſtatim, ac modica aqua vino eſt commixta dicitur vinum lymphatum, nec tamen ſtatim poteſt dici conuerſa phyſicè in vinum.

16 Retinet rationem vini vſualis.

Aduerſus hanc noſtram aſſertionem plura militant argumenta, vel ex aucto-

17 Argumenta contraria ex auctoritatibus deſumpta

ritatibus, vel rationibus naturalibus, & Theologicis deducta; & primum deducitur ex Concil. Florent., vbi dicitur, quod materia conſecrationis ſanguinis debeat eſſe vinum de vite, cui modiciſſima aqua miſceri debet, nec alia ratione potuit decernere illam aquæ modicitatem, niſi, quia debeat in vinum conuerti, quod facilè obtineri non poſſet, ſi multum aquæ infunderetur, quod etiam expreſsè obſeruare videtur *Innocentius III. lib. 4. de Altaris myſterio cap. 31.*, dum dixit. Quis enim ambiget aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum aquæ infunditur? Secundum *ex Concil. Trident. ſeſs. 13. c. 2.*, vbi aſſerit, ſubſtantiam vini conuerti in ſanguinem Chriſti Domini manentibus dumtaxat ſpeciebus vini, quod eſſe non poſſet, niſi ante conſecrationem aqua eſſet in vinum conuerſa, cæteroqui remanere deberent etiam ſpecies aquæ, & ſic incongruè appoſuiſſet illam particulam reſtrictiuam, *dumtaxat*, illam referendo ad ſpecies vini.

18 Soluuntur hæc argumenta.

Sed his omnibus facilè reſpondetur, & quidem primò ad illud Concil. Florent., dico non ideò Concilium præcipiſſe illam modicam aquæ infuſionem in vinum, vt poſſit illa modica aqua in vinum virtute ipſius conuerti, ſed quia ex magna aquæ copia poſſet vinum ita alterari, vt non remaneret amplius vinum vſuale; nec quid magis euincunt recitata verba Innocentij III., quod, ſi dixerit. *Quis ambiget aquam in vinum tranſire*, addita ratione, *quia multo vino modicum aquæ infunditur*, hoc intelligendum eſt de tranſitu morali, non phyſico, ad quem tranſitum moralem etiam modicitas aquæ requiritur; nam, ſi multum eiuſdem infunderetur, potius vinum tranſiret in aquam, quam è contra. Secundò ad illud Concilij Trident. dicendum eſt, quod, cum illa aqua commixta vino conſtituat cum eodem vinum vſuale, & totum aggregatum dicatur tale, congruè dixerit idem Concilium *manentibus dumtaxat ſpeciebus vini*, quia, cum ex illa etiam aqua conſtitutum ſit vinum vſuale, omnes ſpecies illius dicuntur ſpecies vini.

19 Argumenta ex rationibus.

Secundò ex rationibus hæc congeruntur argumenta. Primum ex eo deſumitur, quod data noſtra ſententia, quod aqua immediatè conuertatur in ſanguinem, infuſio eiuſdem eſſet ex neceſſitate Sacramenti; illud enim, quod requiritur, vt materia eſt de neceſſitate eiuſdem, &, ſi aqua æquè, ac vinum conuertitur in ſanguinem, vtrumque eſt materia eiuſdem, adeoque vtrumque de neceſſitate. Secundum ex eo deducitur, quod aqua, vt aqua non eſt materia ſufficiens conſecrationis; ſed, niſi prius cõuertatur in vinum, remanet aqua, vt aqua ſubſtantialitèr, ergo non eſt materia apta ad conſecrationem. Tertium, quia aqua roſacea, oleum, alijque liquores, qui ſe ſolis non ſunt materia apta conſecrationis, nec poſſunt eſſe materia conſecrationis, ſi in modica quantitate miſceantur cum vino, ergo etiam, quia aqua elementaris ſecundum ſe non eſt materia apta conſecrationi, nec conſtituetur talis, ſi cum vino commiſceatur, potiſſimum ſi remanet in ſua ſpecie ſubſtantiali aquæ. Sed his omnibus, & ſimilibus facilè reſpondetur.

Ad primum dicendum eſt, aquam conſiderari poſſe dupliciter, vel ſeorſim, & ſecundum propriam rationem præciſè, vel vt mixtam vino, & prout ſimul cum illo conſtituit vinum vſuale; rurſus, materiam Sacramenti eſſe quodamodo duplicem, aliam neceſſariam, aliam ſufficientem; neceſſaria eſt vinum ex vite, ſufficiens aqua commixta vino, prout cum eodem conſtituit vinum vſuale. Quibus poſitis dico, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti, nec ſumpta ſeorſim, nec coniunctim cum vino; non ſumpta ſeorſim, quia ſub tali reſpectu nec eſt materia ſufficiens, nec habilis; non ſumpta coniunctim, quia licet, vt talis conuertatur in ſanguinem, non eſt tamen materia neceſſaria, ſed tantum ſufficiens, quæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, vt videre eſt in peccatis venialibus reſpectu Sacramenti Pænitentiæ, quæ, cum ſint materia ſolummodò ſufficiens, non ſunt de neceſſitate Sacramenti. 20 Soluuntur eadẽ argumẽta.

Ad ſecundum admitto, aquam, vt aquam ſeorſim ſumptam, non eſſe materiam conſecrationis, quia, nec eſt vinum phyſicè, nec moralitèr; aquam autem, vt commixtam in modica quantitate cum vino, eſſe materiam ſufficientem, quia licet in ſpecie phyſica adhuc ſit aqua, eſt tamen in ſpecie morali vinum, quia cum illo conſtituit vinum vſuale.

Ad tertium reſpondet *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 2. § 4. num. 89.*, nec aquam roſaceam, nec oleum, nec alios liquores commixtos vino eſſe ſufficientem materiam conſecrationis, quantumuis in modica quantitate miſceantur, addita etiam ratione, quia vſus obtinuit, vt vinum mixtum aqua habeat ſecundum ſe totum rationem vini vſualis; non ſic vinum mixtum alijs liquoribus. Sed non libentèr in hoc acquieſcerem Cacherano, quandoquidem ex eo, quod modiciſſimum aquæ roſaceæ, vel alterius ſimilis liquoris ſit admixtum multo vino, non ceſſaret hoc eſſe vinum vſuale. Certè ipſe *Cacheranus d. cap. 2. §. 3. num. 48.*, docet vinum conditum aromatibus, quod hypocraticum vocant, eſſe validè conſecrabile, dummodò 21 Modicũ aquæ roſaceæ cõmixtum vino eſt conſecrabile.

P aro.

aromata non ſint in maiori copia, ac ſit ipſum vinum. Rurſus idem *Cacheranus d. cap. 2. §. 4. num. 90.*, aſſerit, quod, ſi modicum furfuris miſceatur cum farina triticea, non obſtante, quod furfur non ſit materia apta ad conſecrationem, validè conſecretur totus panis confectus ex tritico, & furfure, ergo etiam, quantumuis aqua roſacea non ſit ſecundum ſe materia apta conſecrationis ſanguinis, ſi in modica quantitate miſceatur cum vino validè cum eodem vino conſecrabitur, quia non minus eſt extra rationem materiæ cõſecrabilis furfur, ac aqua roſacea, & ſicuti furfur in modica quantitate immixtum farinæ triticeæ, & compactæ conſtituit panem vſualem, ita aqua roſacea in modica quantitate commixta vino non videtur egredi à ratione vini vſualis.

Neque hic audiendi ſunt, qui diſtinguentes inter aquam roſaceam, alioſque liquores, & inter aquam naturalem dicunt, iſtam faciliùs tranſire in vinum vſuale, quia non habet qualitates ſecundas proprias, vndè faciliùs induit qualitates vini, illas verò, cum habeant qualitates ſecundas proprias odoris ſcilicet, & ſaporis, non facilè induere qualitates alienas vini, ac proindè cum illo non conſtituere vinum vſuale. Nec item illi, qui dicunt, aquam modicam, dum vino commiſcetur, diuidi in minutiſſimas partes, & quaſi minuta, quæ, dum atrahuntur à vino, propter modicitatem in ipſius ſubſtantiam tranſeunt. Non, inquam, audiendi ſunt;

22 Solutio argumẽtorum.

non primi, quia, quantumuis aqua roſacea non deperdat per commixtionem cum vino qualitates odoris, non propterea nequit recipere qualitates vini ſecundum colorem, & ſaporem eiuſdem, & conſtituere cum illo vinum vſuale; nec minus diceretur habere nomen, & vſum vini vinum commixtum cum modica aqua naturali, ac commixtum cum modica aqua roſacea; &, ſi Cacheranus non renuit concedere vinum conditum aromatibus in modica quantitate eſſe materiam conſecrabilem, non video, cur vinum commixtum cum modica aqua roſacea non ſit materia talis. Non ſecundi, quia in primis non video, quomodo poſſit fieri illa diuiſio in minutiſſimas illas particulas, potiſſimum, ſi aqua miſceatur immediatè ante conſecrationem, vt contingeret, quando Sacerdos pro illo tempore ſolummodo recordaretur, ſe aquam non appoſuiſſe, nam tunc deberet apponere, & ſtatim conſecrare, vel quando inueniret ſe conſecraſſe in vino corrupto; nam nouum vinum deberet apponere, miſcere aquam, & immediatè conſecrare iterum, quinimmò à poſteriori euincitur, non fieri diuiſionem in illas minutiſſimas particulas, quandoquidem nimio frigore aqua illa vino commixta quandoque congelatur, ita vt extrahi poſſit ſeparata à vino, & vtrique conglutinata, non in modiciſſimas illas particulas, ſed in partes extenſas, & valdè ſenſibiles. Deindè data etiam illa comminutione, & diuiſione in illas modiciſſimas partes, non propterea ſequitur, quod conuertatur in vinum, cum vinum vim non habeat illas conuertendi vt ſupra, quod à poſteriori etiam euincitur ex ſeparabilitate earum à vino.

ARTICVLVS IV.

De cauſa materiali Sacrificij Miſſæ, prout importat complexum ex re ſignificante, & ſignificatione.

SVMMARIVM.

Complexum ex re ſignificante, & ſignificatione. 1.
Subſtratum eſt totum Sacramentum. 2.
Non eſt duplex partialis ſignificatio, altera ratione materiæ, altera ratione formæ. 3.
Sed vna indiuiſibilitèr, & quomodo. 4.
Eſt forma extrinſeca, & moralis. 5.
In ratione rei ſignificantis, & ſignificationis, res, ac verba ſunt partiale Sacramentum. 6.
Soluuntur nonnullæ inſtantiæ oppoſitæ. 7.

Conſiderata materia Sacramenti Euchariſtiæ, prout hoc componitur ex re, tanquam materia, & verbis, tanquam forma, nunc conſideremus idem Sacramentum, prout importat complexum morale ex re ſignificante, & ſignificatione, quod eſt commune omnibus alijs Sacramentis. Pro quo aduerto, quod illud, quod eſt totum comparatiuè ad rem tanquam materiam, & ad verba tanquam formam, ſit materia, ſeu ſubſtratum materiale reſpectu compoſiti reſultantis ex re ſignificante, & ſignificatione; vndè totum Sacramentum ſe habet tanquam materiam, ſignificatio verò tanquam formam. Sic in particulari in ſubiecta materia Euchariſtiæ, de qua loquimur, ipſum Sacramentum conſtans ex pane triticeo, & vino ex vite tanquam materiam, & verbis conſecratorijs tanquam forma, eſt materia, ſeu ſubſtratum alterius compoſiti reſultantis ex re ſignificante, & ſignificatione, & ipſa ſignificatio eſt forma complens idem compoſitum. Hæc autem ſignificatio Sacramentalis eſt ſignificatio practica gratię in Euchariſtia per modum ſpiritualis refectionis. Hæc omnia adeò com-

1 Complexum ex re ſignificãte, & ſignificatione.

2 Quodnã ſit ſubſtratum ſignificationis.

communia ſunt, & certa, vt non videantur indigere vlteriori diſcuſſione.

Solum aliqua difficultas videtur vigere in eo, an, cum Sacramentum Euchariſtiæ, quod dicitur ſubſtratum materiale ſignificationis, conſtet rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ſit quodammodo duplex ſubſtratum partiale duplicis ſignificationis partialis diſtinctæ, adeout prout conſtat re, tanquam materia habeat ſuam ſignifica ionem partialem, prout conſtat verbis habeat aliam ſignificationem partialem diſtinctam à prima, an verò ſe habeat, vt vnicum ſubſtratum ad vnicam formam indiuiſibilem, ſeu ad vnam; & eandem ſignificationem indiuiſibilitèr afficientem totum Sacramentum.

3 Non eſt duplex partialis ſignificatio.

Suarez diſp. 2. ſect. 1. §. ſecundo eſt, cui fauet aliquo modo *Lugus diſp. 2. ſect. 2. num. 42.*, ſuſtinet, eſſe duplex partiale ſubſtratum duplicis partialis ſignificationis tanquam formæ diſtinctæ, adeout materia, ſeu res prius componat cum ſua partiali ſignificatione, & verba cum ſua; & poſtea, dum vniuntur, compleant vnam totalem, & compoſitam ſignificationem; vndè ſpecialitèr loquens de Euchariſtia aſſerit, quod verba ſignificent præſentiam Chriſti, ſpecies verò animæ nutritionem, & vnionem fidelium inter ſe, & cum Chriſto, quæ certè duæ ſignificationes ſunt partialitèr inter ſe diſtinctæ.

4 Eſt vna indiuiſibilitèr.

Caietanus tertia part. quæſt. 60. art. 6., *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 6. dub. 1. §. nihilominus*, *Amicus diſp. 2. ſect. 2. n. 14.*, *Arriaga diſp. 2. ſect. 2. ſubſect. 3.*, *Madernus quæſt. 1. art. 7.*, *Cacheranus tom. 3. tract. 8. de Sacram. in genere cap. 1. § 4. num. 60.*, docent, ſubtratum ex rebus, & verbis coaleſcens componere indiuiſibilitèr cum ſignificatione, tanquam cum vnica forma prorſus indiuiſibili.

Huic ſecundæ opinioni tanquam communiori adhærendum exiſtimo. Ratio multiplex eſſe poteſt, primò, quia res, & verba, quibus conſtituitur Sacramentum, ſunt tanquam duæ cauſæ partiales, etherogeneæ concurrentes ad cauſandam gratiam per modum refectionis ſpiritualis, in qua conſiſtit Sacramentalis ſignificatio, ſed regularitèr cauſæ partiales etherogeneæ concurrunt ad cauſandum effectum indiuiſibilitèr, vt videre eſt in intellectu, & lumine gloriæ concurrentibus ad producendam viſionem beatificam, & in potentia intellectiua, & ſpecie in ordine ad actum intellectus, ergo &c. Secundò, quia ſignificatio habetur præciſè ex inſtitutione Chriſti Domini; inſtitutio autem Chriſti vnica eſt, & indiuiſibilis reſpectu materiæ, & formæ ſimul, nec Chriſtus diuiſim materiæ tribuit vnam ſignificationem, alteram formæ, ergo &c. Tertiò, quia poſita ſola materia, vel ſola forma ſeorſim non ponitur ſignificatio gratiæ practica; nam poſita v. gr. ſola ablutione in Sacramento Baptiſmatis ſine prolatione verborum Sacramentalium, nil penitus gratiæ cauſatur, poſita prolatione verborum ſine ablutione nil penitus efficitur in ordine ad hanc ſignificationem, quod idem dic in alijs Sacramentis, ergo indiuiſibilitèr ab vtroque hæc practica gratiæ cauſalitas, ſeu ſignificatio habetur. Hoc etiam videtur cognouiſſe Suarez contrariæ ſententiæ aſſertor loco citato, dum dicit, has partes eſſentiales non habere propriam ſignificationem Sacramentalem, niſi in ordine ad totum, quod componunt, in quo ſenſu aſſerit poſſe dici indiuiſibilem.

Neque obeſſe poteſt primò, ſi aſſeratur, quod eadem indiuiſibilis ſignificatio non poſſit afficere duas entitates ſecundum ſe diſtinctas, cum indiuiſibile accidens ne queat eſſe in duobus diſtinctis ſubiectis; ſignificatio autem in ordine ad res, ſupra quas cadit, comparatur tanquam accidens, ergo, cum materia, & forma, ſupra quas cadit, ſint duæ diſtinctæ entitates, non poſſunt affici vnica indiuiſibili ſignificatione, ſed vnaquæque debet ex ſe habere ſuam partialem ſignificationem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non valet argumentum ab accidente indiuiſibili phyſico ad formam moralem, qualis eſt ſignificatio Sacramentalis; hæc etenim eſt entitatiuè extrinſeca ſuo ſubiecto, & ſolum æquiualentèr intrinſeca; forma autem extrinſeca poteſt denominare res diſtinctas, puta viſio eadem diuerſas res viſas. 5 Non eſt accidens phyſicum ſed forma moralis.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi dicatur, quod in Sacramentis res, quæ ſe habet, vt materia, poſſit dici partiale ſignum, & Sacramentum, & item verba, quæ ſe habent, vt forma, ergo vnaquæque debet habere ſecundum ſe partialem Sacramentalitatem, & partialem ſignificationem, ergo hæc ſignificatio eſt duplex partialis, ſecundum quod materia, & forma ſunt duæ partes dinſtinctæ. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Sacramentum poteſt dupliciter ſumi, vel quatenus conſtat ex verbis, & rebus tanquam forma, & materia, vel quatenus conſtat ex re ſignificante, & ſignificatione; ſi primò modò ſumatur, tunc dico, componentia, ſeu materiam, & formam, ſi ſeorſim ſumantur, habere quidem ſuam ſignificationem naturalem, & ſolum Sacramentalem fundamentalitèr, non verò Sacramentalem ſimplicitèr, quia hanc habent ſolummodò dependentèr ab inſtitutione Chriſti, qui non reſpicit eaſdem ſecundum 6 Res, & verba in ratione complexi ſignificationis ſũt partiale Sacramẽtum.

 ſe,

ſe, ſed prout ſimul ſumptæ conſtituunt totum; ſi ſecundò modo ſumatur, res & verba ſeorſim non poſſunt dici partiale ſignum, nec partiale Sacramentum, nam ſub hac conſideratione ſolum res, & verba ſimul ſumpta habent rationem partialis Sacramenti, quatenus important rem ſignificantem, quæ ſe habet, vt pars comparatiuè ad ſignificationem; cæterum ſola materia, ſeu ſola forma ſecundum hanc acceptionem non ſunt, niſi pars partis Sacramenti, non pars eiuſdem Sacramenti, nec poſſunt cum Sacramentali ſignificatione componere.

7 Soluuntur argumenta oppoſita.

Neque obeſſe poteſt tertiò, ſi dicatur, materiam in Sacramentis ſe habere per modum partis determinabilis, formam verò per modum partis determinantis, quę determinabilitas, & determinatio ſunt in genere ſignificationis, ergo forma habet ſecundum ſe ſignificationem determinantem, materia determinabilem, adeoque diſtinctas, cum determinans, & determinabile ſint relatiua, quæ non poſſunt eſſe ad idem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia admiſſo, quod materia habeat rationem determinabilis, & forma determinantis, & quidem etiam in ratione ſignificationis, dico hoc ſolum verificari in ratione ſignificationis naturalis, & ex hominum inſtitutione, non autem ſignificationis Sacramentalis, & ex Chriſti Domini inſtitutione; quod ſic explico in præſenti materia Euchariſtiæ. Panis enim, & vinum ſecundum ſe habent rationem cibi, & potus, & verba determinant ad rationem ſpecialis cibi, & potus; ex ſpeciali tamen Chriſti inſtitutione aliam habent ſignificationem refectionis ſcilicet ſpiritualis animæ, quæ habetur per gratiam Sacramentalem; primam habent ex genere ſuo; & vtraque eſt diſtincta in ſuis partibus diſtinctis, determinabilitas ſcilicet in materia, & determinatio in forma; ſecundam autem non habent, niſi ſimul ſumantur, qua ratione ſe habent ſimul, vt ſubſtratum ſignificationis Sacramentalis, quæ dependet ex inſtitutione Chriſti Domini, quæ vnica eſt, & indiuiſibilis.

Quod, ſi vrgeas, quod materia, & forma debeant ſignificare, quatenus ſunt conſtitutiua Sacramentorum, ad quam rationem impertinentèr ſe habeat ſignificatio naturalis ex hominum inſtitutione, ergo illa ſignificatio naturalis incongruè eſt adducta ad infringendum obiectum illius determinabilitatis in materia, & determinatiuitatis in forma, ſed debet ſupponi in vtraque determinabilitas, & determinatio in ratione ſignificationis Sacramentalis, & ex inſtitutione Chriſti; ſtatim impugnaberis, quia fateor quidem, quod debeant ſignificare, prout ſunt conſtitutiua Sacramenti, nego autem, quod impertinentèr ſe habeat illa ſignificatio naturalis ad conſtitutionem Sacramenti, prout ſumitur tanquam coaleſcens ex rebus, & verbis, & prout conſtituit ſubſtratum ſignificationis Sacramentalis; vndè repeto, quod duplex in Sacramento Euchariſtiæ conſideretur complexum, alterum ex rebus, & verbis, alterum ex ſe ſignificante, & ſignificatione; primum eſt ſubſtratum ſecundi, & ſe habet tanquam materia ipſius; ſecundum eſt aggregatum ex primo, & ſignificatione Sacramentali. Primum habet quidem ſuam ſignificationem naturalem reſultantem ex ipſis partibus. Secundum ſignificationem Sacramentalem reſultantem ex Chriſti inſtitutione; ſignificatio in primò eſt quidem diſtincta ſecundum diſtinctionem partium; in ſecundò verò indiuiſibilis; ſicuti inſtitutio ipſa eſt talis.

ARTICVLVS V.

De cauſa materiali, & ſubiectiua effectus Sacrificij Miſſæ in ordine ad viuentes.

SVMMARIVM.

Varij ſtatus viuentium. 1.
Varij effectus ſacrificij remiſſiuè. 2.
Prodeſt omnibus viuentibus baptizatis non ſeparatis ab Eccleſia. 3.
Etiam paruulis, & energumenis. 4.
Diuerſis tamen diuerſimodè prodeſt, & quomodo. 5.
Excommunicati alij denuntiati, & vitandi, alij non denuntiati, & tolerati. 6.
Quaſnam perſonas ræpræſentet Sacerdos in ſacrificio Miſſæ. 7.
Pro excommunicatis vitandis nomine Eccleſiæ non poteſt offerre. 8.
Poteſt tamen nomine proprio, & priuato. 9.
Sententia aſſerens, poſſe pro illis Sacerdotem offerre, vt miniſtrum Chriſti. 10.
Sententia negans præfertur. 11.
Sententia aſſerens pro excommunicatis toleratis poſſe offerri. 12.
Sententia negans exponitur. 13.
Probabilius in perſona Chriſti, & Eccleſiæ non poteſt. 14.
Pro fidelibus non baptizatis, & pro infidelibus non baptizatis poteſt prodeſſe quoad fructum impetratorium. 15.
Etiam oblatione directa. 16.
Sacrificia veteris legis offerebantur etiam pro infidelibus. 17.
Satisfit rationibus contrarijs. 18.
Etiam eiſdem prodeſſe poteſt oblatione indirecta, & quomodo. 19.

Quæ

1 Varij ſtatus viuentium. QVærere quænam ſit cauſa ſubiectiua effectus Sacrificij Miſſæ, idem eſt, ac quærere, pro quonam Sacrificium Miſſæ poſſit offerri. Illi autem, de quibus procedere poteſt difficultas, an poſſit pro illis offerri, vel ſunt viuentes, vel defuncti. In ordine ad defunctos ſermo erit in ſubſequenti articulo. In hoc latè agemus de viuentibus, quorum alij ſunt fideles, alij infideles. Rurſus fideles alij ſunt iuſti, alij peccatores. Rurſus peccatores alij poſſunt eſſe intra gremium Eccleſiæ, alij extra gremium eiuſdem, quatenus excommunicati. Rurſus exiſtentes extra gremium Eccleſiæ, quatenus excommunicati, vel ſunt tales tolerati, & non publicè denuntiati, vel non tolerati, & publicè denuntiati. Loquendo de infidelibus, alij ſunt tales, quia nec credunt, nec ſunt baptizati, alij, quia non ſunt baptizati, attamen credunt, cuiuſmodi ſunt Catechumeni, alij ſunt iuriſdictioni Eccleſiæ ſubiecti, cuiuſmodi ſunt Apoſtatæ à fide, quam profeſſi fuerunt, alij extra iuriſdictionem ſpiritualem, & directam Eccleſiæ, vt Iudæi, & reliqui omnes non baptizati. De his omnibus procedit titulus.

2 Diuiſio ſacrificij quoad effectus remiſſiuè. Hic recolenda veniunt ea omnia, quæ diximus in præcedentibus de ſacrificio, vt propitiatorio, ſatisfactorio, & impetratorio, eorumque effectibus, vt poſſimus diſtinguere, an eorum effectus ſingulis ſinguli, an aliqui dumtaxat aliquibus, alij alijs poſſint prodeſſe.

Aſſertio I. Miſſæ ſacrificium offerri poteſt pro vniuerſa militante Eccleſia, & omnibus membris eius, hoc eſt pro baptizatis viuentibus, qui non ſint ſegregati ab eadem Eccleſia per excommunicationem, vel per Apoſtaſiam à fide. Eſt communis Teologorum ſententia, à qua neminem arbitror diſſentiri.

3 Prodeſt omnibus viuentibus baptizatis nō ſegregatis ab Eccleſia. Expreſsè hoc definitur primò à *Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 1.* Secundò *ex Canone Miſſæ*. Ibi *In primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica*, & ex verbis ſubſequentibus eiuſdem, *& pro omnibus Orthodoxis atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus*, quæ definitiones, & aſſerta non ſolum important poteſtatem in Sacerdotibus ſic offerendi, ſed etiam neceſſitatem, & obligationem; nec ſolum reſpiciunt fideles adultos, ſed etiam paruulos, & energumenos; nam licet paruuli, vtpotè carentes reatu pænæ, ſint incapaces fructus ſatisfactorij, non ſunt tamen incapaces impetratorij, ratione cuius eiſdem obuenire poſſint bona temporalia, & protectio Dei extrinſeca, quin etiam aliqua dona gratiæ opportuno tempore eis conferenda; impetratio etenim poteſt etiam reſpicere futura. Quoad energumenos ex eo euincitur, quia ipſi ex eo, quod ſint ta- 4 Etiam paruulis, & energumenis.
les, non afficiuntur aliqua culpa, nec excluduntur ab Eccleſiæ gremio. Solum aliquid negotij faceſcere videtur aduerſus ipſos *Concil. Elibertinum Can. 19.*, vbi dicitur. *Ne illorum nomina ad Altare cum oblatione recitentur.* Sed hic Canon intelligendus eſt non de omnibus energumenis, ſed de illis, qui propter publica peccata traditi erant poteſtati Dæmonis, & vtique de his ad ſummum procedit, nam de alijs in eodem *Concilio Can. 27.*, dicitur non eſſe illis negandam communionem, &, ſi non erat neganda communio, cur debebat denegari eiſdem participatio ſacrificij? Quod, ſi dixeris, quod peccatoribus ob peccata non denegatur applicatio ſacrificij Miſſæ, ideoque, ſi in dicto Concilio eiſdem etiam, vt peccatoribus denegatur, ſit denegatio ob aliam rationem à publicis peccatis; tunc dicam, hoc fuiſſe ſpecialitèr in dicto Concilio decretum, non quatenus eſſent à publica oblatione excludendi, ſed quatenus de illis in publica Oratione, ſeu ſacrificio non erat facienda nominata, & ſpecialis mentio propter aliquam decentiam, & ob aliquod ſcandalum, quod tunc vrgere potuerit, ſed modo tale decretum, nec eſt obſeruatum, nec in vſu.

Quamuis autem pro omnibus fidelibus, & poſſit, & debeat offerri, non tamen 5 Diuerſis diuersè prodeſt.
omnibus eodem modo poteſt, & debet prodeſſe. Primò iuſtis prodeſſe poteſt, & quatenus propitiatorium quoquo modo, & quatenus ſatisfactorium, & quatenus impetratorium; quatenus propitiatorium cauſando in eiſdem, ſeu excitando ad actus, quibus augmentum gratiæ diſpoſitiuè, & meritoriè conſequantur; quatenus ſatisfactorium producendo remiſſionem pænæ temporalis; quatenus impetratorium obtinendo conſecutionem bonorum temporalium; horum etenim omnium effectuum capax eſt iuſtus; quinimmò, vt propitiatorium conferre poteſt ad remiſſionem peccatorum venialium iuxtà modum, quem in præcedentibus commendauimus. Secundò fidelibus in peccatis læthalibus exiſtentibus prodeſſe poteſt, vt propitiatorium quoad remiſſionem peccatorum læthalium excitando ſcilicet ad actus pænitentiæ per actualia auxilia, medijs quibus conſequantur primam gratiam remiſſiuam eorundem, & etiam, vt impetratorium obtinendo bona temporalia, extrinſecam Dei protectionem &c., non tamen, vt ſatisfactorium ſaltem directè, quia pæna non remittitur exiſtente culpa læthali; vnde prius delenda eſt culpa, antequam pæna remittatur. Tertiò energumenis, ſi fuerint iuſti, & in gratia pro-

deſſe

deſſe poteſt ſecundum omnem rationem, & reſpectum, ſi verò peccatores, iuxta modum, & rationem, ſecundum quem, ſeu quam prodeſt cæteris peccatoribus fidelibus. Quartò infantibus ſolum ſecundum eſſe impetratorium, vt ſupra.

6 Excommunicati in duplici ſtatu.

Dixi in aſſertione, *qui non ſint ſegregati ab eadem Eccleſia, vel per excommunicationem, vel per apoſtaſiam à fide*; pro quarum particularum clariori diſcuſſione aduertendum eſt, excommunicatos eſſe in duplici differentia, alios excommunicatos nominatim denuntiatos, & vitandos, alios non denuntiatos ſpecialitèr, & non vitandos, ſed toleratos. Secundò aduertendum eſt, Sacerdotes ſacrificantes quaſi triplicem perſonam gerere, aliam Chriſti, aliam Eccleſiæ, aliam propriam. Gerit perſonam Chriſti, quatenus offert, vt miniſter Chriſti, & eius nomine, & ſub hac conſideratione applicat fructum pro eo, pro quo offert, prouenientem ex meritis Chriſti, & ex opere operato: Gerit perſonam Eccleſiæ, quatenùs ab eadem eſt deputatus, vt nomine publicò offerat, & oret, & ſub hac conſideratione applicat fructum prouenientem ex dignitate, & meritis Eccleſiæ, cuius nomine offert. Gerit perſonam propriam, quatenus offert, & orat, vt perſona priuata, & nomine proprio. Rurſus Apoſtatæ à fide computantur tanquam infideles baptizati, qui modo ipſo facto intelliguntur excommunicati, quamuis antiquitùs tales non eſſent per ea, quæ notat *Vaſquez diſputat. 227. cap 4. num. 28.*

7 Sacerdos triplicem perſonã gerit.

8 Pro excõmunicatis vitandis non poteſt offerre nomine Eccleſiæ.

Quibus ſuppoſitis, ſi loquamur de excommunicatis nominatim denuntiatis, & vitandis, certum eſt, Sacerdotem, vt miniſtrum Eccleſiæ, & nomine eiuſdem non poſſe pro ipſis applicare fructum prouenientem ab eadem Eccleſia, in quo ſenſu verificatur exceptio poſita in aſſertione: *Qui non ſint ſegregati ab eadem Eccleſia per excommunicationem*. Ratio autem ea eſt, quia ex eo, quod ſint ab Eccleſia ſegregati, intelliguntur priuati communibus fidelium conſtituentium Eccleſiam ſuffragijs, adeout non poſſint in ſacris cum illis communicare, prout habetur *in cap. 2. & cap. ſacris de ſentent. excommunicat.*, ergo Sacerdos, vt miniſter Eccleſiæ, non poteſt pro illis applicare. Dixi, *vt miniſtrum Eccleſiæ, & nomine eiuſdem*; ſed, an poſſit in perſona propria, & priuata, & nomine proprio applicare, & pro illis orare; conſentiunt communitèr poſſe, & ſignantèr *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 4. §. 4. num. 68., Madernus tract. 3. de Euchariſtia ſacrificio quæſt. 8. de ſacrificio Miſſæ art. 4. num. 12.*, quia illa oblatio priuata; ſeu oratio nomine pro-

9 Benè nomine proprio, & priuato.

prio Sacerdotis non cadit ſub prohibitione Eccleſiæ; ſicuti enim non prohibetur Sacerdos orationes priuatas offerre pro ſic excommunicatis, ita nec videtur prohiberi offerre nomine proprio, & priuato illud ſacrificium, quod ſolum proderit quoad impetrationem. Sed, an poſſit offerre pro illis, vt miniſter Chriſti Domini, & nomine eiuſdem? Res eſt ſub diſſidio. Affirmant *Lugus diſp. 19. ſect. 10.*, *Hermez diſp. 8. ſect. 5. num. 61.*, *Arriaga diſp. 52. ſect. 4. num. 12.*, *Cacheranus de Euchariſtia, vt ſacrificio tract. 9. cap. 4. §. 4. num. 78.* Mouetur Cacheranus præcipuè ea ratione, quia ex vna parte excommunicatus non debet eſſe deterioris conditionis ab infideli non baptizato, ſiquidem ipſe non eſt ſimplicitèr extra Eccleſiam; cum retineat caracterem, qui eſt diſtinctiuus ab ijs, qui Eccleſiam non ſunt ingreſſi; ex alia parte cum ea, quæ agit, vt miniſter Chriſti, & in perſona eiuſdem non dependeant ab Eccleſia, nec dependere poſſunt ab eadem quoad validè, & vtilitèr fieri, & applicari; vndè ad ſummum illicitè applicabit, quia contra prohibitionem Eccleſiæ, non autem inualidè, & inutilitèr. Negat *Vaſquez diſp. 227. cap. 3. num. 26.* cum alijs nonnullis ab eodem allegatis; quos his rationibus moueri arbitror; primò, quia ex vi excommunicationis priuantur communibus ſuffragijs, & communicatione publica bonorum ſpiritualium; fructus autem ſacrificij, prout applicabilis à Sacerdote, vt miniſtro Chriſti, & nomine eiuſdem, denegari non poteſt, quin connumeretur inter publica bona, & ſuffragia. Secundò, quia inualida eſt applicatio ſacrificij facta à Sacerdote celebrante contra voluntatem ſuperioris, prout docent *Corduba lib. 1. quæſt. 3. opin. 5.*, *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. allegat. 24. num. 28.*, *Gauantus in rubr. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 28.*, *Marchinus de Sacrament. Ord. tract. 3. part. 2. cap. 33.*, ergo etiam inualida erit, & inutilis applicatio facta à Sacerdote pro excommunicato vitando; ſiquidem hoc eſt contra voluntatem Eccleſiæ prohibentis fieri huiuſmodi applicationem. Probabilius arbitror inualidam fore, & inutilem talem applicationem. Non moueor ratione ſecundo loco adducta pro ſententia negante, quandoquidem in præcedentibus latè docui, Sacerdotem applicantem ſacrificium pro determinata perſona contra voluntatem ſuperioris, qui applicat pro alia, validam eſſe, & vtilem ei, pro qua applicat; ſed ideò moueor, quia Eccleſia per excommunicationem maiorem nominatè denuntiatam reddit inhabilem excommunicatum perceptione, & communicatione ſacrorum; & quidem non

10 Sententia aſſerens nomine Chriſti poſſe pro illis offerri.

11 Sententia negãs prefertur

non ſolum, prout talia ſacra inſtituta ſunt ab Eccleſia, ſed etiam prout inſtituta à Chriſto Domino, vt videre eſt in effectibus, & fructibus Sacramentorum, quorum incapax eſt excommunicatus nominatim denuntiatus non obſtante, quod fructus illi, ſeu effectus proueniant ex inſtitutione Chriſti Domini; nec valet in hoc paritas de Sacerdote applicante contra voluntatem ſuperioris, quia ſuperior licet præcipiat applicationem pro alio, & fortè ipſe pro illo alio applicet, non tamen ipſum reddit inhabilem, ſicuti reddit excommunicatio; Nec magis officit, quod eſſet deterioris conditionis, ac infidelis non baptizatus. Non officit, inquam, quia mirum non debet apparere, quod Eccleſia pænis afficiat eos, qui ſibi ſubditi facti ſunt, & intra eius gremium fuerunt benignè recepti, & poſtea immemores beneficij ab ea declinarunt, & non afficiat eos, qui nunquam in ipſius gremium fuerunt recepti, cum potiſſimum in eos nullam habeat iuriſdictionem, vndè, cum Chriſtus Dominus eos non excluſerit, quinimmò pro omnibus ſacrificium ſui in Cruce obtulerit, nec Eccleſia per ſpecialem prohibitionem prohibuerit pro ipſis hoc ſacrificium offerri, nõ eſt, cur debeant tali beneficio priuari. Hinc DD. communitèr afferunt pro infidelibus poſſe hoc ſacrificium offerri, dummodò, ſi fuerint baptizati, per Eccleſiam excommunicati non ſint, de quibus latè nos infra diſcurremus.

12 Pro toleratis ſecūdum aliquos poteſt offerri.

Si loquamur de excommunicatis toleratis, & non vitandis. Affirmant *Nauarrus in manuali cap. 27. num. 36.*, *Hugolinus de cenſur. tab. 2. §. 2.*, *Henriquez lib. 13. cap. 11.*, *Coninchus diſp. 14. de excommun. dub. 6. num. 40.*, *Lugus diſp. 19. num. 187.*, & alij, qui pluribus rationibus mouentur; primò, quia viri integræ, & timoratæ conſcientiæ ſacrificia offerunt pro prouincijs hæreticis, ergo à fortiori poterunt offerre pro excommunicatis toleratis. Secundò, quia excommunicati occulti poſſunt in loco ſacro ſeruatis Eccleſiæ ritibus ſepelliri, ergo &c. Tertiò, quia admittuntur in Eccleſia cum alijs fidelibus non excommunicatis, dum Miſſa celebratur. Quartò, quia licitum eſt cum eiſdem officium Diuinum recitare.

13 Secundū alios non poteſt.

Negant verò pro eiſdem poſſe ſacrificium offerri *Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 17. punct. 1.*, *Suarez tom. 5. diſp. 9. ſect. 1.*, *Vaſquez de excommunicatione dub. 2. num. 3.*, *Arriaga diſp. 52. ſect. 4.*, *Marchinus de Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 8.*, qui etiam omnes pluribus rationibus mouentur; primò, quia excommunicatio ex genere ſuo, ſi fuerit maior, priuat excommunicatum participatione communium ſuffragiorum ſpiritualium, nec ab hac communi regula excipitur ex eo, quod non ſit vitandus, quandoquidem hæc qualitas efficit quidem, quod non eximatur à communi hominum conſortio, non autem eidem tribuit ius participandi in Diuinis, & in communibus ſuffragijs, cæteroqui eſſet excommunicatus, vt ſupponitur; non eſſet excommunicatus, quia communicaret in omnibus Eccleſiæ ſuffragijs. Secundò, quia, quantumuis Concilium Conſtantienſe non damnet communicantes cum huiuſmodi excommunicatis toleratis, nec præcipiat eoſdem vitari, non tribuit tamen ius eiſdem excommunicatis communicandi de communibus Eccleſiæ ſuffragijs, quinimmò proteſtatur, ſe nolle eiſdem fauere, ergo, ſi non intendit eiſdem fauere, nec reddit eoſdem participes communium Eccleſiæ ſuffragiorum, quorum præcipuum eſt Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Quid iam in hoc concludendum? Dico primò, Sacerdotem tanquam perſonam priuatam vtique poſſe pro illis ſacrificium offerre, & applicare. Deducitur in fortioribus terminis ex ijs, quæ dicta ſunt de excommunicatis non toleratis, & vitandis, ſi etenim pro iſtis a Sacerdote, vt priuata perſona poteſt offerri, cur non poterit offerri pro excommunicatis non vitandis? Dico ſecundò, Sacerdotem, nec, vt miniſtrum Chriſti, nec, vt miniſtrum Eccleſiæ probabilius poſſe pro huiuſmodi excommunicatis offerre.

14 Probabilius in perſona Chriſti, & Eccleſiæ non poteſt.

Ratio eſt, quia priuatio communium ſuffragiorum Eccleſiæ, & inhabilitas ad ipſa habetur præcisè ex eo, quod ſit excommunicatus excommunicatione maiori, cum ſit primarius effectus eiuſdem, non ex eo præcisè, quod ſit vitandus, nam, quod non ſit vitandus, efficit quidem, quod alij communicare poſſint ſine noxa cum ipſo, non autem, quod ipſe poſſit communicare in Diuinis. Nec officiunt ea, quæ pro contraria ſententia afferebantur; Non primum, quia pro hæreticis, ſi fuerint valide baptizati, ſacrificium offertur non directè, ſed indirectè, quatenus offertur pro dilatatione, & pro purgatione Eccleſiæ, ex qua conſequitur bonum eorundem hæreticorum; Non ſecundum, quia, ſicuti ex eo, quod non ſint vitandi, admittuntur in viuorum fideliũ commertijs, nec ab Eccleſia excluduntur, ità, nec videntur excludendi à conſortio mortuorum, & licet preces fundantur, illis tamen non proſunt; Non tertium, quia, licet admittantur in Eccleſia, dum ſacrum peragitur, non participant tamen de fructu eiuſdem; nec Sacerdos, quando dicit: *Et omnium circunſtantium*, intendit pro circunſtantibus quibuſcunque offerre, ſed pro capacibus, & pro illis, quorum

fides

fides Deo cognita eſt, & nota deuotio. Non quartum, quia licet admittantur in huiuſmodi extrinſecis actionibus propter ipſorum tolerantiam, non propterea cum fidelibus de earũ fructibus participant &c.

Sub hac doctrina, quæ de excommunicatis maximè vitandis lata eſt comprehenduntur etiam infideles baptizati, ſeu apoſtatæ à fide, cum iſti ipſo facto, & iure ſint excommunicati, vt ex Vaſquez ſupra allegato retulimus.

15 Quomodo poſſit prodeſſe non baptizatis. Aſſertio II. Pro fidelibus non baptizatis, cuiuſmodi ſunt Catechumeni, & pro infidelibus item non baptizatis, cuiuſmodi ſunt Iudæi, Pagani, alijque ſimiles vtiliter poteſt offerri ſacrificium Miſſæ, quoad fructum impetratorium, *Suarez diſp. 73. ſect. 2. verſ. dico tertio, Gonetus diſp. 11. art. 3., Madernus tract. 3. de Euchariſtiæ Sacrament. quæſt. 8. art. 5. nu. 20., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 4. §. 4. num. 69.*, & alij plures apud eundem contra *Sotum in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 7. ad ſecundum, Chamerotam de ſacrific. Miſſæ dub. 11., Marchinum de Sacrament. Ord. tract. 3. part. 2. c. 7.*

16 Etiam oblatione directa. Procedit aſſertio, tam de oblatione directa, quam indirecta. Probatur iam primo quoad oblationem directam, quia hæc oblatio, nec eſt vetita de iure Diuino à Chriſto Domino, nec ab Eccleſia, nec eſt ex genere ſuo mala. Non à Chriſto Domino, quia nullibi reperitur diſpoſitum de hac prohibitione, quinimmò Chriſtus Dominus ſacrificium Crucis, cuius ſacrificium Miſſæ eſt repræſentatiuum, pro omnibus obtulit etiam infidelibus, vt habet *Apoſtolus prima ad Timotheum 2.* Ibi: *Vnus mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, qui tradidit ſe ipſum pro omnibus*, & alibi, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*; Non ab Eccleſia, quia reperitur quidem, quod ab Eccleſia fuerit prohibita huiuſmodi oblatio pro excommunicatis, & ſegregatis ab ipſa, etiam per apoſtaſiam à fide, non autem pro infidelibus, qui numquam fuerunt intra ſepta eiuſdem Eccleſiæ; quin potius eadem Eccleſia quandoque pro eiſdem publicè, & ſolemniter orat, vt in Officio feriæ ſextæ in Paraſceue. Non eſt ab intrinſeco mala, quia malitia, nec reſultat ex obiecto, nec ex fine; non ex obiecto, quia ipſi infideles ſunt charitate diligendi; non ex fine, cum hic alius non ſit, quam eorum conuerſio, vel collatio bonorum, ex quibus moueri poſſint ad conuerſionem, ergo huiuſmodi oblatio nullo iure eſt vetita.

Confirmatur, quia ſacrificium Miſſæ eſt magis vniuerſale, ac fuerint ſacrificia veteris legis, ſed ſacrificia veteris legis offerebantur pro infidelibus, hoc eſt pro gentibus, quæ à lege veteri declinabant; ſic primo *Eſdræ 6.* offerebatur pro Dario; primo *Machab. 12.* pro Spartiatis, tertio *Machabeorum 3.* pro Eliodoro, ergo, & ſacrificium Miſſæ offerri poteſt pro infidelibus. 17 Sacrificia veteris legis offerebantur etiá pro infidelibus.

Adde, quod Eccleſia ipſa conſueuit antiquis temporibus offerre pro infidelibus, vt habetur ex *Clem. Romano lib. 8. Conſtitut. cap. 6.*, vbi agens de precibus, quæ in ſacrificio Miſſæ intercedebant, expreſsè habet *Omnes pro Catechumenis Deum obſecramus*; item ex *Tertuliano ſacrificamus pro Imperatoribus*, qui erant Gentiles, & hinc eluditur ſenſus Vaſquez dicentis, Eccleſiam quidem conſueuiſſe pro infidelibus orare, non tamen pro illis offerre ſacrificium, eluditur, inquam, quia ibi non dicitur præcisè oramus, ſed *ſacrificamus*.

Neque obeſſe poteſt id, quod ex *D. Auguſtino lib. 20. de anima cap. 9.* circumfertur. Ibi: *Quis enim offerat Corpus Chriſti, niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* Membra autem Chriſti ſunt ſolum fideles baptizati, ergo ſolum pro fidelibus baptizatis poteſt offerri. Accedit, quod infideles ſunt incapaces fructus Sacramentorum, ergo, & fructus ſacrificij. Non, inquam, obeſſe poteſt; quia verba D. Auguſtini intelligenda ſunt de infidelibus defunctis in infidelitate, qui non ſunt capaces alicuius fructus, non autem de viuentibus, qui non ſolum capaces ſunt bonorum temporalĩũ, ſed etiam conuerſionis, & habilitationis ad ſpiritualia. Ad illud, quod ſubditur, fateor infideles eſſe incapaces Sacramentorum, & eorum fructus, nego autem eſſe incapaces fructus ſacrificij, quia ad alia Sacramenta Baptiſmus eſt ianua, ſine qua ad ipſa perueniri non poteſt; ſacrificium autem vtpotè vniuerſalius eſt pro omnibus inſtitutum. Neque vrgeas, quod Baptiſmus non ſolum ſit ianua Sacramentorum, ſed etiam ianua, per quam fit ingreſſus in Eccleſiam; ſacrificium autem Miſſæ non minus, ac Sacramenta inſtitutum eſt pro Eccleſia; contra enim impugnaberis, quia re vera non minus Chriſtus Dominus inſtituit noua Sacramenta, quam nouum ſacrificium pro ſua Eccleſia, ſi loquamur de cauſa actiua, & effectiua eorundem, (excepto Sacramento Baptiſmatis, quod, cum ſit ianua cæterorum, poteſtatem reliquit illud conficiendi cuicunque etiam infideli,) quia non poteſt confici, nec propriè offerri, niſi à Sacerdotibus ingreſſis in Eccleſiam per baptiſmum; ſecus autem, ſi loquamur de cauſa materiali, & ſubiectiua. Ratio huius diuerſimodæ diſpoſitionis ratione cauſæ ſubiectiuæ quoad Sacramenta nouæ legis, & ſacrificium nouum Miſſæ, ea eſt, quia Chriſtus ex ſua ineffabili prouidentia non ſolum conſulere vo- 18 Soluuntur rationes oppoſitæ.

luit

luit Eccleſiæ ſuæ de remedijs, quibus ipſa foueri, & conſeruari poſſet, quod præſtitit per inſtitutionem Sacramentorum, ſed etiam de remedijs, quibus poſſet dilatari, & ad ſe infideles atrahere, vt fieri poſſet vnum ouile, & vnus paſtor, quod præſtitit per inſtitutionem huius ſacrificij, quod ipſe in Cruce obtulit pro omnibus; nec debet arbitrari, hoc gratis excogitatū, quandoquidem ex modo inſtitutionis hoc ſatis clarè colligitur. In inſtitutione etenim Sacramentorum ſolos Apoſtolos adhibuit in vltima cæna, quibus etiam poteſtatem contulit ea conficiendi, & licet etiam hoc ſacrificium inſtituerit ſolis Apoſtolis extantibus, hoc præſtitit non ſolum, vt ſe ipſum illis conferret, vt Sacramentum, ſed etiam, vt poteſtatem conferret illud conficiendi; cæterum illud inſtituit, vt eſſet rammemoratiuum, ſeu memoriale ſacrificij cruenti, quod mox erat litandum in Cruce, vndè ſubdidit, *quod tradetur, qui pro vobis effundetur, & pro multis*, & ſic retulit ad iſtud; hoc autem pleno populo extra Ciuitatem obtulit pro omnibus; vndè dicitur per Apoſtolum *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*. In hanc reſponſionem conſentire videntur *Lugus disp 19 ſect. 10.*, *Arriaga disp. 52 ſect. 3.*, dum explicantes id, quod antiquitus præſtabat Diaconus, dum ante offertorium clamabat, *ſi quis Catechumenus eſt, recedat*, dicunt Eccleſiam eos conſueuiſſe reijcere, quia non ſunt capaces offerendi cum Sacerdote, (& hoc confirmat, quod nos ſupra dicebamus, quod quoad cauſam effectiuam ſolum inſtituerit pro Eccleſia, eidemque ſolum facultatem conceſſerit conficiendi) non quia non eſſent capaces, vt pro illis offerretur.

19 Etiam oblatione indirecta

Quoad oblationem indirectam ſic probatur; non eſt illicitum offerre ſacrificium pro dilatatione, & propagatione Eccleſiæ Dei, quinimmò hoc maximè commendatum, & vſu receptum in Eccleſia, ſic in liturgia D. Iacobi oratur pro extirpanda hæreſi, in liturgijs D. Baſilij, & Chryſoſtomi hæc expreſsè habentur. *Domine miſerere orbis terrarum, errantes reuoca, diſperſos congrega*; in oblatione Calicis ſine vlla reſtrictione dicitur: *vt pro totius Mūdi ſalute cum odore ſuauitatis aſcendat*; in *Miſſali Romano extat ſpecialis Miſſa ad tollendum Schiſma &c.* Sed ex hac dilatatione, & propagatione Eccleſiæ, & fidei, pro qua directè offertur ſacrificium, conſequitur indirectè bonum, & vtilitas infidelium; ergo &c.

Hoc tamen verum eſt, quod pro huiuſmodi infidelibus ſacrificium oblatum non proſit, vt ſatisfactorium, quia ſunt incapaces remiſſionis pænarum exiſtente infidelitate, ſed tantum, vt impetratorium non ſolum in ordine ad conſecutionem bonorum temporalium, ſed etiam in ordine ad ipſorum conuerſionem, & ad bona ſpiritualia media ipſa conuerſione acquirenda. Sed, an fructus ſacrificij, vt impetratorij ſit ex opere operato, an verò dumtaxat ex opere operantis, dictum eſt ſupra.

ARTICVLVS VI.

De cauſa ſubiectiua effectus Sacrificij Miſſæ in ordine ad defunctos.

SVMMARIVM.

Tres ſtatus defunctorum. 1.
Pro Beatis in Cælo propriè offerri non poteſt. 2.
Rationes obſiſtentes euacuantur. 3.
Nullo modo poteſt prodeſſe damnatis, quicunque illi ſint. 4.
Euincitur ex SS. PP. auctoritatibus. 5.
Non alleuiantur pænæ. 6.
Nec confertur aliqua confortatio, nec conſolatio. 7.
Nec prodeſt damnatis mediocritèr malis. 8.
Soluuntur rationes contrariæ. 9.
Non prodeſt paruulis, qui deceſſerunt ſine Baptiſmo. 10.
Non ſunt membra Chriſti nec in re, nec in voto. 11.
Pro baptizatis exiſtentibus in purgatorio prodeſt, & quoad ſatisfactorium, & quoad impetratorium. 12.
Et quoad impetrationem prodeſt immediatè. 13.
Defunctis non baptizatis exiſtentibus in purgatorio prodeſt quoad impetrationem, non quoad ſatisfactionem. 14.
Rationes pro aſſerto. 15.

Triplex ſtatus defunctorum quoad præſens inſtitutum poteſt conſiderari. Alter Beatorum in Cœlo exiſtentium, alter damnatorum exiſtentium in inferno, alter exiſtentium in purgatorio, quibus addi poteſt quartus paruulorum exiſtentium in limbo, qui licet nullam pænam ſenſus patiantur, patiuntur tamen pænam damni. Porro, quoad exiſtentes in inferno alij ſunt valdè mali, qui damnati ſunt propter ingentia, & multa crimina, alij mediocritèr mali, qui re vera damnati ſunt propter tamen pauciora, & leuiora crimina læthalia, de qua diſtinctione loquitur *Gloſa in cap. tempus 13. qu. 2.* Rurſus quoad exiſtentes in purgatorio alij ſunt non baptizati, qui in Chriſtum crediderunt, alij baptizati, qui purgant leuia

1 Tres ſtatus defūctorum.

crimina, vel pęnas peccatorum læthalium, quæ fuerunt quoad culpam in hac vita remiſſa. De his omnibus procedit præſens titulus.

2 Pro Beatis propriè non offertur. Aſſertio I. Pro Beatis in Cœlo exiſtentibus propriè ſacrificium Miſſæ offerri non poteſt, quatenus illis prodeſſe poſſit, vel vt propitiatorium, vel vt ſatisfactorium, vel vt impetratorium. Dixi *propriè*; non enim negauerim, poſſe aliquo modo hoc ſacrificium offerri Deo pro Sanctis, hoc eſt pro beneficijs in eos collatis, ſub quo reſpectu poteſt dici ſacrificium laudis, & gratiarum actionis; vel fortè melius eorum commemorationis; ſeu in Beatorum commemorationem, vt illorum deprecationibus Deus ſuſcipiat preces noſtras; vndè *Auguſtinus tract* 84. *in Ioannem*, ait. Ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, vt etiam pro eis oremus, ſed magis, vt orent ipſi pro nobis.

Probatur, quia Beati in patria non ſunt capaces alicuius fructus ſacrificij, nec vt propitiatorij, nec vt ſatisfactorij, cum nullum habeant culpæ, vel pænæ reatum, nullamque gratiæ, & gloriæ, ſeu mali vitandi neceſſitatem, vel indigentiam, ergo illis prodeſſe non poteſt nec vt propitiatorium, nec vt ſatisfactorium, adeoque pro illis nequit offerri.

3 Soluuntur aliquæ rationes oppoſitæ. Maior difficultas videtur eſſe quoad tertiam partem, quatenus ſcilicet eſt impetratorium, cum conferre poſſit, ſi non ad gloriam intrinſecam, ſaltem ad aliquam extrinſecam claritatem, gloriam, & honorem, vndè in Miſſa dicitur, *vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem*, & in collecta poſt communionem aliquando petimus, ſicut Sanctis ad gloriam, ita nobis proſit ad veniam; ex quibus *Suarez diſp.* 78. *ſect.* 3. *verſ. ſolum ſupereſt*, aſſerit poſſe dici offerri pro Sanctis, vt impetratorium; Nihilominus perſiſtendo in iam decretis, probatur etiam aſſertio quoad tertiam partem, quia offerre ſacrificium pro gloria extrinſeca, vel accidentali honore alicuius Sancti, vel Sanctorum non eſt propriè, & in rigore offerre pro illo, vel illis Sanctis; quod clarè euincitur ex eo, quod in Oratione Dominica petimus, vt ſanctificetur nomen Dei, nec tamen poſſumus dici orare pro Deo, nec cum pro gloria extrinſeca Dei offerimus, poſſumus dici offerre pro Deo. Cum igitur oramus vel offerimus pro gloria extrinſeca Dei, vel alicuius Sancti, vel Sanctorum, offerimus, & oramus pro nobis, & proximis noſtris, in quorum vtilitatem cedit illud ſacrificium, & oratio, quatenus illo excitamur ad glorificandum Deum, & Sanctos eius, quæ glorificatio, prout à nobis per extrinſecum cultum præſtatur Sanctis, eſt vtilitas, & meritum noſtrum, licet cedat indirectè Sanctis &c., atque iuxtà hunc ſenſum procedit *Innocentius III. in cap. cum Marthæ de celebratione Miſſarum*, & iuxtà eundem videtur etiam procedere *Suarez loc. cit.*, ſi benè ponderetur, licet illum allegauerimus pro contraria ſententia propter aliqua, quæ antecedentèr dixerat.

Aſſertio II. Pro damnatis ſiue mediocritèr malis, ſiue enormitèr non poteſt ſacrificium Miſſæ offerri, nec poteſt eiſdem prodeſſe, nec quoad diminutionem, & interruptionem pœnarum, nec quoad conſortationem, & aliquam conſolationem. Eſt communis Thologorum ſententia contra Porretanum, & Maiorem, volentes prodeſſe damnatis quoad alleuiationem pœnarum, & contra *Altidiorenſem, & Auguſtinum de Antona*, volentes conferre quandam confortationem ad eaſdem pœnas ſuſtinendas, & conſolationem aliquam; item contra illos, qui aſſerunt damnatis mediocritèr malis prodeſſe, non ſic damnatis grauitèr malis. 4 Damnatis non poteſt prodeſſe.

Probatur primò in vniuerſum varijs SS. PP. auctoritatibus, quibus expreſsè aſſerunt pro impijs, qui in peccato læthali deceſſerunt, non eſſe orandum, nec ſacrificium offerendum *D. Auguſtini in Enchirid. cap.* 109., *& lib.* 1. *de origin. animæ c.*9., *&* 10., *D. Gregorij* 34. *mor. c.*13., *&* 4. *Dialog. cap.*44., *Gregorij II. epiſt. vlt. ad Bonifacium*. Vlteriùs ea ratione euincitur, quia damnati in inferno iam non ſunt amplius membra Chriſti, ſed membra Diaboli, iuxtà illud Euangelij. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & membris eius*; ſacrificium autem Miſſæ inſtitutum eſt ſolum pro membris Chriſti actu, quia credunt in ipſum, vel potentia, quatenus adhuc ſunt in ſtatu, vt poſſint reduci ad vnionem cum Corpore Chriſti, quæ nequeunt verificari reſpectu damnatorum, quorum ſemper eſt deſperata correctio. Vlteriùs ex eo euincitur, quod pæna damnatorum dicitur æterna, iuxtà illud, *Ite in ignem æternum*, & in inferno nulla ſit redemptio, ſed talis non eſſet pæna, & in inferno poſſet eſſe redemptio, ſi ſacrificium Miſſæ damnatis poſſet prodeſſe in remiſſione culpæ, vel pænæ, ergo &c. Minor probatur, nam, ſi per vnum ſacrificium poſſet fieri aliqualis remiſſio pænæ, cur per aliud ſacrificium non poſſet æqualis pæna remitti, & ſic ſucceſſiuè, vſquequo tota abſumatur. 5 Euincitur SS. PP. auctoritatibus.

Probatur ſecundò, contra *Porretanum, & Maiorem*, volentes per ſacrificium Miſſæ pro ipſis oblatum pænas damnatorum alleuiari: primò argumento vltimo loco poſito in præcedenti probatione. Secundò, 6 Non alleuiantur pænæ.

dò, quia culpa damnatorum non poteſt in inferno dimminui, quandoquidem culpa læthalis non tollitur, &, quamuis diminuibilis eſſet, non diminuitur, niſi per actus proprios, & ſupernaturales, vel per Sacramenta cum proprijs actibus; cum autem in inferno deſtituantur quocunque auxilio ſupernaturali non poſſunt actus ſupernaturales elicere, nec Sacramenta &c., ergo, nec poteſt pæna dimminui. Conſequentia probatur, quia de lege ordinaria non remittitur pena, niſi prioritate ſaltem naturæ remittatur, & culpa.

7 Nec confertur aliqua conſolatio. Probatur tertiò contra *Altidiorenſem*, *& Auguſtinum de Antona*, volentes per ſacrificium Miſſæ conferri damnatis confortationem, & conſolationem aliquam; primò *ex D. Auguſtino in Enchirid. cap.* 110., vbi abſolutè aſſerit ſacrificium nullo modo prodeſſe damnatis, & in ſpecie loquitur de illa conſolatione. Ibi *Quod, ſi contingat offerri pro his, qui damnati ſunt, quia ignorantur eſſe damnati, valebit ad conſolationem viuorum; non ad adiumentum mortuorum.* Secundò, quia, ſicut ſtatus beatorum eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, adeout omnem triſtitiam, & mærorem excludat, ita ſtatus damnatorum eſt omnium malorum aggregatione completus, adeout omnem conſolationem omnemque confortationem excludat. Tertiò, quia illa confortatio, & conſolatio non eſſet, niſi effectus Diuinæ miſericordiæ, ſed in illo ſtatu damnati non ſunt capaces Diuinæ miſericordiæ, cum ſit ſtatus iræ, & rigoroſæ iuſtitiæ, vt rectè notat *D. Bernardus ſerm.* 8. *in Pſalm. Qui habitat*, ergo &c.

8 Nec prodeſt damnatis mediocritèr malis. Probatur quartò contra *Gloſam in c. tempus* 13. *quæſt.* 2., volentem prodeſſe damnatis mediocritèr malis; primò, quia illa Gloſa communitèr reijcitur ab omnibus Theologis, nec vllum habet fundamentum, niſi in ſimplici aſſerto eiuſdem Gloſſatoris. Quod, ſi dixeris, fundari, vel in auctoritate *D. Auguſtini in Enchirid. d. cap.* 110., vbi habet de baptizatis defunctis omnibus hæc verba: *Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio*, damnatio autem non poteſt competere, niſi in inferno exiſtentibus, vel in aſſerto *Innocentius III. in cap. cum Marthæ de celebratione Miſſarum*, vbi poſita partitione quadrimembri de mediocritèr malis videtur aſſerere pro illis poſſe ſacrificium offerri, eiſdemque quoquo modo prodeſſe; Si inquam, hæc dixeris, impugnaberis, quia *Auguſtinus loco citato*, non eſt intelligendus de damnatis in inferno, cæteroqui ſibi expreſsè contradiceret, quia *in eodem cap.* 110., expreſsè habet, quod, ſi contingat offerri pro damnatis, quia ignorantur eſſe damnati, valebit ad conſolationem viuorum, non ad adiumentum mortuorum. Intelligendus ergo eſt ſolummodò de mortuis in purgatorio exiſtentibus, prout notat *D. Thomas in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad ſecundum*; nec debet officere illa particula, *aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio*, quia nomine damnationis ibi venit punitio, aut ſupplicium, quæ competunt etiam animabus in purgatorio exiſtentibus, cum dicere etiam ſoleamus de illis, quod ſint damnatæ non ſimplicitèr, ſed ad pænas purgatorij. Ad illud, quod ſubditur *ex Innocentio III.*, dicimus quidem, ipſum proponere illam diſtinctionem quadrimembrem, nihil tamen ex proprio marte definire. Cæterum, vt benè notat, *Suarez d. diſp.* 78. *ſect.* 3. *verſ. reſpondetur prope medium*, ex verbis eiuſdem Innocentij non poteſt conijci, quod nomine mediocritèr malorum intelligat damnatos in inferno, cum ſint ſimplicitèr mali propter indignationem Diuinam acritèr eos in æternum torquentem, & propter odium, quo ipſi in Deum feruntur, ſed potius præſumendus eſt loqui de animabus in purgatorio exiſtentibus, quarum aliæ poſſunt dici mediocritèr bonæ, quia afficiuntur pæna aliqua in purgatorio, licet in hac vita ſanctè vixerint; aliæ mediocritèr malæ, quæ in hac vita iniquè vixerint, medijs tamen actibus ſupernaturalibus contritionis, vel Sacramentis cum attritione fuerint à culpa liberatæ, retinent tamen reatum pœnarum, à quibus quandoque conſequuntur plenam remiſſionem, quandoque ſolummodò earundem pœnarum mitigationem.

Secundò quoad eandem quartam partem ſic euincitur, quia non minus æternitas pœnarum tam quoad durationem, quam quoad intenſionem competit damnato ob vnum, vel duo peccata læthalia, ac competat damnato ob plura, & ingentia crimina cum ſola hac differentia, quod ille non ita grauibus pænis ſenſus afficitur, iſte verò grauioribus, & atrocioribus, ergo, ſicuti illi per ſacrificium Miſſæ non poſſunt minui illæ atrociores pænæ, nec poterunt iſti minui minus atroces, & minus graues.

Nec aduerſus ea, quæ hucuſque dicta ſunt, obeſſe poſſunt, quæ referuntur de quibuſdam SS., qui proprijs Orationibus, & ſacrificijs nonnullos ab inferno ad hanc vitam reuocarunt, vt poſſent propriæ ſaluti conſulere, quod ſpeciatim dicitur de D. Gregorio, animam ſcilicet Traiani ab inferis liberaſſe. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia in primis plerique aſſerunt 9 Soluuntur obiecta.

caſus, qui referuntur, eſſe apocriphos, alij aſſerunt huiuſmodi animas non fuiſſe ab inferis liberatas, ſed ex ſpeciali Dei prouidentia eorum ſententiam fuiſſe poſt mortem ſuſpenſam vſque ad certum tempus, qua Deus præuidit pro ipſis Orationes fundendas, & ſacrificia offerenda, quibus Deus promotus eas ad vitam reuocauerit. Deinde data etiam veritate prædictorum caſuum ſunt caſus extraordinarij, & miraculoſi, qui non ſunt in exemplum adducendi, cum hic agatur de lege ordinaria. Quod, an ſit admittendum alij videant.

10 Nec paruulis non baptizatis. Aſſertio III. Sacrificium Miſſæ nequit vtilitèr offerri pro paruulis, qui ſine baptiſmo deceſſerunt, & in limbo exiſtunt. Conſentiunt *Bellarminus lib. 2. de Miſſa c. 6., Bonacina de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 5. prop. 4. num. 11., Cacheranus tract. 9. de Euchariſt., vt ſacrific. cap. 4. num. 87. in fine.*

Probatur, quia eorum pæna, quæ eſt præcisè pæna damni, non ſenſus, æterna eſt, nec augeri poteſt, nec minui, ergo ſacrificium Miſſæ non poteſt illis prodeſſe. Antecedens probatur, quia pæna damni, qua afficiuntur, conſiſtit præcisè in priuatione viſionis beatificæ, quæ non admittit magis, & minus, cum conſiſtat in negatione, & omnimoda carentia. Confirmatur, quia, ſi poſſet quoquo modo minui illa pæna iam conſtituerentur in ſtatu beatifico, quandoquidem illa diminutio non poſſet eſſe, niſi per ſuperuenientiam alicuius gradus viſionis, non enim ceſſat priuatio, niſi per ſuperuenientiam formæ oppoſitæ; hoc autem dici non poteſt, quia ceſſaret ille ſtatus, & illa pæna non eſſet æterna; & eſſent ſimul videntes, & non videntes; non videntes, vt ſupponitur, videntes, quia haberent aliquem gradum viſionis, quo diminueretur illa carentia.

11 Non ſunt membra Chriſti. Difficultas ſolummodò aliqua eſſe poteſt de effectu eiuſdem ſacrificij, qua impetratorium eſt; licet etenim ſint incapaces remiſſionis illius pænæ, adeoque illis prodeſſe non poſſit, qua ſatisfactorium, videntur tamen capaces alicuius boni temporalis pertinentis ad ſenſibilem, vel internam aliquam conſolationem circa bona temporalia; cum etenim nulla afficiantur pæna ſenſus, non videtur eis deneganda vtilitas aliqua, & ſenſitiua conſolatio, quam conſequi poſſint medio ſacrificio Miſſæ. Nihilominus, cum non ſint membra Chriſti, non videtur pro eis iuxtà mentem D. Auguſtini offerendum Corpus Chriſti, cùm ex opere operato non poſſit prodeſſe quoad aliquem effectum, niſi ijs, quæ ſunt membra Chriſti. Quod, ſi dixeris, quod pro defunctis non baptizatis exiſtentibus in purgatorio poſſit offerri ſacrificium Miſſæ, & illis prodeſſe quoad fructum impetratorium, licet non ſatisfactorium, & tamen non ſunt membra Chriſti, ergo ex eo, quod paruuli, qui deceſſerunt ſine baptiſmo, non ſint membra Chriſti, non ſunt excludendi à fructu impetratorio ſacrificij, ſicuti non excluduntur defuncti non baptizati exiſtentes in purgatorio; ſtatim impugnaberis, quia, licet defuncti non baptizati exiſtentes in purgatorio non ſint membra Chriſti in re, quatenus ſint ingreſſi in Eccleſiam per baptiſmum inſtitutum à Chriſto; ſunt tamen membra Chriſti in voto, & quoad effectum, quatenus ſalutem conſecuti ſunt in Chriſto, & per Chriſtum; omnis enim gratia, per quam homines ſaluantur, eſt per Chriſtum; vndè ex eo, quod non ſint membra Chriſti in re, & per baptiſmum, ad ſummum non conſequuntur fructum ſacrificij, vt ſatisfactorium, quia tamen ſunt membra Chriſti in voto, & per effectum, conſequi poſſunt fructum eiuſdem, vt impetratorium; cum autem pueri, qui deceſſerunt ante baptiſmum non ſint membra Chriſti, nec in re, nec in voto, nec quoad effectum, ideò ſacrificium Miſſæ, nec illis prodeſſe poteſt, vt ſatisfactorium, nec vt impetratorium.

Aſſertio IV. Pro defunctis baptizatis exiſtentibus in purgatorio offerri poteſt vtilitèr ſacrificium Miſſæ, & illis prodeſſe, & quoad fructum ſatisfactorium, & quoad impetratorium. Eſt veritas Catholica communitèr acceptata, & in hoc conueniunt omnes Scholaſtici. 12 Quomodo proſit exiſtentibus in purgatorio.

Expreſsè euincitur primò *ex diſpoſitione Concilij Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2., & can. 3.,* vbi anathematizantur quicunque dixerint non prodeſſe viuis, atque defunctis pro peccatis, pænis, & ſatisfactionibus &c. Secundò ex forma ſacræ Presbyteratus ordinationis, in qua dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis.* Tertiò ex vſu Eccleſiæ, quæ ſemper conſueuit pro defunctis offerre, & ſæpè eorundem mentionem facere.

Difficultas ſolummodò aliqua videtur in eo conſiſtere, quomodo ſacrificium, vt impetratorium, poſſit prodeſſe defunctis baptizatis in ordine ad remiſſionem pænarum, vel etenim impetratio prodeſſe poteſt immediatè, quatenus moueat Deum ad eandem immediatè relaxandam, & hoc non, quia ad talem relaxationem, ſiue pro viuis, ſiue pro defunctis ſacrificium Miſſæ valet quatenus ſatisfactorium ratione cuius immediatè remittitur pæna; vel prodeſt ſolum mediatè, quatenus moueat Deum ad concedenda auxilia ad eliciendos actus quibus Deo ſatisfiat; & hoc etiam non; quia defuncti exiſtentes in pur-

purgatorio nequeunt actus meritorios elicere, quibus veniam pænarum conſequantur. Nihilominus ſentiendum eſt, etiam quoad impetrationem pro remiſſione pænarum prodeſſe defunctis immediatè, cum hoc non modicum conferat, & dignitati ſacrificij, & vtilitati defunctorum; nec obſtat id, quod ex aduerſo afferebatur, quandoquidem licet ſacrificium, vt ſatisfactorium habeat ex vi ſua remittere immediatè pænam, in actu tamen exercito, & actualitèr totam non remittit, vndè remanet, quod poſſit etiam immediatè remitti per vim impetrationis. Quod, ſi vrgeas, quod per modum impetrationis non valeat ad conferendam immediatè gratiam, aut remiſſionem culpæ, adeoque, nec etiam ad remiſſionem penæ; tunc reſpondebo, diſparem eſſe rationem de infuſione gratiæ, & remiſſione culpæ, ac de remiſſione pænæ; quandoquidem infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ pertinet ad intrinſecam ſanctitatem, ad quam homo de via ordinaria ſe debet diſponere per proprios actus, remiſſio autem pænæ computanda eſt inter beneficia extrinſeca, ad quæ non requiritur diſpoſitio intrinſeca.

13 Et quidē per modū impetrationis prodeſt immediatè.

14 Quomodo proſit defunctis non baptizatis exiſtentibus in purgatorio.

Aſſertio V. Pro defunctis non baptizatis in purgatorio exiſtentibus nequit Miſſæ ſacrificium offerri quoad fructum ſatisfactorium, benè tamen quoad impetratorium. Quoad primam partem *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrific. c. 4. § 4. num. 89.*, aſſerit eſſe receptiſſimam apud Scholaſticos, nec inueniſſe auctorem, qui contrarium docuerit. Quoad ſecundam habet omnes eos propugnatores, quos in præcedenti articulo recenſuimus aſſerentes prodeſſe viuis fidelibus non baptizatis, & oppugnatores illos, qui denegabant viuis fidelibus non baptizatis fructum impetratorium.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia fructus ſatisfactorius reſpicit immediatè perſonam, pro qua offertur, & in ſolam eius vtilitatem redundat ad differentiam fructus impetratorij, qui reſpicit immediatè, vt directè perſonam offerentem, & nonniſi mediatè, & indirectè eam, pro qua offertur; ſed homo non baptizatus, ſiue ſit viuus, ſiue defunctus, qui in Deum credit, &, ſi ſit defunctus, reperitur in purgatorio, non eſt perſona immediatè capax fructus ſatisfactionis, cuius ſunt ſolummodo capacia membra Chriſti, licet ſit capax impetrationis, quæ primariò redundat in vtilitatem offerentis, licet ſecundariò, & mediatè referatur in ipſum, ergo pro ipſo non poteſt offerri vtilitèr ſacrificium, quatenus ſatisfactorium. Minor probatur, quia Chriſtus Dominus hoc ſacrificium inſtituit pro fidelibus, & reliquit Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, adeoque directè, & immediatè debet illi tantum prodeſſe, ergo fructus ſatisfactorius, qui reſpicit immediatè perſonam, pro qua offertur, non poteſt offerri pro eo, cui immediatè, & directè non poteſt prodeſſe; adeoque, nec pro non baptizato, ſiue viuo, ſiue defuncto.

15 Rationes pro aſſerto.

Ratio ſecundæ partis etiam ex mox dictis deſumitur; cum etenim ex genere ſuo fructus, vt impetratorius reſpiciat directè, & immediatè offerentem, & nonniſi indirectè, & mediatè perſonam, pro qua offertur, quid vetat, quominus offeratur pro non baptizato, ac pro rebus inſenſibilibus? cum etenim immediatè reſpiciat offerentem æquè indirectè erit offeribilis, & æquè poterit prodeſſe inſenſibilibus, ac non baptizato, cum in vtroque caſu directè reſpiciat ſubiectum immediatè capax. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo, quod ſcilicet, vt impetratorium, poſſit hoc ſacrificium offerri pro viuente fideli non baptizato, ergo poterit etiam pro eodem offerri, vt defuncto exiſtente in purgatorio.

QUÆSTIO V.

De cauſa formali, & remota Sacrificij Miſſæ.

CVm Sacrificium Miſſæ per antecedentèr dicta eſſentialitèr conſiſtat in ſola conſecratione, & conſecratio actiuè ſumpta appellet actionem conſecrantis, & formalitèr verba conſecrationis, non incongruè hic ſermonem inſtituimus de eadem conſecratione, prout importat cauſam formalem conſiſtentem in verbis conſecratorijs, & licet hæc videantur potius conſtitutiua Euchariſtiæ, vt Sacramenti, quam eiuſdem, vt ſacrificij, quia tamen per eadem conſtituitur formalitèr victima, quæ in ſacrificio immolatur, & offertur, non incongruè de eiſdem ad perfectam ſacrificij notitiam differendum ſtatuimus.

AR-

ARTICVLVS I.

An verba conſecratoria ingrediantur intrinſecè conſtitutionem Euchariſtiæ, & conſtituant in ſe ſacrificium in ratione rei oblatæ.

SVMMARIVM.

Conſecratio ſecundum duplicem ſenſum conſiderata. 1.
Prout importat actionem tranſubſtantiatiuam non eſt pars intrinſeca. 2.
Non eſt totum Sacramentum. 3.
Nec pars eiuſdem. 4.
Nec ſe habet per modum partis vnientis. 5.
Se habet ſolummodò per modum cauſæ efficientis. 6.
Ingreditur tamen intrinſecè rationem ſacrificij, vt ſacrificij. 7.
Importat ſacrificium rationem actionis deſtructiuæ. 8.
Prout conſiſtit in forma verbali ingreditur intrinſecè. 9.
Soluuntur argumenta oppoſita. 10.
Species quoad hunc effectum non dicuntur conſecratæ per Corpus Chriſti Domini. 11.
Quomodo verba perſeuerent cum toto permanenti. 12.
Permanentia verborum non poteſt conſiſtere in non retractatione. 13.

1 Cõſecratio, vel vt actio, vel vt forma.

CONſecratio quaſi duplicitèr poteſt conſiderari; primò prout importat actionem tranſubſtantiatiuam; ſecundò prout importat formam verborum. De eadem ſub vtraque conſideratione hic erit agendum; & quidem loquendo de prima, non defuerunt, qui, vel aſſererent eandem actionem tranſubſtantiatiuam eſſe integrum Sacramentum diſtinctum à Sacramento Euchariſtiæ, atque ita ſentit *Gabriel in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3.*, qui Euchariſtiam in tria Sacramenta diſtinguit, alterum conſiſtens in conſecratione, alterum in ſpeciebus conſecratis Chriſtum continentibus, alterum in ſumptione, ſeu vſu, vel aſſererent eſſe partem eiuſdem Euchariſtiæ, vt *Baſſolius in 4. diſt. 8. quæſt. 1. §. quantum ad primum, Lugus diſp. 1. ſect. 6., & alij.* Nihilominus ſit

2 Vt eſt actio tranſubſtantiatiua nõ eſt pars intrinſeca.

Aſſertio I. Conſecratio, prout importat actionem tranſubſtantiatiuam præciſè, non ingreditur intrinſecè conſtitutionem Euchariſtiæ, nec eſt totum Sacramentum, neque pars intrinſeca eiuſdem. Conſentiunt communitèr Theologi. Hæc aſſertio erit ſufficientèr probata, ſi probauerimus, nec eſſe integrum Sacramentum, nec partem eſſentialem, & intrinſecam eiuſdem.

3 Non eſt totum Sacramentũ

Probatur iam primò, quod non ſit totum Sacramentum, quia, vel nomine totius Sacramenti intelligunt aduerſarij, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, vel Sacramentum aliquod totale diſtinctum ab illo, vt intelligit *Gabriel loc. cit.*; ſi primum intelligant; certiſſimum eſt, in ea actione tranſubſtantiua non conſiſtere totum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, quia dato etiam, ſed nunquam conceſſo, quod hæc ingrediatur intrinſecè eſſentiam Sacramenti non eſt tamen tota eſſentia eiuſdem, cum hæc importet totum conſtitutum tum ex ſpeciebus Sacramentalibus, tum ex Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, & hoc remaneat etiam ceſſante eadem actione, quæ eſt ſolummodò via ad ipſum Sacramentum tanquam ad terminum: ſi ſecundum intelligant, eſt contra communem PP., & Scholaſticorum conſenſum non agnoſcentium ſub genere Euchariſtiæ, nonniſi vnicum, & completum Sacramentum. Deindè actio tranſubſtantiatiua, prout eſt diſtincta à Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, & ſpecierum ſacramentalium, non eſt ſenſibilis, nec ex ſe cauſatiua gratiæ, ergo non eſt Sacramentum diſtinctum &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia talis actio ad ſummum poſſet eſſe ſenſibilis per verba, & ſic non ſecundum ſe, & præciſè ſumpta; quod autem reddatur ſenſibile per aliud, non eſt per ſe totum Sacramentum, cum ſenſibilitas ſit pars eſſentialis eiuſdem; quoad ſecundam partem probatur, quia id, quod cauſat gratiam eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, vel ergo actio tranſubſtantiatiua gratiam cauſat ſimul cum Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, & ſic non eſt totum Sacramentum, de cuius ratione eſt eſſe per ſe practicum ſignum, & cauſatiuum gratiæ; vel cauſat per ſe ſolam, & nullibi reperitur, quod hæc cauſalitas eidem ſoli tribuatur, cum omnes hunc fontem cauſandi in ſolo Corpore, & Sanguine Chriſti Domini Sacramentati agnoſcant.

4 Nec pars eiuſdem.

Probatur iam ſecundò, quod non ſit pars intrinſecè conſtitutiua huius Sacramenti. Actio effectiua, & productiua effectus non ingreditur intrinſecè rationem eiuſdem effectus, vt videre eſt in quocunque complexo naturali, & phyſico, cuius partes intrinſecæ ſunt materia, & forma, non cauſa effectiua eiuſdem, quæ eſt id, à quo, non id, ex quo, ſed actio tranſubſtantiatiua formalitèr vt talis eſt ſolummodò cauſa effectiua, & productiua Sacramenti, vt effectus, ergo non ingreditur intrinſecè vt pars conſtitutiua eundem effectum. Neque dicas, actionem

tran,

tranſubſtantiatiuam etiam, vt talem duplex quodamodo munus exercere in Sacramento Euchariſtiæ, aliud ſcilicet efficiendi, aliud vniendi ſcilicet Corpus Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus; ſub ratione autem, qua vnit, intrinſecè ingreditur, cum ſit vnio extremorum componentium idem Sacramentum; contra enim impugnaberis, quia vnio quodamodo duplex eſt; altera effectiua, & extrinſeca, quatenus effectiuè diſponit ad intrinſecam vnionem; altera formalis, & intrinſeca, quæ formalitèr totum conſtituit. Prima ſe tenet ex parte agentis, nec aliquo modo ingreditur intrinſecam conſtitutionem Sacramenti; Secunda, ſiue conſiſtat in entitate ſuperaddita iuxtà ſententiam modaliſtarum, ſiue in complexo, quod nos approbamus, certè ingreditur intrinſecè, ſed non conſiſtit in illa actione tranſubſtantiatiua formalitèr, vt tali, ſed iuxtà ſententiam eorundem modaliſtarum in entitate modalitèr vniente, iuxtà verò ſententiam complexiſtarum in ipſis partibus ſecundùm actuale exercitium virtutis vtriuſque partis vnitæ, & hinc etiam deducitur reſponſio ad ea, quæ adducit *Lugus diſp. 1. ſect. 6. num. 96.*, quod ſcilicet, quamuis ipſa actio tranſubſtantiua in ratione actionis productiuæ ſimplicitèr nō ingrediatur intrinſecè rationem Sacramenti, in ratione tamen conſeruatiuæ actionis ingrediatur, quatenus habeat conſeruare Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus; Deducitur, inquam, reſponſio, quia, ſicuti actio ipſa primo productiua non ingreditur intrinſecè, cum ſe teneat ex parte agentis, ita & actio conſeratiua, ſi perſeueraret, cum ſe teneret ex parte eiuſdem agentis; (eſt etenim actio continuata) non poſſet ingredi intrinſecè; vndè conſeruatio Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus eſt à ſolo Deo, non verò à miniſtro media actione tranſubſtantiuâ, cum hæc deſinat.

5 Nec eſt pars vnitiua.

6 Eſt ſolùmodò cauſa efficiens.

Hic etiam reſpondetur ad id, quod dicitur de materia in compoſitis naturalibus, quæ exercet cauſalitatem ad formam, quę ex ipſius potētia educitur, & tamen intrinſecè ingreditur ipſum compoſitum, ergo etiam, quamuis actio tranſubſtantiatiua exerceat cauſalitatem in ordine ad Sacramentum; illud tamen intrinſecè conſtituet tanquam pars eiuſdem, Reſpondetur, inquam, quod materia duplicem quodamodo exercet cauſalitatem, alteram in ordine ad formam, quæ de ipſius potentia educitur, & hæc eſt extrinſeca, alteram in ordine ad compoſitum, cui vnitur, tanquam pars, & hæc eſt intrinſeca, non quidem formæ, ſed ipſi compoſito; non ſic autem ſe habet actio tranſubſtantiua, quæ merè ſe habet per modum cauſæ efficientis, & extrinſecæ, nec vllo modo ſe habet per modum materiæ.

Aſſertio II. Quamuis actio tranſubſtantiatiua non ingrediatur intrinſecè conſtitutionem Euchariſtiæ, vt Sacramenti, ingreditur tamen intrinſecè rationem eiuſdem, vt ſacrificij. In hanc arbitror omnes conſentire, quamuis expreſsè ſub his terminis viderim neminem procedere. 7 Ingreditur tamē intrinſecè rationem ſacrificij.

Probatur primò, quia ratio Sacrificij Miſſæ ad differentiam Euchariſtiæ, vt Sacramenti conſiſtit in actione, & vtique tranſeunte, quæ per nos conſiſtit formalitèr, & eſſentialitèr in ſola conſecratione, ſed actio, vt actio per nos conſiſtit formalitèr in complexo cauſæ producentis, & effectus producti, adeovt in vno ſine altero non poſſit ſubſiſtere, ergo importat intrinſecè, & actionem, per quam producitur, & effectum, qui producitur, ſed actio tranſubſtantiatiua eſt actio, per quam producitur ipſa Euchariſtia, ergo &c.

Probatur ſecundò, quia de ratione ſacrificij eſt actio deſtructiua per ea, quæ ſuprà commendauimus, ſed in alio non poteſt conſiſtere actio deſtructiua, niſi in ipſa actione tranſubſtantiatiua, ergo actio tranſubſtantiatiua eſt de ratione formali, & eſſentiali ſacrificij, qua tale eſt. Minor probatur, quia per ſolam actionem tranſubſtantiatiuam Chriſtus Dominus, qui eſt principalis victima, deſtruitur, quatenus eius Corpus ſub ſpeciebus conſtituitur formalitèr, vt ſeparatum à Sanguine, & ſub ſpeciebus vini Sanguis conſtituitur, vt ſeparatus à Corpore; item, quia vi eiuſdem actionis acquirit nouum modum exiſtendi quaſi indiuiſibilitèr, & ſub ratione cibi, & potus, quem modum antecedentèr ad ipſam actionem tranſubſtantiatiuam non habebat. Neque dicas, hanc moralem ſeparationem, & hunc nouum modum exiſtendi habere ex vi conſecrationis, quatenus importat vim verborum, tanquam formam, non quatenus præcisè habet vim actionis tranſubſtantiatiuæ; contra enim impugnaberis, quia ipſa conſecratio inuoluit, & actionem tranſubſtantiatiuam, & formam verborum, & licet ipſa actio tranſubſtantiua non habeat vim, niſi medijs verbis, ipſa tamen eſt, quæ efficit illam ſeparationem, & nouum modum exiſtendi conſtituit, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum. 8 Per modū actionis deſtructiuæ.

Aſſertio III. Conſecratio ſumpta pro forma verbali ingreditur intrinſecè conſtitutionem Euchariſtiæ *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 26. art. 2.*, *Gonetus de Sacrament. in genere diſp. 1. art. 7. num. 113.*, *Arriaga de Sacrament. in genere diſp. 4. ſect. 2.*, *Suarez diſp. 42. ſect. 2.*, *Eſparza lib. 10. q. 64.*, 9 Forma verbali eſt intrinſeca Sacramento

Mader-

Madernus de Euchariſt. Sacrament. quæſt. 1. art. 3.; *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 3. §. 3. nu. 31.*, aduerſus *Scotum in 4. diſt. 8. quæſt. 1. in reſponſ. ad tertium*, *Lauraam diſp. 17. art. 2. num. 24.*, *Bellarminum in controu. lib. 1. de Sacrament. in genere cap. 18. prop. 5.*, *& alios*.

Probatur primò, quia omnia Sacramenta, ſi excipias Sacramentum Matrimonij, conſtant ex rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; vt definiuit *Concil. Florent. in decreto Eugenij*, quod etiam clarius ſignificauit *D. Thomas q. 60. art. 6. ad ſecundam vbi Caietanus*, aſſerit D. Thomam, & Concil. Florent. ſatis, ſuperque canonizaſſe omnia Sacramenta nouæ legis perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ergo in hoc non debet à cæteris ſegregari Sacramentum Euchariſtiæ, cum non ſit aſſignabilis ratio ſegregationis. Quod, ſi dicas, Concil. Florent., non minus aſſignare verba
10 *Solutio cõtrariarum rationum.*
conſecrationis pro forma Euchariſtiæ, quam panem, & vinum pro materia, ſed panis ex tritico, & vinum ex vite ſunt materia extrinſeca, ergo & verba conſecrationis ſunt tantum forma extrinſeca; quod clarius declarauit idem Concilium, dum ibidem dixit verbis conſecrationis perfici hoc Sacramentum per ly autem *perfici* importatur efficientia, non cauſa intrinſeca, quod idem indicauit, dum dixit, Sacerdos in perſona Chriſti loquens conficit Sacramentum, conficere autem pertinet ad cauſam efficientem; contra impugnaberis, quia materia ex genere ſuo, vt determinabilis, alia remota, alia proxima, alia in fieri, & quodamodo terminus à quo, alia in eſſe, & quodamodo permanens; forma verò vtpotè determinatiua ſemper ſumitur pro proxima; Concilium autem, dum aſſignauit panem ex tritico, & vinum ex vite pro materia, aſſignauit materiam remotam, & tanquam terminum à quo, quæ certè eſt extrinſeca Sacramento, cum ſimul cum illo quoad ſubſtantiam non permaneat, per hoc tamen non excluſit proximam permanentem, quæ conſiſtit in ſpeciebus poſt conſecrationem permanentibus; Potius autem de extrinſeca, & remota mentionem expreſſam fecit, quam de proximâ, & intrinſeca, quia ex vna parte illius notitia eſt magis neceſſaria ad inſtruendos miniſtros pro valida confectione, & ex alia parte ex expoſitione remotæ poſterior faciliùs innoteſcit; Ad illud, quod ſubditur de illo verbo *perfici*, *& confici*, dicendum eſt, illa verba indiferentia eſſe, vel ad indicandam intrinſecam conſtitutionem, vel extrinſecam efficientiam, adeoque ex illis nihil euinci.

Quod, ſi inſtes, quod data etiam illa indiferentia ſignificationis in illis verbis, *confici*, *& perfici*, intelligatur tamen ex mente Concilij ſignificatio illorum relata ad extrinſecam efficientiam, quia re vera per prolationem verborum efficitur Sacramentum; dato autem ſemel, quod ſit forma efficiens, teſte Ariſtotile non poteſt eſſe forma informans, cum hæc duo non poſſint in idem coaleſcere; adhuc impugnaberis, quia non repugnat quin idem ſub diuerſa conſideratione ſit ſimul forma efficiens, & informans, ſic eadem anima rationalis eſt cauſa efficiens nutritionis, & ſimul forma informans ſubſtantiam, quæ per nutritionem fuit addita alito.

Probatur ſecundò, quia ſpecies non ingrediuntur intrinſecè eſſentialem conſtitutionem Euchariſtiæ, niſi, vt conſecratæ, ſed intrinſecè conſtituuntur conſecratæ per verba, ergo intrinſecè ingrediuntur quatenus ſunt conſtitutæ tales per verba, adeoque, & verba ipſa &c. Quod, ſi dicas, ſpecies intelligi dumtaxat effectiuè per
11 *Species non dicũtur quoad hunc effectum cõſecratæ per Corpus Chriſti Domini.*
verba, formalitèr autem per Corpus Chriſti conſecratas, quod certè magis conſonat naturæ huius Sacramenti, quod cum ad differentiam aliorum non conſiſtat in vſu, nec in actione tranſeunte, ſed in re permanente debet formalitèr conſtitui per aliquod permanens, quæ permanentia haberi non poteſt per verba, quæ ſtatim ac prolata ſunt, euaneſcunt, & pereunt; habetur igitur formalitèr per Corpus Chriſti. Dixi, *quod perſeuerat ſub ſpeciebus eiſdem permanentibus*; ſtatim impugnaberis, quia ad conſtituendum Sacramentum, vt de facto inſtitutum eſt, non ſufficit, quod quoquo modo ſpecies remaneant ſacratæ, ſed debent eſſe conſecratæ ſacramentalitèr, & ſenſibilitèr, quod non habetur per ſimplicem aſſiſtentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini; vndè non incongruè aſſerit *Lugus diſp. 1. ſect. 4. num. 58.*, quod, ſi Deus non poſitis verbis conſecratorijs poneret ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti Domini, & ſub ſpeciebus vini Sanguinem, non haberetur Sacramentum Euchariſtiæ, vel ſaltem tale eſſentialitèr cum Sacramento, quod modò datur.

Tota baſes tum pro ſtabilienda noſtra
12 *Quomodo verba perſeuerent.*
aſſertione, tum pro euertendis aduerſantium obiectis, conſiſtet in explicando, quomodo verba, quæ ex genere ſuo defluunt, nec perſeuerant in eſſe, poſſint formalitèr conſtitueret Sacramentum permanens, quale eſt iſtud Euchariſtiæ. Pro quo aduerte, ad conſtituendum Sacramentum etiam, vt permanens, cum ſit compoſitum dumtaxat morale, non eſſe neceſſe, formam eiuſdem conſtitutiuam phyſicè perſeuerare, ſed ſufficere, quod perſeueret moralitèr, vel virtualitèr in aliquo

effectu;

effectu; hic autem effectus non videtur in alio congruentiùs poſſe conſiſtere, quam in ſignificatione, quam relinquunt eadem verba in ſpeciebus conſecratis quæque perſeuerat eiuſdem ſpeciebus perſeuerantibus. Aduertô vlterius, formam conſecratoriam ſignificare Corpus Chriſti ſub ſpeciebus in ordine ad cauſandam gratiam ſacramentalem in ſumentibus per modum refectionis, &, quamuis enuntietur per copulam præſentis temporis. *Eſt*, in ordine tamen ad effectum, ad quem eſt ordinata, ſignificatio eiuſdem protrahitur ad totum tempus, ad quod Euchariſtia cauſare debet gratiam per modum refectionis in actuali ſumptione, qua poſita ſumptione, ſicuti ſpecies ipſæ deſinunt, ita deſinit, & præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, & tunc etiam ſolum illa ſignificatio; Nec nouum debet apparere, quod enuntiatio per particulam *eſt* de præſenti protrahatur quoad ſuam ſignificationem etiam ad tempus futurum, quandoquidem, vt bene notat *Cacheranus de Sacramento Euchariſtiæ tract. 9. cap. 3. §. 3. n. 46.*, plures ſunt enuntiationes de præſenti, quæ ineptæ forent, niſi eorum ſignificatio protraheretur ad futurum. Huiuſmodi ſunt iſtæ. Hic cibus aptus eſt ad veſcendum. Hic equus velox eſt ad currendum quarũ ſignificatio eſſet inepta, ſi ſolummodò pro tempore, quo proferuntur, ille haberet ſuauitatem ad cibum, iſte velocitatem ad curſum. Ex quibus deduco formam ſacramentalem perſeuerare moraliter in illa ſignificatione perſeuerante, quouſque ſpecies conſecratæ perſeuerant, quod etiam ex eo euincitur, quod æquè ſpecies conſecratæ ſignificant Corpus Chriſti, quando verba actu proferuntur, ac quando fuerunt antecedenter prolata, nam æquè ego ducor in cognitionem præſentiæ eiuſdem, quando audio verba proferri, ac quando noui eſſe prolata.

13 Hic modus explicandi hanc perſeuerantiam moralem formæ Euchariſticæ conſiſtentem in illa ſignificatione per verba relicta planior eſt, ac tutior, quam ille alius, qui conſtituit illam permanentiam in eiſdem verbis conſecratorijs non retractatis; quandoquidem iu primis forma intrinſeca debet eſſe in Sacramento; quod conſtituit; illa autem negatio retractationis eſt quidem in miniſtro, ſeu Chriſto Domino, non in ipſo Sacramento. Deindè, ſi conſiſteret in illis verbis non retractatis, poſita retractatione deberet deſinere Sacramentum, & ſic eſſet in poteſtate miniſtri poſt conſtitutum Sacramentum permanentibus adhuc in ſuo eſſe ſpeciebus, illud deſtruere per illam retractationem, quod non videtur dicendum.

Illa permanẽtia verborũ nõ poteſt cõſiſtere in non retractatione.

ARTICVLVS II.

Quomodo in conſecratione deſinat ſubſtantia panis, & vini.

SVMMARIVM.

De fide eſt, ſubſtantiam panis, & vini totalitèr deſinere. 1.
Sententia docens deſinere per anihilationem. 2.
Non deſinunt propriè per anihilationem. 3.
Non ideo non anihilantur, quia remaneant accidentia. 4.
Nec ideo, quia remaneant in potentia Corporis Chriſti Domini. 5.
Nec quia deſinant per actionem poſitiuam. 6.
Actio, qua deſinit panis, non terminatur in nihilum. 7.
Obiectum propoſitum, & diſſolutum. 8.
Cur ſubſtantia panis, & vini dicantur conuerti per conſecrationem in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, & ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in deſitione ſpecierum non dicatur conuerti in ſubſtantiam, quæ ſuccedit. 9.
Reſoluitur aliud obiectum. 10.

Certum eſt, in conſecratione ſubſtantiam panis, & vini omninò, & totalitèr deſinere, prout expreſsè deducitur ex *Trident. ſeſs. 13. can. 2.*, vbi anathematizat quemcunque, qui negauerit *in Sacroſancto Euchariſtiæ myſterio conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*, vbi nota illas particulas *totius ſubſtantiæ manentibus dumtaxat ſpeciebus*, quæ important omnimodam deſitionem cum ſola accidentium reſeruatione, & ſic, cum remaneant ſola accidentia, non remanet materia panis, nec forma eiuſdem, cum hæc important ex genere ſuo ſubſtantiam; nec item exiſtentia earundem, cum hæc non diſtinguatur à ſua eſſentia; nec item ſubſiſtentia; tum quia hæc eſt terminus vltimo complens, & perficiens ſubſtantiam, qua deſinente debet deſinere; tum quia ad quid prodeſſet illa ſubſiſtentiæ perſeuerantia? Certè non vt per ipſam accidentia à propria ſubſtantia ſeparata ſubſiſtant, cum accidens ad ſubſiſtendum non poſſit aſſumi; quod, ſi dicant, permanere talem panis, & vini ſubſiſtentiam, vt effectiuè ſuppleat cauſalitatem ſubiecti deficientis; tunc dicam ad hoc ſuperfluam eſſe, cum hoc præſtetur eminentiori modo à ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, vt alibi probauimus.

Subſtantia panis, & vini totaliter deſinunt. 1

Data iam hoc totali deſinentia ſubſtantiæ

2 Qui docent deſinere per anihilationem. tiæ panis, & vini, tota difficultatis ratio conſiſtet in examinando modo talis deſinentiæ, an ſcilicet fiat per anihilationem propriè ſumptam, an verò per ſolam conuerſionem tanquam modum ab eadem anihilatione diſtinctum. Fieri per anihilationem ſentiunt *Maior in 4. diſt. 11. qu. 1.*, *Gabriel ead. diſt. quæſt. 1. art. 3.*, *Rade controu. 7. art. 3. concl. 7.*, *Gauatius diſp. 3. quæſt. 6. c. 2.*, *Laurea diſp. 20. art. 6. n. 104.*, quos omnes ea ratione moueri arbitror, quia anihilatio eſt deſtructio rei nihilo ſui, & nihilo ſubiecti remanente; poſt conſecrationem autem cum nihil ſubſtantiæ panis, nec quoad formam ſubſtantialem, nec quoad materiam remaneat, certè anihilari dicenda eſt.

Ex aduerſo ſtatuunt non anihilari *Diuus Thomas tertia part. quæſt. 75. art. 3.*, *Suarez diſp. 50. ſect. 5. §. quinta ratio, & maior pars Thomiſtarum, & recentiorum*, cum quibus ſit

3 Non deſinunt per anihilationem. Aſſertio. Quamuis ſubſtantia panis, & vini in conſecratione totalitèr deſinat, non tamen propriè anihilatur.

Varias rationes diuerſi adducunt pro concilianda hac totali deſitione panis, & vini cum negatione anihilationis. Aliqui, inter quos *Paludanus in quarto diſtinctione 11. q. 3. art. 2.*, *Ledeſma quæſt. 16. art. 4.*,

4 Permanentia accidentium non tollit anihilationem. aſſerunt, quod, quamuis ſubſtantia panis, & vini totalitèr deſtruatur, nihilominus non anihiletur, quia remanent adhuc accidentia eorundem, vndè dici non poteſt totalitèr deſtrui, ſicuti requiritur ad veram, & propriam anihilationem. Verum, cum accidentia ſint extra rationem ſubſtantiæ, nec contineant in ſe eandem ſubſtantiam, non tollunt, quin eadem ſubſtantia dici poſſit anihilata, cum hæc nec ſecundum aliquid ſui exiſtat, nec in aliquo, in quo contineatur, & de cuius potentia educi poſſit.

Alij, inter quos *Egidius theorem. 1., & 34.*, dicunt ſubſtantiam panis in conſecratione non anihilari, quia remanet in potentia Corporis Chriſti, quatenus materia Corporis eiuſdem, cum ſit eiuſdem rationis cum materia panis, eiuſdem formam continet potentialitèr. Hinc rationem impugnat *Scotus in 4. diſt. 11. qu. 4. §. alio modo*, aſſerens, quod data hac ſententia, nulla ſubſtantia corporea poſſet anihilari remanentibus alijs corporibus, cum illa potentialitèr in iſtis contineretur. Sed poſſet reſpondere Egidius non valere hanc extenſionem ad alia corpora exiſtentia, quia illa non ſuccedunt ſubſtantiæ, quæ anihilaretur, nec ſubeſſet illius accidentibus, ſicut ſuccedit ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini ſubſtantiæ panis, & vini, & ſub horum accidentibus exiſtit. Melius igitur

5 Non ideò non anihilatur, quia remaneat in potentia Corporis Chriſti.

hæc ratio poſſet impugnari per hoc, quod, cum in conſecratione non ſolum forma ſubſtantialis panis, & vini deſtruatur, ſed etiam materia, non poteſt dici, quod horum materia potentialitèr contineatur in alia materia, adeoque, quod nec etiam de illius potentia poſſit educi.

Alij, inter quos *Suarez diſp. 50. ſect. 7. §. quinta ratio*, aſſerunt non anihilari, quia non deſinit per actionem negatiuam, ſeu per ſubtractionem Diuini concurſus, ſed per actionem phyſicam, & poſitiuam, qua ſeparantur accidentia panis, & vini à ſubſtantia eorundem, & ipſa accidentia conſtituuntur per ſe, ſed hanc rationem impugnat *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 7. §. 1. num. 16.*, tum ex eo, quod ponat actionem terminari ad accidentia panis, & faciat ſubſtantiam panis in accidentia deſinere, quod non videtur dicendum, cum actio directè terminet in poſitionem ſubſtantię Corporis Chriſti Domini, tum ex eo, quod faciat eadem accidentia, dum a ſua ſubſtantia ſeparantur, acquirere modum poſitiuum per ſe exiſtendi, quod proprium eſt ſubſtantiæ. Quamobrem reiectis his, & ſimilibus probationibus.

6 Nec quia deſinant per actionem poſitiuam.

Probo aſſertionem hoc medio. Actio, per quam deſinit ſubſtantia panis, & vini non terminat ad purum nihilum, ergo non eſt actio anihilatiua. Probatur antecedens, quia talis actio per ſe primò, & directè terminat ad ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, ex qua deindè ex Diuina diſpoſitione conſequitur deſitio ſubſtantiæ panis, & vini, ergo non terminat ad purum nihilum. Conſequentia probatur, quia actio anihilatiua habet pro termino non eſſe ſimplicitèr, & quomodocunque, ergo, ſi non habet pro termino nihilum, ſed aliquod poſitiuum non erit abſolutè anihilatiua.

7 Actio, qua deſinit panis non terminatur in nihilum.

Dices. Eſto, quod illa actio terminet ad quid poſitiuum, quatenus ad Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, non tollitur tamen, quin ex eadem conſequatur totalis deſitio panis ſubſtantiæ, & vini, quæ deſitio non eſt terminus proprius actionis poſitiuæ, ſed ſubtractionis Diuini concurſus ad conſeruationem illius ſubſtantiæ, qua ſubtractio conſequitur ad illam poſitionem Corporis, & Sanguinis Domini; vndè, ſicuti in illa actione duplex quodamodo terminus aſſignatur, alius exiſtentia Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus, alter non exiſtentia ſubſtantiæ panis, & vini ſub eiſdem ſpeciebus, ita duplex diſtinguitur quodamodo actio altera poſitiua, quæ terminat ad idem Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, altera negatiua, quæ terminat ad non eſſe panis,

8 Soluitur obiectum contrarium.

& vini

& vini ſub ſpeciebus, ergo, quantumuis actio poſitiua terminet ad poſitiuum, & ſub hac ratione non inuoluat anihilationem, prout tamen trahit negatiuum, ſeu ſubtractionem Diuini concurſus, quæ terminat ad non eſſe panis, inducet propriè anihilationem. Sed contra dato etiã, quod duplex illa actio detur altera, qua ſubſtantia panis de eſſe tranſeat ad non eſſe, altera qua ſubſtantia Corporis Chriſti de non eſſe ſub ſpeciebus tranſeat ad eſſe ſub illis; item dato, quod duplex quodammodo ſit terminus, alter deſitionis panis, & vini, alter poſitionis Corporis, & Sanguinis Domini; non tamen ex hoc ſequitur, quod deſitio panis, & vini quoad ſubſtantiam ſit propriè per anihilationem, quia duplex illa actio non ſe habet adinuicem merè extrinſecè, & per accidens, & materialitèr, ſed cauſalitèr, conſequentèr, & illatiuè, quatenus ex eo, quod cauſetur ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus, cauſatur etiam deſinentia ſubſtantiæ panis, & vini ſub eiſdem, ſicque actio, quę per ſe primò terminatur ad poſitiuum, terminatur cauſalitèr, illatiuè, & conſequentèr ad negatiuum, & licet ad hoc eſſe negatiuum concurrat etiam ſubſtractio Diuini concurſus, concurrit tamen ex conſequenti, & neceſſitate illatiua, quod ſufficit ad tollendam anihilationem propriè ſumptam, cum deſitio non ſit propriè in nihilum, ſed ad aliquod, quod licet non ſit ipſius terminus formalis, & immediatus, eſt tamen extrinſecus, eſſentialis, & mediatus, nec poteſt dici ſimpliciter, quod panis tranſeat in nihilum, ſed in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini, quod importat potius conuerſionem, quam anihilationem.

Dices ſecundò, quando ad deſitionem ſpecierum ſacramentalium deſinit ſub eiſdem ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini propriè non dicitur, quod ſubſtantia Corporis Domini conuertatur in ſubſtantiam nouæ materiæ, quæ de nouo producitur, ſed eadem ſubſtantia nouæ materiæ propriè, & verè de nouo producitur per creationem, ergo etiam quando

9 Deſinentibus ſpeciebus ſubſtantia Corporis Domini non conuertitur in ſubſtantiam, quæ ſuccedit, & quare.

ad poſitionem Corporis, & Sanguinis Domini deſinit ſubſtantia panis, & vini non poterit dici, quod hæc conuertatur in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini, ſed quod abſolutè deſinat per anihilationem; correſpondet etenim eſſentialitèr creationi anihilatio, ſicuti generationi corruptio. Sed contra, ſi diceretur in deſitione ſpecierum ſacramentalium ſubſtantiam Corpus, & Sanguinis Domini conuerti in ſubſtantiam nouæ materiæ, eo modo, quo in conſecratione ſubſtantia panis, & vini conuertitur in ſubſtantiam Corporis Domini, adeovt, ſicuti in hoc ſecundo caſu non dicitur ſubſtantia panis, & vini anihilari ita in primo caſu hæc noua ſubſtantia non dicatur creari, ſed præcisè conuerti; nihil ſecundum aliquos diceretur, quod eſſet dignum cenſura. Nihilominus; quia in caſu deſitionis ſpecierum, & per conſequens etiam præſentiæ realis Corporis, & Sanguinis Domini non interuenit aliqua actio tranſubſtantiatiua, quæ ſolum habetur per verba conſecratoria, non videtur eadem ratio conuerſionis militare in caſu deſitionis ſpecierum ſacramentalium, & productionis nouæ materiæ, quæ militat in caſu deſitionis ſubſtantiæ panis, & vini ſuperueniente ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus eiuſdem panis, & vini; vndè mirum non debet apparere, quod in deſitione ſubſtantiæ panis, & vini non dicatur hæc anihilari, ſed conuerti in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini, in deſitione verò ſpecierum ſacramentalium, & præſentiæ realis Corporis Domini ſub eiſdem ſpeciebus dicatur verè, & propriè noua materia, ſeu ſubſtantia creari, quia in primo caſu deſitionis panis, & vini interuenit actio conſecratoria, & tranſubſtantiua, non ſic in caſu ſecundo deſitionis ſpecierum. Aliæ etiam rationes diuerſitatis poſſent aſſignari, & primò, quia actio conſecratoria in deſitione ſubſtantiæ panis, & vini terminatur per ſe primò ad poſitionem Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, ex qua poſitione cauſalitèr, illatiuè, & conſequenter ſuccedit deſitio eiuſdem panis, & vini; in deſitione verò ſpecierum ſacramentalium, & præſentiæ realis Corporis Chriſti actio productiua nouæ materiæ terminat poſitiuè, & directè in eandem nouam materiam, quæ, cum antecedentèr non fuerit, nec in ſe ipſa, nec in aliquo alio, non poteſt eſſe, niſi terminus creationis; Secundò, quia indignum omninò videtur aſſerere ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini conuerti in ſimplicem ſubſtantiam alterius materiæ; non eſt autem indignum aſſerere ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiam Corporis Chriſti. Tertiò, quia in conſecratione panis, & vini ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini ponitur ſub communibus ſpeciebus tanquam ſub tertio, in deſitione verò Corporis, & Sanguinis Chriſti noua ſubſtantia, quæ producitur, non ponitur ſub aliquibus ſpeciebus communibus, ſed ſub proprijs accidentibus eiuſdem ſubſtantiæ; Nec officiunt ea, quæ ſubdebantur, ſcilicet creationem, & anihilationem ſibi adinuicem eſſe relatiua, adeovt, ſicuti ſubſtantia panis deſinens eſſe ſub ſpeciebus non anihilatur, ita

& ſubſtantia, quæ poſtea in deſitione ſpecierum de nouo producitur, non creatur. Non officiunt, inquam, quia hæc procedunt ad ſummum, quando tam productio, quam deſtructio procedunt modo ordinario, & conſueto, ſecus quando, vel vna, vel altera procedit modo inſueto, & extraordinario, vt euenit in caſu præſenti, ſecundum quem deſtructio ſubſtantiæ panis fit modo inſueto tranſubſtantiationis non cognitæ à phyloſophis, & ſolum à Theologis dependentèr ab hoc myſterio Euchariſtiæ.

10 *Reſoluitur aliud obiectum.* Dices tertiò, ſi deſtructioni vnius materiæ, vel vnius Angeli ſuccederet immediatè altera materia, vel alter Angelus non per hoc tolleretur quin materia, vel Angelus deſtructus deberet dici anihilata, vel anihilatus, cum nihil prioris materiæ, vel prioris Angeli remaneret; ergo etiam, quantumuis ad deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini ſuccedat ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini, non per hoc poteſt dici, quod ſubſtantia panis, & vini non ſit anihilata? Sed contra deſtructioni vnius materiæ, vel vnius Angeli poteſt ſuccedere alia materia, vel alter Angelus tripliciter; primò, quatenus licet alia materia, vel alter Angelus immediatè ſuccedat, non ſit tamen aliqua connexio, nec aliqua dependentia vnius ab altera; ſed talis ſucceſſio ſit accidentalis; Secundò, quatenus inter materiam deſinentem, & ſuccedentem ſit quidem aliqua connexio, ſed non ab intrinſeco, & ex natura ſua, ſed tantum ab extrinſeco Dei decreto. Tertiò, quatenus inter vtrumque ſit neceſſaria connexio, & dependentia ab intrinſeco, & ex natura vtriuſque; Hinc dico, quod, ſi deſtructioni vnius materiæ, vel vnius Angeli ſuccedat alia materia, vel alter Angelus iuxtà primum ſenſum, non tollatur, quin Angelus, qui deſtruitur, dicatur propriè anihilari, cum non reſoluatur in materiam, vel Angelum ſuccedentem, tanquam in terminum, cum hic ſit omninò extrinſecus, accidentalis, & diſparatus; ſi deſtructioni vnius ſuccedat altera materia, vel Angelus iuxta ſecundum ſenſum; res eſt ſub diſſidio, an prima dicatur anihilari, nec ne, cum ſub diſſidio ſit, an decretum, ex quo oritur illa connexio, validum ſit, vt dicatur vnum in alterum conuerti, de qua re erit alibi ſermo; pro nunc dico, non conſtituere talem connexionem, vt poſſit dici vnum in alterum conuerti, cum decretum nihil vnius intrinſece in altero conſtituat; ſi deſtructioni vnius ſuccedat altera, vel alter iuxtà tertium ſenſum dico, primam materiam, vel primum Angelum propriè non anihilari, cum prima, vel primus reſoluatur in ſecundam, vel ſecundum tanquam in terminum, & in hoc ſenſu propriè fit conuerſio, & iuxtà hunc tertium ſenſum procedit optimè paritas inter ſubſtantiam panis, & vini deſinentem vi conſecrationis in Sacramento Euchariſtiæ, & inter ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini ſuccedentem.

ARTICVLVS III.

Quomodo Chriſtus Dominus conſtituatur ſub ſpeciebus panis, & vini, & quomodo deſinat.

SVMMARIVM.

Conſtituitur ſub ſpeciebus per actionem reproductiuam. 1.
Non per merè conſeruatiuam. 2.
Terminus huius actionis non eſt modus ſubſtantialis. 3.
Nec ſubſtantia Corporis Chriſti, prout ſupplet defectum ſubſtantiæ panis. 4.
Nec præcisè conſiſtit in hoc, quod id, quod erat panis, modo incipiat eſſe ſubſtantia Chriſti. 5.
Reijcitur alius modus, quo explicatur hic terminus. 6.
Item alius modus ſimilis. 7.
Terminus huius actionis eſt Chriſtus reproductus. 8.
Non conſtituitur ſub ſpeciebus per actionem merè adductiuam. 9.
Ratione phyloſophica hoc euincitur. 10.
Item Theologica. 11.
Item auctoritatibus Eccleſiæ, & SS. PP. 12.
Non repugnat idem moralitèr influere in ſe ipſum. 13.
Nec quod idem poſſit eſſe per duplicem actionem. 14.
Reijcitur actio vnitiua, prout explicatur ab aduerſarijs. 15.
Reijciuntur alia obiecta. 16.
Deſinentibus ſpeciebus deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti per ceſſationem actionis reproductiuæ. 17.
Deſinit per actionem oppoſitam inceptioni. 18.
Non per meram ceſſationem præſentiæ. 19.
Nec per extrinſecam mutationem ſpecierum. 20.
Nec per tranſitum localem à ſpeciebus ad Cælum. 21.
Nec per anichilationem. 22.
Nec per tranſubſtantiationem. 23.
Et hoc ſpecialibus rationibus euincitur. 24.
Non deſinit ſtatim, ac ſpecies dentibus conteruntur. 25.
Nec quando proijciuntur ſpecies in locum immundum, & quando comeduntur à mure. 26.

Deſinit

Deſinit quando ſpecies in ſtomachum traiecta mutantur. 27.
Modicum tempus ad has alterationes ſuffi-cit. 28.
Fines, ob quos fiunt apparitiones in Hoſtia con-ſecrata. 29.
Apparitiones huiuſmodi, vel fieri poſſunt per mutationem ſubiecti, vel per mutatio-nem potentiæ. 30.
Si fiant per mutationem potentiæ Chriſtus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus. 31.
Facta mutatione tali in ſpeciebus, vt non re-maneret ſubſtantia panis, nec remanet præſentia Corporis Chriſti. 32.
Quandonam intelligatur talis mutatio. 33.
Caro, vel puer, quæ tunc apparent, an ſint ſubſtantia Corporis Chriſti, & an Sacra-mentales. 34.
Manentibus accidentibus proprijs, & muta-ta ſolum dimenſione probabilius remanet ſubſtantia Corporis Domini. 35.

AD deſitionem ſubſtantiæ panis, & vini ſuccedit ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini; quare, cùm iam egerimus de modo, quo panis, & vinum deſinit, congruo ordine neceſſe agendum eſt de modo, quo Corpus, & Sanguis ſub ſpeciebus conſtituitur, & de modo, quo poſtea deſinit eſſe ſub eiſdem. Circa modum, quo Corpus Chriſti Domini, & eius Sanguis ſub ſpeciebus conſtituitur, tres inuenio ſententias, quarum prima docet actionem, qua conſtituitur, eſſe productiuam eiuſdem Corporis, & Sanguinis Domini ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale; Secunda dicit eſſe conſeruatiuam eiuſdem ſub iiſdem ſpeciebus; Tertia aſſerit, eſſe adductiuam, per quam conſtituatur præſens, tum loco, in quo exiſtunt ſpecies, tum ipſis ſpeciebus, & ſingulæ hæ tres ſententiæ à diuerſis diuerſimodè explicantur. Omiſſis his dicendi modis, quorum incidet ſermo in probationibus, & ſolutione obiectorum aduerſantium me confero ad propriam ſententiam.

1 Conſtituitur per actionem reproductiuam. Aſſertio I. Corpus, & Sanguis Chriſti Domini conſtituitur ſub ſpeciebus ſacramentalibus ad deſitionem ſubſtantiæ panis, & vini per veram actionem reproductiuam *D. Thomas quæſt. 75. art. 4.*, *Suarez diſp 50 ſect. 5. §. quintus ergo Coninchus quæſt. 75. art. 4 dub. 3.*, *Madernus quæſt. 3. art. 6. num. 14.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 7. §. 1. n. 46., & ſeqq.* quidquid ex aduerſo dixerint *Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 3.*, *Maior ibidem quæſt. 1.*, *Maſtrius diſp. 3. quæſt. 12. art. 2.*, & alij plures tum ex Scotiſtis, & Nominalibus, quam ex recentioribus.

Probatur primò, reijciendo opinionem ſtatuentem conſtitui ſub ſpeciebus per actionem conſeruatiuam, per quam terminus ad quem cunſeruetur actione connexa cum deſitione termini à quo. Probatur, 2 Non per mera cōſeruatiuam.
inquam, nam, vel nomine huius actionis conſeruatiuæ intelligunt actionem nouam non in ſe, & intrinſecè, ſed extrinſecè, & connotatiuè, quatenus Corpus Chriſti, quod iam conſeruabatur in propria ſpecie, incipiat conſeruari ſub ſpeciebus ex deſitione, & connotatione panis deſtructionis, vel intelligunt actionem omninò, & entitatiuè diuerſam ab ea, qua conſeruatur in ſua ſpecie. Neutrum ex his dici poteſt, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia hæc actio noua, quæ eſt ſolummodò extrinſecè talis, vel ſupponit aliam actionem per quam Chriſtus verè, & realitèr conſtituatur ſub ſpeciebus, vel aliam non ſupponit, ſi ſupponit aliam actionem, iam ipſa non eſt formalitèr conſtitutiua eiuſdem Chriſti ſub ſpeciebus, ſed illa alia; ſi non ſupponat aliam actionem, quomodo ipſa, cum ſit extrinſeca, & ſolum connotans deſitionem panis poteſt conſtituere intrinſecè Chriſtum præſentem, & tranſubſtantiatum ſub ſpeciebus? Deindè incipi conſeruari ſub ſpeciebus ſupponit eſſe ſub eiſdem ſpeciebus; per quid ergo conſtituitur ſub ſpeciebus primò; ſi dicas conſtitui per eandem actionem cōſeruatiuam; cum hæc non diſtinguatur ab actione primò productiua, & conſeruatio nihil aliud ſit, quam continuata productio. In primis eſt impropria locutio, cum actio primò productiua non ſit propriè conſeruatiua, cum illa conſtituat primum eſſe, hæc ſolummodò ſecundum, & continuatum. Deindè illa actio, quæ aſſeritur non diſtincta ab actione conſeruatiua Chriſti Domini in propria ſpecie abſolutè, ſed dumtaxat connotatiuè ad deſitionem ſubſtantiæ panis, & vini, non eſt ſufficiens ad conſtituendum Chriſtum Dominum ſacramentalitèr ſub ſpeciebus, quandoquidem actio conſtitutiua eſt actio conuerſiua, & tranſubſtantiatiua, quæ principalitèr ex ſuperius dictis debet habere terminum ſubſtantialem, in quem conuertitur prior ſubſtantia. Minor quoad ſecundam partem etiam probatur, quia illa actio, quæ aſſeritur diſtincta ab ea, qua conſeruatur Corpus Chriſti Domini in propria ſpecie, debet habere nouum, & diſtinctum terminum ſaltem quoad modum ab illo, quem habet actio conſeruatiua in propria ſpecie; iam peto, quid ſit iſte terminus diſtinctus?

Dicunt aliqui primò, eſſe modum ſubſtantialem, quo Corpus Chriſti ſubſtantialitèr vnitur ſpeciebus. Sed hoc aſſertum 3 Terminus actionis non eſt modus ſubſtantialis.
in noſtris principijs nullo modo poteſt ſubſiſtere, ſecundum quæ non conſtituimus actiones in modo ſuperaddito, ſed præ-

ciſè

ciſè in complexo agentis, & termini. Deindè etiam ſi actiones in modo ſuperaddito conſiſterent in præſenti hypotheſi in primis non poſſet eſſe ſubſtantialis, cum Corpus Chriſti vniret accidentibus, & , ſicuti, ſubſtantia panis ante conſecrationem non vniebatur modo ſubſtantiali cum ſuis accidentibus, ita neque tali modo ſubſtantiali Corpus Chriſti, quod ſuccedit ſubſtantiæ ejuſdem panis, poteſt eiſdem accidentibus vniri. Deindè non poteſt eſſe terminus talis actionis, nam actio maximè conuerſiua eſt tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam, non in modum ſubſtantiæ.

4 Dicunt alij, terminum formalem huius actionis eſſe quidem ſubſtantiam Corporis Chriſti non vt præexiſtentem, ſed prout ſupplentem officium ſubſtantiæ panis, quę deſijt, quod nouum munus acquirit ex vi actionis conſecratiuæ. Sed hoc quoque aſſertum non poteſt ſubſiſtere, quia hoc, quod habeat ſupplere officium ſubſtantiæ panis debet ſupponere, quod exiſtat ſub ſpeciebus panis; quæro iam, per quam actionem ibi ſit conſtituta ſubſtantia Corporis Chriſti; ſi dicatur; per actionem adductiuam; infrà in ſequenti probatione hoc dictum eludetur; ſi dicatur per actionem productiuam, tunc quæro, quinam ſit terminus huius actionis? Certè non poteſt eſſe, niſi ſubſtantia Corporis Chriſti de nouo producta, quod eſt id, quod nos dicimus in aſſertione, & infra probabitur.

Nec ſubſtantia Corporis Chriſti prout ſupplet defectum ſubſtantiæ panis.

5 Dicunt alij, non eſſe quidem ſubſtantiam Corporis Chriſti conſideratam ſecundum ſe, & vt præexiſtit, ſed prout id, quod erat panis, nunc ex vi conſecrationis incipiat eſſe Corpus Chriſti, ſub qua ratione non præexiſtit, ſed fit per actionem ipſam conuerſiuam. Sed nec hic modus poteſt arridere; nam per ly, *id quod erat panis*, vel intelligunt aliquam rem indiuiduam, & ſubſtantialem, vel aliquod indiuiduum vagum in ordine ad ſpecies, quatenus continetur ſub illis; ſi primum intelligant; iam deſtruunt tranſubſtantiationem in verum Corpus Chriſti, quia ponunt terminum a quo manere aliquo modo in ſubſtantia ſua, ex quo fit, non poſſe conuerti in Corpus Chriſti; ſi ſecundum intelligant; hoc ſolum importat ſubſtantiam Corporis Chriſti, vt contentam ſub ſpeciebus eſſe terminum huius actionis conuerſiuæ; hoc autem eſt merè quid accidentale, nec explicat, quid per hoc fiat in Corpore Chriſti, niſi, quod contineatur ſub ſpeciebus, & acquirat præciſè præſentiam realem.

Nec hoc, quod id, quod erat panis modo ſit ſubſtātia Chriſti.

6 Dicunt alij, terminum huius actionis eſſe quidem ſubſtantiam Corporis Chriſti, quatenus in eam eſt conuerſa ſubſtantia panis, non quia aliquid de nouo circa illud fiat, vel aliquid addatur, ſed quia deſitio panis in illud terminatur ſine ſui mutatione. Sed in hoc modo explicandi adhuc remanet inquirendum, quid importet, deſitionem panis terminari in Corpus Chriſti; ſi dicant importare hoc, quod ſubſtantia panis imbibatur, & abſorbeatur in ſubſtantia Corporis Chriſti; tunc adhuc inquiram, an hoc imbibi, & abſorberi importet aliquid ſubſtantiæ panis imbibiti, & abſorti remanere, & hoc certè non, quia remanent juxtà definitionem Conciliorum, & præcipuè *Concilij Tridentini ſeſs. 13. cap. 7.* ſolum accidentia; vel nihil remanere, & tunc certè, cum nihil in Corpore Chriſti conſtituat, nec mutet, nec aliquid addat, non videtur, niſi inducere denominationem aliquam extrinſecam, quæ certè non videtur poſſe terminare actionem, cum ſit quod merè extrinſecum, & accidentale.

Eluditur alius modus ſimilis.

Dicunt alij, huiuſmodi actionis terminum eſſe ſubſtantiam Corporis Chriſti, non quia de facto talis actio influat in Corpus ſubſtantiale eiuſdem Chriſti, ſed quia apta eſt, & efficax ad influendum eſſe ſubſtantiale in idem Corpus, ſi alibi non adeſſet. Sed nec hic modus explicandi poteſt ſubſiſtere, quandoquidem hic agimus de actione non de virtute agendi; actio autem, vt talis eſt, debet habere actu ſuum terminum. 7

Item alius non diſſimilis.

Dicendum igitur eſt, huiuſmodi terminum non poſſe eſſe, niſi ſubſtantiam Corporis Chriſti, vt reproductam actu media conſecratione, ſeu actione tranſubſtantiatiua, quæ incongruè dicitur conſeruatiua, cum, vt talis ſupponat primum eſſe productum; ſed de hoc fusè agetur in probatione directa noſtræ aſſertionis. 8

Terminus huius actionis eſt Chriſtus reproductus.

Probatur ſecúdò reijciendo opinionem hanc actionem conuerſiuam in actione adductiua referentem hoc pacto. Vel nomine actionis adductiuæ intelligitur actio, qua per motum localem res ab eſſe alibi transfertur huc, hoc eſt Corpus Chriſti transferatur ab eſſe in alio loco ad eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus, vel intelligitur, quatenus ſine tali motu locali conſtituatur præſentia realis ſub ſpeciebus; ſi primum intelligatur; non videtur vllo modo poſſe ſubſiſtere, quia tranſitus ab vno loco ad alium neceſſario ſupponit recedere à tali loco tanquam à termino à quo, & accedere ad iſtum tanquam ad terminum ad quem; ſed hoc non fit in tranſubſtantiatione Euchariſtica, quandoquidem Chriſtus Dominus, qui eſt in Cælo glorioſus in ſua ſpecie, ab eſſe ibi non recedit, vt ſit ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ergo per actionem adductiuam hoc modo explicatam &c. Deindè actio tranſubſtantiua eſt actio inſtantanea; quæ haberi nequit 9

Actio adductiua reprobatur.

quit per motum localem, qui ex genere ſuo eſt ſucceſſiuus. Si ſecundum aſſeratur; ſemper remanet explicandum, per quid habeatur iſta realis præſentia: Certè non poteſt eſſe realis præſentia, niſi ſit realis exiſtentia eius, qui dicitur præſens, quomodo igitur conſtituitur ibi Chriſtus exiſtens, vbi antecedentèr non exiſtebat? Dicit Scotus, in hoc diſtinguendam eſſe duplicem actionem; alteram conuerſiuam terminatam ad ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini ſecundum ſe nulla facta in illa mutatione, alteram adductiuam terminatam ad præſentiam. Sed, præterquamquod inutilitèr multiplicat has actiones, nam poſita præcisè exiſtentia in tali loco ipſo facto reſultat præſentia realis in tali loco, cum hæc non diſtinguatur à re exiſtente, & loco, adhuc non explicat per quid conſtituatur exiſtens in tali loco, & ſub talibus ſpeciebus, ſi ibi non producitur, nec adducitur, nec fit aliqua mutatio in eodem.

10 Et primo ratione Phyloſophica. Probatur tertiò, directè noſtra aſſertio primò ex confutatione aliarum opinionum hucuſque præſtita. Secundò ratione phyloſophica, quia res, quæ prius hic non exiſtebat, non poteſt modo eſſe hic, niſi vel hic producatur, vel ab eſſe alibi huc tranferatur, ergo, nec Corpus Chriſti Domini poteſt eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ſub quibus prius non erat, niſi ſub eiſdem de nouo producatur, vel ab alio loco ad eaſdem transferatur; ſi primum dicatur; habemus intentum; ſi ſecundum, iam confutatum remanet ex dictis in ſecunda probatione. Confirmatur; non poteſt aliquid fieri coexiſtens huic tempori, niſi vel producatur in hoc tempore, vel productum in alio tempore vſq; ad hoc tempus quoad exiſtentiam protrahatur; ergo neque poteſt eſſe coexiſtens huic loco, niſi in hoc producatur, vel ab alio in iſtum protrahatur.

11 Secunda etiam Theologica. Probatur quartò, ratione Theologica. Tranſubſtantiatio ex genere ſuo eſt ad terminum ſubſtantialem, cum & ipſa ſit actio ſubſtantialis; ſed hic terminus ſubſtantialis non poteſt eſſe quid aliud à ſubſtantia Corporis Chriſti Domini, quæ de nouo producatur, ergo terminus talis tranſubſtantiationis non poteſt eſſe, niſi ſubſtantia Corporis Chriſti Domini reproducta. Maior non videtur pati aliquam difficultatem, quia tranſubſtantiatio eſt conuerſio vnius ſubſtantiæ in aliam, & in præſenti materia tranſitus panis in Corpus Chriſti, & hic etiam elucet minor quoad primam partem; quoad ſecundam verò ſic euincitur, quia ſubſtantia Corporis Chriſti non poteſt eſſe terminus illius tranſubſtantiationis, niſi, vt ibi producta, non enim eſt talis, vt ibi adducta, vt ſuprà probaui-mus, nec præcisè ſecundum præſentiam nulla facta mutatione in ipſa, ergo &c.

Ad hanc aſſertionem confirmandam, multum conferunt auctoritates SS. PP., qui tribuunt veram efficientiam, & cauſalitatem verborum conſecrationis in Corpus Chriſti Domini, quæ certè congruentius important productionem; ſic primò Eccleſia in Hymno feſtiuitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti canit: *Verbo carnem efficit, fitque Sanguis Chriſti merum*. Sic D. *Ambroſius lib. 3. de Sacramento cap. 4. Panis iſte panis communis eſt ante verba Sacramentalia, vbi aduenerit conſecratio de pane fit Corpus Chriſti*. Sic D. Auguſtinus *relatus in cap. vtrum ſub figura de conſecrat. diſt. 2.*, aſſerit *Per Spiritum Sanctum potentialitèr creari, & ex ſubſtantia panis effici*. Sic D. Damaſcenus *lib. 4. cap. 14. Panem, & vinum Carnem, & Sanguinem ſuum efficit*. Sic tandem *D. Gregorius, & Auguſtinus exclamarunt. O magna Sacerdotum dignitas in quorum manibus velut in vtero Virginis Chriſtus quotidiè incarnatur*. 12 Tertio auctoritatibus SS. PP., & Eccleſiæ.

Firmata iam noſtra concluſione expedit iam eandem à contrarijs obiectis vindicare, quæ modo profero, & diluo. Primum eſt, quia data noſtra ſententia idem eſſet cauſa ſui ipſius, ſed hoc eſt omninò repugnans, ergo, & erit repugnans noſtra ſententia. Maior probatur, quia principalis offerens, & ſacrificans eſt Chriſtus Deus, qui non mediatè ſolum, ſed immediatè per veram actionem in ſingulis ſacrificijs concurrit, ergo, ſi Chriſtus Dominus quoad eſſe ſubſtantiale reproduceretur ſub ſpeciebus, ipſe per veram cauſalitatem ſe ipſum produceret. Minor etiam probatur, quia cauſa maximè efficiens, vtpotè relatiua ad effectum debet ab eodem effectu diſtingui. Sed contra; Aliqui non diſtinguentes inter cauſas phyſicas, & morales abſolutè aſſerunt idem ſecundum diuerſam rationem poſſe ſe ipſum cauſare, & ſignantèr in hac materia, quod Chriſtus Dominus exiſtens ſecundum ſuum eſſe naturale poſſit ſe ipſum cauſare in diuerſo loco ſecundum eſſe ſacramentale, eo quia non ſequantur illa abſurda, quæ ſequerentur, ſi idem ſecundum idem ſe ipſum cauſaret, nempè, quod idem eſſet prius, & poſterius ſe ipſo; nam eſſet ſolummodò prius ſecundum eſſe naturale, & poſterius ſecundum eſſe ſacramentale. Sed ego ſic indefinitè, & in vniuerſum non libentèr annuerem huic reſponſioni, cum non videam, quomodo cauſa phyſica maximè principalis poſſit in ſe ipſam quoad eſſe influere; influens enim cauſæ phyſicè maximè efficientis debet eſſe ad diuerſa. Quamobrem diſtinguendo inter cauſas phyſicas, & morales dico, illas ſemper referri ad quid di- 13 Idem poteſt moralitèr in ſe ipſum influere.

diſtinctum, non ſic iſtas; vndè in præſenti hypotheſi dico, Deum eſſe cauſam principalem phyſicam ſubſtantiæ Corporis Chriſti in Sacramento reproducti, Chriſtum Dominum ſolum cauſam moralem principalem, ac proindè ipſe poteſt moralitèr in ſe ipſum agere mouendo Deum principalitèr ad ſui productionem.

Secundum eſt, quia idem numero effectus nequit habere duas actiones totales, ſed ſi Corpus Chriſti per veram actionem ſubſtantialem quoad ſuum eſſe ſubſtantiale reproduceretur ſub ſpeciebus, duas haberet actiones totales, & diſtinctas, vnam qua conſeruaretur in Cœlo, & aliam, qua reproduceretur ſub ſpeciebus, ergo &c. Adde, quod daretur noua actio ſine termino nouo, quia id, quod producetur, iam erat. Sed hæc parum negotij

14 Non repugnat idem eſſe per duplicem actionem

nobis poſſunt faceſcere, qui, ſicuti ſuſtinuimus in phyſicis vnum, & eundem numero effectum poſſe ſimul à duabus cauſis, & per duplicem actionem ſe tenentem, & parte cauſæ procedere; quinimmò, & per duplicem cauſam etiam diuiſim, ita ſine difficultate poſſumus in præſenti ſuſtinere, eundem effectum per duplicem totalem actionem poſſe eſſe, & conſeruari, potiſſimum cum iſtæ actiones non ſint eiuſdem rationis, & effectus conſideretur in diuerſo ſtatu, & diuerſo modo eſſendi. Ad illud, quod ſubditur, dicendum, eſt ex noſtra aſſertione non ſequi, quod detur actio ſine termino, ſed quod duplex, vel multiplex actio ſit ad vnum, & eundem terminum, & quidem ſub diuerſo modo eſſendi, in quo nullum inuenio inconueniens.

Tertium eſt, quia actio ſubſtantialis reproductiua ſubſtantiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini non eſt neceſſaria, nec ſufficiens ad conſtituendum Chriſtum ſacramentalitèr in Sacramento, ergo Chriſtus Dominus non accipit eſſe in Sacramento per realē reproductionem. Antecedens quoad primam partem ſic euincitur, quia nō eſt neceſſaria ratione tranſubſtantiationis, nec ad verificanda verba conſecrationis; non ex primo capite, quia ipſa tranſubſtantiatio poteſt eſſe ad terminum ſubſtantialem vel adductum, vel productum; non ex ſecundo, quia verba conſecrationis ſuam complent ſignificationem per hoc, quod Chriſtus conſtituatur præſens ſpeciebus ſacramentalibus, at non important modum reproductionis, quo talitèr conſtituatur præſens. Probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, quia ſubſtantia Corporis Chriſti etiam vt reproducta non conſtituit hoc Sacramentum, nam ſi reproduceretur extra ſpecies, certè ſacramentalitèr ſaltem ſecundum præſentem inſtitutionem non exiſteret, ergo, in tantum conſtituit Sacramentum, in quantum ſubſtat, & eſt ſub ſpeciebus loco panis, ergò requiritur aliqua alia actio præter reproductiuam, qua conſtituatur præſens eiſdem ſpeciebus, & illis ſubſtet, quæ actio non poteſt eſſe, niſi illa, quam Scotus, & eius ſectatores appellant adductiuam. Hoc confirmari poteſt exemplo animæ rationalis, quæ non eſt terminus generationis, prout producitur, ſed vt vnitur corpori, ergo etiam ſubſtantia Corporis Chriſti Domini non erit terminus conuerſionis, prout reproducitur, ſed tantum, vt vnitur ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis deficientis. Sed etiam huic argumento facilè poterit reſponderi, ſi recurramus ad præcedentèr dicta, vbi confutauimus, tanquam ſufficientem ad ſaluandam tranſubſtantiationem modum exiſtendi per ſimplicem adductionem, niſi hæc ſumatur prò vera reproductione; vel etenim hæc adductio per aduerſarios ſit per motum localem, vel ſine eodem; ſi per motum localem; iam ſupra oſtenſum eſt, hoc eſſe non poſſe, niſi Corpus Chriſti Domini recedat à termino à quo, quod non euenit; ſi ſine motu locali; imperceptibile eſt, quomodo poſſit hic, ideſt ſub ſpeciebus exiſtere, niſi hic producatur.

15 Soluitur obiectum aduerſantium.

Quod, ſi dicas, hanc adductionem duplicem importare actionem, alteram, qua reproducatur, alteram, qua conſtituatur vnitum ſpeciebus, ſed primam tantum tanquam præambulam, ſecundam verò requiri tanquam conſtitutiuam formalis termini actionis tranſubſtantiatiuæ, tunc dicam in primis hanc actionem reproductiuam non agnouiſſe Scotum, nec eius ſectatores. Deindè ſecunda actio vnitiua videtur omninò ſuperflua ſtante potiſſimum noſtra ſententia negante quaſcunque vniones conſiſtentes in entitate ſuper addita, ſed præcisè conſtituente in complexis; nam poſito præcisè, quod Corpus Chriſti ponatur loco ſubſtantiæ panis, eo ipſo intelligitur complexum cum illis, & cum loco abſque aliquo alio. Ad illud, quod ſubditur de verificatione verborum conſecrationis, dico, illa non importare præciſam præſentiam, ſed veram, & propriam efficientiam, ex qua conſequitur præſentia; ſi enim ſimplicem præſentiam importarent, ly *hoc*, & *hic* poſſent ſumi aduerbialitèr, cum æque ſic ſumpta poſſent indicare, & ſignificare talem præſentiam, quod certè aduerſarij non admittunt; cum ergo ſubſtantiuè importentur, certè quid aliud à ſimplici præſentia important, quod aliud eſſe non poteſt, niſi efficientia, & cauſalitas. Ex ijs, quæ dicta ſunt, patet etiam quid ſit reſpondendum ad id, quod

fuit

fuit adductum in probatione ſecundæ partis antecedentis poſitæ in inſtantia contraria, eo etenim ipſo, quo ſubſtantia Corporis Chriſti eſt reproducta, & ſuccedit loco ſubſtantiæ panis, eo ipſo reſultat præſentia eiuſdem ſub ſpeciebus; nec valet paritas de anima rationali, quia, cum ipſa vniatur corpori per modum actus, exigit, non vt præciſè producatur, ſub qua ratione conſideratur ſolum, vt terminus creationis, ſed vt vniatur per modum actus, ſub qua ratione habetur, vt terminus generationis ſimul cum materia, cui vnitur, quod non militat in Sacramento, nam eo ipſo, quo ſubſtantia Corporis Chriſti reproducitur loco ſubſtantiæ panis, conſtituit complexum cum ſpeciebus, & loco.

16 Reijciuntur nonnulla alia obiecta.

Quartum eſt, quia data hac actione reproductiua, & Corpore Chriſti in ſingulis conſecrationibus reproducto tot renouarentur Incarnationes, & vniones hypoſtaticæ, quot multiplicantur conſecrationes; item toties Chriſtus ſe ipſum reproduceret, quoties ſimul cum Sacerdote tanquam offerens immediatus, & principalis conſecraret; item, quod Chriſtus Dominus in Sacramento exiſtens non poſſet dici Filius Deiparæ, cum reproduceretur independenter ab ipſa; item, quod quoties deſinentibus ſpeciebus deſineret eſſe ſub eiſdem, toties deſtrueretur ſubſtantialitèr, quæ omnia videntur abſurda. Sed his omnibus facilè occurrere poſſumus aſſerentes ad primum, nullum eſſe inconueniens, quod iterentur Incarnationes, & vniones hypoſtaticæ retenta ſua vnitate numerica, quod etiam benè notarunt D. Gregorius, & D. Auguſtinus in recitata ſuperius ſententia. *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in vtero Virginis Chriſtus quotidiè incarnatur.* Ad ſecundum, iuxta ſuperius dicta Chriſtum concurrere ad ſui reproductionem ſolum moralitèr; Ad tertium ex identitate numerica, quam Chriſtus habet in Sacramento quoad ſui eſſe cum exiſtentia, quam habuit à Deipara Virgine optimè dici Filius Virginis etiam, vt exiſtens in Sacramento, præcipuè cum exiſtentia, quam habuit à Virgine ſit primum eſſe fundamentale, & radix cuiuſcunque eſſe in alio loco. Ad quartum infrà reſpondebitur in ſequenti aſſertione.

Sic ſtabilito modo exiſtendi Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis deſcendimus ad inueſtigandum modum, quo deſinentibus eiſdem ſpeciebus deſinat ab eſſe in Sacramento, quod eſt id, quod propoſuimus examinandum in ſecunda parte tituli.

Aſſertio II. Deſinentibus ſpeciebus Euchariſticis deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti Domini per ceſſationem illius actionis, qua fuit reproducta in conſecratione. 17 Per ceſſationem actionis reproductiuæ deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti deſinentibus ſpeciebus. Conſentiunt in hoc *Amicus diſp 22. num. 9.*, *Arriaga diſp. 39. ſect. 1.*, *Gonetus diſp. 5. art. 5.*, *Madernus quæſt. 4. art. 9.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 7. §. 3. num 59.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia deſinentia rei eſt modus oppoſitus incæptioni eiuſdem rei, ſed Corpus Chriſti Domini incæpit exiſtere in Sacramento, ſeu ſub ſpeciebus Euchariſticis per reproductionem eiuſdem quoad eſſe ſubſtantiale, ergò debet deſinere per actionem oppoſitam, ſeu per ceſſationem à tali actione, qua ceſſet eſſe ibi quoad idem eſſe ſubſtantiale. 18 Deſinit per actionem oppoſitam incæptioni. Quod, ſi dixeris, ex hoc potius argui, quod, ſicuti Corpus Chriſti fuit reproductum per tranſubſtantiationem panis in ipſum, ita debeat deſinere per tranſubſtantiationem ipſius in aliam materiam; ſtatim impugnaberis, quia diſpar omninò eſt ratio de incæptione quoad tranſubſtantiationem, ac de deſinentia quoad eandem; primò, quia ad ſaluandum myſterium ineffabile Euchariſtiæ iuxtà modum præſentis inſtitutionis neceſſe fuit, vt panis in Corpus Chriſti, vinum in Sanguinem conuerteretur, in quo conſiſtit ineffabilitas Sacramenti, quod myſterium ineffabile non reperitur in deſinentia eiuſdem Sacramenti, quinimmo ſingularitas huius myſterij non eluceret, ſi fieret communis modus etiam in deſinendo. Secundò, quia in incæptione terminus formalis actionis reproductiuæ, ſeu tranſubſtantiatiuæ remanet ſub communi tertio, nempè ſub ſpeciebus Euchariſticis, in deſitione verò non tranſit ſub tertio cõmuni. Deindè, quamuis regularitèr, & naturalitèr loquendo, quod incæpit per generationem, deſinat per corruptionem, &c., quod per creationem incæpit, deſinat per anihilationem; nihilominus ſpectata virtute Diuina, quod incæpit per generationem poteſt deſinere per anihilationem &c., ita non eſt, cur ſpectata eadem virtute id, quod per tranſubſtantiationem productum eſt, non poſſit deſinere alio modo ab ipſa tranſubſtantiatione. Sufficit ergo ad præſens inſtitutum, quod, ſicuti Corpus Chriſti habuit eſſe per actionem reproductiuam, ita ceſſet à tali eſſe per ceſſationem à tali actione.

19 Non per meram ceſſationem præſentiæ.

Probatur ſecundò confutando aliorum dicendi modos, quia non deſinit per ſolam ceſſationem præſentiæ, nec per ſolam mutationem extrinſecam ſpecierum, nec per tranſitum localem à ſpeciebus ad Cælum; item nec per anihilationem, nec per tranſubſtantiationem, ergo per ſolam actionem oppoſitam reproductioni, ſeu per ſolam ceſſationem à tali actione. An-

tecedens quoad primam partem probatur, quia per ſuperius probata in præcedenti aſſertione Chriſtus, non conſtituitur ſub ſpeciebus per ſolam acquiſitionem nouæ præſentiæ, & per ſolam accidentalem, & extrinſecam ſui mutationem, ergo nec deſinit per ſolam ceſſationem præſentiæ, & accidentalis ſui mutationis. Probatur item idem antecedens quoad ſecundam
20 *Nec per extrinſecam mutationem ſpecierũ.* partem, quia Sacramentum non conſiſtit in ſolis ſpeciebus, ſed principalius in exiſtentia Corporis Chriſti ſimul cum eiſdem ſpeciebus, ergo non ſolæ ſpecies debent deſinere, ſed etiam ipſa exiſtentia Corporis Chriſti. Quod, ſi dicas, quod Deus dicatur deſinere eſſe in creaturis per hoc præciſè, quod deſinant creaturæ, adeoq; per ſolam denominationem extrinſecam à mutatione creaturarum, ergo etiam ſufficientèr dicetur Chriſtus Dominus deſinere ſub ſpeciebus ex eo, quod deſinant ſpecies, ſeu per mutationem earundem ſpecierum; ſtatim impugnaberis, quia non valet paritas allegata, quia ex vna parte Deus conſtituit cum creatura, in qua dicitur exiſtere, merè complexum coexiſtentiæ localis, & ex alia parte Deus vtpotè eſſentialitèr immenſus non poteſt deſinere à loco; Chriſtus verò Dominus cum ſpeciebus non ſimplex complexum coexiſtentiæ localis conſtituit, ſed vnum quid cum illis quodamodo ſubſtantiale morale cum habitudine vnius ad aliud, & connexione cum eiſdem ſpeciebus in modo eſſendi, quod in illis habet, nec ratione ſui exigit eſſe eſſentialitèr in omni loco, neq in illo loco, in quo erant ſpecies, adeoque non præciſè deſinit ex eo, quod deſinant, ſed & ipſe quoque debet ad deſitionem illarum deſinere; ex quo ſequitur, quod deſitio ſpecierum ſit ratio, propter quam Chriſtus deſinit eſſe in eiſdem, ſicuti deſitio creaturæ eſt ratio, cur Deus deſinat in illa; non autem, quod ipſum deſinere ſpecierum ſit formalitèr deſinere Chriſti Domini. Cæterum, ſi valeret paritas aſſignata, valeret etiam, quod, ſicuti deſinente creatura Deus non deſinit eſſe in loco, in quo erat creatura, ita deſinentibus ſpeciebus Chriſtus non deſineret eſſe in loco, in quo erant ſpecies.

21 *Nec per tranſitũ localem.* Antecedens item probatur quoad tertiam partem, quia iſte tranſitus localis, quem adſtruunt aduerſarij; non ſolum eſſet deperditiuus, ſed etiam acquiſitiuus, deperditiuus, quatenus amitteret locum, in quo exiſtebat ſimul cum ſpeciebus; acquiſitiuus, quatenus alium locum acquireret. Quæro iam primò, an locum, quem acquirit poſt deſitionem ſpecierum, occupet modo quantitatiuo, & circumſcriptiuo, an modo ſacramentali, & quaſi definitiuo eo modo, quo occupabat, dum erat ſub ſpeciebus; ſi primum reſpondeant, incongruum penes videtur, & abs re, quod Chriſtus habeat plures præſentias circumſcriptiuas, immò tot, quot quotidiè fiunt conſecrationes, & deſitiones ſpecierum ſacramentalium; ſi ſecundum, maius videtur abſurdum, quod Corpus quantum extra Sacramentum habeat circumſcriptiuam præſentiam, & ſimul plures, & plures definitiuas, quod magis miraculoſum videtur, quam Corpus quantum habere plures præſentias circumſcriptiuas. Quæro inſuper, quiſnam ſit ille locus, ad quem poſt deſitionem ſpecierum tranſit? An ille, in quo eſt glorioſus in Cælo poſt Aſcenſionem, an aliquis alius; ſi dicatur eſſe Cæliſtis; vel eſt idem cum illo, quem occupat, vt glorioſus, an alius ab eodem diſtinctus, & diſiunctus; ſi eſt idem; in primis falſum eſſet, quod dicitur, nempè illum tranſitum eſſe acquiſitiuum, cum nihil de nouo acquireret cum ſolum retineret illud vbi, quod ante conſecrationem habebat; deindè in illo vbi Cæleſti nulla fieret mutatio; ſi eſt diuerſus, & diſtinctus; in Cælo Chriſtus Dominus haberet plures præſentias diſtinctas, & diſiunctas, quod à nemine aſſeritur; ſi ille alius locus, ad quem tranſit ſit extra Cælum, eſt contra communem Doctorum, & Eccleſiæ ſenſum; cum exceptis miraculoſis apparitionibus ſolum veneretur glorioſus in Cælis, & in terris ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Tandem inquiro, quo tranſierit in nocte vltimæ Cœnæ, quando communicatis Apoſtolis, & deſinentibus ſpeciebus deſijt eſſe ſub illis? Certè in Cælum non migrauit, cum ibi tunc nullam haberet præſentiam, ergo tunc remanſit in terris, & tunc dicendum eſt, quod quandò à Iudæis cruciabatur, alibi etiam exiſteret, quod nemo dicit.

Idem antecedẽs probatur quoad quartã partem, quia, quod anihilatur, debet tranſire in nihilum ſimplicitèr, ità vt nihil ſubſtantiæ eius remaneat, ſed per deſitionem Chriſti Domini ſub ſpeciebus ipſe non tranſit in nihilum ſimplicitèr, cum remaneat ſecundum ſui ſubſtantiam, & per realem, & glorioſam exiſtentiam in Cælo, ergo propriè non anihilatur; neque dicas, ad anihilationem abſolutè requiri quidem, vt abſolutè nihil eius, quod anihilatur, remaneat; ad anihilationem verò ſecundum quid, ſeu in aliquo determinato loco ſufficere, quod nihil ſubſtantiæ eius remaneat in tali loco, & impertinentèr ad hanc anihilationem ſe habere, quod exiſtat in alio loco, quod maximè videtur verificari in noſtra ſententia aſſerente, non deſinere per ſolam præſentiæ de- 22 *Nec per anihilationem.*

ſtru.

ſtructionem, ſed per deſtructionem terminatam ad terminum ſubſtantialem per veram actionem realem productum; contra enim impugnaberis, quia, cum anihilatio importet ex genere ſuo ſimplicitèr, & abſolutè negationem, quæ eſt malignantis naturæ, debet totum negare in quocunque loco, non in aliquo ſolum determinato.

Idem antecedens tandem probatur quo-
23 Nec per tranſubſtantiationem. ad vltimam partem primo, argumento negatiuo, quia nullus DD., & Theologorum in illa deſitione Corporis Chriſti Domini agnouit propriam tranſubſtantiationem, quem modum de nouo inducere in re tam graui temerarium videtur. Secundò ratione deducta, tum ex parte accidentium, tum ex parte termini à quo, tum ex parte termini ad quem, ex parte accidentium, quia conuerſio debet eſſe ſub aliquo termino communi, ſub quo detur connexio inter ſubſtantiam deſinentem, & ſubſtantiam ſuccedentem, quod tertium, ſeu qui terminus communis in tranſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti Domini ſunt ſpecies eiuſdem panis; ſed hic terminus communis non datur in deſinentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus inter ſubſtantiam eiuſdem Corporis & ſubſtantiam ſuccedentem, ergo &c. Minor probatur, quia vel quantitas, & cætera accidentia, quæ erant ſimul cum exiſtentia Corporis Chriſti in Sacramento remanent cum ſubſtantia ſuccedente; vel non remanent; ſi non remanent, nihil remanet commune, & ſubſtantiæ Corporis Chriſti, & ſubſtantiæ ſuccedenti; ſi remanent; reſpectu conuerſionis omninò per accidens eſt; non enim ideò remanent, vt fiat conuerſio, nec quia actio, quæ ibi interuenit, exigat talem permanentiam, ſed quia hoc conſentaneum eſt naturæ eiuſdem quantitatis, quæ etiam, ſi deſineret, cum ſubſtantia, quæ de nouo producitur, produceretur, ergo. Accedit, quod, quamuis permaneret quantitas, non permanent tamen alia accidentia panis propria; & quantitas eſt communis cuicunque ſubſtantiæ, &, ſi eius permanentia ſufficeret ad conuerſionem, in quacunque mutatione interueniret conuerſio, cum ſemper ſubſtantia, quæ ſuccederet, eſſet cum eadem quantitate. Ex parte termini à
24 Specialibus rationibus euincitur quo, quia incongruè dicitur, quod Corpus Chriſti conuertatur in Corpus ſumentis, ſeu in carnem, ſeu vermem, & SS. PP. communitèr dicunt Chriſtum potius nos in ſe ipſum conuertere, quam ipſum in nos conuerti; vndè *D. Thomas in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 4.*, aſſerit, impoſſibile eſſe Corpus Chriſti in aliud cōuerti, quod ſaltem verum eſt de potentia ordinaria. Accedit, quod ad veram conuerſionem ſubſtantialem, ſeu tranſubſtantiationem requiritur, vt per actionem aliquam tendentem ad terminum aliquem ſubſtantialem deſtruatur in termino a quo illud eſſe, cui talis terminus ſubſtantialis ſuccedit; hic autem non interuenit talis actio, qua deſtruatur Corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus, ſed ſolummodò actio tendens ad generationem alterius rei, & ad hunc effectum expellens diſpoſitiones panis; vndè ſolummodò id præſtat quoad talia accidentia panis, quod præſtaret in ipſa ſubſtantia panis, ſi adeſſet; quapropter non tendit directè ad deſtructionem Chriſti, qui ſolummodò ad poſitionem rei, quæ de nouo producitur deſinentibus ſpeciebus ſacramentalibus ceſſante actione conſeruatiua ceſſat iuxtà legem, & inſtitutionem ab eo ſtatutam; Ex parte termini *ad quem*, quia terminus, qui ſuccedit ad deſitionem ſpecierum ſacramentalium, non eſt determinatus ex Chriſti inſtitutione, neque ex aliqua connexione, quam habeat ipſa ſubſtantia Chriſti Domini cum aliquo determinato, ſed poteſt eſſe diuerſus iuxtà diuerſitatem agentium, & actionum in illis ſpeciebus ſacramentalibus, & in ſubiecto, ſeu quantitate earundem, ſic ſi ignis agat in tales ſpecies diſponentur ad ſucceſſionem ignis; ſi calor vitalis ſtomachi agat per modum nutritionis, diſponentur ad formam chili, ſi aer extrinſecus, ad productionem vermis, ergo, cum non detur connexio, nec ex inſtitutione Chriſti Domini, nec ex aliqua naturali diſpoſitione inter ſubſtantiam deſinentem, & ſuccedentem, non poteſt eſſe propriè conuerſio, ſed erit mera productio ad exigentiam actionum, ſeu agentium naturalium.

Pro complemento eorum, quæ hic dicuntur de deſinentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus ad deſitionem earundem, nonnullæ hic inſurgunt rationes dubitandi, quas currenti calamo diluo. Prima eſt, quandonam Chriſtus Dominus dicatur deſinere in Euchariſtia ad deſitionem ſpecierum. Secunda, ac quando in Hoſtia conſecrata miraculosè apparet puer, vel caro, vel quid aliud, deſinat ibi ſacramentalitèr Chriſtus eſſe.

Ad primam non defuerunt aliqui, qui aſſeruerunt immediatè Corpus Chriſti de- 25 Nō deſinit ſtatim ac ſpecies dentibus conteruntur.
ſinere ſub ſpeciebus, ac ſpecies dentibus conteruntur. Hæc opinio tribuitur *Gloſæ in cap. tribus gradibus de conſecratione diſt. 2.*, quam Gloſam ſecuti fuerunt *Vgo à Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 8. cap. 13.*, *Innocentius lib. 4. de hoc myſter. cap. 15.* Alij dixerunt, quod, quantumuis ſpecies ſacramentales non patiantur aliquam intrinſe-

cam mutationem, in aliquo tamen particulari caſu Chriſtus Dominus deſinat eſſe ſub illis, & hoc contingit, quando Hoſtia conſecrata proijceretur in locum immundum, vel comederetur a mure, vt ſignantèr docent *D. Bonauentura in 4. diſtinct. 13. art. 2. quæſt. 2., Gloſa 1. ad Corint. 11., Valdenſis tom. 2. de Sacrament. c. 60.* Sed in nullo ex his caſibus poteſt dici Corpus Chriſti deſinere eſſe ſub ſpeciebus, & in hoc conſentiunt communitèr Theologi. *D. Thomas q. 80. art. 4., & in 4. diſt. 9. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1., Alenſis quarta part. q. 45. membr. 1. art. 2., Suarez diſp. 54 ſect. 2. verſ. dico primo, Madernus de Sacrament. Euchariſt. quæſt. 4. art. 9.*, & quidem loquendo de Hoſtia, ſeu particulis conſecratis in os immiſſis, & dentibus contritis indubitati iuris eſt, quod immediatè ſub illis non ceſſet eſſe Corpus Chriſti Domini, quod colligitur non ſolum ex fine, quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum, ſed etiam ratione connexionis, quæ eſt inter Corpus Chriſti Domini, & ſpecies ſacramentales; Ex fine inſtitutionis, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt, vt eſſet ſpiritualitèr nutritiuus, & reficeret per modum ſpiritualis nutritionis, ſed cibus nutritiuus non eſt, nec actualitèr reficit ex eo, quod in os ſit immiſſus, & dentibus contritus, ſed ſolum tunc, quando in ſtomaco deſinentibus accidentibus cibi conuertitur primo in ſubſtantiam aliti, ergo, tunc tantum deſinit eſſe Chriſtus cibus animæ noſtræ ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quando eiſdem deſinentibus fit noua ſubſtantia, quæ tranſeat in ſubſtantiam aliti, non quando præcisè in os poſitus eſt &c. vndè meritò tradit *Suarez d. diſp. 54. ſect. 2 in fine*, quod hæreticum ſit dicere, quod Chriſtus eo ipſo, quod ſpecies ſacramentales in os poſitæ ſunt, recedat ponderatis illis verbis Euangelij *Accipite, & manducate. Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nam comeſtio, & potatio non fit præcisè ex eo, quod cibus, & potus in os immittatur, ſed ex eo, quod in ſtomacum traijciatur, ibique conuertatur in ſubſtantiam aliti, vndè, ſi Chriſtus Dominus immediatè, ac in os poſitus eſt ſimul cum ſpeciebus recederet, nec dici poſſet comedi, nec bibi. Accedit, quod Sacramentum cauſat gratiam per modum refectionis, quando vltimo eſt, licet enim hoc Sacramentum, qua tale in ſe, conſiſtat in re permanente, prout tamen refertur ad ſumentem in ordine ad cauſandum effectum ſacramentalem in ipſum, conſiſtit in actione tranſeunte, ſicuti cætera omnia Sacramenta, ſed refectio propriè non eſt per immiſſionem cibi intra os, ſed quando cibus alteratus conuertitur in ſubſtantiam aliti, ergo vt Sacramentum tunc ſolum cauſat gratiam, quando conuertitur, ergo, tunc tantum deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti, non quando præcisè intra os ponitur. Ratione etiam euincitur, quia, licet ſubſtantia Corporis Chriſti ſecundum ſe nullam habeat connexionem cum ſubſtantia panis, nec cum eius accidentibus, ex eo tamen, quod ex inſtitutione Chriſti Domini diſpoſitum ſit, quod per modum tranſubſtantiationis, ſeu actionis conuerſiuæ conſtituatur ſub ſpeciebus panis, neceſſariò ſequitur, quod ponatur loco panis, & id effectiuè præſtet in ordine ad eaſdem ſpecies, quod materialitèr efficeret in eaſdem ſubſtantia panis, ſi ibi adeſſet, ergo tandiu debet manere ſub illis ſpeciebus, quandiu maneret ſubſtantia panis, ſi adeſſet; ſed ſubſtantia panis, ſi adeſſet, non deſineret per ſolam immiſſionem in os, nec per ſolam dentium contritionem; ſed ſolum tunc, quando alteratis eius accidentibus conuerteretur in ſubſtantiam aliti, ergo, nec ſubſtantia Corporis Domini debet deſinere, niſi quando alteratis ſpeciebus &c.

26 Nec quãdo proijciuntur ſpecies in locũ immũdum, ac quãdo comedũtur à mure.

Loquendo iam de Hoſtia conſecrata, quando in locum immundum proijcitur, vel comeditur à mure, quod ſcilicet immediatè non deſinat perſeuerantibus ſpeciebus, deducitur primo ex ratione mox adducta, quod, ſcilicet ratione connexionis Corporis Chriſti Domini vigore tranſubſtantiationis ex vi inſtitutionis ſubſtantia Corporis Chriſti ſit loco ſubſtantiæ panis, quæ, ſicuti non deſineret proiecta in locum immundum immediatè, nec ſumpta à mure, ita nec deſinet ſubſtantia Corporis Chriſti &c. Accedit, quod indignius, & contra reuerentiam Sacramento debitam ſit poni Corpus Chriſti Domini in ſubiecto moralitèr indigno, ac in loco materialitèr immundo, ſiquidem ſubiectum moralitèr immundum ratione peccati habet oppoſitionem ad Deum, & legem eiuſdem, non ſic locus immundus, ſed ex eo, quod ſumatur a ſubiecto indigno non deſinit, niſi quando deſinunt ſpecies ſacramentales, ergo, nec quando conſtituitur in loco immundo, vel comeditur à mure; Neque dicas, quod etiam, quando ſumitur a peccatore in actuali peccato læthali exiſtente immediatè recedat Corpus Chriſti Domini, quod viſibiliter multis exemplis oſtenſum eſt, in quibus hoſtia conſecrata immediatè conuerſa eſt, vel in carbonem, vel in ſerpentem &c.; contra enim impugnaberis, quia gratis omninò dicitur, quod immediatè poſt ſumptionem hoſtiæ intra os peccatoris Chriſtus Dominus recedat, nam, licet in eodem non cau-

ſet

ſet effectum gratiæ, quin potius ipſum conſtituat reum grauioris culpæ, non tamen in eodem ceſſat Sacramentum, niſi quando deſinentibus ſpeciebus ſuccedit alia ſubſtantia; nec exempla allata aliquid euincunt, quandoquidem illa ex Diuina prouidentia extraordinaria euenerunt ad euertendos peccatores ab indigna ſumptione; ex quibus non valet arguere pro regula generali, quod in peccatoribus perſeuerantibus ſacramentalibus ſpeciebus immediatè, ac hoſtia conſecrata intra os poſita eſt, deſinat Corpus Chriſti Domini.

Solum aliquid negotij faceſcere videtur id, quod aliqui ex Catholicis conſiderant, indignum ſcilicet eſſe dicere, quod Corpus Domini comedatur à mure. Sed, vt benè notat *Suarez d. diſp. 54. ſect. 2. in fine*, Catholici, qui hoc aſſerunt, non negant rem, ſed dumtaxat modum loquendi, prout importat ſacramentalem ſumptionem, ſic negant comedi Corpus Chriſti, non quia ibi non fit, ſed quia non eſt ſacramentalis ſumptio; ſed, vt aſſerit idem Suarez, iſti trepidant timore, vbi non eſt timor, quia denominationes, quæ tantum indicant motum localem, & terminum eius ſine vlla difficultate poſſunt tribui Corpori Chriſti.

27 Deſinit, quando ſpecies in ſtomaco alterātur

Sed cum dixerimus, Corpus Chriſti tandiu perſeuerare, quandiu ſpecies Sacramentales perſeuerant in ſtomaco in ſua ſpecie; oritur difficultas, pro quanto tempore præſumantur in ſtomaco perſeuerare, antequam corrumpantur. Res eſt difficilis explicatu, cum ſtomaci non ſint eiuſdem virtutis, cum alij ſint debiliores, alij viuaciores, ac proindè in vno citius alterentur, quam in altero, & definitio videtur potius ad Medicos pertinere, quam ad Theologos.

28 Modicū tempus ad hoc ſufficit.

Nihilominus, cum agatur de tenui quantitate, & facilè corruptibili, modicum tempus ad deſitionem talium ſpecierum ſufficiens crederem, quod tamen non conſiſtit in indiuiſibili, quod reſpectu diuerſorum pati poteſt maius, & minus. In vniuerſum ad ſedandas ſcrupuloſorum conſcientias aſſignarem tempus quadrantis vnius horæ, in quo reſpectu cuiuſcunque cenſerem huiuſmodi ſpecies deſinere.

29 Apparitiones, quandoq; fiunt in hoſtia conſecrata, & ad quos fines

Ad ſecundam aduerto primò, aliquando huiuſmodi apparitiones fieri ad conterendos peccatores ab indigna ſumptione, & tunc potiſſimum accidit, quando in ore ſumentis indignè, Euchariſtia vertitur, vel in lapidem, vel in cinerem, vel in carbonem, vel ſcorpionem, aliquando ad infringendam hæreticorum peruicaciam præſentiam Corporis Chriſti in Sacramento denegantium; aliquando ad confirmandos debiles in fide, aliquando ad recreandos Deo gratos. Quando fit ad deterendos peccatores ab indigna ſumptione probabilius eſt, quod tunc Chriſtus Dominus receſſerit, nec amplius duret Sacramentum, quod ex eo colligitur, quod illæ mutationes ſint permanentes, nec amplius ſpecies ſacramentales appareant, & regularitèr fiunt in rebus omninò diſparatis, & remotis à natura panis, vel carnis &c.

30 Apparitiones poſſunt fieri dupliciter, & quomodo.

Aduerto ſecundò cum *D. Thoma qu. 76. art. 8.*, huiuſmodi apparitiones poſſe dupliciter contingere, vel per mutationem obiecti, vel per mutationem potentiæ, ſeu medij; tunc fit per mutationem obiecti, quando re vera eſt ſpecies carnis, vel pueri exterius exiſtens ceſſantibus in re ſpeciebus panis ſacramentalibus; tunc fit per mutationem potentiæ organi, ſeu medij, quando in re non ſunt mutatæ ſpecies, nec facta mutatio in Sacramento, ſed ſolummodò tranſmiſſæ ſpecies viſibiles in oculo repræſentantes carnem, vel puerum, vbi notat idem *D. Thomas*, quod in hoc non interueniat aliqua deceptio, ſicuti eueniebat in Magorum præſtigijs, quia talis ſpecies formatur in oculo, vt ſcilicet manifeſtetur Corpus Chriſti exiſtere in hoc Sacramento. Ad dignoſcendum autem, quando mutatio eſt in obiecto, ac quando in potentia, hanc regulam aſſignat idem *D. Thomas*, quod, quando vni videtur ſub ſpecie carnis, vel pueri, & non alijs, ſeu vni apparet ſub ſpecie carnis, vel pueri ad horam, & eidem elapſa hora iterum apparet ſub ſpecie panis, tunc cenſeatur mutatio facta in potentia, non in obiecto; quando verò omnibus extantibus apparet ſub ſpecie carnis, & pueri, & non ad horam, ſed ad diutinum tempus, tunc cenſeatur mutatio facta in obiecto, non in potentia. Quibus pro notitia ſuppoſitis.

31 Per mutationem potentiæ Chriſtus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus.

Dico primò, quod, ſi illæ apparitiones factæ fuerint per mutationem in ſola potentia, non intelligatur Chriſtus Dominus deſijſſe eſſe ſub Sacramento, ſed in eodem ſacramentalitèr perſeuerare. In hoc expreſsè conſentit *D. Thomas quæſt. 76. art. 8.*, *Suarez diſp. 55. ſect. 3.*, *Madernus de Sacrament. Euchariſt. quæſt. 4. art. 9.*, & *alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quia per mutationem ſenſus, vel per immiſſionem ſpecierum, vel per medij variationem non mutantur in ſe ipſis ſpecies ſacramentales, nec Sacramentum ipſum, ergo adhuc remanet ſub ipſis ſubſtantia Corporis Domini. Antecedens videtur manifeſtum, quia ex eo, quod ego, vel ex allucinatione oculorum, vel ex interpoſitione medij repræſentantis rem diuerſimodè,

ſimodè, videar videre rem alitèr, ac ſit in ſe ipſa, non propterea res in ſe ipſa mutatur. Conſequentia probatur, quia quouſque perſeuerant ſpecies ſacramentales, eo vſque perſeuerat ſub eiſdem ſubſtantia Corporis Chriſti Domini, ergo, ſi nulla in eiſdem facta eſt mutatio, adhuc perſeuerat &c.

32 Per mutationem magnam ſpecierũ Chriſtus deſinit.

Dico ſecundò, facta mutatione in ipſis ſpeciebus, quæ talis ſit, vt cum ipſa ſaluari non poſſet ſubſtantia panis, nec poteſt ſaluari exiſtentia Chriſti Domini in ipſis. In hoc conſentiunt *Suarez diſp. 55. ſect. 3., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 6. §. 6.*, & in hoc arbitror communius DD. conuenire. Difficultas ſolummodò eſt, an quando apparet caro, vel puer, intelligatur facta talis mutatio, vt non poſſit cum eodem compati ſubſtantia panis, & per conſequens, nec præſentia ſubſtantialis Chriſti Domini. Quoad hoc plura veniunt conſideranda; & primò, an immutatæ ſint dimenſiones quantitatiuæ, adeo vt, ſi antecedentèr erat quantitas modica, & figura circularis, poſtea in tali apparitione ſit magna quantitas, & figura diuerſa; ſecundò, an mutationes contigant in accidentibus quaſi communibus, cuiuſmodi eſt color; Tertiò, an in accidentibus proprijs, & intrinſecis panis, cuiuſmodi eſt odor, ſapor, mollities &c. Hinc dico, quod, ſi maneant dimenſiones, quæ prius fuerant, & ſolum mutatio fuerit circa accidentia communia, puta colorem, & figuram, probabilius ſit, quod adhuc Chriſtus ibi ſacramentalitèr remaneat; ſi verò fuerint immutatæ dimenſiones, & ſimul accidentia propria, puta odor, & ſapor, & tunc non remaneat Chriſtus Dominus; ſi tandem remaneant eædem dimenſiones, ſed mutata fuerint accidentia propria, nec tunc remaneat Chriſtus Dominus. In vniuerſum conſentire videntur *Suarez loco cit. & Cacheranus ibidem*, & quoad primam partem expreſsè habetur *à D. Thoma dicta quæſt. 76. art. 8.* Ibi- *Dicendum eſt, quod manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia puta figuram, colorem, & alia huiuſmodi*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia cum mutatione accidentium communium permanente eadem quantitate cum accidentibus proprijs, ſaluari poſſet ſubſtantia panis, ſi ibi adeſſet, cum potius ſint conſeruatiua ſubſtantiæ accidentia propria, quam communia, & ſine communibus ſaluari poſſit, non ſine proprijs; & ex alia parte panis ſit indiferens, vt ſit in figura circulari, vel in alia, vel colorem album habeat, ac alium. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia mutata quantitate ſimul cum accidentibus proprijs, nempè odore, ſapore, & duritie propria panis, non poſſet naturalitèr loquendo ibi coexiſtere ſubſtantia panis, quæ in ſui conſeruatione exigit illa accidentia, ergo nec ſaluari poſſet ſubſtantia Corporis Chriſti. Si dicas, ſi illa caro, vel puer non eſt ſubſtantia Corporis Chriſti, cuius erit? Tunc aliqui apud *D. Thomam d. quæſt. 76. art. 8. in corpore*, dicunt, quod illa ſubſtantia ſit ſubſtantia Corporis Chriſti in propria ſpecie non ſacramentalitèr exiſtens, nec poſſe obeſſe, quod non videatur totus Chriſtus, ſed ſolummodò aliqua pars carnis, & in effigie puerili, quia dicunt, quod Corpus glorioſum habet in ſui poteſtate, vt poſſit ſe exhibere, vel in toto, vel in parte, vel in vna, vel in altera ſpecie. Sed hos merito impugnat

33 Quandonam intelligatur talis mutatio.

idem *S. Doctor*; primò, quia arbitratur eſſe inconueniens, quod idem Corpus ſecundum propriam ſpeciem exiſtat ſimul, & ſemel circumſcriptiuè in duplici loco, quod tamen nos miraculosè poſſibile aſſeruimus in phyſicis, vndè modo poſſumus ſolum dicere, quod fieret hæc miraculoſa replicatio ſine neceſſitate, prout patebit ex mox dicendis; ſecundò impugnat ex eo, quod, quamuis Corpus glorioſum poſſit ſe exhibere ſecundum formam, quam vult, poſt apparitionem tamen poteſt ſe retrahere, quando vult; in apparitionibus autem, de quibus modo loquimur, diu permanere compertum eſt, ita vt, quandoque ex Epiſcoporum conſilio fuerit in Pixide concluſum, quod nefas fuiſſet, ſi eſſet Corpus Chriſti in ſua ſpecie. Quamobrem ſentiendum eſt, quod illa caro, ſeu puer ſic apparens non ſit ſubſtantia Corporis Chriſti Domini, nec in propria ſpecie, nec in ſpecie ſacramentali, ſed ſpecies miraculosè formata in illa dimenſione, vt expreſse aſſerit *S. Doctor loc. cit. ad ſecundum*. Quod, ſi dicas cum eodem *S. Doctore loc. cit. in corpore*, quod facta tali apparitione eidem, quod apparet, exhibeatur eadem reuerentia, quæ prius exhibebatur Chriſto exiſtenti ſub ſpeciebus ſacramentalibus; tunc dicendum erit, hoc verificari tantum, quando illa mutatio facta eſt in qualitatibus communibus manente eadem dimenſione cum qualitatibus proprijs panis, quia tunc remanet ibi ſacramentalitèr Chriſtus Dominus, vt diximus in prima parte, & eius probatione. Ratio tertiæ partis ex eodem principio deducitur, quia deſtructis accidentibus proprijs, & intrinſecis panis non poteſt naturaliter ſaluari ſubſtantia panis, nec obeſt, quod ibi remaneat prima dimenſio quantitatiua, quia hæc non eſt ſufficiens ad ſeruandam eandem ſubſtantiam, &

34 Caro, vel puer, quæ tunc apparent, an ſint ſubſtantia Corporis Chriſti ſacramentalis.

æquè poteſt eſſe cum vna, vel altera ſubſtantia.

Quid verò eſset dicendum, ſi eadem accidentia propria, & intrinſeca remanerent inuariata, & facta eſſet mutatio in dimenſione, quatenus maior appareret, ac antea fuerit; tunc etiam diuerſimodè diſcurrendum eſt, prout diuerſimodè potuit illa dimenſio maior euenire; vel etenim illa variatio inducta eſſet, quatenus deſtructa prima quantitate alia maior fuerit de nouo producta, vel quatenus remanente prima facta fuerit extenſio per aliam quantitatem, vel quatenus illa eadem fuerit magis extenſa. Ex eo, quod *D. Thomas d. quæſt. 76. art. 8. in fine corporis*, dicat, quod remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, remaneat verè Corpus Chriſti, *& in eodem art. ad primum*, repetat, quod ſpecies Sacramentales, vel remaneant totalitèr in ſe ipſis, vel in principali, quod habetur per dimenſiones, videtur à contrario ſenſu deduci; quod, ſi non remaneant eædem dimenſiones, nec videatur remanere ſubſtantia Corporis Chriſti in Sacramento. Clarius hoc videtur exprimere idem *D. Thomas quæſt. 77. art. 4. in corpore*, vbi aſſignans modos deſinendi accidentium in Euchariſtia, dicit poſſe deſinere, vel per alterationem, vel per augmentum, & diminutionem quantitatis dimenſiuæ; ex quo videtur ſequi, quod mutata quantitate debeat deſinere Corpus Chriſti. Nihilominus, cum idem *S. Doctor in hoc art. 4.*, expreſsè dicat, quod, ſi in accidentibus proprijs non fiat tanta mutatio, vt ſufficiat ad corruptionem panis, & vini, adhuc remaneat ſub eiſdem Corpus, & Sanguis Chriſti, & *Suarez dict. diſp. 75. ſect. 3. verſ. dicendum verò eſt primo*, addat ſiuè remaneat eadem quantitas, ſiue non remaneat, videtur aſſerendum, quod manentibus accidentibus proprijs panis, etiamſi mutata ſit quantitas adhuc remaneat Corpus Chriſti Domini, quomodocunque illa quantitatis mutatio euenerit. In hoc immorandum non cenſeo, cum ſit caſus nonniſi miraculosè exequibilis, ſeu reducibilis ad actum. Hoc vnum tantum moneo, quod, quantumuis illæ apparitiones quandoque fiant in maiori extenſione, ac eſſet Hoſtia conſecrata, non propterea intelligatur, vel noua maior quantitas producta, vel aliqua pars eidem adiecta, ſed ſolummodo facta rarefactio in eiſdem ſpeciebus, vel ſi velis perſiſtere, quod facta fuerit aliqua additio, dicere poteris ex Corpore circumſtante adiungi partem aliquam eiſdem coloribus affectam, vt illa magnitudo appareat, ita tamen, vt Chriſtus ſacramentalitèr permaneat in illis ſpeciebus, non in parte adiecta Corporis circunſtantis.

37 Manentibus accidentibus proprijs mutata solū dimenſione nō deſinit ſubſtantia Corporis Domini.

ARTICVLVS IV.

In quibuſnam verbis conſiſtat forma eſſentialis Euchariſtiæ.

SVMMARIVM.

Confutatur quoddam Græcorum dictum. 1.
Dubia quoad conſecrationem panis. 2.
Alia quoad conſecrationem vini. 3.
Quænam ſint eſſentialia formæ conſecrationis panis. 4.
Verba illa præcedentia, qui pridiè, quam pateretur &c., *non ſunt de eſſentia.* 5.
Nec ſubſequētia, quod pro vobis tradetur. 6.
Particula, enim, *non eſt de eſſentia.* 7.
Nec illa verba, qui pridiè &c., *ſunt de neceſſitate.* 8.
Nec illa, quod pro vobis tradetur. 9.
Cur exprimatur in conſecratione Calicis, qui pro vobis effundetur, & in conſecratione panis non dicatur, quòd pro vobis tradetur. 10.
In cōſecratione vini ſunt ſolum eſſentialia hæc verba ſpeculatiuè loquēdo Hic eſt Sanguis meus, vel hic eſt Calix Sanguinis mei. 11.
Practicè ſunt omnia proferenda. Ibid.
Quid ſignificet ly Hic *in conſecratione Calicis.* 12.
Verba enuntiata habent perfectam ſignificationem per ſe. 13.
Sufficientèr etiam ſignificant effuſionem Sanguinis. 14.
Chriſtus non reliquit determinationem formæ conſecrationis vini Eccleſiæ. 15.
Alia verba præter enuntiata ſpeculatiuè, nec ſunt de neceſſitate Sacramenti. 16.
Explicantur dicta D. Thomæ. 17.
Subſtantia Sanguinis Chriſti Domini ponitur ſub ſpeciebus in vltimo inſtanti terminatiuo illius verbi Mei. 18.
Soluuntur alia argumenta. 19.
Non valet argumentum à forma baptiſmi ad formam conſecrationis vini. 20.
Per ſolam conſecrationem vini per verba enuntiata ſufficientèr exprimitur effuſio Sanguinis. 21.
Verba præcedentia, & ſubſequentia ſunt de præcepto. 22.

NOn diu immorandum in controuerſia cum Græcis volentibus in forma conſecrationis panis addendas eſſe illas particulas tanquam de eſſentia, *quod pro vobis tradetur, vel quod pro vobis datur*, & in forma conſecrationis vini illas alias, *qui pro vobis effundetur*; in quo cum Græcis conſentiunt aliqui Scholaſtici Latini; cum eorum confutatio elucéſcet ex aſſertionibus infra

1 Confutatur Græcorum additio.

infrà ponendus; nec item in confutatione aliorum quorundam Græcorum, qui innixi lyturgijs D. Baſilij, & Chryſoſtomi voluerunt Chriſtum Dominum non conſtitui ſub ſpeciebus, niſi poſtquam prolatis verbis conſecrationis ſub vtraque ſpecie, recitata fuerit illa deprecatio adhiberi ſolita in Eccleſia Græca. *Emitte ſpiritum tuum, & fac hunc panem precioſum Corpus Chriſti tui, quod verò in hoc Calice eſt, precioſum Sanguinem Chriſti tui*. Non, inquam, in hac confutatione immorandum, quandoquidem, ſi talis deprecatio foret talis valoris, & efficaciæ, vt ſine illis non conſtitueretur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, in Eccleſia Latina nunquam conſtitueretur Chriſtus ſub ſpeciebus, nullum validum fieret Sacramentum, tot actus idololatriæ committerentur, quot fierent adorationes latriæ Hoſtijs adorationi expoſitis, cum nunquam illa, vel ſimilis deprecatio adhibeatur. Dicendum igitur, deprecationem illam non referri ad eum effectum, vt ſimplicitèr fiat Corpus, & Sangnis Chriſti Domini, ſed vt Corpus, & Sanguis iam poſitum, ſeu poſitus ſub ſpeciebus ſacramentalibus fiat nobis ſalutare, & proficuum, nobiſque proſit ad ſalutem, & ſi alitèr ſenſum illorum verborum detorqueant Græci referendo ad eſſentialem conſtitutionem Corporis Chriſti ſub eiſdem ſpeciebus, enormitèr errant, & tanquam declinantes à fide ſunt damnandi.

2 Dubia quoad conſecrationem panis.

Ipſis igitur omiſſis, nos ſpecialitèr conferimus ad ea, quæ ſunt in controuerſia, vel ſpecialitèr inter Latinos, vel communitèr inter Latinos, & Latinos ſimul cum Græcis, quæ præcipuè verſantur quoad conſecrationem panis, an illa verba, quæ præcedunt formam eiuſdem, nempe, *qui pridiè, quam pateretur*, cum ſubſequentibus vſque ad eandem formam, ita ſint requiſita, vt ſine illis non conſtitueretur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, in quo *Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 2.*, quem poſtea ſecuti ſunt *Laurea diſp. 19. de Euchariſtia art. 1., & Scotiſtæ ſatis communitèr*, aſſeruit ſaltem valdè dubium eſſe, an ſine illis valida eſſet conſecratio, & conſtitutio Corporis ſub ſpeciebus propter eam rationem, quod ſine illis verbis præcedentibus non conſtaret miniſtrum proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti; item quoad conſecrationem eiuſdem panis in eo, an illa verba, *quod pro vobis, & pro multis tradetur, vel datur*, ita requirantur, vt ſine illis non ſubſiſteret conſecratio.

Quoad conſecrationem verò vini controuerſiæ verſantur in eo, an omnia verba, quæ adhibentur in Eccleſia Latina ſint de eſſentia. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei noui, & æterni Teſtamenti, Myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, an verò ſolum eſſentialitèr requirantur hæc. *Hic eſt Sanguis meus, vel hic eſt Calix Sanguinis mei*; qua in re *Capreolus in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3., Paludanus ibidem quæſt. 3., Heruæus diſt. 10. quæſt. 2., Gonetus diſp. 7. art. 2.*, ſentiunt omnia illa verba, quæ adhibentur ab Eccleſia excepta illa particula *enim* eſſe eſſentialia, adeovt, ſi aliquod ex illis omittatur, inualida fiat conſecratio. Aliqui, inter quos *Petrus Corneio, & Phylippus à Sancta Trinitate*, ſentiunt illa omnia verba eſſe eſſentialia exceptis illis *Æterni Teſtamenti, Myſterium Fidei*. Alij, inter quos *Amicus diſp. 24. ſect. 1. num. 25.* dicunt, quod licet omnia allegata verba non ſint de eſſentia, afferunt tamen eſſentialitèr inter cætera requiri. *Qui pro vobis, ſeu pro multis effundetur*. 3 Alia quoad conſecrationem vini

4 De eſſentia formæ panis ſūt illa tantū verba: *Hoc eſt Corpus meum*.

Aſſertio I. In conſecratione panis ſunt tantum de eſſentia formæ illa verba. *Hoc eſt Corpus meum*, & per hæc præcisè conſtituitur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus. In hoc conſentiunt communitèr Scholaſtici excepto Scoto, alijſque nonnullis eiuſdem ſectatoribus, qui licet nobiſcum conſentiant in prima parte, aliqualitèr tamen diſcrepant in ſecunda, dum dubium relinquunt, an ſine illis verbis præuijs. *Qui pridiè, quam pateretur* Chriſtus poneretur in Sacramento.

Probatur primò ratione directa, quia illa quatuor verba præcisè mox enuntiata per ſe plenè ſignificant exiſtentiam Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſecluſo quocunque alio verbo, ergo ſecundum ſe ſunt neceſſaria, & ſufficientia ad conſtituendum Corpus Chriſti ſub eiſdem ſpeciebus. Antecedens ex ſe eſt manifeſtum. Conſequentia probatur, quia, cum verba id habeant efficere, quod ſignificant, cum plenè ſignificent Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vtique, & habere debent ex Chriſti inſtitutione vim illud cōficiendi. Confirmatur, quia illa eſt forma eſſentialis huius Sacramenti, quam Sacerdos profert in perſona Chriſti, & quaſi induens perſonam eiuſdem, & ita loquens, ac ſi Chriſtus ipſe loqueretur, ſed talitèr profert dumtaxat illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ergo in illis dumtaxat conſiſtit forma eſſentialis huius Sacramenti.

5 Verba illa, qui pridiè, quam pateretur non ſunt eſſentialia.

Probatur ſecundò; confutando aliorum opiniones addentium pro integritate eſſentiali formæ alia verba. Si quæ alia requirerentur, vel eſſent illa præcedentia conſecrationem; *Qui pridiè, quam pateretur*, vt vult Scotus, vel illa ſubſequentia. *Quod pro vobis tradetur*, vt volunt aliqui ex Græcis, vel illa particula intermedia

enim

enim; ſed nullum ex his eſſentialiter requiritur, ergo &c. Minor probatur; Non primum, quia illa verba nullum habent influxum in Corpus Chriſti Domini, nec eſſentialem connexionem cum verbis in illud influentibus, ergo non eſſentialitèr requiruntur ad cõſtitutionem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Antecedens quoad primam partem patet; quia tota vis influendi, ſeu conficiendi conſiſtit in ſignificatione, ſed illa verba præcedentia nullo modo ſignificant exiſtentiam, ſeu poſitionem Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ergo nullo modo influunt; probatur item quoad ſecundam partem, quia in primis non omnia illa verba fuerunt à Chriſto Domino prolata, &, quamuis omnia eſſet ab eodem prolata, ordinantur potius ad vſum, & ad ſumptionem. Ibi - *Accipite, & manducate*, qui vſus, & ſumptio ſunt extra eſſentiam Euchariſtiæ, quam ad eſſentialem ipſius confectionem; Neque dicas, habere connexionem quoad hoc, quatenus rapræſentant Sacerdotem proferre verba conſecratoria in perſona non propria, ſed Chriſti Domini, quod certè neceſſe videtur, vt poſſit forma ſignificatiuè proferri in perſona Chriſti; contra enim impugnaberis, quia per illa verba: *qui pridiè &c.*, vſque ad verba formalia conſecrationis, non importatur, quod Sacerdos actionem conſecratoriam exerceat in perſona Chriſti, cum per illa ſolum Sacerdos referat, quid Chriſtus in inſtitutione fecerit, & ſolum aliqua ipſius verba recitat, nempè *Accipite*, *& manducate*; referendo autem ſimplicitèr, quod alter fecerit, vel dixerit, non importat, quod operatur, vel loquatur in illius perſona. Quod igitur Sacerdos in conſecratione agat in perſona Chriſti, non rapræſentatur per illa verba, nec dependet ab illis, ſed ſolum ex inſtitutione Chriſti, & intentione eiuſdem miniſtri ſuppoſita ordinatione ipſius in Sacerdotem.

6 Nec illa, *quod pro vobis tradetur.*

Non ſecundum, quia in primis Sacroſancta Romana Eccleſia, quæ eſt prima, & infallibilis regula cæterarum in re eſſentiali pertinente ad valorem Sacramentorum enormitèr deciperetur, omittens illa verba, *quod pro vobis tradetur*, ſi ad eſſentialem conſtitutionem Sacramenti requirerentur, quod quis ore ſacrilego, & temerario audebit aſſerere? Quinimmò ex eo, quod illa verba omittat, arguitur, nec requiri ad licitam confectionem, quod, ſi dicatur, quod *Lucas cap. 22.*, & *Apoſtolus prima ad Corinth. 11.*, illorum verborum meminerint; non propterea validè arguitur, quod illa ſint de eſſentia, cum illorum nullus alius Euangeliſta, nec Apoſtolus meminerit, nec veriſimile videtur, quod verbum eſſentiale formæ fuerit à cæteris Euangeliſtis, & Apoſtolis omiſſum; vndè præſumendum eſt, quod Paulus, & Lucas retulerint, non tanquam quid eſſentiale formæ, ſed præcisè ad indicandum finem Paſſionis Chriſti Domini ordinatæ ad ſalutem Apoſtolorum, & aliorum. Deindè hoc clariùs innoteſcet in ſequenti aſſertione, vbi probabimus ſpeculatiuè loquendo, nec in conſecratione Calicis eſſe de eſſentia illas alias particulas, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*.

Non tertium, tum quia illa particula *enim* nullam vim habet ad ſignificandam, vel cauſandam Chriſti exiſtentiam ſub ſpeciebus Euchariſticis; tum quia ſolum habet connectere grammaticalitèr verba præcedentia cum forma conſecrationis, ſed verba præcedentia, *qui pridiè, quam pateretur* ex ſuperiùs probatis non ſunt de eſſentia, nec de eſſentialitèr requiſitis ad validam conſecrationem, ergo, nec connexio ipſorum grammaticalis cum eadem forma, adeoque, nec illa particula, *enim*, connectens. Quamuis tamen illa particula, *enim*, non ſit de eſſentia, nec eſſentialitèr requiſita; ſi tamen voluntariè omitteretur, induceret grauem noxam in omittente, prout probant *Gabriel in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3.*, *Vaſquez diſp. 199.*, *Angelus verb. Euchariſtia num. 22.*, *Madernus tract. 3. de Euchar. Sacrament. quæſt. 6. art. 1.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Suarez diſp. 59. ſect. 1.*, & alij nonnulli apud *Madernum loc. cit.*, volentes illam omiſſionem inducere ad ſummum culpam venialem ratione paruitatis materiæ. Sed cum Eccleſia ſub graui præcipiat recitationem illorum verborum, *qui pridiè, quam pateretur*, cenſetur etiam præcipere ſub graui connexionem eorundem cum ſubſequenti forma; adeoque etiam illam particulam connectentem, *enim*. Excuſandus tamen eſſet à graui miniſter, ſi ex oſcitantia, & aliquali inaduertentia illam particulam omitteret. 7 Particula *enim* non eſt de eſſentia.

Nec ſolum illa verba, *qui pridiè, quam pateretur*, non ſunt de eſſentia, ſed nec etiam de neceſſitate Sacramenti, prout notat *D. Thomas quæſt. 78. art. 1. ad quartum*, *Durandus in quarto diſt. 8. quæſt. 2. num. 7.*, *Lugus diſp. 11. ſect. 3.*, *Maſtrius diſp. 3. q. 6. art. 1.*, & alij magis communitèr, quod non ſolum deducitur ex ſuperiùs dictis, ſed etiam; quia regularitèr in Sacramentis verba, quæ non ſunt eſſentialia, nec ſunt de neceſſitate ipſorum, cum verba ſolum poſſint pertinere ad formam, ergo, ſi non ſint de eſſentia formæ, nec poſſunt eſſe de neceſſitate Sacramenti. Quod, ſi dixeris, quod verba formæ ſine præcedentibus non habeant verum, & perfectum ſenſum; quandoquidem ly, *enim*, poſitum inter verba formæ ſignificat verba formæ eſſe ratione 8 Nec illa verba: *qui pridiè* ſunt de neceſſitate.

tione verborum præcedentium, quod certè non verificaretur, niſi præcederent verba: *Qui pridiè, quam pateretur*; ſtatim impugnaberis, quia verba conſecrationis poſſunt conſiderari, vel præcisè ſecundum ſe, & ſecundum propriam ſignificationem, quam habent ex inſtitutione Chriſti Domini, vel ſecundum quod habent connexionem cum præcedentibus ex diſpoſitione Eccleſiæ; quamuis autem ſecundum diſpoſitionem Eccleſiæ non haberent perfectum, & verum ſenſum quoad illam connexionem, & in ratione propoſitionis cauſalis, & hypotheticæ, haberent tamen verum ſenſum ſecundum ſe, & ſecundum propriam ſignificationem ex vi inſtitutionis Chriſti Domini, & in ratione propoſitionis abſolutæ, & cathegoricæ. Neque ex eo, quod ab Eccleſia ordinata ſint cum illa connexione, & habitudine ad illa præcedentia deſinunt habere ſuam ſignificationem propriam, & abſolutam. Quamuis autem verba illa præcedentia, *qui pridiè, quam pateretur*, nec ſint de eſſentia, nec de neceſſitate Sacramenti, ſunt tamen de præcepto Eccleſiaſtico obligante ſub graui, quod colligitur ex rubricis Miſſalis Romani *ſub tit. de defectibus* in celebratione Miſſarum occurrentibus, & Eccleſia adeò tenax eſt, & anxia obſeruantiæ huiuſmodi præcepti, vt in caſu, quo contingeret, inualidam eſſe conſecrationem defectu materiæ, vel vtriuſque, vel alterius ſpeciei præcipiat conſecrationem debere reaſſumi à verbis illis, *qui pridiè, quam pateretur*.

9 Nec illa, quod pro vobis tradetur.

Verba autem illa ſubſequentia, *quod pro vobis tradetur*, nec ſunt de eſſentia, nec de neceſſitate, nec de præcepto, quinimmò ex eo, quod Eccleſia Romana illa non adhibeat, dicendum eſt, nec licitum eſſe, ea adhibere, cum nemini facultatiuum ſit propria auctoritate Canoni, & multominus verbis conſecratorijs aliquid addere, quod publica auctoritate Eccleſiæ non ſit præſcriptum; ſi autem quæras, cur in conſecratione Calicis Eccleſia præſcripſerit addenda eſſe illa verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, quamuis ſpeculatiuè loquendo non ſint, nec de eſſentia, nec de neceſſitate Sacramenti, vt infra probabimus, & non præſcripſerit, nec adhibuerit in conſecratione panis illa, *quod pro vobis tradetur?* Certè vtraque verba fuerunt à Chriſto Domino prolata, nec ab eodem potius præſcripta in conſecratione vini illa, *qui pro vobis effundetur*, quam illa in conſecratione panis, *quod pro vobis tradetur*. Aliqui dixerunt, hanc differentiam prouenire, quia omnes Euangeliſtæ referentes formam conſecrationis vini illas particulas expreſſerunt *Matthæus 26. Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Lucas 22. Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur, Marcus 14. Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur*; in expreſſione verò formæ conſecrationis panis ſolus Lucas recenſet illa verba, *Quod pro vobis tradetur*. Sed hæc ponderatio non videtur difficultatem euacuare; cum etenim, vt infrà trademus, nec illa verba in conſecratione vini, quantumuis ab omnibus Euangeliſtis relata, ſint de eſſentia, nec de neceſſitate Sacramenti, adhuc remanet inquirendum, cur horum expreſſio præcipiatur, & non præcipiatur illa in conſecratione panis, cum illa etiam referatur à Luca, cuius dictum tanti valet, quanti illud cæterorum Euangeliſtarum. Dici poteſt primò, quod illa verba in conſecratione panis ideò non fuerint præcepta, benè tamen in conſecratione vini illa alia relata ad Sanguinem, quia per hæc ſecunda ſufficientèr exprimitur totum id, quod fuiſſet expreſſum in primis, ſi in conſecratione panis fuiſſent prolata; cum etenim dicatur, quod Sanguis effundetur pro vobis, & multis, vtique implicitè dicitur, quod Corpus, à quo eſt effundendus, ſic tradendum pro ijs, pro quibus Sanguis effundetur, & ideò fuiſſe præcepta illa verba in conſecratione vini, non illa alia in conſecratione panis; Secundò dici poteſt, quod, cum tota illa actio conſecrationis ſub vtraque ſpecie ſit inſtituta per modum vnius conuiuij, & tota relata ſit ad rapræſentandum ſacrificium cruentum Crucis, ſeu Paſſionis Chriſti Domini, debuit quaſi contextu continuato eiuſdem ſermonis exprimi; & ſic facta expreſſione prius totius actionis, in fine eiuſdem exprimi finis illius totalis actionis, & modus eiuſdem, qui finis, & modus non reſtringatur ad id ſolummodò, quod exprimitur in fine actionis, ſed extendatur ad totam actionem; Tertiò dici poteſt, quod in conſecratione panis illa verba, *quod pro vobis tradetur*, non exprimantur, quia talis conſecratio ſolum ordinata eſt ad rapræſentandum Corpus ſeparatum ab anima, & Sanguine, quod ſufficientèr exprimitur per illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ex vi quorum ponitur ſolum Corpus, non Anima, nec Sanguis; conſecratio verò vini eſt ordinata non ſolum ad exprimendum Sanguinem quomodocunque, ſed etiam quoquo modo effuſionem actualem eiuſdem, quod licet habeatur implicitè per verba præcedentia *Hic eſt Sanguis meus*, clarius tamen habetur per ſubſequentia, *qui pro vobis, & multis effundetur*.

10 Cur non fiat huiuſmodi expreſſio.

Aſſertio II. In conſecratione vini ſpeculatiuè loquendo ſolum ſunt de eſſentia hæc verba. *Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt*

Calix

11 *Quænam ſint eſſentialia in conſecratione vini*

Calix Sanguinis mei, & item de neceſſitate Sacramenti; reliqua verò, quæ proferuntur poſt eadem, ſunt tantum de neceſſitate præcepti, & ad clariorem expreſſionem. *Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 2.*, *Lauræa diſp. 19. art. 2.*, *Suarez diſp. 60. ſect. 1.*, *Vaſquez diſp. 193. c. 3.*, *Henricus quodlib. 9. art. 10.* *Auerſa quæſt. 6. de Euchariſtia ſect. 3.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtia Sacrament. q. 6. art. 2. num. 3.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchar., vt Sacrament. c. 7. §. 5. num. 88.* Diſcrepant tamen *Albertus Magnus in 4. diſt. 8. art. 7., & ibi Heruæus quæſt. 4.*, *Paludanus qu. 3. art. 2.*, *Capreolus quæſt. 1. concl. 6.*, *Gonetus diſp. 7. art. 2.*, qui omnes arbitrantur totam formam, ſeu omnia verba, quæ ab Eccleſia Romana dicuntur in conſecratione Calicis, eſſe de eſſentia formæ, & pro hac opinione referunt etiam D. Thomam, de cuius mente infrà nonnulla habebimus. Diſcrepant item aliqualitèr *Petrus Corneio, & Philippus à Sancta Trinitate* apud *Cacheranum loc. cit. num. 90.*, dum volunt omnia verba conſecrationis adhibitæ ab Eccleſia eſſe de eſſentia eiuſdem exceptis illis *Æterni, & Myſterium fidei*, & item *Amicus diſp. 24. ſect. 1. n. 25.*, volens illa verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur eſſe neceſſaria*. Diſcrepant item quoad ſecundam partem, quod ſcilicet verba ſubſequentia ad quatuor prima non ſint de neceſſitate Sacramenti, ſed tantum de præcepto *Sotus in 4. diſt. 11. q. 1. art. 1.*, *Lugus diſp. 11. ſect. 4.*, & alij apud *Madernum loc. cit. verſ. ſecunda ſententia*, dum volunt, omnia verba conſecrationis, quamuis non ſint de eſſentia, eſſe de ſubſtantia Sacramenti.

Dixi *ſpeculatiuè loquendo*, nam in praxi abſolutè ſunt omnia proferenda, cum hoc ſit tutius, & in adminiſtratione Sacramentorum opinio tutior ſit amplectenda, ne Sacramenta exponantur periculo fruſtrationis.

12 *Quid ſignificet ly Hic.*

Antequam procedam ad probationem aſſertionis per ſingulas ſuas partes placet difficultatem explanare, quæ poteſt eſſe in illis verbis: *Hic eſt Sanguis meus*, ſita in eo, quod pronomina *Hoc*, & *Hic* in verbis conſecrationis, cum primum proferuntur, debent ſignificare confusè, indeterminatè, & quaſi vagè ſubſtantiam ſingularem quoquomodo indiferentem, & communem pani, & Corpori Chriſti; debet enim quoquo modo denotare vtramque ſubſtantiam ad conſecrationem pertinere, & ſecundum rationem communem contenti ſub accidentibus materiæ, quæ conſecratur, ſubſtantiam, quæ ante perfectam conſecrationem erat panis, eſſe in fine conſecrationis Corpus Chriſti. Vno verbo debet denotare, & terminum à quo, & terminum ad quem; ſed, quando dicitur: *Hic eſt Sanguis meus*, ly *hic*, non ſignificat ſubſtantiam in confuſo, & indeterminatè, cum ſit applicatum determinatè, & adiectiuè Sanguini, quod ſecus euenit, quando dicitur: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, quia *hic Calix* indiferens eſt ad vinum, & Sanguinem, & item quando dicitur: *Hoc eſt Corpus meum*, quia ly, *hoc*, cum ſubſtantiuè ſumatur, etiam eſt indiferens, vel ad panem, vel ad Corpus, ergo non videtur in illis *Hic eſt Sanguis meus* haberi ſignificatum proprium intentum in vera conſecratione. Ad eludendam hanc difficultatem *Ianſenius cap. 131. concordiæ Euangelicæ*, dicit, quod ly, *hic*, debuiſſet ex textu Græco verti in pronomen *Hoc* neutrum; & quod de facto ly, *Hic*, quo vtimur in forma conſecrationis, ſumatur neutralitèr, nec hoc inſuetum aſſerit in alijs locutionibus. *Cacheranus dicto cap. 7. §. 10. num. 227.*, aſſerit, quod ly, *hoc*, in conſecratione panis habeat duplicem ſignificationem, alteram perfectam, & complexam, & hoc quandò perficitur tota forma, quia tunc adijacet Corpori Chriſti, quod tunc determinatè ſignificat, & demonſtrat; alteram imperfectam, & incomplexam, quando ipſum primò profertur, & tunc ſignificat indeterminatè, quatenus adiacet alicui ſubſtantiuo in mente concepto ſub ratione ſubſtantiali communi pani, & Corpori Chriſti; hoc autem ſubſtantiuum in mente conceptum importatum implicitè per ly *hoc*, dicit, eſſe edulium, indiuiduum ſubſtantiæ, ens ſubſtantiale, & propterea videtur ſentire, ly, *hoc*, non ſumi ſubſtantiuè, ſed adiectiuè. Hoc idem proportionalitèr ſentit de particula, *Hic*, in conſecratione Calicis, quæ etiam perfectè ſignificat completa tota forma, quando autem primò profertur, habet ſignificationem indeterminatam, quatenus aſſerit adiacere alteri ſubſtantiuo in mente concepto, nempè huic, Potus, liquor, vel Calix. Huic explicationi tanquam ſufficienti, & aptæ ad explanandam propoſitam difficultatem adhæreo pro nunc, plura dicturus in ſubſequentibus, dum expreſsè de ſignificatione illorum pronominum, *Hoc*, & *Hic*. Iam redeo ad aſſertionem, quæ ſic

Probatur quoad primam partem primò, quia illa verba præcisè. *Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei* apta ſunt ad ſignificandum, & cauſandum Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ergo ipſa ſola eſſentialitèr conſtituunt Sacramentum Sanguinis Chriſti Domini etiam præciſis verbis ſubſequentibus. Antecedens per ſe patet, quia per illa verba importatur perfectè terminus à quo per ly, *Hic*, ſecundum intellectum mox expoſitum, & terminum ad quem, nempè exiſtentiam

T 2 Sag-

Sanguinis per ly *Sanguinis mei* addita copula coniunctiua, *eſt*, quæ vnit prædicatum cum ſuo ſubiecto, & terminus à quo clarius etiam exprimitur in forma, qua dicitur: *Hic eſt Calix*. Conſequentia probatur, quia poſita perfecta, & completa ſignificatione non eſt, cur non debeat reſultare effectus, qui totalitèr pendet ab eadem ſignificatione. Confirmatur, quia omnes Euangeliſtæ ſimul cum D. Paulo in illis quatuor verbis vnanimes conueniunt illa referendo; quoad reliqua autem ſubſequentia in relatione non conueniunt, cum omnia apud omnes non inueniantur, & ſignantèr ly, *Æterni*, *Myſterium fidei* apud nullum ex illis inuenitur, ly *in remiſſionem peccatorum*, apud ſolum Matthæum, ly *pro vobis, & pro multis effundetur*, non reperitur apud D. Paulum, &, quamuis apud Euangeliſtas reperiatur, non tamen eodem modo, & ſub eadem combinatione, nam *Matthæus, & Marcus*, ſolum ponunt *pro multis*, non autem *pro vobis*; Lucas verò ſolum *pro vobis*, non autem *pro multis*, ergo ſolum illa quatuor, vel quinque enuntiata verba ſunt de eſſentia formæ, non reliqua ſubſequentia. Conſequentia probatur, quia omninò improbabile videtur, quod Euangeliſtæ, & Apoſtolus Paulus omiſerint ea referre, quæ eſſentialia ſunt formæ conſecrationis; dum ergo omnes conueniunt in illis quatuor verbis referendis, nec omnes conueniant in relatione aliorum, ſatis conuincentèr videtur inferri, quod in illis conſiſtat tota eſſentia conſecrationis, non in iſtis.

13 Illa verba perfectè per ſe ſignificāt illum effectum.

Dices primò; illa quatuor enuntiata verba, in quibus nos conſtituimus totam eſſentiam formæ conſecrationis, non habere perfectam ſignificationem, ſecundum quod Chriſtus Dominus inſtituit, non etenim Chriſtus Dominus hæc verba inſtituit præcisè ad ſignificandam conuerſionem panis in Corpus, vel vini in Sanguinem, ſed ad ſignificandum Sanguinem effuſum, ſeu effuſionem Sanguinis, & vlterius ad confirmandum nouum Teſtamentum; hæc autem perfecta, & adæquata ſignificatio non habetur præcisè per illa prima quatuor verba, ſed etiam per ſubſequentia, *noui, & æterni teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis, & multis effundetur*; ergo illa ſolum non ſunt de eſſentia ad perfectam ſignificationem, ſed etiam iſta. Sed contra; ſicuti Sacramentum poteſt conſiderari ſecundum ſua eſſentialia præcisè, vel adæquatè ſecundum omnia concomitantia, & conſequentia, item, & verba, vel poſſunt conſiderari ſecundum quod ſunt eſſentialia ad conſtituendum, vel ſecundum concomitantia, & conſequentia ad maiorem finis, & effectuum expreſſionem; Si igitur verba ſumantur, vt eſſentialia ad conſtituendum Sanguinem ſub ſpeciebus, hoc ſufficientèr habetur per illa quatuor ſupra enuntiata, & per ea etiam ſufficientèr habetur explicita repræſentatio effuſionis Sanguinis, cum etenim per illa ponatur Sanguis ſub ſpeciebus ſine corpore; ſicuti per verba conſecratoria panis ponitur ſub eiuſdem ſpeciebus Corpus ſine Sanguine, ſufficientèr ex Corpore, & Sanguine ſeorſim poſitis habetur repræſentatio eiuſdem Sanguinis effuſionis; quod deindè conſiderando verba ſecundum concomitantia ad maiorem expreſſionem, vel effuſionis, vel confirmationis Teſtamenti etiam ſubſequentia ponantur, hoc nec pertinet ad eſſentiam, nec ad ſubſtantiam, ſicuti, nec pertinet talis explicita repræſentatio.

14 Satis etiā ſignificāt effuſionem ſanguinis.

Dices ſecundò; formam conſecrationis Calicis non fuiſſe in ſpecie determinatam à Chriſto Domino, ſed relictam determinationi Eccleſiæ; quod euincitur tum ex eo, quod forma, quam adhibent Græci, eſt diuerſa ab ea, quam adhibent Latini, quod eſſe non poſſet, ſi eſſet in ſpecie conſtituta à Chriſto Domino; tum ex eo, quod ex omnibus verbis, quæ Chriſtus protulit in inſtitutione huius Sacramenti, Eccleſia determinat, quænam ſint neceſſaria, & eſſentialia, & quænam non, ergo, cum Eccleſia præſcripſerit, omnia eſſe proferenda in conſecratione Calicis, omnia erunt eſſentialia. Confirmatur, quia, ſicuti formæ confirmationis, & ordinum ſunt relictæ determinationi Eccleſiæ, quamuis formæ adhibitæ à Latinis in confectione horum Sacramentorum ſint diuerſæ à formis à Græcis adhibitis, omnes tamen ſunt eſſentiales; ita quia forma conſecrationis Calicis eſt relicta Eccleſiæ determinationi, quamuis ſit diuerſa in Eccleſia Græca, & Latina, vtraque tamen erit eſſentialis. Sed contra, Gratis omninò dicitur, formam conſecrationis Calicis fuiſſe à Chriſto Domino relictam determinationi Eccleſiæ; cum Chriſtus ipſe eandem expreſſerit in inſtitutione huius Sacramenti, ſecundum quod referunt Euangeliſtæ; vndè non eſt in poteſtate Eccleſiæ eam in ſubſtantia mutandi, vt habetur *in Trident. ſeſ. 21. cap. 2.*, vndè, ſi inter formam Eccleſiæ Latinæ, & formam Græcæ eſt aliqua diuerſitas, erit præcisè accidentalis, non in ſubſtantia; cæteroqui, vel vna, vel altera eſſet inanis; Ex eo autem, quod Eccleſia ex omnibus verbis, quæ Chriſtus protulit in inſtitutione fortè inter Græcos plura, vel pauciora adhibeat, quam inter Latinos, vel è contra, arguitur quidem, quod non omnia ſint eſſentialia, non autem, quod Chriſtus talem formam reli-

15 Chriſtus ipſe formam cōſecrationis vini determinauit.

querit determinationi Eccleſiæ. Cæterum cum in primis quatuor verbis omnes, tam in Eccleſia Græca, quam in Latina conueniant, planè deducitur, iſta eſſe de eſſentia, non alia, in quibus omnes non conueniunt.

16 Alia verba, nec ſunt de neceſſitate Sacramenti.

Probatur quoad ſecundam partem ſecundò, quia nullum verbum, quod non ſit de eſſentia, poteſt eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed exceptis primis quatuor verbis nullum ex ſubſequentibus eſt de eſſentia Euchariſtiæ, vt mox probauimus, ergo etiam nullum ex ipſis erit de neceſſitate eiuſdem. Maior probatur, quia verba nullo alio modo pertinere poſſunt ad Euchariſtiam, niſi tanquam forma, cum omnia Sacramenta nouæ legis excepto illo Matrimonij conſtent rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ſed ea, quæ pertinent ad formam, ſi ſint de neceſſitate eiuſdem, pertinent ad eſſentiam eiuſdem, forma etenim eſt pars eſſentialis Sacramenti, ergo, ſi aliqua non ſunt de neceſſitate, nec erunt de eſſentia, vel ſi ſunt de neceſſitate, erunt etiam de eſſentia.

17 Explicatur dicta D. Thomæ.

Dices primò *ex D. Thoma quæſt. 78. art. 3.*, vbi hæc expreſsè habet, *ea, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, hoc eſt Sanguinis Chriſti Domini, vndè pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis, & propter hoc ſunt alij, qui melius dicunt, quod omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ*; quod idem antecedentèr clarius docuerat *in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1.* ibi *Quia conditiones appoſitæ ad ſubiectum, vel prædicatum, ſunt de integritate locutionis alicuius, ideò alij probabilius dicunt, quod totum, quod ſequitur, eſt de forma*, ergo ex mente D. Thomæ ſubſequentia verba ad illa prima erunt ſaltem de ſubſtantia, & integritate ſubſtantiali Sacramenti. Sed contra; quamuis S. Doctor videatur in allegatis locis aſſerere, illa ſubſequentia verba eſſe de ſubſtantia, ſeu integritate formæ, hoc tamen aſſerit ex aliorum mente, dum dicit *propter hoc ſunt alij, & ideò alij*, quam tamen aliorum mentem maximè commendat, dum dicit *melius dicunt, probabilius dicunt*; in commendatione tamen ſe continet intra limites probabilitatis; vndè non dicit, hoc eſſe ſimplicitèr verum. Cæterum ipſe S. Doctor in alijs locis de hoc loquens aliquando nullam neceſſitatem agnoſcit quoad ſubſequentia verba, vt videre eſt *in d. quæſt. 78. art. 3. in corpore*, vbi habet, cum dicitur *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſignificatur ipſa conuerſio vini in Sanguinem eo modo, quo dictum eſt in forma cõſecrationis panis, vbi ſignantèr nota illam particulam, *eo modo quo*, quæ importat identitatem, & infertur, quod, ſicuti completè ly *Hoc eſt Corpus meum* importat perfectam conſecrationem panis ſine alio, ità ly *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, importet integram conſecrationem vini ſine alio; aliquando verò videtur nedum neceſſitatem quoad integritatem, & ſubſtantiam, ſed etiam quoad eſſentiam agnoſcere, vt videre eſt in ijs, quæ dixit *in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad tertium*, *quæ ſequuntur ſunt eſſentialia Sanguini prout in hoc Sacramento conſecratur*; vndè non ſatis apparet, quænam fuerit germana mens eiuſdem S. Doctoris. Vbi verò conſtiterit, verè S. Doctorem intellexiſse ſubſequentia verba eſſe de ſubſtantia, vel integritate conſecrationis Sanguinis Domini, non erit eidem iniurioſum aſſerere cum *Suarez diſp. 60. ſect. 1. in fine*, hoc aſſeruiſſe eo, quod tunc non nouerit auctoritates multarum Eccleſiarum, & liturgiarum, quas, ſi cognouiſſet, alitèr ſenſiſſet, quod autem non cognouerit, præſumptiuè deducitur ex eo, quod de nulla mentionem fecerit.

Dices ſecundò, ſi ſubſequentia verba, nec eſſet de ſubſtantia, nec de integritate conſecrationis Calicis, incongruè eodem modo, eiſdemque caractheribus in Miſſali conſcriberentur, quibus conſcribuntur præcedentia, quæ nos aſſerimus eſſentialia; incongruè ſimili prorſus pronuntiatione, attentione, & deuotione enuntiarentur; Deindè cum omnia tum præcedentia, tum ſubſequentia vſque ad ly *hæc quotieſcunque feceritis*, eodem ſermone, eademque enuntiatione, & modo proferantur, vel omnia conferunt ad conſtituendum idem Sacramentum, adeo vt tunc ſolum Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus, quando perficitur vltima ſyllaba illorum verborum *in remiſſionem peccatorum*, vel non omnia conferunt, ſed tunc præcisè conſtituitur Sanguis ſub ſpeciebus, quando eſt terminata, vel terminatur vltima ſyllaba horum verborum *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; ſi primum dicatur, non eſt, cur poſterioribus verbis aliqua vis, & efficacia non ſit conferenda, quæ ſaltem pertineat ad ſubſtantiam, vel integritatem eiuſdem Sacramenti; ſi ſecundum; ſaltem tolli non poſſet, quin conferre poſſint ad maiorem Sacramenti expreſſionem, qua etiam ratione pertinerent ad eiuſdem integritatem perfectiuam. Sed contra; ſi valeret inſtantia 18

18 Quandonam conſtituatur Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus.

quoad primum obiectum de eodem modo conſcriptionis in Miſſali, & enuntiatione præcedentium, & ſubſequentium verborum, hæc ſubſequentia non ſolum eſſent de ſubſtantia, & integritate Sacramenti, ſed etiam de eſſentia, ſicuti ſunt præcedentia, quod etiam aduerſarij non admittunt. Deindè dico, quod ſubſequentia verba

eodem

eodem modo conſcribuntur, & pronunciantur à Sacerdote celebrante ex præſcripto Eccleſiæ, non quia ſint æquè neceſſaria, ſed quia ſunt grammaticali ſignificatione, non Sacramentali coniuncta, & pertineant ad primorum explicationem, & ideò præcipiuntur ab Eccleſia ſub graui recitari. Ad illud, quod ſubditur, dico, quod, quantumuis miniſter intentionem habeat conficiendi Sacramentum per omnia verba, quæ ex præſcripto Eccleſiæ in conſecratione Calicis proferuntur, conſtituatur tamen ſub ſpeciebus Sanguis Chriſti Domini perfectis illis primis verbis *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, cum conſtitutio Chriſti ſub ſpeciebus non dependeat ab arbitrio, ſeu intentione miniſtri, ſeu Eccleſiæ, ſed ex inſtitutione Chriſti Domini, & poſitis eſſentialibus à Chriſto Domino inſtitutis non eſt in poteſtate miniſtri, nec Eccleſiæ effectum ſuſpendere; &, ſicuti, ſi miniſter in conſecratione panis ex arbitrio adderet illas particulas, *quod pro vobis tradetur*, & intenderet conficere Corpus Chriſti vniendo præcedentia *Hoc eſt Corpus meum*, cum iſtis, *quod pro vobis tradetur*, non ſuſpenderet Corpus Chriſti vſque ad complementum iſtorum, ita, ſi in conſecratione Calicis intenderet &c., non ſuſpenderet &c. Hoc igitur tanquam certo ſuppoſito, non eſt, cur dicere poſſimus, quod verba ſubſequentia ſint de ſubſtantia, & integritate ſubſtantiali eiuſdem Sacramenti, quandoquidem ſemel dato, quod verba aliqua ſecundum ſe cauſent exiſtentiam, & præſentiam Sanguinis ſub ſpeciebus, nullatenus alia, quæ ſubſequuntur, connectuntur cum primis, vt ſunt verba formæ, adeoque ad rationem formæ materialitèr, & diſparatè ſe habent; id autem, quod materialitèr, & diſparatè ſe habet, non poteſt dici ad illius ſubſtantiam pertinere; cæteroqui in conſecratione panis poſſet addi, *quod pro vobis tradetur*, & in alijs Sacramentis addi aliæ particulæ magis expreſſiuæ, & dici illud, & iſtas pertinere ad ſubſtantiam &c., quod nemo dicet.

19 **Soluuntur alia obiecta.** Dices tertiò, plura in alijs Sacramentis ponuntur, quæ non ſunt de eſſentia, & tamen ſunt de ſubſtantia eorundem Sacramentorum, ſic in Sacramento Baptiſmatis ly, *Ego*, non eſt de eſſentia, eſt tamen de ſubſtantia eiuſdem; item in Sacramento Pœnitentiæ ly idem *ego*, & ly *à peccatis tuis*, ſunt de ſubſtantia, non tamen de eſſentia. Rurſus in Sacramento Pœnitentiæ quis habens plura peccata venialia ſine læthali, vel læthalibus ſubijciens clauibus vnum ex illis validam conſtituit eſſentiam Sacramenti, ſi tamen cum illo alia venialia ſubijciat, iſta alia ſunt de ſubſtantia, & integritate eiuſdem, ergo etiam, ſi in Sacramento Euchariſtiæ validum quoad eſſentiam conſtituatur Sacramentum per illa verba *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſi tamen addantur alia verba, erunt de ſubſtantia, & integritate eiuſdem. Sed contra, nego abſolutè, quod ea, quæ non ſunt de eſſentia, ſint de ſubſtantia Sacramentorum. Ad primum, quod adducitur, per ly *ego* in Sacramento Baptiſmatis, & Pœnitentiæ dicunt *Amicus diſp. 24. ſect. 1. n. 52.*, *Laurea diſp. 19. art. 2. num. 57.*, illam particulam expreſsè prolatam nullo modo influere; nec in Sacramentum, nec in effectum eius, nec eſſe partem eſſentialem, nec integralem, ſed merè adijci, & accidere, cum, quidquid illa importat, inuoluatur in ly *baptizo*, & *abſoluo*, conceptum in perſona prima. Ex oppoſito docent *Vaſquez diſp. 198. cap. 4. nu. 41.*, *& Lugus diſp. 11. ſect. 4. nu. 88.*, illam particulam influere, & eſſe partem eſſentialem non quidem determinatè, vt explicitè proferenda, ſed indeterminatè, vt abſtrahit ab explicita prolatione, vel implicita comprehenſione, adeovt, ſi explicitè proferatur, influat, &, ſi explicitè non proferatur, influat vt contenta in ly *baptizo*, vel *abſoluo*. Ad illud *à peccatis tuis*, quod ſubditur in forma Sacramenti Pœnitentiæ, dico nec influere, nec eſſe de ſubſtantia Sacramenti, ſed ad ſummum eſſe ex præcepto Eccleſiæ. Ad illud, quod additur de confeſſione peccatorum venialium, dicendum eſt in primis, non valere argumentum ab indeterminatione materiæ ad indeterminationem formæ. Deindè in caſu particulari, de quo loquimur, dico confeſſionem omnium peccatorum venialium eſſe materiam eſſentialem æquè, ac confeſſionem vnius venialis, non quatenus omnia ſubijcienda ſint eſſentialitèr clauibus, ſed quatenus, ſi omnia clauibus ſubijciantur, omnia tanquam materia conſtituunt Sacramentum, quod eſſentialitèr conſtat materia, & forma, & æquè Sacramentum conſtitutum ex materia, & forma intelligitur, ſi vnum tantum veniale ſubijciatur, ea proportionali ratione, qua æquè eſſentialitèr conſtituitur Sacramentum Euchariſtiæ, ſi plures particulæ ſubijciantur conſecrationi, ac ſi vnica tantum. Cæterum, ſicuti liberum eſt miniſtro velle, vel vnam, vel plures particulas conſecrare, ita liberum eſt vnum, vel plura venialia pænitenti clauibus ſubijcere, cum non ſint materia neceſſaria. Hoc deindè ſuppoſito, ſicuti, ſi vnam tantum particulam conſecrationi ſubijceret non eſſet in ipſius poteſtate efficere, quod aliæ ſint pars integralis, vel ſubſtantialis eiuſdem conſecrationis, ita ſi vnicum veniale ſubijceret eidem abſolutioni, non eſſet in ipſius

ipſius arbitrio, velle, quod alia ſint pars integralis &c.

20 Dices quartò, in tantum illa verba *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, pertinent ad formam eſſentialem conſecrationis vini, in quantum perfectè ſignificant ſe ſolis exiſtentiam, ſeu poſitionem Sanguinis ſub ſpeciebus, ac proindè alia, nec ſunt de eſſentia, nec de ſubſtantia eiuſdem conſecrationis, ſed hæc ratio nullo modo poteſt ſubſiſtere, ergo &c. Minor probatur, quia in forma Sacramenti Baptiſmatis per illã verba: *Ego te baptizo* perfectè habetur ſignificatio ablutionis, & nihilominus non habetur perfectus baptiſmus, niſi poſitis ſubſequentibus verbis inuocationis expreſsæ Sanctiſſimæ Trinitatis. *In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergo, quamuis per illa verba in forma conſecrationis Calicis *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, habeatur perfecta ſignificatio, non propterea &c. Sed contra in primis hoc argumentum nimis probat; probat enim, quod, ſicuti inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis in Sacramento Baptiſmatis eſt de eſſentia eiuſdem Sacramenti, ita & ſubſequentia verba in conſecratione Calicis ſint de eſſentia eiuſdem conſecrationis, quod nec aduerſarij admittunt. Deinde non valet paritas, quia baptiſmus non ſolum inſtitutus eſt ad regenerationem ſpiritualem, ſed etiam eſſentialitèr ad profeſſionem fidei, adeoque de ipſius eſſentia non ſolum eſt ablutio, ſed etiam inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis; Sacramentum autem Euchariſtiæ inſtitutum eſt, vt ſit cibus ſpiritualis, & potus animæ, quod habetur præcisè per conuerſionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Domini.

Non valet argumentum à forma baptiſmi ad formã conſecrationis vini.

Dices quintò, Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & vini inſtituta eſt non ſolum in ratione Sacramenti, ſed etiam in ratione ſacrificij, quamuis autem habeat rationem Sacramenti per ſolam conuerſionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem, per hanc tamen conuerſionem præcisè non poteſt habere rationem ſacrificij, de cuius ratione eſt, vt habeat explicitam rapræſentationem ſacrificij cruenti, ſeu Paſſionis Chriſti Domini; ſed hæc explicita rapræſentatio non habetur præcisè per illa verba *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ergo ſaltem de ſubſtantia requiruntur alia verba ſubſequentia ad complendam illam perfectam rapræſentationem. Subſumpta minor probatur, quia per illa verba præcisè explicatur ſolum Sanguis ſub ſpeciebus, non autem actualis effuſio Sanguinis, vnde ad hanc explicitè ſignificandam requiruntur illa verba, *qui effundetur*. Confirmatur, quia nos in præcedentibus diximus in conſecratione vnius dumtaxat ſpeciei non conſiſtere rationem ſacrificij, quia per illam non importatur explicita ſignificatio Paſſionis Chriſti Domini, nam, licet per conſecrationem panis ſignificetur Corpus exangue, non tamen importatur ſanguis effuſus, ſed etiam per conſecrationem vini licet importetur ſolum ſanguis, non importetur tamen explicitè effuſio eiuſdem Sanguinis, niſi addatur, *qui effundetur*, ergo &c. Sed contra. In primis, ſi hæc inſtantia ſubſiſteret, quatenus in ratione ſacrificij requirantur ad exprimendam explicitè Paſſionem Chriſti Domini per actualem Sanguinis effuſionem illa verba, *qui effunditur*, certè hæc non ſolum pertinerent ad ſubſtantiam, ſed etiam ad eſſentiam, cum eſſentialitèr ſacrificium Miſſæ inuoluat illam explicitam ſignificationem, quod nec aduerſarij admittunt. Deindè nego per illam conuerſionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem non habere explicitè rapræſentationem Paſſionis Domini; ex eo etenim, quod ex vi verborum ponatur ſub ſpeciebus panis Corpus ſine Sanguine, & ex vi eorundem verborum ſub ſpeciebus vini ponatur ſanguis ſeorſim, ſeu ſeparatus à Corpore, habetur explicita rapræſentatio effuſionis, qualis ad ſacrificium requiritur, & per hoc etiam reſpondetur ad confirmationem; licet enim ad rationem ſacrificij requiratur explicita rapræſentatio Paſſionis Domini, hæc tamen ſufficientèr habetur per conſecrationem ſub vtraque ſpecie per verba illa à nobis tanquam eſſentialia aſſignata.

21 Quomodo per enunciata verba exprimatur effuſio ſanguinis.

Probatur quoad tertiam partem tertiò, quia in Miſſali præcipiuntur omnia verba, quæ in eodem poſita ſunt eodem modo in conſecratione vini, proferri, &, quamuis hoc præceptum non eſſet ſcriptum, ex conſuetudine tamen Eccleſiæ recepta ſub graui onere, quæ vim legis non ſcriptæ habet, certè prouenit obligatio ſub graui; Accedit, quod ex rubricis Miſſalis, quæ vim habent præcepti, præcipitur, quod, ſi inualiditas poſt peractam conſecrationem dignoſcatur, vel defectu materiæ, vel defectu formæ, ſit reiteranda conſecratio incipiendo ab illis verbis, *qui pridiè, quam pateretur*, ergo, ſi iſta verba cadunt ſub præcepto, à fortiori cadent ſubſequentia ad formam eſſentialem conſecrationis vini, quia iſta habent maiorem connexionem cum illa, ac habeant illa verba, *qui pridiè, quam pateretur*.

22 Verba præcedentia, & ſubſequentia ſunt de præcepto

AR-

ARTICVLVS V.

An ad validitatem conſecrationis requiratur, vt verba proferantur enuntiatiuè ſimul, & recitatiuè, an ſufficiat, quod altero ex his modis proferantur.

SVMMARIVM.

De facto verba conſecrationis proferuntur ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè. 1.
Quid ſit modus loquendi recitatiuus, & enuntiatiuus. 2.
Nec ad inuicem, nec cum tertio habent oppoſitionem. 3.
Varia contradictoria nobis oppoſita ab Aduerſarijs. 4.
Non ſequitur, quod materialitèr, & non materialitèr, formalitèr, & non formalitèr proferat. 5.
Non poteſt dici, quod exuat ſe ipſum. 6.
Tollitur aliud obiectum. 7.
Item aliud obiectum. 8.
Ex eo, quod Sacerdos induat perſonam Chriſti non ſequitur, quod exuat propriam. 9.
Ad valorem, ſeu ad eſſentiam ſufficit, quod proferat enuntiatiuè. 10.
Prolatio recitatiua eſt de neceſſitate præcepti. 11.

QVamuis titulus videatur procedere de neceſſitate Sacramenti, cum referatur ad validitatem eiuſdem Sacramenti, ſeu conſecrationis, nihilominus ex ſuppoſitione, quod vterque modus prolationis ad talem valorem non requiratur, inquiretur, an ſaltem requiratur de neceſſitate præcepti, & ex ſuppoſitione, quod vterque ſimul non ſit neceſſarius ad eandem valorem, quinam ex illis requiratur.

1 Proferũtur ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè.

Aſſertio I. De facto verba conſecrationis proferuntur ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè. Conſentiunt *D. Thomas quæſt. 78. art. 5., Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 2. §. de tertio, & vtriuſque mox citati Doctoris ſectatores, Suarez diſp. 58. ſect. 4., Arriaga diſp. 40. ſect. 7. ſubſect. 1., & ſecunda, Coninchus quæſt. 78. art. 1. dub. 1., Madernus quæſt. 3. art. 3., & alij magis communitèr*, contra *Durandum in 4. diſt. 8. quæſt. 2. ad primum, Maiorem ibid. quæſt. vnica ad ſecundum, Salmeronem tom. 9. in Euangelium tract. 113.*, volentes proferri ſolum recitatiuè. Item contra *Marſilium in 4. diſt. 6. art. 1. ad ſextum, Vaſquez diſt. 200. cap. 2., Amicum diſp. 24. ſect. 4.*, volentes proferri tantum enuntiatiuè, non recitatiuè.

Potior ratio DD. contradicentium in eo conſiſtit, quod arbitrantur repugnare modum loquendi enuntiatiuum, & recitatiuum in eadem propoſitione coaleſcere, quæ ratio, ſi euertatur, obſtaculum magnum de medio tolletur, & aſſertio magis firmabitur. Probatur igitur non repugnare; Modus loquendi recitatiuus, & enuntiatiuus nullam habent ad inuicem oppoſitionem, nec in ordine ad tertium, ergo poſſunt compati in eadem propoſitione. Antecedens probatur explicando, quid ſit modus loquendi recitatiuus, & quid enuntiatiuus; primus dicit, recitare dumtaxat verba, quæ alius dixit abſtrahendo à veritate, vel falſitate eius, quod verba ſignificant; ſecundus modus dicit, proferre verba ex propria ſententia affirmando, vel negando id, quod illa verba vi ſuæ ſignificationis affirmant, vel negant; ſed proferre verba ab alio prolata abſtrahendo à veritate, vel falſitate eius, quod eadem verba ſignificant, & proferre verba illa ex propria ſententia affirmando, vel negando nullam adinuicem dicunt oppoſitionem, nec cum tertio, ergo &c. Minor quoad vtramque partem ſic euincitur, quia vtraque prolatio eſt affirmatiua, & vtraque poteſt eſſe vera; (Dixi *affirmatiua*, non quatenus recitatiua importet actum iudicij affirmantem, quia ſecus non diſtingueretur ab enuntiatiua, ſed quatenus contradiſtinguitur à negatione, & vt importat præciſè eſſe poſitiuum,) nam abſtrahere à veritate, & falſitate, & ab affirmatione, vel negatione eſt quid indiferens, vt coniungatur cum vna, vel cum altera, & ſic ſiue coniungatur, vel cum vna, vel cum altera non habet, qua opponatur cum illa, cum qua coniungitur, &, ſicuti, ſi conciperetur animal abſtrahendo ab eſſe rationali, vel innibili, & deindè actu virtualitèr diſtincto conciperetur, vt rationale, & rationalitas de illo affirmaretur, nulla eſſet oppoſitio inter huiuſmodi actus, ita &c. Confirmatur, quia ex eo, quod dicamus locutionem recitatiuam poſſe in eadem propoſitione coniungi cum enuntiatiua, non propterea dicimus, quod recitatiua, vt recitatiua ſit enuntiatiua, & è contra. nec quod conceptus formalis vtriuſque ſit idem, ſed tantum, quod vtraque vni, & eidem propoſitioni poſſit conuenire; quid enim vetat, quominus ego poſſim referre id, quod alter dixit, illudque ex propria ſententia affirmare?

2 Quid ſit modus vtriuſque locutionis.

3 Nec ad inuicem, nec cum tertio habent oppoſitionem.

4 Oppoſitiones aduerſãtium.

Quod, ſi dixeris, in vnione huiuſmodi locutionum inuolui plura contradictoria implicitè, ſeu ſaltem repugnantia; & primò loqueretur materialitèr recitando alterius dictum, & ſimul formalitèr proferendo ſententiam propriam, & ſic materialitèr, & non materialitèr, formalitèr, & non formalitèr. Secundò ſimul, & ſemel exue-

exueret ſuam perſonam, & retineret, quod ſpecialitèr verificaretur in verbis conſecratorijs, quæ recitatiuè proferens exueret perſonam propriam, & indueret illam Chriſti; proferens verò enuntiatiuè reaſſumeret perſonam propriam, & exueret illam Chriſti, & ſic exueret, & non exueret; indueret, & non indueret; Tertiò, quia dicendo recitatiuè *Hoc eſt Corpus meum*, ſe referret ad materiam exiſtentem in vltima Cœna in manibus Chriſti Domini, proferendo verò enuntiatiuè ſe referret ad materiam modo exiſtentem in manibus proprijs, & ſic ſimul, & ſemel ſe referret ad res diſſitas, & ad res præſentes, quod videtur non conforme rationi; quinimmò pronomina *Hoc*, & *Hic*, cum ſint demonſtratiua rei præſentis, nullo modo videntur poſſe referri ad res præteritas, adeoque, nec recitatiuè proferri. Quartò, quia aliud eſt recitare alterius dictum, aliud habere pro obiecto ſuæ locutionis alterius dictum; primum eſt referre alterius dictum nihil affirmando, vel negando de eodem; ſecundum eſt dictum alterius eſſe obiectum affirmationis, vel negationis propriæ, & ſic hoc ſecundum deſtruit primum. Si, inquam, hæc dixeris; ſtatim impugnaberis, quia nullum ex his poteſt officere aſſertioni noſtræ; Non primum, quia loqui materialitèr, & proferre alterius dictum, & ſimul proferre propriam ſententiam, ſumi poſſunt duplicitèr, poſitiuè ſcilicet, & negatiuè, ſeu priuatiuè; poſitiuè quatenus vtraque locutio habeat pro obiecto aliquid poſitiuum, & in vtraque tam ſubiectum, quam prædicatum nullam inuoluat negationem; priuatiuè, quatenus vna neget alteram, ſeu ſit negatiuè cum altera incompatibilis; hìc autem vtraque eſt poſitiua, cum conſtet terminis poſitiuis, licet in vna ſit affirmatio, in altero pura prolatio ſine affirmatione; quando autem hæc duo poſitiuè ſumuntur, non repugnant in eandem propoſitionem coaleſcere, ſaltem in ordine ad diuerſos effectus, & fines, nec ſequitur, quod loqueretur materialitèr, & non materialitèr, formalitèr, & non formalitèr, cum loqui materialitèr dicat in recto alterius dictum ſine negatione proprij aſſerti, & loqui formalitèr dicat in recto proprium aſſertum ſine negatione eius, quod alter dixerit; &, ſicuti conceptus proprius, & formalis rationalitatis in homine non eſt conceptus proprius riſibilitatis in eodem, nec tamen ſe inuicem excludunt in eodem homine, cum vterque conceptus in recto importet quid poſitiuum, ita, quamuis conceptus proprius locutionis recitatiuæ non ſint conceptus proprius eiuſdem, vt enuntiatiuæ, quia tamen vterque in recto importat quid poſitiuum, abinuicem in eadem locutione non ſe excludunt.

5 Euacuatur primum oppoſitum.

Non tertium, quia etiam ly *induere*, & *exuere*, poteſt ſumi duplicitèr, vel prout ly *induere* idem ſonet, ac *gerere alterius perſonam præcisè*, & per hoc nulla eſt repugnantia, quin ſimul retineat propriam, ſicuti legatus Principis gerit perſonam eiuſdem Principis, nec tamen amittit propriam; vel prout ly, *exuere*, dicit quaſi amittere perſonam propriam, & in re præſenti non poteſt propriè dici amittere propriam perſonam, & ſic non verificatur induere, & non induere; exuere, & non exuere, ſicuti præferebatur in inſtantia. Quod autem ex eo, quod in prolatione verborum conſecrationis Sacerdos induat quodamodo perſonam Chriſti, nec ſequatur, quod exuat ſe ipſum perſona propria, facilè ex eo deducitur, quod notat *Lauræa disp. 19. art. 3. num. 107.*, nempè neminem poſſe ſe ſua perſona exuere, nam, ſicuti quodlibet agens ſe ſua actione, ita quilibet loquens ſua ſe locutione manifeſtat.

6 Euacuatur ſecundum.

Non tertium, quia Sacerdos in conſecratione duo præſtat, & memorat, quæ Chriſtus geſſit in vltima Cæna incipiens à ly, *qui pridiè, quam pateretur, accepit panem &c.*, referens ſe ad illud tempus vltimæ Cænæ, & ſimul ipſe in perſona ipſius modo gerit, quod ipſe tunc geſſerat; prout refert, quod Chriſtus tunc geſſit, refert illa pronomina ad illud tempus, & ad illum panem, & vinum, quod tunc Chriſtus accepit; prout ipſe modò gerit, ſe refert ad tempus præſens, & ad illam materiam, quam ipſe nunc præ manibus habet; non eſt autem abſurdum, quod relatiuè ad diuerſa tempora, & diuerſam materiam ly *hoc*, & *hic* referatur ad materias diſſitas, & præſentes; ad primas recitatiuè, ad ſecundas enuntiatiuè. Dici etiam poſſet, quod, cum Chriſtus non ſolum in inſtitutione huius Sacramenti conſecrauerit, ſed etiam immediatè in quacunque conſecratione cuiuſcunque Sacerdotis concurrat cum eodem influendo in ſe ipſum per ea, quæ ſupra commendauimus, Sacerdos recitet etiam, quod modo Chriſtus facit ſimul cum ipſo, & ſimul ipſe affirmet, & ſic ly *hoc*, & *hic* referatur etiam ad actionem præſentem, quam Chriſtus exercet, atque iuxtà hunc ſenſum dici poſſet, quod Sacerdos in illis præuijs verbis, *qui pridiè, quam pateretur*, recitet actionem præteritam, vſque ad illud *dicens*, cum verò peruenerit ad formam conſecrationis recitet, quod modo Chriſtus gerit, & ſimul ipſe affirmet, quod gerit; atque in hoc verificatur id, quod *Concilium Tridentinum ſeſs. 22. cap. 2.*, aſſerit; quod idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce

7 Euacuatur tertiū.

obtulit. Neque debet hoc nouum apparere, quandoquidem, ſicuti tunc Sacerdos, quando incipit proferre formam conſecrationis quodammodo recedendo ab actione exercita a Chriſto Domino in vltima cęna, & nouam tunc exercet actionem ita præſumit, quod recitet etiam actionem, quam tunc Chriſtus Dominus cum ipſo exercet.

8 Euacuatur quartum.

Non quartum, quia licet obiectum ab alio dictum ſit obiectum recitationis, illud tamen referre non eſt quid aliud a recitare, & licet *Cardinalis de Lugo diſp. 11. ſect. 5.*, aſſerat ly, *recitare*, aliquando ſumi pro parte propoſitionis, quam recitat, aliquando pro obiecto recitationis; nihilominus quocunque modo ſumatur, ſemper habet rationem prolationis recitatiuæ, quæ compati poteſt cum locutione enuntiatiua.

Probatur iam directè noſtra aſſertio, quia ſine locutione enuntiatiua non ſaluatur veritas formæ conſecratoriæ, & ſine locutione recitatiua non ſaluatur cohærentia eiuſdem formæ cum verbis præcedentibus, ergo locutio Sacerdotis in forma conſecratoria eſt ſimul enuntiatiua, & recitatiua. Antecedens quoad primam partem probatur, quia verba conſecrationis ſecundum ſe ſunt vera, ſed non poſſunt eſſe vera per ſolam locutionem recitatiuam, quia ex ſuperius dictis hæc abſtrahit à vera, & falſa, ergo, vt ſic vera, debet eſſe enuntiatiua. Probatur item quoad ſecundam partem, quia nullum eſt fortius argumentum euincens aliquem proferre aliquod dictum recitatiuè, quam, ſi loquens dicat, ſe dicere id, quod alius dixit, ſed hoc verificatur in Sacerdote conſecrante, qui poſtquam per præcedentia verba narrauit, quod Chriſtus geſſit, ſubdit illud verbum, *dicens*, per quod exprimit, ſe proferre verba, quæ Chriſtus dixit. Adde, quod per illam particulam, *enim*, connectuntur verba præcedentia conſecrationem cum ipſa conſecratione, & ſic cum verba præcedentia proferantur recitatiuè, debent intelligi, & verba conſecrationis eodem modo prolata.

9 Stat ſimul induere perſonā Chriſti, & non exuere propriā.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum Sacerdos verba conſecratoria proferat in perſona Chriſti, & quaſi induens perſonam eiuſdem (vt notat *D. Ambroſius 4. de Sacramentis c. 4.*, vbi habet, *quando peruenit Sacerdos ad conficiendum Sacramentum iam non ſuis, ſed vtitur ſermonibus Chriſti*, & *Concilium Florentinum in decreto vnionis*; aſſerit Sacerdotem in perſona Chriſti loquentem conficere hoc Sacramentum) non poſsit, & modo recitatiuo, & in perſona propria proferre, cum quodammodo in ea pronuntiatione ſe ipſum exuat propria perſona; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hoc loqui in perſona Chriſti, & induere perſonam eiuſdem, non eſt amittere perſonam propriam; vndè quando Sancti PP., & Concilia dicunt, vti non ſuis, ſed ſermonibus Chriſti, & loqui in perſona Chriſti, non excludunt, quin ipſe etiam loquatur, ſed volunt ſolum, quod exuat perſonam merè Hyſtorici, & aſſumat perſonam Chriſti, per hoc tamen non tollitur quin ipſe referat, quod Chriſtus geſsit.

Aſſertio II. Quamuis Sacerdos formam conſecratoriam proferat ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè, non eſt tamen, vel de eſſentia, vel de neceſsitate Sacramenti, quod vtroque modo proferat; ſed ſufficit ad valorem eiuſdem, quod proferat enuntiatiuè, licet ſit de præcepto, quod vtroque modo proferat. In hanc conſentiunt *Marſilius in 4. diſt. 6. art. 1. ad 6.*, *Vaſquez diſp. 200. cap. 2.*, *Amicus diſp. 24. ſect. 4.*, *Madernus tract. 4. de Sacrament. Euchariſtiæ quæſt. 6. art. 3. nu. 8.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 7. §. 8. num. 175.*

10 Ad valorem ſufficit, quod proferat enuntiatiuè.

Probatur primò, ex mox dictis, quia intelligitur Sacerdos potiſſimum recitatiuè proferre per hoc, quod per ſuam locutionem intelligitur coniungere præcedentia verba, *qui pridiè, quam pateretur*, cum ipſa forma conſecrationis, quod potiſſimum eluceſcit per particulam, *enim*, connectentem, ſed hæc connexio ex ſuperius probatis, nec eſt de eſſentia, nec de neceſſitate Sacramenti, ergo, nec eſt de eſſentia, nec de neceſſitate Sacramenti, quod verba recitatiuè proferantur. Minor probatur, nam, ſi ſola illa verba proferrentur à Sacerdote *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Calix Sanguinis mei*, validum conficeretur Sacramentum.

Probatur ſecundò, verba concurrunt ad Sacramentum ex neceſſitate eiuſdem, prout illud habent conficere, ſed, ſi ſumantur præciſè, vt enuntiatiua, habent ſecundum ſe efficere Sacramentum, quando quidem illud efficiunt, prout proferuntur in perſona Chriſti, & vt vera, prout autem ſunt in perſona Chriſti, & vt vera, non ſunt recitatiuè, ſed enuntiatiuè prolata, nam recitatiuè prolata ſunt præciſè ex perſona Sacerdotis recitantis, & vt talia præſcindunt à veritate, & falſitate, ergo &c. Quod, ſi dicas, quando recitatiuè ſimul, & enuntiatiuè proferuntur, vel ſecundum vtramque locutionem influunt in Corpus Chriſti Domini, vel influunt tantum, vt enuntiatiua; ſi influunt tantum, vt enuntiatiua, iam, vt recitatiua non eſſent conſecratoria, quia nullam exercerent cauſalitatem; ſi influant ſecundum vtrumque modum loquendi; iam, vt enuntiatiua non eſſent ſufficientia ad cauſandum Corpus Chriſti Domini ſub ſpecie-

bus;

bus; ſtatim impugnaberis, nam admitto verba recitatiuè prolata non concauſare Corpus Chriſti Domini, nec eſſe conſecratoria, nego autem non eſſe promenda, quia hæc neceſſaria ſunt ad ſignificandam connexionem formæ conſecratoriæ cum verbis præcedentibus, quia tamen hæc connexio non eſt neceſſaria ad conſtituendum Sacramentum, ideò dixi verba recitatiua prolata non eſſe de neceſſitate Sacramenti. Hinc

11 Prolatio recitatiua eſt de neceſſitate præcepti.

Probatur tertiò, verba recitatiuè prolata eſſe de neceſſitate præcepti. De præcepto Eccleſiæ præmittenda ſunt ad formam conſecrationis illa verba. *Qui pridiè, quam pateretur*, & poſtea ſubnectitur connexio cum ipſa forma conſecrationis per illam particulam, *enim*, ergo illa connexio exprimenda eſt de præcepto, ergo, & illa verba recitatiuè prolata, cum per ipſa importetur illa connexio.

Ex eo autem, quod ſparſim in hoc articulo diximus verba recitatiuè prolata abſtrahere à vero, & falſo, enuntiatiuè autem prolata veritatem continere, ex profeſſo ea, quæ obiter, & ex occaſione ibi inſinuauimus, examinanda aſſumimus. Pro quo ſit

ARTICVLVS VI.

De veritate verborum formæ conſecratoriæ.

SVMMARIVM.

Examinanda ſub hoc titulo. 1.
Sunt verba abſolutè, & ſimpliciter vera. 2.
Quandonam intelligantur vera. 3.
Sententia aſſerens ſecundum ſe falſa eſſe, fieri tamen vera ex intentione loquentis. 4.
Nec ſiunt vera per reſolutionem in alternatiuam. 5.
Sunt vera in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ. 6.
Eſt propoſitio practica, non merè ſpeculatiua. 7.
Verba cauſant, vt ſunt vera practicè. 8.
Ratio ſignificatiui in hoc non præcedit rationem veri. 9.

1 Articuli diſcutiendi.

SVb hoc titulo plura veniunt examinanda. Primò, an verba huiuſmodi ſint vera. Secundò, quandonam, ſeu pro quonam tempore eorum veritas reſultet. Tertiò, an cauſent exiſtentiam Chriſti, vt vera, & qua veritate ſpeculatiua ne, an practica. Quartò, an, vt ſignificatiua. Non procedit titulus de verbis recitatiuè prolatis, quandoquidem, vt in præcedenti articulo inſinuauimus, hæc abſtrahunt à veritate, & falſitate.

2 Sunt abſolutè vera.

Vera eſſe in toto rigore, videtur eſſe extra controuerſiam, & contrarium aſſerere, temerarium eſt, & Deo, & Chriſto Domino principio, & primæ regulæ cuiuſcunque veritatis iniurioſum; quis enim audebit dicere Chriſtum Dominum, qui in prima inſtitutione huius Sacramenti eadem verba adhibuit, eiſdemque quotidiè vtitur miniſterio Sacerdotum minus vera inſinuaſſe, & talia inſtituiſſe in confectione ſui Corporis in Sacramento? Difficultas ſolummodò videtur eſſe in explicando, quandonam habeant veritatem; non enim poteſt dici, quod veritas eorundem habeatur in principio prolationis, quia tunc verum non eſt, quod ibi exiſtat Corpus Chriſti Domini, nec quando profertur copula connectens *eſt*, quia de ratione iſtius eſt connectere extrema, ſubiectum ſcilicet cum prædicato, ſed quando ipſa ponitur, prædicatum non eſt, ergo, nec tunc eſt veritas; Hinc cum non exiſtat Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ante conſecrationem, ſi nec eſt in principio eiuſdem, nec in medio, quando profertur copula, nec videtur eſſe poſſe in fine, quia tunc locutio non eſt, nec ſignificat; vt manifeſto exemplo euincitur; ſi enim quis dicat. Hoc eſt album loquendo de re, quæ iam erat alba, quando copula profertur, verum diceret, quantumuis contingeret in fine verborum rem illam non eſſe albam, ſi verò dicat. Hoc eſt album pro tempore, quo res illa non erat alba, licet in fine eſſet alba, propoſitio eſſet falſa.

3 Quandonam ſit vera.

4 Non ſit vera ſolùm ex intentione loquentis.

Aliqui ad euitandam hanc difficultatem, inter quos *Scotus in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 3. §. aliter ergo, Gabriel lect. 48. in Canone Miſſæ lit. R.*, dixerunt formam conſecrationis nudè ſumptam falſam eſſe, fieri tamen veram ex intentione loquentis, quia hæc refertur ad vltimum inſtans, in quo ponetur Corpus Chriſti. Sed hæc explicatio congrua non videtur, quandoquidem locutio debet eſſe vera in propria verborum ſignificatione, &, ſi non ſit talis, nec poteſt talis conſtitui per eandem intentionem, quæ non habet conſtituere veritatem, vbi non eſt, quod præcipuè verificatur in forma conſecrationis, quæ habet vim ex inſtitutione Chriſti Domini, non ex intentione loquentis.

5 Nec reſoluitur in alternatiuam.

Alij ſenſerunt, formam conſecrationis in hunc ſenſum veram eſſe, quatenus ly, *hoc eſt*, reſoluitur in hanc alternatiuam. *Hoc quod eſt, vel de proximo futurum eſt*, atque iſti ſunt *Riccardus diſt. 8. art. 3., & alij*. Sed minus congrua eſt hæc explicatio, quia verba, quæ ſunt de eſſentia ad conſtituendum Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus debent exprimi, nec ſufficit, quod implicitè

citè contineantur in alio, quod ſit reſolubile in implicitè contento. Deindè gratis omninò confingitur, quod ly, *eſt*, quod abſolutè profertur, contineat illam diſiunctionem.

6 Eſt vera in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ.

Omiſſis his explicationibus ſentio abſolutè, veritatem formæ conſecrationis haberi ſolummodò in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ. In hoc conueniunt *D. Thomas quæſt. 78. art. 5. ad tertium*, *Suarez, diſp. 58. ſect. 5.*, *Cacheranus de Euchariſtia, vt ſacrificio tract. 9. cap. 6. §. 9. num. 189.*, *Lauræa diſp. 19. art. 6.*; nec in hoc probando diu inſudandum eſt, cum Chriſtus non conſtituatur ſub ſpeciebus, nec in principio prolationis verborum, nec in medio, ſed dumtaxat in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ, ergò pro illo vltimo ſignò verificatur ſolummodò forma conſecrationis; Deindè forma non eſt ſignificatiua, niſi in illo vltimo ſigno, ergo nonniſi in vltimo ſigno verificatur, cum non ſit vera, niſi ſit ſignificatiua.

7 Eſt propoſitio practica non merè ſpeculatiua.

Difficultas ſolummodò eſt in explicando, quomodo illa particula, *eſt*, quæ eſt forma connectens, & concepta de præſenti, & modo indicatiuo, non habeat immediatè ſignificare, quando profertur; cum quælibet dictio, ſiue ſit nomen, ſiue ſit verbum ſignificet in ipſo inſtanti, in quo profertur; cum igitur verbum, *eſt*, in formis conſecratorijs conceptum ſit de præſenti; de præſenti debet ſignificare, & ſic in medio eiuſdem formæ, non in fine. Pro reſolutione aduerto, quod in propoſitionibus non merè ſpeculatiuis, ſed practicis de præſenti, quando antecedentèr forma non adeſt in ſubiecto, cum enuntiantur, non detur ſignificatio earundem in principio, quando profertur ſubiectum, nec in medio quandò profertur verbum connectens, ſed in fine, quando profertur vltima ſillaba prædicati, ita enim ſe habent partes verbi ad ſignificationem verbi, ſicuti partes propoſitionis ad ſignificandam, ſeu verificandam eandem propoſitionem; cum igitur partes verbi non ſignificent, niſi prolata vltima ſillaba verbi, ita nec partes propoſitionis ſignificent, niſi prolata vltima ſillaba eiuſdem propoſitionis, quod optimè videtur conſideraſſe *Ariſtoteles primo de interpretatione*, dum dixit, copulam ſignificare compoſitionem, quæ ſine extremis non poteſt intelligi. Hinc ad rem præſentem dico, quod, cum verſamur potiſſimum in propoſitione de præſenti, & vtique practica, ſignificatio perfecta eiuſdem protrahatur ad complementum prolationis vltimæ ſillabæ, in quo eſt vera cauſalitas, qua conuertitur ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini; vndè poteſt dici, quod, ſicuti Sacramenta omnia perficiuntur in fine prolationis verborum formæ; ita & verba conſecratoria compleantur, & verificentur in ipſorum fine &c.

Hinc etiam poſſumus deducere reſolutionem dubij, quod ſecundo loco in explicatione tituli propoſuimus diſcutiendum, vt ſunt an verba cauſent tranſubſtantiationem, vt vera practicè, an vt talia merè ſpeculatiuè; 8 Cauſant, vt vera practicè.

deducere, inquam, poſſumus, cauſare ſolummodò, vt vera veritate practica, non merè ſpeculatiua, vt latè docuit *D. Thomas quæſt. 78. art. 5. in corpore*, quem poſtea ſecuti ſunt *Suarez diſp. 58. ſect. 6. §. addo denique*, *Arriaga diſp. 40. ſect. 8. ſubſect. 4. num. 64*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 6. §. 9. n. 194.* contra *Scotum in 4. diſt. 8. quæſt. 2. §. aliter ergo & eius ſectatores communitèr*. Hæc illatio duas habet partes. Prima eſt, quod verba conſecratoria cauſent tranſubſtantiationem, vt vera. Secunda, quod cauſent veritate practica, non merè ſpeculatiua. Probatur prima primò reijciendo rationes ſententiæ oppoſitæ, quia intantum non poſſent cauſare, vt vera, quia ad veritatem eorundem requiritur, vt Chriſtus intelligatur conſtitutus ſub ſpeciebus, & ſic prius ſaltem prioritate naturæ debet eſſe Chriſtus ſub ſpeciebus, quam, quod eadem verba verificentur, ergo, vt vera non cauſant eundem ſub ſpeciebus, quia, vt ſunt cauſatiua, & effectiua debent prioritate naturæ præcedere effectum, cum verò, vt vera ſubſequantur, non præcedant, non poſſunt, vt talia cauſare, ſeu efficere Corpus Chriſti; ſed hæc ratio non poteſt officere, ergo &c. Maior eſt fundamentum aduerſariorum. Minor probatur, quia veritas duplex eſt; altera practica, quæ reſpicit obiectum in fieri, altera ſpeculatiua, quæ reſpicit obiectum in facto eſſe, ſed prout eſt practica, & reſpiciens obiectum in fieri ad ſui veritatem non requirit, quod obiectum poſitum ſit in actu, ſed quod illud ponat, ſicuti cauſa dicitur à ſuo actu ſecundo cauſans, non quia, vt cauſans ſupponat, ſed quia, vt cauſans ponat ſuum actum ſecundum. Probatur ſecundò *ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 4.*, vbi ponit hanc cauſalem, *quia Chriſtus Corpus ſuum id, quod ſub ſpeciebus panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri &c.*, vbi nota illas particulas, *quoniam verè eſſe dixit*, quæ important veritatem formæ, & cum hæ ponantur tanquam exprimentes cauſalitatem, & tanquam id, ex quo conuerſio ſequitur, manifeſtè reſultat, quod tanquam veræ cauſent.

Se-

Secunda pars ex mox dictis reſultat, & vlterius euincitur, quia illa verba conſecratoria efficaciam habent infallibilem, & ſuam veritatem efficiunt, ſub qua ratione dicuntur vera practicè, & licet dicatur, veritatem dicere cõformitatem ad obiectum, quæ conformitas non videtur poſſe eſſe, niſi poſito obiecto, ideſt Corpore Chriſti Domini ſub ſpeciebus, adeoque ſupponere Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus, antequam reſultet veritas, nihilominus duplex conformitas, ſicut & duplex veritas poteſt conſiderari, quarum altera prioritate naturæ præcedat, altera ſubſequatur. Prima eſſe poteſt conformitas ad poteſtatem, & intentionem loquentis, quatenus hic habeat poteſtatem, & voluntatem efficiendi, & verba habeant conformitatem ad ipſa, qua ratione certè præcedit effectum; altera ad effectum iam poſitum, & hæc eſt ſubſequens; quod autem veritas, vt cauſatiua poſſit habere in illa priori conformitatem clarè exemplo euincitur. Si quis dicas, *Hoc à me fiet*, intentione faciendi practicè, verum dicit, licet fortaſſis cum re ſignificata conformitatem non habeat, quia non eſt res illa futura.

9 Ratio ſignificatiui in hoc non præcedit rationem veri.

Quod, ſi dicas, effectum pendere à ſola verborum ſignificatione, non à veritate, quia verba intantum efficiunt, in quantum ſignificant, non in quantum vera ſunt, adeoque eſſe practicum tribuatur eidem ſignificationi, non veritati; ſtatim dicam, (& per hoc ſatisfit dubio, quod tertio loco propoſitum eſt in explicatione tituli;) certè verba conſecratoria cauſare, vt ſignificatiua, adeoque etiam effectum pendere à verborum ſignificatione, per hoc tamen non tollitur, quin ſimul cauſent, vt vera; quod, ſi vrgeas, quod ratio ſigni, ſeu ſignificatiui præcedat rationem veri, cum ſignum, vt ſignum abſtrahat à veritate, & falſitate, adeoque, ſi verba cauſant, vt ſignificatiua, non poſſint cauſare, vt vera; ego etiam ſubdam, quod licet ratio ſigni, vt ſic præcedat rationem veri propter allatam rationem, quod præſcindat à vero, & falſo, ratio tamen ſigni talis, vt à Chriſto Domino inſtituti non præſcindat à veritate, quinimmò habet imbibitam talem veritatem; cum etenim Chriſtus Dominus ſit prima radix, & regula cuiuſcunque veritatis, nec poteſt fallere, nec falli, &, ſicuti, nec materialiter poteſt falſum dicere, ita nec ſignum falſum inſtituere.

ARTICVLVS VII.

Quid importent in formis conſecrationis pronomina Hoc, *&* Hic.

SVMMARIVM.

Illa pronomina aliquid ſignificant. 1.
Sumi poſſunt, vel adiectiuè; vel ſubſtantiuè, & quomodo. 2.
Sumuntur adiectiuè, & in principio ſignificant ſubſtantiam indeterminatam. 3.
Per hoc ſaluatur vera ratio conuerſionis. 4.
Saluatur etiam veritas propoſitionis. 5.
Nonnulla obiecta diſſoluuntur. 6.
Cur ſumantur adiectiuè. 7.
Exprimuntur nomina, cum quibus coniunguntur illa pronomina ſumpta adiectiuè. 8.

1 Verè aliquid ſignificant.

NOnnulla in præcedentibus inſinuauimus de ſignificatione illarum vocum, *Hoc*, & *Hic*, dum inueſtigaremus, an forma conſecratiua Sanguinis per illa verba: *Hic eſt Sanguis meus*, ſubſiſteret. Nunc ex profeſſo illa pronomina per propriam, & germanam eorum ſignificationem, prout pertinere poſſunt ad præſens inſtitutum, examinanda aſſumimus; & quidem illa pronomina aliquod ſignificare indubitatum videtur, quidquid ex aduerſo aliqui dixerunt, qui, cum aſſeruerint verba conſecratoria proferri ſolum recitatiuè, non enuntiatiuè, ſeu ſignificatiuè, videntur ex conſequenti voluiſſe, quod, ſicuti tota forma non profertur ſignificatiuè, ità nec illa pronomina *Hoc*, & *Hic*, taliter proferantur, adeoque propriè non ſignificent, quantum eſt ex parte proferentis. Cæterum, cum tota forma propriè ſignificet, non ſolum quantum eſt in ſe, ſed etiam quantum eſt ex parte proferentis, & illa pronomina, *Hoc*, & *Hic*, quæ ſunt tanquam ſubiectum propoſitionis conſecratoriæ, debent ſignificatiuè ſumi, ſeu ſignificare.

Suppoſito iam, quod verè ſignificent, ſcopus præſentis quæſtionis verſabitur in explicando, quid propriè ſignificent; in qua quæſtione licet DD. Catholici in tot varios, & diuerſos dicendi modos abierint, vt quæſtionem magnam, & arduam reddiderint, in re tamen magna non eſt, cum vt plurimum diuerſi illi dicendi modi in quæſtionem de nomine reſoluantur. Ne igitur nos immoremur in recitandis, & diluendis his dicendi modis, qui à tot DD., & præcipuè a *Suarez diſp. 58. ſect. 7.*, *& à Cacherano tract. 9. de Eucharistia, vt Sacrament. cap. 6. §. 10.*, fuerunt relati, examinati, & reſoluti, immediatè ad noſtram ſententiam ponendam, & exponendam nos conferimus. Pro qua

Ad

2 Poſſunt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè.

Ad clariorem intelligentiam, & pro faciliori eorum, quæ dicenda ſunt, reſolutione, debemus aduertere, ly, *Hoc*, & *Hic*, poſſe duplicitèr ſumi, adiectiuè ſcilicet, & ſubſtantiuè; adiectiuè, quatenus ſumantur, vt quædam ſincategoremata adiacentia alteri ſubſtantiuo implicitè in mente præconcepto, ſi non formalitèr expreſſo; ſubſtantiuè, quatenus ſumantur tanquam aliquod per ſe ſtans, & ſubſtantiuè ſignificans, quod licet verificari poſſit in forma conſecrationis panis per ly, *Hoc*, ſumptum in genere neutro, quatenus ſignificet hanc rem, hoc ens; difficilè tamen videtur poſſe verificari in forma conſecrationis vini per ly, *Hic*, qui, cum ſumatur in genere maſculino, non videtur poſſe ſubſtantiuari, & licet *Ianſenius concordiæ Euangelicæ cap.* 131., aſſerat ly, *Hic* debuiſſe ex textu Græco verti in pronomen *Hoc*; ex proprio tamen marte hoc ſibi confingit; & licet alij aſſerant, genus quoque maſculinum, & fæmininum poſſe ſubſtantiuari, & de facto ſubſtantiuari, quoties ponitur ſine aliquo ſubſtantiuo, ſiue expreſſo, ſiue implicitè, hoc tamen mihi arduum videtur, & non facilè captu, nam vel præintelligitur ſubſtantiuum, cui adiaceat, & ſic certè non ſubſtantiuatur, cum ſit per modum adiacentis, vel nihil præintelligitur, & ſic non videtur habere verum ſenſum, niſi referatur ad ly, *Sanguis*, & ſic etiam adiectiuè ſumeretur, præterquam quod plura incongrua ſequerentur, de quibus infrà. Quamobrem ſit.

3 Sumuntur adiectiuè, & in principio ſignificant ſubſtantiam indeterminatam

Aſſertio. Pronomina, *Hoc*, & *Hic*, ſumantur adiectiuè, & important, quando primò proferuntur, ſeu in ſui prima prolatione ſubſtantiam ſingularem, confusè tamen, indeterminatè, & vagè ſub ratione contenti ſub ſpeciebus præſcindens à ſubſtantia panis, & vini, & à ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini; in vltima verò verborum prolatione adijciuntur determinatè Corpori, & Sanguini Domini. In hanc conſentiunt *D. Thomas quæſt.* 78. *art.* 5. *in corpore, & in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. *ad primum, Sotus diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 5., *Ioannes à Sancto Thoma diſp.* 19. *art.* 1., *Maderñus tract.* 3. *de Sacramento Euchariſtiæ quæſt.* 5. *art.* 4., *Cacheranus tract.* 9. *de Euchariſtia, vt Sacramento cap.* 6. §. 10. *num.* 219.

4 Saluatur vera ratio conuerſionis.

Probatur primò, quia poſita hac explicatione benè ſaluatur, & ratio conuerſionis, & veritas propoſitionis, ergo hæc explicatio, tanquam adæquata, & conſona confectioni Sacramenti eſt admittenda. Antecedens quoad primam partem probatur, quia conuerſio ex ſuo conceptu dicit tranſitum à termino à quo ad terminum ad quem; ſed hic tranſitus congruentius nequit explicari, quàm per mox poſitam expoſitionem, ergo &c. Minor probatur, quia terminus à quo nullo modo habetur per ly, *Hoc*, ſi ſumatur, prout determinatè adijcitur Corpori, quia hoc modo præcisè importaret terminum ad quem, vt per ſe patet; nec item, ſi adijciatur ſubſtantiæ panis, ſi ſumatur intranſitiuè, quia ſic remaneret ſubſtantia panis ſimul cum Corpore Chriſti, quod nō ſolum non eſſet terminus à quo, quia hic debet recedere, ſed vlterius importaret manifeſtam hæreſim Paniſtarum admittentium impanationem, hoc eſt coexiſtentiam ſubſtantiæ panis ſimul cum ſubſtantia Corporis Chriſti; ſi verò ſumatur tranſitiuè, tunc licet poſſit importare terminum à quo, non congrueret tamen cum veritate propoſitionis, de qua re infrà, dum de probatione ſecundæ partis primi antecedentis; nec item terminus à quo haberetur, ſi ly, *Hoc* importaret præcisè accidentia panis, cum hæc non tranſeant, ſed remaneant. Probatur idem primum antecedens quoad ſecundam partem, quia intelligendo ly, *hoc*, de ſubſtantia panis nō poteſt verificari propoſitio, quia hæc ſumpta intranſitiuè importat ſubſtantiam panis remanere cum ſubſtantia Corporis Chriſti, quod eſt hæreticum, ſumpta tranſitiuè deſtruit ſubſtantiam verbi *eſt*, & reſolueretur in idem, quod *tranſit*, & ſic deflecteret verba conſecrationis ad improprium ſenſum, nec eſſet apta ad ſignificandum Sacramentum permanens, quale eſt hoc Euchariſtiæ, ſed actionem tranſeuntem, in qua complentur alia Sacramenta; intelligendo ly, *hoc* de ſubſtantia Corporis Chriſti Domini, præterquam quod non importat terminum à quo, facit propoſitionem identicam, idem enim eſſet dicere. *Hoc eſt Corpus meum*, ac dicere. *Hoc Corpus meum eſt Corpus meum*, ergo ijs omnibus excluſis congruentius intelligitur incluſa noſtra expoſitio, ſecundum quam, & efficientia verborum exprimitur, & veritas propoſitiones elucet; ex eo etenim, quod ly, *hoc*, importat aliquid commune ſubſtantiæ panis, & Corporis Chriſti denotatur, vtramque ſubſtantiam ad conſecrationem pertinere, & ſecundum rationem communem contenti ſub ſpeciebus panis, qui conſecratur, dignoſcitur, ſubſtantiam, quæ ante conſecrationem, & in initio eiuſdem erat panis, in fine eiuſdem eſſe Corpus Chriſti, (& ecce tranſitus à ſubſtantia panis ad ſubſtantiam Corporis Chriſti, & per conſequens vera conuerſio,) & cum ratio communis pani, & Corpori Chriſti, poſſit cum Corpore identificari vtique ly, *eſt*, identificat prædicatum cum ſubiecto, (& ecce veritas propoſitionis.) Hæc omnia expreſsè expo-

ſuit

5 Saluatur etiam veritas propoſitionis. fuit D. Thomas *quæſt.* 78. *art.* 5. *in corpore*, cuius verba placet referre, cum plurimum conferant ad elucidationem, & confirmationem noſtri aſſerti. *Non faciunt, quod Corpus Chriſti ſit Corpus Chriſti, neque quod panis ſit Corpus Chriſti, ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit Corpus Chriſti, & ideò ſignantèr non dixit Dominus. Hic panis eſt Corpus meum. Neque hoc Corpus meum eſt Corpus meum, ſed in generali. Hoc eſt Corpus meum, nullo nomine appoſito à parte ſubiecti, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam in communi ſine qualitate, hoc eſt forma determinante.*

6 Diſſoluũtur nonnulla obiecta. Solum aliquid difficultatis videntur in hac noſtra expoſitione duo faceſſere; primum, quod ad rectam propoſitionem ſpectat, quod prædicatum ſaltem quoad modum latius pateat, quam ſubiectum, cum non benè dicatur, Animal eſt homo, ſedè conuerſo, homo ex Animal; in præſenti autem enuntiatione ſubiectum latius pateret, quam prædicatum, cum ly, *Hoc*, prout importat quid commune ſubſtantiæ panis, & ſubſtantiæ Corporis Chriſti, ſit quid generaliùs, quam Corpus Chriſti determinatè ſumptum; ſecundum, quod, quamuis ly, *hoc*, ſecundum intellectum ſumi poſſit tanquam quid commune ſubſtantiæ panis, & Corporis Chriſti, ſecundum veritatem tamen obiectiuam, & ſecundum rem eſt ſolummodò ſubſtantia panis, cum non deſinat eſſe talis, niſi in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ. Sed his facilè poſſumus occurrere aſſerendo ad primum, quod, quamuis in rigore Logico aſſumptum videatur vim aliquam habere, in ſenſu tamen Theologico, ſecundum quem prædicatum habet determinare ſubiectum non videatur ſubſiſtere, potiſſimum, cum propoſitio ſit practica, & effectiua, quæ terminat ad effectum ſingularem, & determinatum. Ad ſecundum, quod, quamuis in re, & in eſſe reali importet ſubſtantiam panis, prout tamen ſumitur tanquam ſubiectum talis propoſitionis concipiatur ſecundum eſſe intellectum, ſub qua ratione præſcindit, & à ſubſtantia panis, & à ſubſtantia Corporis Chriſti, neque ex hoc inferas, quod fieret tantum demonſtratio ſecundum intellectum, non ſecundum ſenſum, prout videtur requiri in conſecratione; contra enim impugnaberis, quia demonſtratio dicitur fieri ad ſenſum ſecundùm perfectam, & complexam ſignificationem, non ſecundum incomplexam, & imperfectam, qualis habetur in principio prolationis; Neque vlterius vrgeas, ergo Corpus Chriſti prædicaretur ſolum de ſubiecto exiſtente tantum in intellectu realitèr; contra adhuc impugnaberis, quia, quando adeſt prædicatum, iam ſubiectum eſt determinatum, & realitèr identificatum cum ipſo, & ſic non reſpicit idem ſubiectum ſolum, vt exiſtens ſecundum eſſe intellectum; iam etenim tunc illud ſubiectum, quando exiſtebat in conceptu purè intellectuali, inuenitur exiſtere in Corpore Chriſti, & de hoc inuenitur verificari ratio ſubſtantiæ contentæ ſub ſpeciebus.

Probatur ſecundò, quod ly, *hoc*, & *hic*, ſignificet adiectiuè, non ſubſtantiuè, 7 Cur ſumantur adiectiuè & cum pari paſſu procedant, id, quod dicitur de ly, *hic*, in conſecratione Calicis, erit intelligendum de ly, *hoc*, in conſecratione panis. Imperceptibile videtur, quod ly, *hic*, in genere maſculino poſſit ſubſtantiuari, ea proportionali ratione, qua communitèr dicitur in quæſtionibus de Trinitate, vbi, quod ly, *aliud*, in genere neutro, non ly, *alius*, in genere nominatiuo poſſit ſubſtantiuari, & ſignificare ſubſtantiuè; non enim ly, *hic*, in caſu nominatiuo poteſt ſignificare hanc rem, ſicuti ſignificat ly, *hoc*, in genere neutro, ergo non ſumitur ſubſtantiuè, ſed adiectiuè, prout adijcitur alteri nomini ſubintellecto. Quod, ſi ly, *hoc*, in genere neutro ponatur in conſecratione panis, hoc non eſt, quia ſubſtantiuè ſumatur, quaſi ſignificet hanc rem, ſed ponitur, vt poſſit concordare cum ly, *Corpus meum*, ex quo habes, quod ly, *hoc*, poſſit ſumi, & ſubſtantiuè, & adiectiuè, ſed in præſenti caſu ſumitur adiectiuè, prout coniungitur cum alio nomine ſubintellecto.

Si autem hic quæras, cum quo nomine 8 Nomina cum quibus coniunguntur. coniungatur ly, *hoc*, in conſecratione panis, & ly, *hic*, in conſecratione Calicis; dicam, vtrumque nomen eſſe ſubintellectum, & quidem quoad primum Scotus cum eius ſectatoribus dicit coniungi cum indiuiduo ſingulari entis potius, quam cum indiuiduo ſubſtantiæ; ſed in hoc non poſſum acquieſcere, quandoquidem, cum ratio entis ſit communis ſubſtantiæ, & accidenti, æquè poſſet tranſubſtantiari accidens, & ſubſtantia, quod eſt contra rationem tranſubſtantiationis. Quamobrem congruentius exiſtimo coniungi cum ſolo indiuiduo ſubſtantiæ, & licet poſſet dici, quod hoc indiuiduum ſit ens ſubſtantiale, accomodatiùs tamen, & proximiùs dicetur coniungi cum edulio, quod ſubintelligitur, adeò vt idem ſonet. *Hoc edulium eſt Corpus meum*. Idem intellige per ly, *hic*, in conſecratione Calicis, quod coniungatur cum aliqua ſubſtantia potabili, adeò vt ſubintelligatur, *liquor*, *potus*, *vel Calix*.

ARTICVLVS VIII.

Quinam ſit terminus formalis formæ conſecratoriæ, & quinam concomitans.

SVMMARIVM.

Terminus formalis conſecrationis panis eſt Corpus Chriſti Domini. 1.
Terminus formalis conſecrationis vini eſt Sanguis. 2.
Terminus concomitans vtriuſque ſunt omnia, quæ coniunguntur cum Corpore, & Sanguine. 3.
Quid veniat nomine Corporis. 4.
Quid veniat nomine Sanguinis. 5.
An Sanguis animetur; remiſſiuè. 6.
Argumenta probantia venire formas partiales ſubſtantiales. 7.
Sanguis formalitèr venit diuerſa actione, & quare. 8.
Quantitas, & alia accidentia non veniunt formalitèr vi verborum. 9.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 10.
Solus Sanguis venit formalitèr, non cæteri humores ſecundum aliquos. 11.
Verè tamen veniunt formalitèr. 12.
Dentes, vngues, capilli veniunt formalitèr vi verborum. 13.
Sententia aſſerens ſubſiſtentiam verbi non venire formalitèr. 14.
Non improbabile eſt venire formalitèr. 15.
Rationes oppoſitæ diluuntur. 16.
Quomodo intelligendum ſit Concilium Tridentinum. 17.

1 Quinam ſit terminus formalis cōſecrationis panis. DIfficultas hæc ſub alijs terminis communitèr proponitur: Quid ſcilicet ponatur ſub ſpeciebus formalitèr, & quid concomitantèr. In qua difficultatè non diu immorandum, cum certum ſit, totam efficientiam prouenire ex verbis, quæ id efficiunt, quod ſignificant, vndè formalis terminus conſecrationis vtriuſque formæ id erit, quod ſignificatur per eandem formam, & cum forma conſecrationis panis ſignificet ſolum Corpus, ſolum Corpus erit terminus formalis eiuſdem, & cum forma conſecratoria vini ſolum Sanguinem ſignificet, ſolus Sanguis erit terminus formalis eiuſdem, & iuxta hoc verificatur id, quod in præcedentibus ex occaſione
2 Quinam conſecrationis vini. dicebamus, ſcilicet, quod, ſi aliquis Apoſtolorum in triduo mortis Chriſti conſecraſſet, ſub ſpeciebus panis ſolum Corpus conſtituiſſet, & ſub ſpeciebus vini ſolum Sanguinem. Quod, ſi de præſenti cum Corpore in conſecratione panis ponatur, & Sanguis, & in conſecratione vini cum Sanguine ponatur, & Corpus; quinimmo
cum Corpore non ſolum Sanguis, ſed, & Anima, & Diuinitas Chriſti Domini, & item cum Sanguine Corpus, & cætera omnia, quæ Chriſto coniunguntur, hoc eſt non ex vi verborum formalitèr, ſed ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur, vt loquitur *Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3.* Ex quibus omnibus habes, terminum formalem conſecrationis panis eſſe ſolum Corpus, conſecrationis verò vini ſolum Sanguinem; terminum verò concomitantem eſſe ea omnia, quæ cum Corpore, & Sanguine in conſecratione vtriuſque ſpeciei copulantur. 3 Quinam terminus concomitans vtriuſque.

In ijs non videtur poſſe eſſe difficultas, quæ ſolum poteſt verſari in explicando quid propriè veniat nomine Corporis, & quid nomine Sanguinis, quæ ponantur tanquam terminus formalis formæ conſecratoriæ; & quidem in ordine ad Corpus duo veniunt ſpecialitèr examinanda; primum, an nomine eiuſdem veniat ſolummodò materia cum aliqua de organizatione accidentali, an cum eadem materia veniat aliquod ſubſtantiale, & quodnam hoc ſit. Secundum, an nomine Corporis veniat etiam quantitas, aut aliquod aliud accidens; in ordine verò ad Sanguinem duo etiam veniunt conſideranda; primum, an præter materiam, & qualitates importet aliquam formam ſubſtantialem; ſecundum, an Sanguis, prout conſtituitur ſub ſpeciebus ex vi verborum ſit conflatum ex quatuor humoribus, an verò importet præciſè id, quod purè dicit ſubſtantiam Sanguinis.

Mitto hic varias DD. ſententias diuerſimodè explicantium rationem Corporis, cum iſtorum ſententiæ videri poſſint expoſitæ, & confutatæ tum apud *Madernum tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quæſt. 4. art. 3.*, tum apud *Cacberanum tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 6. §. 11. per totum*, & immediatè me confero ad propriam ſententiam. Dico igitur nomine Corporis venire Corpus organicum conflatum ex materia prima, & formis partialibus ſubſtantialibus carnis, oſſis, neruorum &c.; nomine verò Sanguinis venire materiam primam cum forma propria Sanguinis, quæ comparatiuè ad Corpus poteſt dici quoquo modo partialis, licet ſecundum ſe poſſit dici totalis. Dixi, *quoquo modo partialis comparatiuè ad Corpus*, propter diuerſas ſententias, quæ verſantur circa ipſum; aliqui etenim aſſerunt, non eſſe partem Corporis integrantem, & propterea docent non animari, & ſic anima reſpectu eiuſdem non poteſt dici actus Corporis organici, alij verò aſſerunt, & eſſe partem integrantem, & propriè informari anima; 4 Nomine Corporis venit materia cum formis partialibus. 5 Quid veniat nomine ſanguinis

dum

dum in Corpore exiſtit animato, qui proptereà debent dicere, importare formam partialem, ſicuti importat quælibet alia pars eiuſdem Corporis ſcilicet caro, oſſa, nerui &c. Nos in quęſtionibus de anima vtramque ſententiam problematicè ſuſtinuimus,

6 An ſanguis animetur remiſſiuè.

adeoque poſſumus in præſenti dicere, vel importare propriè formam partialem Corporis, vel ſolum impropriè, quatenus non eſt propriè pars eiuſdem Corporis, prout hoc dicit ſolummodò partes ab anima informabiles. Probatur noſtrum dictum in vniuerſum hoc pacto argumento Phyloſophico. Caro, oſſa, nerui, cartilagines ſecundum ſe adinuicem comparatæ ſunt ſubſtantialitèr diuerſæ; atque hæc omnia conſtituunt Corpus etherogeneum, quale eſt, & debet eſſe Corpus humanum, ſed non poſſunt eſſe ſubſtantialitèr diuerſæ, niſi habeant diuerſas formas ſubſtantiales, ergò Corpus humanum conſtituitur tale per diuerſas formas partiales ſubſtantialitèr diuerſas. Maior probatur, quia huiuſmodi partes, ſi ſeorſim ſumantur, & ſeparatim, certè ſubſtantialitèr inter ſe diuerſificantur, ergo etiam, ſi ſumantur vnitim in totó corpore, cum per ſeparationem, nec acquirant diuerſa accidentia, quæ poſſint eſſe immutatiua ſubſtantiæ, nec appareat de acquiſitione alicuius alterius formæ ſubſtantialis. Minor etiam probatur, quia illa diuerſitas ſubſtantialis, non poteſt eſſe à ſola materia, quæ eſt eadem in omnibus, necà materia ſimul cum accidentibus, nec cum accidentali deorganizatione, quia nec etiam hæc poſſunt conſtituere diuerſitatem ſubſtantialem, ſed ſolummodò accidentalem; necà materia cum deorganizatione ſubſtantiali conſiſtente in diuerſis vnionibus ſubſtantialibus materiæ cum anima, quia huiuſmodi vniones ſubſtantiales conſiſtentes in entitatibus ſuperadditis ſæpius fuerunt à nobis reiectæ; tum quia implicant huiuſmodi vniones ſine partibus vnitis, & ſic ratio Corporis importaret ex ſuo conceptu Corpus, & animam, ſicque, cum nomine Corporis veniat materia cum illis vnionibus ſubſtantialibus, veniret etiam anima, etiam anima ex vi verborum poneretur ſub ſpeciebus; quod eſt contra omnem veritatem, & contra definitionem *Concilij Tridentini dicta ſeſs. 13. cap. 3.*, volentis ex vi verborum non formalitèr, ſed ſolum vi concomitantiæ venire animam; Deindè quomodò hoc poſſet verificari, ſi in triduo mortis Chriſti aliquis Apoſtolorum confeciſſet Sacramentum? Ergo hæc diuerſitas ſubſtantialis in huiuſmodi partibus non poteſt prouenire, niſi ex diuerſis formis ſubſtantialibus.

Nec hic admittendam arbitror opinionem Scoti volentis per Corpus importari quidem materiam cum forma ſubſtantiali corporeitatis, ſed hanc eſſe vnam, homogeneam, & coæuam materiæ. Non, inquam admittendam arbitror, tum quia, ſi eſſet coæua materiæ in vnoquoque Corpore daretur, quod non eſt dicendum; tum quia, cum aſſeratur homogenea, non poſſet in Corpore humano conſtituere etherogeneitatem in partibus eiuſdem.

Probatur ſecundò argumento Theologico, quia poſita hac noſtra doctrina facilè ſaluantur, & conuerſio ſubſtantialis, & ea omnia, quæ de Chriſto Sacramentato dicuntur, quæ vix, & nonniſi cum maxima difficultate ſaluari poſſunt in aliorum ſententijs, ergo noſtra præ cæteris eſt approbanda.

7 Rationes pro aſſerto.

Antecedens patet, quia in noſtra ſententia ſaluatur primò, quod terminus formalis verborum conſecrationis ſit ſubſtantialis, cum ſit materia cum formis illis ſubſtantialibus. Secundò, quod ex vi verborum non conſtituatur anima ſub ſpeciebus, ſed tantum concomitantèr. Tertiò, quod Corpus Chriſti ſiue ſit viuum, ſiue ſit mortuum, ſit idem numero; ſed hæc omnia, vel ſimul, vel ſeorſim nequeunt facilè in aliorum ſententijs ſaluari; & quidem in ſententia aſſerente nomine Corporis venire ſolam materiam nudè ſumptam non ſaluatur id, quod Chriſtus de ſe ipſo dicit. *Caro mea verè eſt cibus*; ſola etenim materia, nec poteſt eſſe caro, nec cibus, & in verbis conſecratorijs æquè benè diceretur. *Hoc eſt materia mea*; *ac hoc eſt Corpus meum*, quod nemo dicet; In ſententia aſſerente nomine Corporis venire materiam primam cum accidentibus, ſeu deorganizatione accidentali non ſaluatur conuerſio purè ſubſtantialis, quia id, quod reſultaret ex vi verborum tanquam terminus formalis talis actionis, eſſet complexum merè accidentale compactum ex materia prima, & accidentibus, In ſententia aſſerente nomine Corporis venire materiam primam, & animam, vt dantem præcisè eſſe corporeum, & ſecundum rationem communem formæ conſtituentis Corpus, quæ licet abſtrahat ab anima, & à forma cadauerica, in re tamen ſit vna, vel altera ſub diſiuncto, non ſaluatur primò, quomodo anima veniat ſolum concomitantèr ſub ſpeciebus, cum vt conſtitutiua Corporis deberet venire formalitèr nomine Corporis eiuſdem; Secundò, quia Corpus haberet diuerſam ſignificationem, dum modò importaret materiam, vt conſtitutam per gradum Corporeitatis prouenientem ab anima, modo eandem, vt conſtitutam in ratione Corporis per formã cadauericam; In ſententia aſſerente venire materiam primam, & animam in ſtatu vitæ Chriſti Domini, & in ſtatu mortis in illo triduo,

non ſaluantur ea, quæ modo dicta ſunt aduerſus ſententiam præcedentem, & vlterius Corpus Chriſti non eſſet idem numero viuens, ac mortuum. Deindè, cum ex vi verborum ponatur Corpus ſine Sanguine, & Anima, non poteſt formalitèr conſtitui Corpus per eandem Animam. In ſententia tandem aſſerente venire materiam cum deorganizatione ſubſtantiali conſiſtente in varijs vnionibus cum Anima non eſt immorandum, cum ſupra hæc ſententia fuerit reprobata.

8 Sanguis formalitèr venit diſtincta actione, & quare.

Hinc deduces, quod ea, quæ dicta ſunt de Corpore, quod ſcilicet nomine eiuſdem veniat materia Corporis Chriſti ſimul cum formis partialibus, proportionalitèr intelligenda ſint de Sanguine, quod ſcilicet nomine eiuſdem veniat materia eiuſdem ſimul cum forma Sanguinis, ſiue hæc dicatur propriè partialis, ſiue impropriè iuxtà modum ſupra expoſitum; congruentius tamen non dicenda forma partialis Corporis; & per hoc congruentius ſaluatur, cur cum Corpore non veniat formalitèr Sanguis ex vi verborum ſub ſpeciebus, ſicuti veniunt aliæ partes ſubſtantiales eiuſdem Corporis, ſcilicet caro, nerui, oſſa &c., qui vtique deberet venire, ſi eſſet pars ſubſtantialis integralitèr conſtitutiua eiuſdem. Si tamen placeret dicere eſſe partem propriam, & ſubſtantialem eiuſdem iuxta ſententiam aſſerentem & Sanguinem informari Anima totius, tunc poteris dicere, quod ex vi inſtitutionis Chriſti Domini ſic ſit ordinatum in ordine ad perfectam ſignificationem ſacrificij cruenti, ſeu Paſſionis Chriſti, vt ſcilicet ſeorſim ſub ſpeciebus conſtituerentur formalitèr, vt ſcilicet diſtinctè ſignificaretur Corpus exangue, & actualis effuſio Sanguinis.

His ſic explicatis remanent explicanda ea, quæ in principio fuerunt propoſita, an ſcilicet quantitas, & alia accidentia Corporis Chriſti veniant formalitèr ſaltem partialitèr nomine Corporis, & conſtituantur ex vi verborum formalitèr ſub ſpeciebus, an verò concomitantèr dumtaxat, &, an ſub nomine Sanguinis veniant alij humores cum Sanguine commixti, & iſti quoque ex vi verborum Sanguinis ponantur ſub ſpeciebus vini formalitèr.

9 Quantitas, & alia accidentia non veniunt formalitèr.

Quoad primum *Vaſquez diſp. 187. c. 4., & Arriaga diſp. 36. ſect. 3., & ſubſect. 4.,* ſentiunt nomine Corporis, prout hic ſumitur, venire etiam quantitatem, & fortè etiam alia accidentia, & poni formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus, vel ex eo, quod Corpus, quod ponitur ſub ſpeciebus, debeat eſſe organicum, quod includit ex genere ſuo denſitatem, & raritatem, membrorum diſtinctionem, & alia huiuſmodi, quæ nequeunt eſſe ſine quantitate, vel ex eo, quod ex vi verborum ponatur Chriſtus, ſeu Corpus eius, ſecundum quod verè eſt; verè autem eſt cum quantitate. Sentiendum tamen eſt, nec propriè nomine Corporis venire, nec formalitèr ex vi verborum conſtitui ſub ſpeciebus. In hoc conſentiunt *D. Thomas quæſt. 76. art 4., Suarez diſp. 50. ſect. 6., Lugus diſp. 8. ſect. 4., Madernus tract. 3. de Euchariſtia ſacrificio quæſt. 4. art. 4, Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 6. §. 11. n. 248.*

10 Soluuntur oppoſita.

Ratio ex eo deducitur, quia, licet de ratione Corporis organici requiratur de ſuo conceptu deorganizatio, hæc tamen non eſt accidentalis, vt ſupra oſtendimus, ſed omninò ſubſtantialis, quæ habetur per formas partiales ſubſtantiales, &, ſi ſecus ſe haberet, conuerſio Corporis Chriſti formalitèr, & ſimplicitèr non terminaret ad ſubſtantiale, ſed ad quid ſaltem partialitèr accidentale, quod eſt contra rationem conuerſionis purè ſubſtantialis, qualis eſt illa, quæ ex ſubſtantia panis fit in Corpus Chriſti Domini; nec obſtant ea, quæ ex opinione contraria afferebantur, quandoquidem organizatio propria Corporis eſt ſubſtantialis, & hæc venit propriè nomine Corporis organici, & conſtituitur formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus, non alia accidentalis inuoluens illam denſitatem, & raritatem, & extenſionem, quæ venit ſolum concomitantèr.

11 Solus ſanguis venit formalitèr non cæteri humores ſecundum aliquos.

Quoad ſecundum videtur prima fronte dicendũ, quod licet totus ſanguis ſecundum cõmunem, & humanum modum loquendi comprehendat totam ſubſtantiam fluxibilem rubram, quæ fluit per venas, nihilo minus, quia ſecundum ſtrictam ſignificationem importat ſolum humorem contra diſtinctum a cæteris humoribus, nempe à bile, flegmate, & pituita, hic ſolum in rigore veniat nomine Sanguinis, & ſolus vi verborum conſtituatur ſub ſpeciebus formalitèr; quandoquidem, ſicuti nomine Corporis lato modo ſumpti, quamuis veniat quantitas, quæ habet in eodem conſtituere dimenſionem formalitèr, denſitatem, & raritatem, formalitèr ex vi verborum non conſtituitur ſub ſpeciebus, ſed tantum concomitantèr, quia non eſt formalitèr Corpus, & eſt diſtincta ab eodem Corpore ſubſtantiali, ita quamuis nomine Sanguinis veniant etiam reliqui humores, qui ſimul cum eodem Sanguine, prout in venas diſcurrunt, dici poſſint Sanguis, quia tamen non ſunt formalitèr Sanguis, & diſtinguũtur ab eodem propriè ſumpto, non conſtituatur formalitèr ex vi verborum ſimul cum Sanguine ſub ſpeciebus, ſed tantum concomitantèr. Hæc, ſi diceres, nihil cenſuræ obnoxium diceres. Congruentius tamen arbitrarer, huiuſmodi humores,

mores,

12 Verè tamen veniunt formalitèr.

mores; prout vnitim cum Sanguine per venas diſcurrunt conſtitui formalitèr ſub ſpeciebus ex vi verborum, quia ſecundum communem loquendi modum totum id, quod per venas diſcurrit, denominatione deſumpta à potiori, & propter commixtionem eorundem cum Sanguine tanquam cum principaliori, dicitur Sanguis, & verba conſecrationis debent intelligi in communiori modo, & ſenſu magis vſitato. Nec obſtare poſſunt ea, quæ dicebantur de quantitate, quandoquidem quantitas nec ſecundum ſe, nec ſecundum communem, & vſitatum modum loquendi venire poteſt ſub conceptu Corporis, ſeu compoſiti ſubſtantialis; nec ad ipſam poteſt eſſe conuerſio ſubſtantialis, tanquam ad terminum formalem; cæteri verò humores, prout conſtituunt quid vnum ſubſtantiale cum Sanguine, quamuis ſecundum ſe non ſint in rigore Sanguis, ſunt tamen Sanguis ſecundum communem, & vſitatum modum loquendi, & conuerſio ad ipſos ſimul cum Sanguine terminata eſt ſubſtantialis; vndè non comparantur ad Sanguinem, ſicuti quantitas comparatur ad Corpus ſubſtantiale, ſed eo modo comparantur, quo partes Corporis, puta, caro, nerui, & oſſa comparantur ad Corpus.

13 Dentes, vngues, capilli veniunt formalitèr.

Hìc ex occaſione inquirendum remanet, an vngues, dentes, & capilli in conſecratione panis conſtituantur formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus eiuſdem. Ex eo, quod huiuſmodi non ſint partes primariæ, & ſecundum plurimorum ſententiam non animentur forma totius, non videntur primariò venire nomine Corporis, nec formalitèr ex vi verborum conſtitui ſub ſpeciebus, ſed ad ſummum concomitantèr, ea proportionali ratione, qua ſupra dicebamus, quod Sanguis non veniat formalitèr nomine Corporis ſub ſpeciebus panis, quia non eſt pars propria, & principalis eiuſdem Corporis. Nihilominus probabilius aſſerendum eſt, huiuſmodi vngues, dentes, & capillos ex vi verborum venire formalitèr ſub ſpeciebus panis; nec hic controuerto, an animentur, nec ne, ſed, quomodocunque res ſe habeat, ſentio formalitèr venire nomine Corporis ſub iiſdem ſpeciebus, quod ſic probo, quia licet huiuſmodi res non pertineant ad primariam conſtitutionem Corporis, denegari tamen non poteſt, quin pertineant ad perfectionem eiuſdem, & integritatem ſaltem ſecundariam; ex vi autem verborum ſignificantium Corpus abſolutè non videtur congruè negari poſſe, quin conſtituatur Corpus perfectum ſecundum rationes communes Corpori perfecto; nec currit paritas de Sanguine, quia hic non eſt pars propria Corporis, nec etiam ſecundaria, ſed eſt potius alimentum Corporis. Deindè non ob ſolam eam rationem, quod non ſit pars propria, & primaria Corporis negauimus conſtitui formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, ſed ex alio motiuo ſpeciali inſtitutionis Chriſti Domini ad diſtinctè ſignificandum myſterium Paſſionis per actualem Sanguinis effuſionem, quod exigit ſeparatim fieri conſecrationem Sanguinis à conſecratione Corporis; Cæterùm cùm Corpus etiam conſtet quatuor humoribus, non dubitarem etiam aſſerere alios humores exiſtentes in Corpore extra Sanguinem ex vi verborum poni cum Corpore, quamuis non ſint partes primariæ, quod clarè inducit, non ideò Sanguinem non poni formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, quia non ſit pars propria, & primaria, ſed quia ex ſpeciali motiuo hoc ita inſtitutum eſt ad expreſsè ſignificandam Paſſionem, vt ſuprà.

14 Sententia aſſerens ſubſiſtentiam verbi non venire formalitèr.

Cum autem dixerimus, alia à Corpore, & alia à Sanguine, quæ ſunt in Chriſto Domino, non conſtitui ſub ſpeciebus, niſi ratione concomitantiæ, oritur hic ſpecialis difficultas, an ſubſiſtentia Verbi Diuini in conſecratione panis, & vini veniat ſolummodò concomitantèr, an formalitèr ex vi verborum. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod Corpus, quod ponitur ſub ſpeciebus, debet eſſe Corpus perfectum, adeoque completum per ſubſiſtentiam, cæteroqui inuolueret ſolum rationem corporeitatis, & ſanguineitatis in abſtracto; Sed non eſt completum, niſi per ſubſiſtentiam verbi Diuini, cum careat propria ſubſiſtentia, ergo Corpus ſimul cum ſubſiſtentia verbi Diuini ponitur formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, & vini. Contrarium communitèr docent, & ſignantèr *D. Thomas quæſt. 76. art. 1. ad tertium*, *Suarez diſp. 51. ſect. 6.*, *Madernus tract. 3. de Euchariſtia Sacramento quæſt. 4. art. 5. num. 3.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 6. §. 11. num. 248.*, vbi allegat Thomiſtas, & Scotiſtas ità communitèr ſentire, & rationes adducunt, vel fundatas in eo, quod in nullo verbo conſecrationis exprimitur, nec ſignificatur ſubſiſtentia verbi Diuini, ergo ex vi verborum formalitèr non ponitur ſub ſpeciebus eadem ſubſiſtentia; Quod, ſi dicatur, quod licet non exprimatur ſub nomine ſubſiſtentiæ, exprimatur tamen ſub nomine Corporis completi; reſpondent, quod Corpus, & Sanguis non importent ſuppoſitum, cum hoc importet ſubſtantiam completam, non autem partem; cui non conuenit ſubſiſtere, niſi in toto; vel ſitas in eo, quod *Concilium Tridentinum d. ſeſſ. 13. cap. 3.*, expreſsè doceat, quod Corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguis ſub ſpecie vini ex

vi verborum ponatur ſub ſpeciebus, & poſtea quaſi ſecernens à tali diſpoſitione Diuinitatem ſubiungit, *Diuinitas verò propter admirabilem illam eius cum Corpore, & Anima hypoſtaticam vnionem*, ergo ſentit Diuinitatem, & per conſequens ſubſiſtentiam verbi non venire ſub ſpeciebus ex vi verborum formalitèr, ſed dumtaxat ex vi illius admirabilis vnionis. Fateor mihi magnam vim facere auctoritatem præcitatorum DD., & definitionem Concil. Trident., ſed rationibus inſiſtendo, non improbabilis quinimmò eiſdem conſona videtur contraria ſententia ſuſtinens ſubſiſtentiam verbi, vt terminatam ad Corpus, & Sanguinem venire formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus, quam ſuſtinent *Nugnus quæſt. 76. art. 1.*, *Auerſa quæſt. 4. ſect. 1.*, *Bellarminus in contr. lib. 4. de Euchariſtia cap. 23.* Ratio in primis pro eadem adducta videtur ſatis conuincentèr intentum euincere; nec obſtat aduerſantium reſponſio, quod ſcilicet Corpus, & Sanguis non ſint nomina ſuppoſitorum, cum hæc importent ſubſtantiam completam, non partem præ-

15 Non improbabile eſt venire formalitèr.

cisè; Non obſtat, inquam, quia aliud eſt, quod non ſint ſuppoſita adæquata, aliud non ſint talia inadæquatè, & in ſuo genere; cum etenim in ſententia Cacherani, qui eſt author huius aduerſæ reſponſionis, Corpus conſtet, & materia, & formis partialibus ſubſtantialibus, eſt in genere ſuo totum, licet comparatum ad totum hominem ſit ſolummodò pars (idem dic proportionalitèr de Sanguine,) & per conſequens non eſt, cur non debeat dici ſubſiſtens, & ſuppoſitum partiale comparatiuè ad totum, &, ſicuti in ſententia eiuſdem Cacherani recedente Anima, Corpus aliam formam ſubſtantialem non acquirit, cum ſit contentum formis partialibus ſubſtantialibus præexiſtentibus, & tamen denegari non poteſt, quin in eo ſtatu ſit ſubſiſtens, ita, cum Corpus, & Sanguis conſtent formis partialibus ſubſtantialibus, non videtur eidem deneganda propria ſubſiſtentia; Hoc totum colligi poteſt ex hoc caſu determinato, ſecundum quem ſubſiſtentia Verbi non ſolum terminat humanitatem Chriſti Domini, ſed omnes, & ſingulas eius partes non ſolum in eſſe complexò, ſed etiam in eſſe diuiſo, nam, quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit. Deindè per verba conſecratoria exprimitur Corpus, non quomodocunque, ſed Corpus determinatum, & ſingulare Chriſti Domini, (quod idem dic proportionalitèr de Sanguine,) quæ determinatio, & ſingularitas importatur per ly *Meum*, & *Meus*, ſed nõ eſt Corpus Chriſti, niſi ratione ſubſiſtentiæ, quam habet hypoſtaticè vnitam, quod optimè indicauit *D. Thomas quæſt. 78. art. 2. ad quartum*. Ibi *Per hoc pronomen meum exprimitur perſona Chriſti*, & *Cirillus lib. 4. in Ioannem cap. 23.*, *Corpus Chriſti viuificat, quia non eſt Corpus cuiuſuis hominis, ſed vitæ auctoris, & in quo habitat Diuinitatis plenitudo*.

Neque hic audiendi ſunt, qui reſpondentes mox allatæ rationi dicunt ly *meum*, & *meus* importare non ſuppoſitum, ſed naturam, quia Corpus, & Sanguis, prout ponuntur ſub ſpeciebus ex vi verborum referunt aliquid naturæ Chriſti; nec alij, qui dicunt, quod licet ly *meum*, & *meus* in verbis conſecrationis exprimant ſubſiſtentiam verbi, non exprimant tamen ipſam, vt ſimul cum Corpore, & Sanguine ſub ſpeciebus exiſtentem, quod ſufficit, vt talis ſubſiſtentia non exiſtat ſub ſpeciebus vi verborum; quod autem non ſit neceſſe ad verificationem propoſitionis, quod exprimant ſubſiſtentiam ſimul cum Corpore, & Sanguine ſub ſpeciebus exiſtentem, probant tum ex eo, quod ly *meum*, & *meus*, poſſit applicari naturæ, vel ſubſiſtentiæ, cum qua non habeat vnionem perſona proferentis, vt cum dicitur *hic eſt equus meus*; *hæc eſt vinea mea*, vel ex eo, quod ly *meum*, & *meus*, poſſint importare res tempore, & loco diſſitas, vt cum de equo Romæ exiſtente dicitur, *eſt equus meus*. Non, inquam, audiendi ſunt; non primi, quia gratis omninò dicunt, ly *meum*, importare ſolummodò aliquid naturæ, cum importet Corpus in concreto, non merè corporeitatem in abſtracto, nec poteſt dici Corpus Chriſti in concreto, niſi tale ſit conſtitutum per ſubſiſtentiam Chriſti; nec valet dicere, quod dicatur Corpus Chriſti relatiuè præcisè ad perſonam Chriſti loquentis, non terminantis hypoſtaticè idem Corpus. Non valet, inquam, dicere; quia per ly *hoc*, adiecto verbo ſubſtantiuo, *eſt*, indicatur non id, quod eſt ſecundum ſuam ſpeciem naturalem, ſed id, quod ex vi verborum eſt ſecundum præſentiam ſacramentalem, adeoque, prout eſt ſub ſpeciebus; Non ſecundi, quia, licet ly *meum*, vel *meus*, adiectus rei diſſitæ, vel extrinſecæ perſonæ loquentis non importat vnionem, nec cum natura, nec cum ſubſiſtentia loquentis; prout tamen adijcitur perſonæ loquentis, ſeu entitati eiuſdem, & ſignificatur per verbum, *eſt*, temporis præſentis, & identificantis prædicatum cum ſubiecto, & ſimul practicè operantis, ſecundum ſignificationem, quam habet, importat, nedum identitatem cum natura, ſed etiam cum ſubſiſtentia eiuſdem.

16 Soluuntur oppoſita.

Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur, patet ſignantèr, quid ſit reſpondendum ad primam, nam, licet nullum verbum conſecrationis ſignificat ſub ex-

preſſo

preſſo ſuo nomine ſubſiſtentiam verbi Diuini, ſignificat tamen eandem ſub nomine Corporis completi. Ad ſecundam deſumptam ex Concil. Trident. aduertendum eſt primò, idem Concilium tres modos exiſtendi ſub ſpeciebus recenſere; alterum eorum, quæ ponuntur ſub ſpeciebus formaliter ex vi verborum, atque hæc ſunt Corpus ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini; alterum eorum, quæ ſolum ponuntur ſub ſpeciebus ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, atque hæc ſunt Corpus ſub ſpeciebus vini, & Sanguis ſub ſpeciebus panis, & Anima ſub vtraque ſpecie; alterum quaſi tertium, Diuinitatis ſcilicet propter admirabilem illam eius cum Corpore, & Anima hypoſtaticam vnionem; ex quibus vides, quod Concilium hunc tertium modum exiſtendi Diuinitatis ſub ſpeciebus videatur diſtinguere à ſecundo modo exiſtendi ex vi naturalis concomitantiæ, & connexionis, & quoquo modo à primo exiſtendi formalitèr, & ex vi verborum ſub eiſdem ſpeciebus; pro quo aduertendum ſecundo, quod, cum Concilium diſtinguat modum exiſtendi Diuinitatis per illam ineffabilem vnionem à modo exiſtentiæ per naturalem concomitantiam, & vnionem, videtur quodam modo ſpecialiori agnoſcere Diuinitatem eiſdem ſpeciebus inexiſtere, qui ſpecialis modus non poteſt in alio conſiſtere, niſi in eo, quod conſtituat quid vnum cum eodem Corpore, ſeu compleat ipſum Corpus in ratione vnius in ſe exiſtentis, vndè in dicto Concilio non dicitur, quod Diuinitas trahatur ratione vnionis, ſed quod inexiſtat ſpeciebus propter illam admirabilem cum Corpore, & Anima vnionem, non quatenus ipſa vnio ſit præciſè nexus, ratione cuius trahatur, ſed quatenus ratione eiuſdem ſubſiſtentia quid vnum cum Corpore completum conſtituat, & per hæc patet quid reſpondendum ad rationem ex Concilio per aduerſarios adductam. Adde,
17 Explicatur Concilium Tridentinum. quod, licet diceremus, Diuinitatem non conſtitui ſub ſpeciebus ex vi verborum formalitèr, ſed ratione illius ineffabilis vnionis, nil diceretur aduerſans noſtro afferto, cùm aliud ſit, quod Diuinitas exiſtat ſub ſpeciebus concomitantèr; aliud, quod ſubſiſtentia Verbi exiſtat ſolummodò, & ipſa concomitantèr; primum poteſt admitti, non ſic ſecundum, quod ſic euincitur, quia Diuinitas eſt ſub ſpeciebus propter vnionem hypoſtaticam, ergo ipſa vnio hypoſtatica eſt formalitèr, & per ſe ſub ſpeciebus; ergo Verbum, quod eſt per ſe conſtitutiuum talis vnionis erit etiam formalitèr. Prima conſequentia probatur, quia id eſt per ſe tale, per quod aliud conſtituitur tale; ſi igitur propter vnionem hypoſtaticam Diuinitas eſt ſub ſpeciebus ipſa vnio hypoſtatica erit formalitèr ſub eiſdem; nec valet ſubterfugium, quo vtuntur aduerſarij dicentes ex tali ratione ſolum argui, quod vnio hypoſtatica ſolum ſit immediatiùs connexa cum Corpore, & Sanguine, quam Diuinitas, non autem, quod vnio hypoſtatica ſit formalitèr ſub ſpeciebus, & Diuinitas ſolum concomitantèr; poſſunt enim duo exiſtere ſolum concomitantèr, quamuis vnum propter immediatiorem connexionem poſſit eſſe ratio, propter quam aliud concomitantèr exiſtat; Non valet, inquam, quia, licet hæc habeant locum, quando illa duo præciſè connectuntur cum tertio, non habent tamen locum, quando vnum ex illis duobus debet conſtituere illud tertium in ratione tali, ſub qua conſtituitur ſub ſpeciebus, prout euenit in caſu præſenti, ſecundum quem ſubſiſtentia Verbi conſtituit Corpus in ratione Corporis completi, & in ſe exiſtentis.

QUÆSTIO VI.

De modo, quo Chriſtus exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

CVm in præcedentibus diximus per actionem ſacrificatiuam Chriſtum Dominum nouum modum exiſtendi acquirere in Euchariſtia, ratione cuius dicitur fieri mutatio, non abs re modo inquirimus, in quonam ſpecialitèr conſiſtat ille nouus modus exiſtendi, ne aliquid deſit, quod ad præſentem materiam, & inſtitutum poſſit pertinere.

ARTICVLVS I.

In quo conſiſtat Sacramentalis præſentia Chriſti ſub ſpeciebus.

SVMMARIVM.

Coexiſtentia, & compenetratio præciſè ſpecierum cum Corpore Chriſti non conſtituit eius præſentiam Sacramentalem. 1.
Nec conſiſtit in complexo Corporis, tanquam ſubiecti cum accidentibus. 2.
Nec in complexo materiæ cum forma. 3.
Nec in complexo ſubſiſtentiæ cum natura. 4.
Nec in complexo relationis fundamenti ad terminum. 5.

Nec

Nec in complexo dependentia effectus à cauſa. 6.
Conſiſtit in modo exiſtendi ineffabili. 7.
Explicatur per effectus modus ille ineffabilis. 8.
Chriſtus non ſolum habet præſentiam ſacramentalem in ſpeciebus, ſed etiam localem in loco ſpecierum. 9.
Et quidem ratione ſui, non ratione præciſè ſpecierum. 10.
Eſt præſentia ad modum definitiuæ. 11.
Conſiſtit in complexo Corporis Chriſti cum loco. 12.

1 Non conſiſtit in mera coexiſtētia, & penetratione cum ſpeciebus.

DAri complexum Corporis Chriſti, ſeu Sanguinis eiuſdem cum ſpeciebus tanquam cum loco, & item complexum compenetrationis eiuſdem Chriſti cum eiſdem ſpeciebus eſt inter Catholicos incontrouerſum, & omninò certum; in neutro tamen ex illis ſaluatur formalis ſacramētalis præſentia Chriſti; ratio in vniuerſum hæc eſt, quia poſita præciſè coexiſtentia locali Chriſti cum ſpeciebus, & compenetratione eiuſdem cum illis, non ſaluatur inſeparabilitas eiuſdem ſub illis, nec ſequitur, quod ad motum ſpecierum Chriſtus moueretur, quinimmò nec demonſtratis ſpeciebus poſſet dici, *Hoc eſt Corpus Chriſti*; ergo præſentia ſacramentalis non conſiſtit præciſè in illa coexiſtentia, & compenetratione. Antecedens probatur, quia, ſi Angelus conſtitueretur in loco ſpecierum non eſſet inſeparabilis ab illis, nec ad motum illarum ipſe deberet moueri, nec poſſet verificari: Hic eſt Angelus; nec poteſt dici inſeparabilitatem Chriſti à ſpeciebus, & motum eiuſdem ad motum earundem non prouenire ex aliqua intrinſeca connexione, ſed ex extrinſeco Dei decreto, vt ex *Scoto in 4. diſt. 10. quæſt. 6.*, deducunt *Lauræa diſp. 21. art. 3.*, *Maſtrius diſp. 3. quæſt. 10. art. 1.*, *& alij*, non, inquam poteſt hoc dici, quia in primis, quamuis hoc poſſet ſuſtineri in ordine ad inſeparabilitatem, & motum, non videtur poſſe ſuſtineri quoad verificationem propoſitionis: *Hoc eſt Corpus meum*, quia per ſolum extrinſecum Dei decretum conſtituentis Angelum loco alicui allegatum, vel ſpeciebus non poteſt iſtis demonſtratis dici *Hic* (ſumendo adiectiuè, vel ſubſtantiuè) eſt Angelus, ſed ſolum aduerbialiter, prout idem ſonat, ac in iſto loco. Deindè hic modus explicandi præſentiam Chriſti Domini per ſolum Dei decretum minus videtur congruere dignitati myſterij, & ineffabilitati huius vnionis.

Suppoſito igitur, quod hæc præſentia, vt ſacramentalis quid aliud importet ſupra meram coexiſtentiam, & compenetrationem, quęritur in quonam hoc conſiſtat? Conueniunt communiter conſiſtere in ſpeciali vnione phyſica inter Chriſtum, & ſpecies, quam Modaliſtæ conſtituunt in entitatibus ſuperadditis, Complexiſtæ in complexis, Scotiſtæ in relatione, alij in alijs, ſecundum quod conſtituunt alia compoſita.

Nos ex vna parte non recedentes à noſtris principijs, ſecundum quæ omnes vniones, actiones, relationes, durationes, locationes conſtituimus in complexis, & ex alia parte conſiderantes cum D. *Thoma in quarto diſt. 11. quæſt. 1. art. 1. queſtiunc. 1.*, Chriſtum Dominum eſſe in Sacramento modo ineffabili aſſerimus, præſentiam ſacramentalem eiuſdem conſiſtere in complexo ſacramentali eiuſdem cum ſpeciebus, quod complexum non eſt præciſè Corporis cum ſpacio, nec ſubiecti cum accidentibus, nec materiæ cum forma, nec ſubſiſtentiæ cum natura, nec fundamenti cum termino, nec effectus cum cauſa, ſed eiuſdem Chriſti cum ſpeciebus modo ineffabili, & non bene cognito per Phyloſophos, nec per Theologos intimè penetrato, niſi ex effectibus ex illo reſultantibus quoquo modo. Probatur per ſingulas partes diſcurrendo, & quidem, quod non ſit præciſè complexum Corporis cum ſpacio, patet ex mox dictis; Quod non ſit ſubiecti cum accidentibus, ex eo reſultat, 2 Nec in complexo ſubiecti cum accidentibus

quod accidentia non inhæreant eidem Corpori ad conſtituendum quid vnum accidentale; nec poteſt dici, quod, quamuis ſpecies ſacramentales non inhæreant Corpori Chriſti Domini, tanquam ſubiecto, ab iſto tamen ſuſtententur in genere cauſæ efficientis, quod ſufficit, vt dicatur quid vnum ſacramentale cum illis conſtituere. Non poteſt, inquam, dici, tum quia prius debet concipi præſentia ſacramentalis Chriſti in ſpeciebus, quam intelligatur efficientia actualis eiuſdem in ſpecies, quandoquidem, ſicuti prius eſt, quod res ſit, quam quod operetur, ita prius eſt, vt ſit ſub ſpeciebus Corpus Chriſti, quam quod operetur in ipſas per illam effectiuam ſuſtentationem; tum quia, quod in Sacramento accidentia ſuſtententur ſine ſubiecto habetur per potentiorem Dei concurſum, non per efficientiam aliquam Corporis Chriſti in eaſdem ſpecies; tum quia præſentia ſacramentalis potius conſiſteret in actione extrinſeca, quam in aliquo intrinſecè reſultante; Quod non ſit complexum materiæ cum forma, ex eo euincitur, quod nec ipſum Corpus Chriſti habet rationem ſubiecti, nec formæ in ordine ad ſpecies ſacramentales, nec ſpecies ſacramentales habent rationem materiæ, vel formæ reſpectu Corporis Chriſti, cum iſtæ non ſuſtentent Corpus Chriſti, nec ipſum 3 Nec in complexo materiæ, & formæ.

4 *Nec in complexo ſubſiſtentiæ cum natura.*

informent, nec Corpus ſuſtentet accidentia, nec ipſa actuet, vt per ſe patet; nec poteſt eſſe complexum ſubſiſtentiæ cum natura, cum nemo dicet, quod Verbum Diuinum ſibi hypoſtaticè vniat accidentia panis, & vini, ſicuti ſibi vniuit humanitatem; nec accidentia ſunt capacia exiſtendi in ſe ipſis, ſeu ſubſiſtendi, quod proprium eſt ſubſtantiæ; nec poteſt eſſe complexum præcisè relationis fundamenti ad terminum, quia vel nomine relationis intelligitur quædam realitas adueniens Corpori Chriſti, vel ſolum quædam extrinſeca denominatio, vt volunt Scotiſtæ; ſi primum aſſeratur, hoc ſæpius in confutatione aliorum compoſitorum negauimus non agnoſcẽtes aliquod reale ſimplex ſupra entitates componentes, &, quamuis admitteremus hanc entitatem, ſeu realitatem ſuperadditam in hac non poſſet præſentia ſacramentalis conſiſtere, quia hæc realitas reſultaret poſita iam præſentia; nam non poteſt intelligi illa relatio, niſi poſito Corpore Chriſti ſub ſpeciebus, eo autem ipſo, quod Corpus Chriſti Domini eſt ſub ſpeciebus, intelligitur ipſius præſentia ſacramentalis; Nec item poteſt eſſe complexum dependentiæ effectus à cauſa, quia verba quidem conſecratoria efficiunt Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, in quo ſenſu eſt propriè actio effectiua, & comparantur ad ipſum Corpus poſitum ſub ſpeciebus, tanquam cauſa ad ſuum effectum eo modo, quo actio productiua ignis, quantum eſt ex parte agentis, comparatur ad ignem productum tanquam cauſa ad effectum, non tamen intrinſecè conſtituit ignem productum, tanquam pars eſſentialis eiuſdem; non tamen Corpus Chriſti efficit eaſdem ſpecies, quas ſupponit, nec in ipſarum exiſtentiam influit.

5 *Nec in aliqua relatione.*

6 *Nec in complexo dependentiæ effectus à cauſa.*

7 *Conſiſtit in modo ineffabili.*

His ſic reiectis remanet modo explicandum, in quo conſiſtat poſitiuè ille modus ineffabilis exiſtendi Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ſeu complexum illius præſentiæ ſacramentalis. Cum ſit ineffabilis, non poteſt ſatis in ſe ipſo exprimi; exprimitur tamen aliquo modo ex effectibus, quos cauſat, & primo conſtituit inſeparabilitatem eiuſdem Corporis à ſpeciebus, quæ non poteſt eſſe, niſi ex ſpeciali modo vnionis, non per meram coexiſtentiam localem, & compenetrationem; ſecundò motum eiuſdem ad motum ſpecierum; tertiò verificationem verborum ſacramentalium ad corpus ſub eiſdem conſtitutum, quæ certè omnia ſpecialem modum vnionis exigunt, qui per aliud nequit congruentius explicari, niſi per hoc, quod Corpus Chriſti Domini modo omninò perfecto, & eminentiori id præſtet circa ſpecies, quod præſtabat ſubſtantia panis circa eaſdem, non quidem ſuſtentando, ſed præcisè componendo cum ipſis modo innominato, & ineffabili; ſed quia ſubſtantia panis in ordine ad ſua accidentia non ſolum illa ſuſtentabat, ſed illis coniungebatur indiſſolubiliter, ita Corpus Chriſti, licet non ſuſtentet illas ſpecies, vnitur tamen indiſſolubiliter cum illis &c.

8 *Explicatur per effectus ille modus ineffabilis.*

Nec ſolum Chriſtus Dominus exiſtens in Sacramento habet præſentiam ſacramentalem in ſpeciebus, ſed etiam præſentiam localem in loco ſpecierum, atq; in hoc conſentiunt *Suarez diſp.* 47. *ſect.* 2., *Lugus diſp.* 5. *ſect.* 6., *Maſtrius diſp.* 3. *quæſt.* 10. *art.* 1. Hoc clarè elucet ex eo, quod non ſolum Chriſtus dicatur eſſe in Sacramento, ſed hic, vel illic, & vbicunque ſunt ſpecies conſecratæ, quod optimè inſinuauit *Concil. Trident. ſeſs.* 13. *cap.* 1. Ibi *Saluator noſter ſemper ad dextram Patris in Cœlis aſſidet iuxtà modum exiſtendi naturalem, & multis nihilominus alijs in locis ſacramentalitèr præſens ſua ſubſtantia nobis adeſt*, ſi ergo ſacramentalitèr præſens multis alijs in locis adeſt, ergo eſt multis alijs in locis, adeoque in illis habet præſentiam localem vltra ſacramentalem in ſpeciebus; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, eſſe multis in locis ſacramentalitèr ratione ſpecierum non ratione ſui, quatenus autem exiſtit ſacramentalitèr, exiſtit modo quodam ſpirituali, nec habet aliquam extenſionem quantitatiuam, per quam haberi poſſit ratio diſtantiæ, & propinquitatis requiſita, vt poſſit dici ratione ſui eſſe in loco, quod etiam aduertentèr videtur inſinuaſſe *Diuus Thomas quæſt.* 76. *art.* 5. *in corpore*, dum dixit Corpus Chriſti, non eſſe in hoc Sacramento, ſicuti in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, & deindè in fine ſubdit, vndè nullo modo Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localitèr. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dicere, quod Chriſtus exiſtat in loco ſolum ratione ſpecierum, & non ratione ſui, eſt ſolum ponere Chriſtum in loco denominatiuè per denominationem ſolum extrinſecam à ſpeciebus, quod non benè congruit cum ſenſu *Tridentini loco citato*. Deindè non haberet præſentiam cum loco, niſi ad modum ſpecierum, quæ, cum exiſtant circumſcriptiuè in loco, ita Chriſtus ſacramentalitèr exiſtens etiam ſolum circumſcriptiuè exiſteret, quod falſum eſt ex infra dicendis; illud deindè, quod ſubditur, quod, cum exiſtat modo ſpirituali, non poſſit habere rationem diſtantiæ, & propinquitatis, dicendum eſt, nullo modo ſubſiſtere, cum etiam Angelus exiſtat modo omninò ſpirituali, & tamen nullus denegat, habere præſentiam cum loco. Ad illud, quod ſubditur ex D. Thoma, dico, eundem ſolum velle, quod

9 *Habet etiam præſentiam localem.*

10 *Et quidẽ ratione ſui, non ratione præcisè ſpecierũ.*

Chri-

Chriſtus Dominus non conſtituatur ſub ſpeciebus per ſolam præſentiam localem, & ideò dixit, non eſſe in hoc Sacramento, ſicut in locó; hoc eſt non conſtitui in hoc Sacramento præcisè ex eo, quod conſtituatur in loco, volens inferre, quod requiratur quid aliud præter præſentiam localem, cæterum non negat præſentiam in loco.

11 Hæc præſentia eſt non ad modū circumſcriptiuè, nec definitiuè. Quod, ſi vrgeas, quod Chriſtus Dominus ratione ſui exiſtens ſub Sacramento non poſſit dici, exiſtere localitèr, nec circumſcriptiuè, nec definitiuè; non circumſcriptiuè, quia præſentia hæc importat commenſurationem partium locati cum partibus loci, & vtique per extenſionem, quod non competit præſentiæ Chriſti in Sacramento, vt eſt in confeſſo apud omnes Catholicos; nec definitiuè, quia præſentia definitiua ex ſuo conceptu importat, quod locatum finiatur loco, adeo vt ita ſit in tali loco, vt non ſit alibi, quod non conuenit Chriſto Domino, qui ita ſacramentalitèr eſt in loco, in quo ſunt ſpecies conſecratæ, vt ſimul ſit in alijs locis, in quibus etiā exiſtunt aliæ ſpecies ſacramentatæ, ergo nullo modo exiſtit ratione ſui in loco, ſed tantum ratione ſpecierum, cum nullus alius ſit modus exiſtendi in loco, niſi circumſcriptiuè, & definitiuè. Si, inquam, hæc vrgeas, ſtatim impugnaberis, & quidem primo fateor, non eſſe in loco circumſcriptiuè propter rationem in inſtantia adductam; nego autem non exiſtere definitiuè, ſeu ad modum definitiuæ præſentiæ, cum conſtituatur in loco indiuiſibilitèr, & modo inextenſo; nec obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, nempè de ratione definitiuæ præſentiæ eſſe, quod res ſic exiſtens finiatur loco, ita vt alibi non poſſit exiſtere; non obſtant, inquam, quia hoc, quod eſt finiri loco ad ſummum conuenit præſentiæ limitatæ, ſeu rei habenti limitationem in ſe quoad ſuum eſſe naturale, non præſentiæ illimitatæ ex ordinatione, & inſtitutione Diuina, & ſecundum varias, & diſtinctas reproductiones, ſed de hoc occurret etiam ſermò in ſequenti articulo.

12 Conſiſtit in complexo Corporis Chriſti, & loci. Hæc præſentia, quam habet Chriſtus Dominus vltra ſacramentalem in loco ſpecierum conſiſtit formalitèr in complexo ipſius Chriſti cum loco, nec ratio aliundè deducenda eſt, quam ex *ijs*, quæ alibi docuimus de alia quacunque re, vt locata, ſeu exiſtente in loco; cuius præſentiam non conſtituimus, nec in vbicatione diſtincta, nec in relatione rei ad locum, ſed in complexo rei locatæ, & loci, quod non ſolum verificatur quoad locatum circumſcriptiuè, ſed etiam definitiuè, cum aliud non ſit diſcrimen, niſi quod res exiſtens definitiuè in loco exiſtat indiuiſibilitèr, & modò inextenſo, res verò exiſtens circumſcriptiuè exiſtat diuiſibilitèr, & per extenſionem partium locati ad partes loci.

ARTICVLVS II.

An Chriſtus tum relatè ad ſpecies, tum ad locum ſpecierum ſit totus in toto, & totus in ſingulis partibus.

SVMMARIVM.

Chriſtus eſt totus in tota, & totus in ſingulis partibus hoſtiæ conſecratæ. 1.

Explicatur, quomodo non ſit ſolum in partibus potentia. 2.

Item, quod ſit ſecundum partes in ſingulis partibus. 3.

Soluitur obiectum deductum à paritate. 4.

Quomodo dicatur eſſe totus in omnibus partibus hoſtiæ, & habere vnam tantum præſentiam. 5.

Etiam facta ſeparatione hoſtiæ conſecratæ eſt totus in omnibus partibus ſeparatis. 6.

Siue continuum conſtituatur ex indiuiſibilibus, ſiue ex partibus, & punctis totus Chriſtus reperitur in ſingulis. 7.

Euincitur in ſententia conſtituente in ſolis indiuiſibilibus. 8.

Etiam in ſententia conſtituente ex partibus, & punctis. 9.

Soluuntur nonnullæ inſtantiæ. 10.

Indiuiſibilia phyſica ſingillatim, & ſeparatim ſumpta non poſſunt conſecrari. 11.

Deficeret conditio ſenſibilitatis. 12.

Indiuiſibile conſecratum ſimul cum alijs, ſi diuideretur, remaneret conſecratum. 13.

PRoſequimur explicare præſentiam definitiuam Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis, de qua aliqua inſinuauimus in præcedenti articulo explicando talem modum exiſtendi, tum in ordine ad ſpecies adæquatè ſumptas, & ad ſingulas partes eiuſdem, tum in ordine ad locum adæquatum, & ad ſingulas eius partes.

Partes ſpecierum poſſunt conſiderari, vel prout ſunt coniunctæ, vel quatenus poſt conſecrationem diuiduntur. Porrò, vel nomine partium intelligimus partes quoquo modo extenſas, licet minutiſſimas, vel puncta etiam phyſica, & indiuiſibilia, ſiue hæc ſumantur, vt coniuncta cum alijs, cum quibus faciunt extenſionem, vel ſeorſim, & ſeparatim ab alijs.

Aſſertio I. Omnes partes Hoſtiæ conſecratæ ſiue vnitim ſumantur, ſiue diuidantur poſt conſecrationem ſingulæ continent totum Chriſtum, adeo vt hic ſit totus in toto, & totus in ſingulis partibus, *Pala-* 1 Eſt totus in toto, & totus in qualibet parte.

cios

cius in 4. diſt. 10. diſp. 1., Ledeſma qu. 17. art. 3. dub. 4., Arriaga diſp. 33. ſect. 3. num. 19., qui docent aſſertionem eſſe de fide *Suarez. diſp. 51. ſect. 2. §. ſed quæres, Vaſquez diſp. 188. cap. 3. num. 17., Madernus quæſt. 4. art. 2. num. 4., & alij communitèr*.

Prima pars ex eo euincitur, quia, vel totus Chriſtus eſſet in tota Hoſtia, & partes eiuſdem eſſent proportionalitèr in partibus Hoſtiæ continuis, vel totus in tota, & nullatenus actu in aliqua parte, & ſolū potentia, eo quod partes poſſint diuidi, & tunc eſſet actu in illis, vel totus in tota Hoſtia ſecundum vnicam præſentiam, per quam ſit totus in ipſa ſemel, non pluries iuxtà pluralitatem partium, licet in illis habeat totam entitatem, nec eſt aſſignabilis alius modus, quo poſſit exiſtere; Quodcunque autem ex his dicatur, vel non erit immune ab errore, vel erit reducibile ad ſanum ſenſum noſtræ aſſertionis, ergo &c. Minor quoad primam partem

2 Non eſt ſolum in partibus potentia.

probatur, quia dato primo modo exiſtendi Chriſti Domini ſub ſpeciebus conſecrata modica Hoſtia, & non adæquante totam menſuram naturalem, & quantitatiuam Chriſti Domini, vel dici deberet, Chriſtum Dominum ſecundum aliquam minimam ſui partem, & ad ratam quantitatis Hoſtiæ eſſe in illa Hoſtia, & reliquum ipſius extra illam, vel partes compenetrari ad inuicem, vt poſſet totus in illa conſtitui, neutrum dici poteſt; non primum, quia eſt expreſsè contra *Concil. Trident. ſeſs. 13. can. 3.*, vbi damnat quemlibet, qui dixerit ſub vtraque ſpecie Chriſtum Dominum non contineri; non ſecundum, quia iam quoad totum Chriſtus Dominus non exiſteret modo quantitatiuo cum extenſione omnium partium ad partes, &, ſi non eſt quoad aliquas partes cum extenſione quantitatiua, cur eſſe non poteſt quoad omnes ſine illa extenſione? Qua ratione ponitur totum in ſingulis partibus ſpecierum.

3 Non eſt ſecundū partes in ſingulis partibus.

Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quia imperceptibile eſt, totum Chriſtum contineri ſub tota Hoſtia conſecrata, & non eſſe totum etiam in ſingulis partibus continuis actu, vel ſaltem ſecundum partes actu in ſingulis partibus proportionatis. Si eſt totus in tota Hoſtia, & totus in ſingulis; iam plenè ex hoc noſtra ſententia firmatur; Si ſit totus in tota Hoſtia, & ſecundum partes in partibus; iam hoc impugnatum remanet in probatione mox poſita prioris partis eiuſdem minoris. Quod, ſi dicas, neque eſse totum in toto, neque totum in ſingulis partibus actu, neque totum in toto, neque actu ſecundum partes in partibus, ſed eſſe totum in toto, & potentia ſolum in partibus, eo modo, quo docent Phyloſophi partes in continuo non exiſtere actu, ſed tantum in potentia, quæ partes poſtea ponuntur actu, quando fit diuiſio, vel deſignatio; ſtatim impugnaberis, quia doctrina illa de partibus ſolum potentia in continuo exiſtentibus nunquam placuit, & nunquam placere poteſt. Deindè data illa, ſed nunquam conceſsa, nihil contra nos, nam aliud eſt partes non eſse actu in continuo, niſi per diſtinctionem, vel per deſignationem; aliud Chriſtum non eſse actu in illis partibus, quę licet per aduerſarios non ſint actū per diſtinctionem, ſunt tamen actu per entitatem. Tandem illud, quod dicunt aduerſarij, ſcilicet Corpus Chriſti ſolum in partibus actu conſtitui per diuiſionem, ſic facilè improbatur, quia conſecratio præcisè habet conſtituere Chriſtum ſub ſpeciebus, non diuiſio, nec ſeparatio, quæ nihil habent operari circa Corpus Chriſti, ergo poſita conſecratione, vel erit Corpus Chriſti in omnibus partibus ante diuiſionem, & ſic habemus intentum, vel non erit in illis ante diuiſionem, & ſic nec erit poſt diuiſionem, quia hæc nihil habet operari circa Corpus Chriſti. Quod, ſi dicas, quod, quamuis diuiſio nihil circa Corpus Chriſti habeat operari tanquam cauſa, & principium, habeat tamen tanquam conditio efficere, vt Chriſtus exiſtat in illis partibus, ſine qua in illis non adeſſet actu, ea proportionali ratione, qua diuiſio, ſeu fractio ſpeculi eſt conditio, ratione cuius aliqua imago rapræſentatur in ſingulis partibus diuiſis, & fractis, & ſine qua in illis ſingulis non rapræſentaretur, ſed tantum in toto; Adhuc impugnaberis, quia, cum actu in

4 Nō valet obiectum ſpeculi fracti.

hac ſententia Chriſtus ante diuiſionem Hoſtiæ non ſit in partibus continuis, non poteſt per ſolam diuiſionem illum in partibus diuiſis conſtituere, niſi tanquam conditio applicet agens ad illum conſtituendum, cum per ſe nihil habeat operari circa ipſum; cum igitur nouam conſecrationem non applicet, à qua ſola dependet exiſtentia Chriſti ſub ſpeciebus, vtique non habet &c. Nec vim aliquam facit paritas de ſpeculo fracto; tum quia non valet argumentum à ſola apparentia, rapræſentatione, & imagine ad entitatem realem, & exiſtentiam phyſicam, qualis eſt illa Chriſti Domini in Sacramento; tum quia etiamſi valeret huiuſmodi argumentum, potius firmaret, quam euelleret noſtram doctrinam, quandoquidem poſita illa diuiſione ſpeculi, ſeu fractione tanquam conditione renouatur principium talis rapræſentationis; hoc enim proprium eſt obiecti viſibilis, quod tranſmittat ſpecies ſui rapræſentatiuas in qualibet parte medij, & pluries in plu-

ribus partibus; in actu tamen ſecundo quovſque ſunt continuæ, & recipiuntur in pluribus partibus continuis, habent rationem vnius, & totũ obiectum rapræſentant; quoties verò diſcõtinuantur, vel ratione medij, vel ratione ſubiecti non ſunt vnum; cum igitur, quando ſpeculum eſt integrum ſe habeat per modum vnius ſubiecti, obiectum ad illud tranſmittit ſuas ſpecies per modum vnius, & ſic iſtæ, non niſi vnam imaginem rapræſentant, quando verò eſt fractum, & diuiſum in plures partes, iam ſubiectum non habet rationem vnius, ſed plurium, & ideò obiectum ad ſingulas eius partes diuiſas diuiſim tranſmittit ſpecies, & plures fiunt imagines, & ſic ad ſingulas ſemper eſt applicatum agens productiuum illarum. Res ita non ſe habet in diuiſioně ſpecierum ſacramentalium, cum non extet principium effectiuum reproducens in ſingulis partibus diuiſis Chriſtum Dominum, nempè conſecrationem, quæ ſola habet operari circa exiſtentiam ſacramentalem Chriſti Domini.

5 Quomodo dicatur habere vnam tantum præſentiam in omnibus partibus.

Probatur eadem minor quoad tertiam partem, quia, cum ille modus exiſtendi Chriſti Domini ſub ſpeciebus conſtituat totam entitatem in ſingulis partibus Hoſtiæ conſecratæ, licet conſtituat vnicam tantum præſentiam in tota Hoſtia, iam conuenit cum modo, quem nos adſtruimus, exiſtendi ſcilicet totum in toto, & totum in ſingulis partibus, quod ſic euincitur. Complexum exiſtentiæ ſacramentalis in alio non conſiſtit, niſi in entitate Chriſti Domini vnita modo illo ineffabili, quem ſupra nos expoſuimus, cum ſpeciebus, ſed iuxtà hanc ſententiam tota entitas Chriſti Domini exiſteret in ſingulis partibus ſpecierum ſacramentalium, & vtique illó modo ineffabili, ergo in ſingulis partibus eſſet exiſtentia ſacramentalis Chriſti Domini, ergo eſt totus in toto, & totus in ſingulis partibus, quod deindè in hac ſententia, ſeu hoc modo dicendi dicatur eſſe vnicam tantum præſentiam in ordine ad omnes partes continuas, non obſtare videtur noſtro intento, quandoquidem dicitur vna præſentia adæquatè, non quia non ſit totus in toto, & totus in ſingulis partibus, ſed quia cum tota Hoſtia ſit per modum vnius non videtur, niſi vnicam præſentiam adæquatam conſtituere, eo modo, quo Angelus in loco adæquato conſtitutus, dicitur vnicam præſentiam in illo habere, quamuis ſit totus in omnibus partibus illius loci.

Probatur iam ſecunda pars aſſertionis, quæ eſt de fide, ex qua clarius eluceſcet veritas primæ partis: Primò ex *Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3.*, vbi anathematizatur quicunque negauerit ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpecie partibus facta ſeparatione totum Chriſtum contineri. Secundò auctoritate Eccleſiæ canentis in feſto Auguſtiſſimi Sacramenti, *tantum eſse ſub fragmento, quantum toto tegitur*, quod idem definiuit Concilium Florentinum in decreto Eugenij §. *tertium eſt*. Tertiò ex facto Chriſti Domini, qui poſt conſecratum Calicem eundem tradidit diſcipulis, vt inter ſe diuiderent, in qua diuiſione omnes Chriſti Sanguinem, & totum Chriſtum ſumpſerunt, non ſinguli partem ſolummodò; Ex his autem definitionibus, auctoritatibus, & facto concludentèr euincentibus hanc ſecundam partem aſſertionis ſatis euidens ratio deducitur etiam pro prima hoc pacto. Partes Hoſtiæ ſeparatæ continent totum Chriſtum, ergo etiam non ſeparatæ. Conſequentia probatur, quia ſeparatio non habet ex ſe conſtituere Chriſtum, vbi ante ſeparationem non erat, cum Chriſtus ſolum ſub ſpeciebus conſtituatur vi conſecrationis, ergo, ſi ante ſeparationem Chriſtus non erat in partibus ſpecierum, nec conſtituetur ſub illis per ſimplicem ſeparationem, niſi ponatur noua conſecratio.

6 Etiam facta ſeparatione eſt totus in omnibus partibus ſeparatis.

7 Quomodocunque cõſtituatur continuum eſt in omnibus partibus, ſiue punctis.

Aſſertio II. Siue continuum conſtituatur ex indiuiſibilibus phyſicis, ſiue ex diuiſibilibus, & punctis continuatiuis, & terminatiuis Chriſtus totus eſt in omnibus, & ſingulis eorum continuatis, ſeu coniunctis *Suarez diſp. 51. ſect. 3.*, *Arriaga diſp. 36. ſect. 2.*, *Gonetus diſp. 5. art. 2. num. 28.*, *Maſtrius diſp. 3. quæſt. 11. num. 240.*, *Maderuus tract. 3. de Euchariſtia Sacramento quæſt. 4. art. 2. num. 9.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 6. num. 88.* Dixi *continuatis, ſeu coniunctis*, nam, ſi ſupponantur indiuiſibilia ſeparata, ſiue ante conſecrationem, & inquiratur, an validè poſſint conſecrari, ſiue poſt conſecrationem, & inquiratur, an remaneant conſecrata, dicam latè in ſequenti, vel ſequentibus aſſertionibus.

8 Euincitur in ſententia conſtituente in ſolis indiuiſibilibus.

Probatur prima pars, ſubſtantia panis ante conſecrationem exiſtebat in omnibus, & ſingulis indiuiſibilibus panis data ſententia componente continuum ex indiuiſibilibus, ergo Chriſtus exiſtit totus in ſingulis indiuiſibilibus eiuſdem panis poſt conſecrationem, cum exiſtat totus vbicunque exiſtebat ſubſtantia panis. Confirmatur, quia vel ſubſtantia panis ante conſecrationem exiſtit in aliquo indiuiſibili quantitatis eiuſdem, vel in nullo; ſi in aliquo, cur non in alijs, cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio, &, ſi in alijs, cur non in omnibus? Si in nullo, ergo, nec in tota quantitate, cum in ipſa iuxtà hanc ſententiam aliud non ſit, quam indiuiſibilia,

quod

quod enim non eſt in vllo ex componentibus, nec poteſt eſſe in toto compoſito. Hoc ratiocinium factum de ſubſtantia panis in ordine ad indiuiſibilia ipſam componentia ante conſecrationem, rectè procedit de ſubſtantia Christi poſt conſecrationem, quæ ſuccedit loco ſubſtantiæ panis.

9 Etiam in ſententia conſtituente ex partibus, & punctis

Probatur ſecunda pars, quia nulla eſt repugnantia, quod ſubſtantia panis, & etiam totus Chriſtus Dominus exiſtat in indiuiſibili continuatiuo, vel terminatiuo in ſententia adſtruente continuum componi ex partibus proportionalibus in infinitum diuiſibilibus, & ex punctis terminatiuis, & continuatiuis, ergo non eſt, cur in illis Chriſtus Dominus non exiſtat ſacramentaliter. Antecedens probatur, quia in ſententia adſtruente continuum ex ſolis punctis, ſeu indiuiſibilibus, & ſubſtantia panis ante conſecrationem, & ſubſtantia Corporis Chriſti poſt eandem conſecrationem in ſingulis eorum exiſtit per probata in præcedenti ratione, ergo nulla eſt repugnantia, quin exiſtat etiam in punctis, & indiuiſibilibus continuatiuis, & terminatiuis in ſententia componente cõtinuum ex partibus, & huiuſmodi punctis. Conſequentia hæc probatur, quia hæc indiuiſibilia, ſeu puncta continuatiua, & terminatiua ſunt eiuſdem rationis, & capacitatis cum punctis per ſe componentibus, ergo, ſi hæc ſunt capacia, vt in ipſis exiſtat totus Chriſtus, erunt, & illa capacia.

Neque dicas primò, diſparem eſſe rationem de punctis per ſe præcisè componentibus, & ſe ſolis continuum, & de punctis continuatiuis, & terminatiuis conſtituentibus continuum ſimul cum partibus proportionalibus in infinitum diuiſibilibus, quandoquidem illa ſe habent verè, & realitèr per modum componentium; hæc verò dumtaxat per modum vnientium, & terminantium eo modo, quo vnio in ſententia conſtituente ipſam in entitate ſuperaddita, non eſt pars componens, & conſtituens compoſitum, ſed tantum modus vniens, & ſic non eſt id Quod, ſed id Quo partes ipſæ vniuntur. Contra enim impugnaberis, quia in ſententia adſtruente huiuſmodi puncta continuatiua, & terminatiua non ſolum iſta ſunt vnitiua, ſed etiam ſecundum ſe quantitatiua, & facta aliqua ſeparatione, quæ erant ſub ratione vnitiui, remanent ſub ratione terminatiui, quod non eſſet verum, ſi haberent præcise rationem vnionis, & non pertinerent tanquam componens ad totum, quod componitur. Deindè cùm in noſtra ſententia conſtituente vnionem non in aliquo modo ſuperaddito, ſed in ipſis partibus componentibus ſecundum actuale exercitium propriæ virtutis, certè ipſa puncta non poſſunt non habere rationem componentis.

Neque dicas ſecundò, Chriſtum Dominum debere exiſtere ſenſibilitèr in Sacramento, ſed repugnat in indiuiſibili exiſtentia modo ſenſibili, cùm indiuiſibile ipſum ſenſibile non ſit, ergo repugnat Chriſtum Dominum totum exiſtere in indiuiſibili. Contra enim impugnaberis, quia quidquid ſit, quod indiuiſibile ſenſibile ſit ſecundum ſe, nec ne, de quo infra occurret ſermo, dicendum eſt pro nunc, quod, quamuis nón ſit ſecundum ſe ſenſibile ſenſibilitate proxima, ſit tamen ſenſibile, prout coniungitur cum alijs indiuiſibilibus, ſeu partibus, & ſic Chriſtus Dominus, dum exiſtit in indiuiſibili coniuncto cum alijs dicitur exiſtere ſenſibilitèr quantum ſufficit ad ſolutionem præſentis inſtantiæ. 10 Solutio obiectorũ

Neque dicas tertiò, ſubſtantiam panis non poſſe exiſtere in indiuiſibili quantitatis eiuſdem panis, ergo neque ſubſtantia Corporis Chriſti exiſtere poteſt in indiuiſibili quantitatis eiuſdem panis. Antecedens probatur primò, quia ſub indiuiſibili quantitatis panis non poteſt ſubſiſtere ſubſtantia panis ſecundum partes, ergo ad ſummum quoad indiuiſibile, ſed indiuiſibile ſubſtantiæ, non eſt proprie ſubſtantia, ſicuti indiuiſibile quantitatis non eſt propriè quantitas, ergo ſubſtantia panis non poteſt exiſtere in indiuiſibili quantitatis eiuſdem. Secundò, quia ſubſtantia panis eſt eſſentialitèr compoſita ex partibus, cùm conſtet materia, & forma, ergo indiuiſibile ſubſtantiæ panis, vtpotè carens partibus non poteſt eſſe ſubſtantia panis. Tertiò, quia quantitas continua in ſententia conſtituente ipſam ex partibus diuiſibilibus in infinitum, & ex punctis continuatiuis, & terminatiuis non habet puncta continuatiua immediata, ſed puncta quælibet mediant inter vnam partem, & aliam, adeò vt poſito vno puncto immediatè ſuccedat pars, ergo in diuiſione eiuſdem quantitatis deberet de nouo reſultare vnum punctum terminatiuum, quod antecedentèr non erat. Conſequentia hæc probatur, quia in partibus diuiſis, & vltima ſuperficie cuiuſcunque partis diuiſæ debet ex neceſſitate huius ſententiæ eſſe punctum terminatiuum, ergo, cum ante diuiſionem in loco, in quo ſit diuiſio, non eſſet, niſi vnum punctum, & modo poſt diuiſionem in vtraque parte diuiſa ſit punctum terminatiuum, ergo in vna, vel altera parte debet de nouo reſultare punctum, quod ante diuiſionem non erat; quo poſito ſic ad rem præſentem arguunt aduerſarij. Si indiuiſibile ſubſtantiæ panis eſſet ſubſtantia panis in qualibet diuiſione panis reſultantibus

nouis indiuiſibilibus terminatiuis reſultaret noua ſubſtantia, quæ antea non erat, ſine noua cauſa productiua ipſius, ergo in qualibet diuiſione Hoſtiæ conſecratæ Chriſtus reciperet eſſe ſub nouis punctis terminatiuis, quæ antecedentèr non erant abſque eo, quod eſſet noua conſecratio; ad quod abſurdum euitandum neceſſe eſt dicere ſubſtantiam panis non poſſe eſſe in indiuiſibili quantitatis eiuſdem, adeoque, nec ſubſtantiam Corporis Chriſti, quæ ſuccedit ſubſtantiæ panis; Contra enim impugnaberis; nam abſolutè negandum eſt primum antecedens. Ad primam probationem eiuſdem fateor, ſub indiuiſibili quantitatis panis non poſſe eſſe naturaliter ſubſtantiam panis ſecundum partes, ſed ſolum indiuiſibile eiuſdem ſubſtantiæ; nego autem indiuiſibile ſubſtantiæ non poſſe dici ſubſtantiam, cum ſit ens ſubſtantiale, & aliquid ſubſtantiæ, adeoque ſaltem ſubſtantia in obliquo, ideoque, vbicunque erat ſubſtantia panis ſiue in recto, ſiue in obliquo, adeſt poſt conſecrationem Corpus Chriſti Domini; quod ſuccedit ſubſtantiæ panis. Idem dic de indiuiſibili quantitatis, quod etiam eſt ens quantitatiuum, ſeu quantitas in obliquo. Ad ſecundam probationem antecedentis, dico indiuiſibile ſubſtantiæ carere quidem partibus integralibus, & conſtituentibus extenſionem, non autem carere partibus ſubſtantialibus, nempè materia, & forma, cum vbi eſt indiuiſibile materiæ, poſſit eſſe indiuiſibile formæ. Ad tertiam probationem eiuſdem antecedentis multi multas adhibent reſponſiones, in quibus referendis, & refellendis non vacat immorari, cùm inextricabiles inuoluant difficultates, quæ potius obruunt, quam intellectum illuminent. Facilior nobis illa videtur, quam adhibet *Madernus tract. 3. de Euchariſtiæ Sacramento quaſt. 4. art. 2. num. 14.*, vbi fatetur reſultare in diuiſionibus ſubſtantiæ panis noua puncta ſubſtantialia, eaque produci per naturalem reſultantiam à Deo ratione naturalis exigentiæ ſubſtantiæ panis præcedentis, negat autem in illis punctis reſultantibus ſuccedere ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini, cum hæc non poſſit eſſe, vbi non erat, niſi per conſecrationem de nouo poſitam; Quod, ſi quæratur, ſi in illis punctis terminatiuis de nouo reſultantibus non ſuccedit ſubſtantia Corporis Chriſti, quid erit ſub illis indiuiſibilibus? Tunc dicam cum *Amico diſp. 19. ſect. 7. num. 142.*, *Maderno loc. cit.*, eſſe indiuiſibilia ſubſtantiæ panis à Deo producta, quæ ſe habeant ad partes Hoſtiæ conſecratæ diuiſas, ac ſi aliundè Hoſtiæ conſecratæ adducantur puncta Hoſtiæ non conſecratæ.

Aſſertio III. Indiuiſibilia phyſica ſingillatim, & ſeparatim ſumpta non poſſunt validè conſecrari. In hoc ſatis communitèr conueniunt etiam illi, qui adſtruunt continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus, & punctis. 11

Indiuiſibile ſeparatum nō poteſt cōſecrari.

Ratio eſt, quia, vt aliquid ſe ſolo conſecretur, debet eſſe ſe ſolo proximè, & per ſe ſenſibile, ſed ſolum indiuiſibile ſeorſim ſumptum ab alijs non eſt proximè, & per ſe ſenſibile, ergo ſeorſim, & per ſe non eſt conſecrabile. Neque dicas, indiuiſibile iuxta ſuperius dicta ſubſtantiæ eſt ſecundum ſe ens ſubſtantiale, aliquid ſubſtantiæ, & ſubſtantia ſaltem in obliquo, item ſenſibile ſenſibilitate ſaltem intrinſeca, & remota, ſicuti enim indiuiſibile quantitatis eſt quantitas ſaltem in obliquo, ita eſt 12 ſenſibile ſaltem in obliquo; contra enim impugnaberis, quia ijs omnibus admiſſis, quæ dicuntur in inſtantia, nihil ſequitur, quod poſſit aduerſari noſtræ aſſertioni, quandoquidem ad validam conſecrationem requiritur materia per ſe ſenſibilis, & ſenſibilitèr deſignabilis a conſecrante, & vt ſit talis in recto, qualis non eſt punctum, ſeu indiuiſibile panis ſeparatum ab alijs, quod non habet, niſi ſenſibilitatem remotam, & in obliquo, non autem proximam, & in recto. Ex quibus etiam deduces, nec validè poſſe conſecrari punctum, ſeu indiuiſibile panis coniunctum cum alijs, ſi celebrans intenderet illud ſolum cōſecrare, non alijs, quia etiam hoc non eſſet ſenſibiliter deſignabile.

Non eſt ſecundū ſe ſenſibile.

Aſſertio IV. Indiuiſibile conſecratum ſimul cum alijs, poſt conſecrationem, ſi diuidatur ab alijs, probabilius remanet conſecratum, ſeu retinet conſecrationem. *Suarez diſp. 43. ſect. 8. §. reſpondetur ergo*, *Lugus diſp. 4. ſect. 6. num. 111.*, *Herincx diſp. 2. quaſt. 1. nu. 8.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 2. §. 7. num. 156., & 157.*

Ratio ex eo deducitur, quia ſemel poſitum per conſecrationem Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſemper ſub eiſdem perſeuerat, quoties perſeueraret ſubſtantia panis, ſi ibi adeſſet, ſed ſubſtantia panis perſeueraret etiam in indiuiſibili ſeparato ab alijs, ergo & Corpus Chriſti Domini. Neque in hoc valet argumentum, quod, ſi non poteſt conſecrari indiuiſibile ſeparatum, nec valeat retinere conſecrationem; ſi poſt eandem ſeparetur a reliquis, eo quia ſenſibilitas non ſolum requiratur ad primum eſſe, ſed etiam ad conſeruari, cum eouſque ſolummodò conſeruetur præſentia Chriſti Domini ſub ſpeciebus, quouſque perſeuerat ſenſibilitas in eiſdem; Non valet, inquam, quia plura requiruntur ad rem in fieri, quam in facto eſſe; & facilius res conſeruatur, quam primo producatur; vndè 13

Indiuiſibile conſecratum ſimul cū alijs ſi diuidatur remanet conſecratum.

poſſu-

poſſumus dicere ſenſibilitatem, quæ eſt de ratione generica Sacramenti abſtrahere à próxima, & extrinſeca, & à remota, & intrinſeca, & ſic quatenus contrahitur ad Sacramentum in fieri exigat ſenſibilitatem proximam, & extrinſecam, quatenus verò contrahitur ad Sacramentum in facto eſſe contenta ſit ſenſibilitate remota, & intrinſeca.

ARTICVLVS III.

An præſentia ſacramentalis Chriſti Domini connectatur cum naturali, & ab iſta dependeat.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus tituli. 1.
In quo conueniant præſentia ſacramentalis, & naturalis, & in quo diſconueniant. 2.
De facto ſacramentalis dependet à naturali. 3.
De via tamen extraordinaria poteſt eſſe independens. 4.
Sacerdos etiam in hac hypotheſi ageret, vt miniſter Chriſti. 5.
Obiectum oppoſitum, & diſſolutum. 6.
Ex vi alterius inſtitutionis poteſt ſacramentalis præſentia non dependere à naturali. 7.
Non eſt repugnantia ex parte Chriſti Domini. 8.
Non ex parte modi exiſtendi. 9.
Nec ex alio capite poteſt eſſe repugnantia. 10.

1 *Senſus tituli exponitur.*

PRæſentiam ſacramentalem Chriſti pendere ab eſſe Corporis Chriſti, ita certum eſt, ſicuti certum eſt, non poſſe eſſe præſentiam Corporis ſine Corpore, cum ipſa præſentia conſiſtat eſſentialitèr in complexo eiuſdem Corporis cum loco, ſi ſit localis, vel cùm ſpeciebus, ſi ſit ſacramentalis. Controuerſia, quæ modo proponitur examinanda, verſatur ſolummodò inter præſentiam ſacramentalem, & præſentiam naturalem Chriſti Domini, an ſcilicet illa pendeat ab iſta, & connectatur cum iſta, vt vna ſine altera nequeat exiſtere. Hæc connexio, ſeu dependentia, vel poteſt conſiderari, prout de facto exiſtit, vel non exiſtit ex vi præſentis inſtitutionis, vel prout, quamuis de facto detur, de poſſibili tamen, vel ex vi alterius inſtitutionis, vel eiuſdem, ſed ex lege extraordinaria poſſit non dari. Pro clariori notitia eorum, quæ examinabuntur ſub præſenti titulo.

Aduerte, conuenientiam, & diſconuenientiam, quam habent adinuicem huiuſmodi præſentiæ. Conueniunt primò in eo, quod vtraque conſiſtat in complexo locali, quamuis ſacramentalis præter complexum cum loco importet etiam ſpeciale complexum cum ſpeciebus. Secundò in eo, quod vtraque ſit fundamentum propinquitatis, & diſtantiæ. Tertiò in eo, quod vtraque ſit terminus motus. Diſconueniunt poſtea in eo primò, quod naturalis exiſtat modo diuiſibili, & quantitatiuo per commenſurationem partium ad partes loci, ſacramentalis verò exiſtat modo indiuiſibili, & inextenſo, & ad modum rei ſpiritualis definitiuè exiſtentis in loco. Secundò in eo, quod præſentia naturalis Chriſti Domini vnica eſt, præſentia verò ſacramentalis multiplex non ſolum, quia conſtituit complexum, tam cum ſpeciebus, quam cum loco, ſed etiam, quia eſt vbicunque reperiuntur ſpecies ſacramentatæ. Tertiò, quod præſentia ſacramentalis eſt ſupernaturalis ſaltem quoad modum, quatenus importat partium penetrationem, & replicationem ſingularum partium Corporis Chriſti; naturalis verò nullo modo, nec etiam quoad modum eſt ſupernaturalis, cum ſit iuxtà exigentiam naturæ eiuſdem, niſi fortè velis dicere eſſe ſupernaturalem propter vnionem hypoſtaticam, quam habet cum ſubſiſtentia Verbi Diuini, quæ eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, ſed hoc pertinet ad eſſe, non ad præſentiam formalitèr ſumptam.

Conuenientia, & diſconuenientia harum præſentiarum.

3 *De facto ſacramentalis pendet à naturali.*

Redeundo iam ad difficultates in principio propoſitas non dubitarem, aſſerere de facto ex vi præſentis inſtitutionis præſentiam ſacramentalem connecti, ſeu dependere à præſentia naturali Chriſti Domini; hocque non ſolum euincitur ex fine inſtitutionis, ſed etiam ex modo, quo fit eadem præſentia ſacramentalis, & item ex cauſalitate, qua Chriſtus Dominus ad eandem concurrit; ex fine inſtitutionis, quia, vt conſiderauit *D. Thomas qu. 73. art. 1.*, Chriſtus diſceſſurus ex hoc Mundo ad Patrem reliquere nobis voluit ſuæ abſentiæ naturalis ſolamen per præſentiam ſacramentalem ſui ipſius quaſi in ſupplementum præſentiæ naturalis, ergo præſentia ſacramentalis ſupponit naturalem, cumque ſit inducta in ſupplementum illius, ab ipſa quoquo modo dependet; Ex modo quo fit, quia Sacerdos, qui conſecrat, id præſtat nomine Chriſti, & vt miniſter eiuſdem in ſui naturali præſentia exiſtentis, & dum conſecrat, non reſpicit ad Chriſtum in alijs Hoſtijs exiſtentem, ſed ad Chriſtum, vt exiſtentem in Cœlo ſecundum præſentiam naturalem; Ex cauſalitate, qua ipſe Chriſtus concurrit ad ſe ipſum producendum in Sacramento; non etenim ſolum concurrit mediatè ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, ſed etiam imme-

immediatè in vnoquoque ſacrificio principalitèr offerendo per ea, quæ in præcedentibus latè docuimus.

4 De potentia abſoluta poteſt eſſe independens.

Sed, an ſaltem ex vi præſentis inſtitutionis poſſit de via extraordinaria, & potentia abſoluta fieri præſentia ſacramentalis in ſpeciebus independens à præſentia naturali? Non hæſitantèr aſſererem, hoc fieri poſſe, nec alitèr ſentire exiſtimo DD., qui ſentiunt ex vi alterius inſtitutionis, hoc poſſibile eſſe, quos infrà recenſebo. Ratio eſt, quia ſtante præſenti inſtitutione, quid prohibet, quominus dependentia, quam habet modo præſentia ſacramentalis à naturali, ſuppleatur per quid aliud, puta per aliam præſentiam ſacramentalem; ſicuti enim modo Chriſtus Dominus concurrit, tanquam agens morale principale ſecundum ſuam præſentiam naturalem ad reproductionem ſui ipſius in Sacramento, & per conſequens ad præſentiam ſacramentalem, cur non poterit ceſſante Chriſto Domino ab influxu ſecundum præſentiam naturalem ad eſſe ſacramentale eleuari alia præſentia ſacramentalis à Deo, tanquam inſtrumentum eiuſdem ad aliam reproductionem, ſeu aliam præſentiam ſacramentalem? Et, ſi modo Sacerdos agit, vt miniſter Chriſti in Cœlo exiſtentis ſecundum præſentiam naturalem, cur ex Diuina diſpoſitione extraordinariè operante, & de potentia abſoluta non poterit agere, vt miniſter eiuſdem ſecundum præſentiam dumtaxat ſacramentalem exiſtentis?

5 Ageret etiam Sacerdos, vt miniſter Chriſti.

Neque dicas primò, quod Sacerdos agat, vt miniſter Chriſti Domini ſolum ſecundum præſentiam ſacramentalem, non poteſt eſſe ex vi præſentis inſtitutionis, nam ex vi præſentis inſtitutionis debet agere, vt miniſter Chriſti, non Dei præciſè; ſed vt miniſter Chriſti exiſtentis ſolum ſecundum præſentiam ſacramentalem non poteſt agere, quia nec Chriſtus ipſe ſecundum talem præſentiam poteſt operari, cum propter penetrationem organorum nequeat voces articulare, ergo nec agere per miniſtrum; Contra enim impugnaberis; nam nego abſolutè, quod quando ageret, vt miniſter Chriſti ſecundum ſolam præſentiam ſacramentalem non ageret ex vi præſentis inſtitutionis; ſufficit enim, vt agat, vt miniſter ipſius, vel naturalitèr ex lege ordinaria, vel ſacramentalitèr ex lege extraordinaria exiſtentis. Ad illud, quod ſubditur, dico, quod, quando impotentia operandi in principali prouenit ex impedimento extrinſeco, non ex defectu intrinſecæ virtutis, non tollatur, quin miniſter poſſit operari in perſona eiuſdem principalis; in præſenti autem hypotheſi, quod Chriſtus ſacramentalitèr exiſtens non poſſit verba articulare, & Euchariſtiam per ſe ipſum conficere, non prouenit ex defectu virtutis intrinſecæ, ſed ex modo extrinſeco exiſtendi indiuiſibilitèr, adeoque &c.

6 Soluitur inſtantia oppoſita.

Neque dicas ſecundò, ſtante præſenti inſtitutione, ſi Chriſtus deſineret eſſe in Cœlo, deſineret etiam eſſe in Sacramento, cum non poſſit eſſe præſentia ſine re præſente, item, quia in Sacramento Chriſtus debet mutari eo modo, quo mutaretur in Cœlo, ergo, ſi in Cœlo mutaretur per deſinentiam ab eſſe ad non eſſe, etiam deberet tali modo mutari in Sacramento; Contra enim impugnaberis, quia nos non ſuppoſuimus, quod deſinat eſſe ſimplicitèr in Cœlo, ſed ſolùm, quod in Cælo exiſtens etiam ſecundùm præſentiam naturalem, ſecundùm talem præſentiam deſinat ab operatione, & influxu in conſecratione Hoſtiæ, & hoc de via, & lege extraordinaria, & quod deindè ſecundum præſentiam ſacramentalem, quam habet in alia Hoſtia, ex eadem lege extraordinaria, & de potentia abſoluta operetur, &, quod miniſter in perſona eiuſdem ſecundum præſentem ſacramentalem exiſtentis conficeret.

7 Ex vi alterius inſtitutionis poteſt eſſe præſentia ſacramentalis ſine naturali.

An tandem ex vi alterius inſtitutionis potuerit, ſeu poſſit haberi præſentia ſacramentalis Chriſti Domini abſque eo, quod ſit, vel fuerit præſentia naturalis eiuſdem. Nonnulli tribuunt *Caietano qu. 76. art. 2.*, & nonnullis alijs, qui poſt ipſum ſcripſerunt, quod voluerit, quod præſentia ſacramentalis ita dependeat à naturali, vt ſine iſta, nec eſſe, nec conſeruari poſſit, immò aſſerat oppoſitum eſſe chymericum, ſed, ſi maturè, & attentè conſiderabitur mens eiuſdem Caietani, & ſectatorum eius, clarè apparebit, ipſum non loqui de præſentia naturali, prout importat modum exiſtendi circumſcriptiuè cum dimenſione naturalitèr debita cuilibet rei quantæ, ſed de exiſtentia entitatiua, & eſſe Chriſti Domini in ſe ipſo exiſtentis; vnde ſolummodò vult, quod non poſſit eſſe præſentia ſacramentalis Chriſti Domini ſine exiſtentia entitatiua eiuſdem, & proptereà ſubdit, oppoſitum eſſe chymericum, in quo verum dicit, nec alij contradicunt. Quamobrem abſolutè aſſero ex vi alterius inſtitutionis poſſibilis non repugnare præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia nullo modo ſupponentem naturalem, nec ab iſta dependentem. Conſentiunt *Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 4.*, *Suarez diſp. 48. ſect. 2.*, *Arriaga diſp. 33. ſect. 1., & 2.*, *Lauræa de Euchariſtia diſp. 21. art. 6.*, *Madernus tract. 3. quæſt. 3. art. 5. num. 4.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 4. §. 7. num. 103.* Ratio eſt, quia nulla eſt aſſignabilis ratio repugnantiæ

quoad

8 Non eſt in hoc repugnantia ex parte Chriſti Domini.

quoad talem præſentiam ſacramentalem independentem; non enim poteſt eſſe repugnantia ex parte Chriſti Domini, quia ipſe ſecundum ſe eſt indiferens ad eſſendum modo naturali quantitatiuo, & modo indiuiſibili, & inextenſo, ergo poteſt a Deo poni, vel vno, vel altero modo. Antecedens non videtur pati difficultatem, cum etenim de facto in Sacramento ponatur modo indiuiſibili, ſequitur, quod, quantum eſt ex ſe, poſſit ſub indiuiſibili produci; nec item poteſt eſſe repugnantia ex parte præſentiæ ſacramentalis indiuiſibilis, & inextenſæ, cum hæc de ſua eſſentia non importet connexionem cum præſentia naturali; cæteroqui, vbi eſſet ſacramentalis, ſemper eſſet præſentia naturalis, quod falſum apparet, nec præſentia naturalis eſt cauſa neceſſaria præſentiæ ſacramentalis, nam licet de facto Chriſtus exiſtens in ſua ſpecie naturali hoc Sacramentum inſtituerit, & ſecundum noſtra principia etiam quotidiè ſe ipſum cauſet ſub ſpeciebus, de potentia tamen abſoluta potuit Euchariſtia à ſolo Deo inſtitui, & præſentia ſacramentalis cauſari.

9 Non ex parte modi exiſtendi.

Neque repugnantia poteſt vel ex eo conſurgere, quod non poteſt aliquid eſſe ſecundum quid, & in alio, quin prius ſit in ſe ipſo ſimplicitèr; eſſe autem per præſentiam ſacramentalem eſt eſſe ſecundum quid, & tali modo, & in alio; eſſe autem in propria ſpecie naturali eſt eſſe ſimplicitèr, adeoque &c., vel ex eo, quod præſentia ſacramentalis, vel habetur per adductionem, vel per conuerſionem; adductio autem, & conuerſio ſupponit terminum, qui adducitur, vel conuertitur, vel ex eo, quod prius eſſet Corpus Chriſti ſecundum præſentiam ſacramentalem, quam ſecundum ſpeciem naturalem, & ſic non poſſet fieri naturalitèr exiſtens, nec concipi in vtero Virginis, nec generari, quia iam inciperet illud eſſe, quod iam eſt, quod eſt abſurdum; vel ex eo, quod Sacramentum Euchariſtiæ ſic inſtitutum eſſet eſſentialiter diuerſum ab eo, quod nunc datur; non enim verba conſecratoria proferrentur in perſona Chriſti, nec verificarentur illa verba *meum*, & *meus*. Non, inquam, in aliquo ex his poteſt eſſe repugnantia; Non in primo, quia dato, quod aliquid non poſſit eſſe ſecundum quid, & in alio, quin prius ſimplicitèr ſit in ſe ipſo, dico, ex noſtro aſſerto hoc non ſequi; non enim nos dicimus, quod prius Chriſti Corpus ſit ſecundum præſentiam ſacramentalem, quam ſit in ſe ſimplicitèr, ſed ſolum, quod ſit ſecundum præſentiam ſacramentalem prius, quam ſecundum naturalem præſentiam, prout hæc importat extenſionem partium, commenſurationem earundem ad partes loci, non autem, prout importat exiſtentiam entitatiuam, & ſubſtantialem; vndè tres modos exiſtendi diſtinguimus; alterum ſimplicitèr ſecundum eſſe entitatiuum, & ſubſtantiale, & hic præcedit; alterum ſecundum præſentiam naturalem conſiſtentem in illa partium extenſione, & commenſuratione; alterum ſecundum præſentiam ſacramentalem conſiſtentem in modo indiuiſibili, & inextenſo; quamuis igitur præſentia ſacramentalis, vtpotè appellans eſſe ſecundum quid ſupponat eſſe ſimplicitèr, non ſupponit tamen præſentiam naturalem conſiſtentem in illo modo exiſtendi ſecundum dimenſiones quantitatiuas, & commenſurationem partium ad partes loci, quia hic eſt modus accidentalis, ſed ſupponit ſolum eſſe entitatiuum, & ſubſtantiale.

Nec item poteſt eſſe repugnantia in ſecundo, quia in primis Corpus Chriſti per nos non conſtituitur ſub ſpeciebus per adductionem. Deindè loquendo de conuerſione in primis, dico, hanc ſupponere terminum, in quem fit, ſolum prioritate naturæ non tempore, & ſecundum exiſtentiam entitatiuam, & ſubſtantialem, non ſecundum quantitatiuam, & accidentalem. Tandem, cum Euchariſtia fieret ex vi alterius inſtitutionis, poſſet alia actione fieri, quam per conuerſionem.

Nec item in tertio, quia per præſentiam ſacramentalem Corpus Chriſti exiſteret ſolum ſecundum quid, & proindè nullum poſſet eſſe inconueniens, ſi poſtea in vtero Virginis conciperetur, & generaretur accipiendo eſſe ſimplicitèr. Deindè poſſet etiam dici, & quidem congruentius ad noſtra principia, quod, quamuis primo exiſteret ſecundum præſentiam ſacramentalem, non repugnet, quod poſtea quodamodo per reproductionem reciperet eſſe naturale, & ſimplicitèr in vtero Virginis, & ſic terminaret eius maternitatem; non enim repugnat, quod res ſemel producta, reproducatur per veram actionem, ſicut per nos Chriſtus Dominus reproducitur, quoties fit conſecratio ſub ſpeciebus Euchariſticis.

10 Non ex alio capite.

Nec item in quarto, quia non eſſet hæſitandum, quod, ſi ante Incarnationem eſſet à Deo inſtituta Euchariſtia, eſſet in pluribus diuerſa ab Euchariſtia, quæ de facto datur inſtituta à Chriſto Domino, & certè primò verba non proferrentur à Sacerdote Chriſti nomine, nec in perſona eiuſdem recitarentur, vt vera; quia eſſent inſtituta ad cauſandum, non vt vera, ea veritate, quam nunc habent; dum poneretur Corpus, & Sanguis ex vi verborum, reliqua, quæ ſunt in Chriſto Domino non ponerentur ex vi præcedentis

vnionis

vnionis cum Corpore, & Sanguine alibi exiſtentibus, ſed ex extrinſeco Dei decreto &c.

ARTICVLVS IV.

An, & quomodo Chriſtus, vt exiſtens ſub ſpeciebus, poſſit agere, & pati.

SVMMARIVM.

Diuerſa actionum, & paſſionum genera. 1.
Chriſtus exiſtens ſacramentalitèr non poteſt ſe mouere motu organico, & progreſſiuo. 2.
Nonnulla dubia circa motum inorganicum. 3.
Anima Chriſti exiſtens ſimul cum corpore ſacramentalitèr etiam de potentia ordinaria poteſt Corpus mouere motu inorganico. 4.
Refellitur inſtantia deducta à paritate intellectionis pendentis à ſenſibus. 5.
Alia inſtantia diſſoluitur. 6.
Naturalitèr ex vi decreti Anima Chriſti in Sacramento exiſtens non poteſt ſe mouere immoto corpore. 7.
Nec Anima cum Corpore poteſt moueri immotis ſpeciebus. 8.
Poteſt mouere alia à ſe tam motu organico, quam inorganico. 9.
Et vtique per impulſum in illis impreſſum. 10.
Per accidens ad motum ſpecierum Chriſtus in Sacramento mouetur. 11.
Et vtique non à ſolo Deo, ſed etiam ab extrinſeco agente mouente ſpecies. 12.
Per ſe non poteſt moueri ab agente corporeo. 13.
An verò poſſit moueri ab Angelo ſententia negatiua Suarez. 14.
Sententia affirmatiua Cacherani. 15.
Præfertur hæc affirmatiua Cacherani. 16.
De potentia abſoluta poteſt aliquas actiones tum in ſe ipſo, tum in alijs exercere. 17.
Sententia aſſerens hoc non poſſe præſtare naturalitèr. 18.
Sententia affirmans poſſe. 19.
Rationes pro ſententia negante. 20.
Rationes pro ſententia affirmante. 21.
Probabile valdè eſt, quod poſſit huiuſmodi actiones exercere. 22.
Soluuntur rationes ſententiæ negantis. 23.
Sententia negans Chriſtum in Sacramento poſſe pati ab agente extrinſeco. 24.
Soluuntur rationes comprobantes hanc ſententiam. 25.
Sententia probans poſſe recipere paſſiones in Sacramento. 26.
Actiones intentionales plures, & quales. 27.
Vt exiſtens præcisè ſacramentalitèr non poteſt ſenſationes exercere. 28.
Poteſt tamen de potentia abſoluta, & via extraordinaria. 29.
Supernaturalitèr Chriſtus, vt exiſtens in Sacramento poteſt oculis corporeis videri. 30.
Pluribus rationibus hoc euincitur. 31.
Non tamen de facto poteſt videri. 32.
Et hoc ex defectu virtutis intrinſecæ in potentia. 33.
Reijciuntur rationes Cacherani. 34.
Nequit Chriſtus, vt exiſtens ſacramentalitèr elicere actus intellectus dependentes à ſenſibus. 35.
Intellige naturalitèr, & de potentia ordinaria. 36.
Poteſt elicere actus intellectus, & voluntatis independentes à ſenſibus. 37.
Quomodo Chriſtus in Sacramento exiſtens, poſſit cognoſci ab Angelo, & anima ſeparata. 38.

SVb hoc titulo plura perſtringemus, quæ auctores diuiſim, & ſub diuerſis titulis examinant. Prò quo aduerte, actiones, & paſſiones de quibus hic poteſt eſſe controuerſia, alias eſſe phyſicas, alias intentionales: ſub nomine actionum phyſicarum comprehendimus motum localem tum in ordine ad ſe, tum in ordine ad alia, vtrum ſcilicet poſſit ſe localitèr mouere, & alia à ſe ipſo, item actiones alteratiuas in alia corpora, generatiuas, & ſimilia; ſub nomine verò paſſionum phyſicarum comprehẽdimus motum paſſiuum ab alijs, item alterationes, & mutationes paſſiuas; ſub nomine verò actionum intentionalium intelligimus actus intellectus, & voluntatis, item alios actus phantaſiæ, & cæterarum potentiarum materialium, viſus, auditus, & ſimilium; ſub nomine tandem paſſionum intentionalium intelligimus actus quibus ipſe non percipit, ſed ab alijs percipitur, ſeu percipi poteſt, vel actibus intellectualibus, vel corporeis. 1 Actiones & paſſiones diuerſæ.

Incipiendo iam à motu locali actiuo in ordine ad ſe indubitatum eſt, quod ſacramentalitèr exiſtens ſub ſpeciebus nequeat ſe mouere motu progreſsiuo, & organico; quia motus organicus, & progreſsiuus exigit organa ſoluta, & expedita, cum, ſi ſit organicus, & non progreſsiuus fiat ſecundum aliquam partem, ſi verò organicus ſimul, & progreſsiuus, ſecundum vnam partem poſt alteram; Chriſtus autem, vt in Sacramento per præſentiam ſacramentalem exiſtens non habet expedita organa potentiæ locomotiuæ, cum ſecundum omnia organa, & ſecundum omnes ſuas partes exiſtat indiuiſibili, & modo inextenſo, & præpediantur omnes, & quaſi ligentur adinuicem propter penetrationem, quam habent. 2 Non poteſt ſe mouere motu progreſſiuo.

3 Dubia circa motũ inorganicum

An verò ſaltem poſsit ſe mouere motu inorganico? Circa hoc multiplex poteſt eſſe difficultas. Prima eſt, an anima vnita corpori, & ſimul cum corpore exiſtens ſub ſpeciebus poſſit localitèr mouere ſuum corpus inorganicè. Secunda ex ſuppoſitione, quod poſſit; an hoc ſolum de potentia abſoluta, an verò etiam de potentia ordinaria. Tertia, an poſſit ſe ipſam mouere ſolum cum motu corporis, an verò ſe ſola in corpore remanente immoto. Quarta, an poſſit non ſolum ſe, vel ſimul cum corpore, vel ſine illo mouere, ſed etiam poſſit ſimul cum corpore mouere ſpecies ſacramentales, & etiam mouere ſe ſine motu illarum.

4 Poteſt mouere Corpus motu inorganico

In ordine ad primam, & ſecundam ſentiendum eſt, animam ſimul cum corpore exiſtentem ſub ſpeciebus non ſolum de potentia abſoluta, ſed etiam de potentia ordinaria poſſe mouere corpus motu inorganico. Prima pars facilè ex eo deducitur, quia Deus de potentia abſoluta poteſt corpus ſub ſpeciebus exiſtens mouere motu inorganico immediatè per ſe ipſum, cum talis motus competens Angelis, & ſubſtantijs ſpiritualibus non repugnet competere corpori exiſtenti indiuiſibilitèr, & modo inextenſo, & ad modum rei ſpiritualis, ergo hoc poterit præſtare mediante aliqua creatura, vel per virtutem intrinſecam ſuperadditam, vel per potentiorem concurſum extrinſecum, ergo etiam mediante miniſterio eiuſdem animæ. Prima conſequentia probatur, quia in ordine ad operationes ad extra Deus eſt maximè liber non ſolum quoad ſubſtantiam, quatenus poſſit illas exercere, & non exercere, ſed etiam quoad modum, quatenus illas poſſit exercere tali, vel tali modo, hoc eſt per ſe ipſum immediatè, vel mediante creatura. Secunda pars etiam ſic euincitur, quia Anima Chriſti Domini etiam in ſtatu vnionis vtpotè, quæ glorioſa habet perfectiones animæ ſeparatæ; ſed animæ ſeparatæ competit mouere ſe ipſam motu inorganico, & etiam alia à ſe ipſa, ergo animæ Chriſti in ſtatu etiam vnionis competet ex propria virtute intrinſeca mouere ſe ipſam, & alia à ſe ipſa, & inter cætera corpus proprium, ergo hoc etiam poterit præſtare, vt exiſtens ſub ſpeciebus in Sacramento. Hæc conſequentia probatur, quia hic motus inorganicus corporis ab anima ſacramentalitèr exiſtente ſub ſpeciebus, nec repugnat reſpectu animæ, nec reſpectu eiuſdem corporis, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia ipſa habet omnes perfectiones, quæ competunt animæ ſeparatæ; quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia corpori exiſtenti indiuiſibilitèr non repugnat motus inorganicus, ergo reſpectu neutrius repugnat.

5 Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices primò, anima Chriſti Domini exiſtens cum corpore ſub ſpeciebus ſacramentalibus non poteſt naturalitèr elicere actus intellectus, & voluntatis dependentes à ſenſibus, & phantaſmatibus, ergo, nec poterit per virtutem motiuam naturalitèr corpus ſuum mouere etiam inorganicè. Antecedens infra latè probabitur. Conſequentia probatur, quia, in tantum non poteſt naturalitèr actus intellectus, & voluntatis dependentes à ſenſibus, & phantaſmatibus elicere, in quantum ſenſus, à quibus dependent, non habent organa proportionata, cum omnia exiſtant indiuiſibilitèr, ſed hoc idem verificatur in ordine ad mouendum corpus localitèr; ſiquidem anima non poteſt eſſe principium motus, niſi per membra organica. Sed contra; dato antecedenti neganda eſt conſequentia. Ad cuius probationem admitto cauſalem maioris, ſi ſit in ordine ad actus intellectus pendentes à phantaſmatibus, & ſenſibus externis, & nego, vel diſtinguo minorem, hoc verificatur in ordine ad mouendum corpus motu organico, cōcedo, motu inorganico, nego minorem cum conſequentia, cum etenim motus inorganicus ſit valdè conformis motui ſubſtantiarum ſpiritualium, mirum non eſt, quod anima Chriſti Domini, quæ habet virtutem ſe mouendi moueat ſimul corpus ſecundum modum ipſi animæ proportionatum.

Dices ſecundò, quod, quamuis anima Chriſti poſſit inorganicè mouere ſuum corpus, quando eſt extra Sacramentum, non tamen hoc poſſit præſtare, quando eſt in Sacramento; tum quia non valet illatio à motu extra ad motum intra Sacramentum, cæteroquì, ſicuti anima Chriſti poteſt mouere ſuum corpus organicè extra Sacramentum, poſſet illud etiam organicè mouere, dum eſt in Sacramento, quod repugnat; tum quia, dum in Sacramento exiſtens moueret ſuum corpus inorganicè, moueret ad acquirendam nouam præſentiam modo inextenſo, adeoque ſupernaturalem, quod haberi nequit per virtutem naturalem, quod ſecus eſſet, quando moueret extra Sacramentum, quia moueret tantum ad præſentiam naturalem. Sed contra negandum eſt, quod, ſi naturalitèr poteſt mouere ſuum corpus inorganicè extra Sacramentum non poſſit etiam ſic mouere in Sacramento; & quamuis in omnibus non valeat illatio à motu extra ad motum intra Sacramentum, in caſu tamen, in quo hic ſit applicatio, talis illatio valet, quandoquidem hic ſit comparatio animæ ad motum inorganicum extra Sacramentum (qualem nonnulli aſſerunt fuiſſe illum, quo *Lucæ* 2.

6 Alia item ſoluta. ſe ſubtraxit à manibus parentum, & ſe conſtituit in Templo inter Doctores in Hieruſalem, & illum *Lucæ* 4., quo ſe ſubtraxit à manibus Iudæorum, qui, vt ipſum præcipitarent, traxerant ſuper ſupercilium montis) ad motum inorganicum in Sacramento, qui vterque motus, cum ſit inextenſus, eſt conformis, & proportionatus motui eiuſdem animæ, quod, ſi deinde non valeat hæc illatio; Anima Chriſti extra Sacramentum poteſt mouere ſuum corpus organicè, ergo etiam poteſt illud mouere organicè in Sacramento, hoc tamen contra nos non facit, quia motus organicus repugnat exiſtentiæ ſacramentali, cui non repugnat motus inorganicus. Nec vim aliquam facit id, quod ſubditur, quod ſcilicet motus extra Sacramentum terminet ad præſentiam naturalem, vt videre eſt in allatis exemplis de Chriſto Domino ſe ſubtrahente de manibus parentum motu inorganico, vt ſe ſiſteret in Templo coram Doctoribus, & de eodem ſe ſubtrahente tali modo à manibus Iudæorum, in quibus naturalem præſentiam acquiſiuit; motus autem in Sacramento eſſet ad præſentiam ſacramentalem, adeoque ſupernaturalem, ad quam non ſe extendit virtus naturalis. Non, inquam, vim aliquam facit, quia in primis, ſicuti extra Sacramentum potuit modo inextenſo, & indiuiſibili ſe mouere, (ſi verum eſt, quod dicunt de illo motu Chriſti Domini in duobus recenſitis caſibus; quod ſcilicet fuerit inorganicus,) cur non potuit etiam modo indiuiſibili, & inextenſo, ſe ſiſtere in locis, ad quæ ſe mouit? Si fuit tali modo in medio, cur non potuit eſſe eodem modo in termino? Deinde illa noua præſentia ſacramentalis, quam corpus ab anima motum in Sacramento acquireret, eſſet ad ſummum ſupernaturalis in modo; non in ſubſtantia, & modus ille ſupernaturalis non eſſet ratione loci, ſed ratione corporis exiſtentis ſub ſpeciebus, & conſtituti in diuerſo loco; hunc autem modum ſic exiſtendi non de nouo acquireret, cum iam haberet ex vi præcedentis conſecrationis per quam tali modo Corpus Chriſti conſtitutum eſt ſub ſpeciebus in Sacramento.

7 De via ordinaria anima in Sacramento non poteſt moueri immoto Corpore. In ordine ad tertiam dico, de via ordinaria, & naturaliter animam in Sacramento non poſſe ſe localitèr mouere immoto remanente corpore; ſed hoc non prouenire ex defectu virtutis in eadem anima, ſed ex colligatione naturali, quam habet cum eodem Corpore in Sacramento ex decreto extrinſeco Dei, ſecundum quod Chriſtus ſemel mortuus iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur; recedente autem iam anima à corpore, corpus ipſum mortuum remaneret. Dixi *de potentia ordinaria, & naturalitèr*, non etenim negauerim de potentia abſoluta hoc poſſe contingere, cum anima etiam poſt reſurrectionem non ſit eſſentialitèr corpori alligata.

In ordine ad quartam etiam loquendo de potentia ordinaria ſentio, nec animam cum corpore, nec animam ſine corpore poſſe ſe mouere immotis remanentibus ſpeciebus, ſub quibus exiſtit. In hoc conſentit 8 Nec anima cum Corpore immotis ſpeciebus *Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 6. §. ad intellectum verſ. & ſi quæras, Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 5. §. 1. n. 8.* & hoc propter rationem mox adductam, quia ex vi præſentis inſtitutionis, & ordinationis Diuinæ ſtatutum eſt, vt quoties ſpecies conſecratæ perſeuerant ſub eiſdem, perſeueret ſubſtantialis præſentia Corporis Chriſti, &, ſicuti ex Diuino decreto anima poſt reſurrectionem eſt à corpore inſeparabilis, ita corpus, & anima ex eadem Diuina diſpoſitione eſt a ſpeciebus poſt conſecrationem indiuiſibilis.

Proſequendo iam ratiocinium de potentia motiua Chriſti Domini in Sacramento exiſtentis in ordine ad alia à ſe ipſo mouenda; in hoc Cacheranus procedens cum diſtinctione de motu organico, & inorganico aſſerit abſolutè, quod Chriſtus Dominus in Sacramento exiſtens non poſſit etiam de potentia abſoluta motu organico mouere alia à ſe ipſo, bene verò motu inorganico; & hoc etiam de potentia ordinaria; adducens pro ratione formali primæ partis negatiuæ, quam aſſerit eſſe receptiſſimam, quod ad rationem motus organici non ſolum requiratur extenſio corporis mobilis, ratione cuius ab eodem acquiratur pars loci per vnam partem corporis, ſed etiam alia per aliam ſucceſſiuè, ſed etiam talis extenſio requiratur ex parte principij mouentis, quatenus vna pars poſt aliam moueat, adeo vt organum non totum ſimul exeat in actum ſuæ virtutis motiuæ, ſed prout ad vnam partem prius, quam ad alteram perueniant ſpiritus motui deſeruientes. Sed non libentèr poſſum in hoc acquieſcere Cacherano, quandoquidem motus organicus potius attendendus eſt reſpectu mobilis, quod acquirit partes poſt partes ſecundum partes quibus conſtat, quam reſpectu mouentis principij, quod licet ſecundum ſe ſit inextenſum, vel per impulſum impreſſum in vna parte corporis mobilis extenſi poteſt illud mouere ſecundum modum exiſtendi, quam habet, &, ſicuti Angelus poteſt in corpore extenſo cauſare motum organicum ipſum trahendo, vel impellendo; ita non eſt, cur etiam Chriſtus indiuiſibilitèr, & modo inextenſo exiſtens in ſpeciebus Euchariſticis non poſſit &c.; vnde, vel Cachera-

9 Poteſt alia à ſe mouere tam motu organico, quàm inorganico.

nus

nus intelligendus eſt de motu adæquatè organico, quatenus non ſolum mobile moueatur ſecundum diuerſas partes, quas habet acquirendo proportionalitèr diuerſas partes loci, ſed etiam quatenus, & ipſe moueatur motu organico acquirendo partes poſt partes, in quo ſenſu verè certum eſt, quod vt exiſtens ſacramentalitèr non poteſt talitèr ſe mouere; vel ſi intelligatur ſolùm de motu mobilis organico, in quo propriè videtur eſſe difficultas, cum motus ſpecificetur non à principio mouēte, ſed à mobili in ordine ad terminum, & in hoc ſenſu non eſt ei fidendum. Quoad ſecundam partem, quod ſcilicet poſſit mouere alia à ſe motu inorganico ſentio Cacheranum verum dicere, & in fortioribus terminis eius aſſertum deducitur ex ijs, quæ nos pro prima diximus, & vlterius ex eo euincitur, quia motus ille inorganicus magis proportionatus eſt principio mouenti indiuiſibilitèr modo inextenſo exiſtenti.

10 Per impulſum in illis impreſsū. Si autem hic quæras, quomodo alia à ſe, vel motu organico iuxtà mox dicta, vel inorganico poſſit mouere, an ſcilicet per impulſum, an per imperium, an per motum ſui ipſius? Probabilius exiſtimo, poſſe alia à ſe mouere per impulſum in ipſis impreſſum, & productum, qui, ſi ſit ad res materiales mouendas erit qualitas materialis, ſi ſit ad mouendas res ſpirituales, erit ſpiritualis; non enim poteſt congruentèr conſiſtere in imperio, quia imperium ſupponit dominium in re dominata; anima autem habet ſolum dominium in ſuum corpus, non in alia, nec in motu locali ſui ipſius, quia nullam habet vnionem cum alijs rebus, ita vt iſtæ habeant moueri ad motum illius; vndè congruentius refunditur in impulſum, ad quem non requiritur contactus quantitatiuus, & commenſurationis, ſed ſufficit entitatiuus, & ſubſtantialis.

11 Mouetur per accidens ad motum ſpecierū. Examinata iam virtute motiua actiua Chriſti Domini ſacramentalitèr exiſtentis in Euchariſtia, tum in ordine ad ſe, tum in ordine ad alia, modo inquirimus virtutem eiuſdem paſſiuam in ordine ad alia, quæ ſe habeant, vt principium actiuum reſpectu motus ipſius; & quidem, quod moueatur per accidens ad motum ſpecierum, quomodocunque iſtę moueantur, vel à Sacerdote, vel ab Angelo, vel à quocunque alio agente extrinſeco, indubitatum videtur, quod non eſt mutari ſecundum præſentiam ſacramentalem, ſed dumtaxat ſecundum localem, quatenus, ſicuti ſpecies ipſæ mutant locum, ita & Chriſtus, qui ſub eiſdem exiſtit, locum mutat; nec hic audiendi ſunt *Durandus in 4. diſt. 10. quæſt. 3.*, *Vaſquez diſp. 190. cap. 4. n. 46.*, *Gonetus diſp. 5. art. 3. num. 69.*, qui exiſtimantes, Chriſtum ſacramentalitèr exiſtentem non eſſe in loco ratione ſui, ſed ratione ſpecierum, in quibus exiſtit, exiſtimant etiam non moueri per ſe in loco, nec per accidens, ſed dumtaxat moueri ipſas ſpecies, & ad ſummum per denominationem extrinſecam a motu in ſolis ſpeciebus, non in ipſo recepto; Non, inquam, audiendi ſunt, cum procedant ex falſo principio, quod Chriſtus ſcilicet non ſit in loco ratione ſui, quod falſum ſupra probauimus, vbi, quod Chriſtus in Sacramento duplex complexum conſtituat ratione ſuæ ſubſtantiæ, alterum ſacramentale cum ſpeciebus, aliud locale cum loco, in quo exiſtit ſimul cum ſpeciebus. Verum autem Chriſtus ad motum ſpecierum moueatur ab eo, qui mouet ſpecies, an verò à Deo, vel ab ipſo Chriſto? *Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 6. §. ad intellectum verſ. quarta eſt*, 12
Maſtrius diſp. 3. quæſt. 14. art. 1. num. 349., & alij ferè omnes Scotiſtæ ſentiunt non ab ipſo Sacerdote, vel alio extrinſeco agente mouente ſpecies Chriſtum moueri, ſed à ſolo Deo immediatè, eo quia nullam agnoſcant vnionem inter Chriſtum Dominum, & ſpecies, adeoque non eſſe, cur Sacerdos, aut alius mouens ſpecies trahat cum illis Corpus Chriſti, quod propterea à ſolo Deo mouetur. Sed iſti falſo innituntur principio, ſupponimus enim ex præcedentèr dictis, quod, cum Chriſtus vniatur ſpeciebus, & ſuccedat loco ſubſtantiæ panis, id præſtans, quod præſtaret panis, ſi adeſſet, ineffabili quadam vnione cum eiſdem ſpeciebus remotis imperfectionibus vniatur, adeoque non ſit, cur ad motum ſpecierum factum per Sacerdotem ratione talis ineffabilis connexionis non ſimul moueatur; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, ſicuti Sacerdos non poteſt immediatè mouere localitèr ipſum Corpus Chriſti in Sacramento exiſtens, ita nec poſſit mouere illud mediatè, & per accidens ad motum ſpecierum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hoc falſum apparet in anima vnita corpori, quam agens corporeum non poteſt immediatè mouere, poteſt autem mouere mediatè, ſeu per accidens ad motum corporis; vndè, quod Sacerdos, vel aliud agens corporeum extrinſecum non poſſit immediatè mouere Corpus Chriſti in Sacramento exiſtens, prouenit ex eo, quod eius virtus non poſſit immediatè applicari eidem Chriſto ſacramentalitèr exiſtenti.

[Margin: Et vtique nō à ſolo Deo, ſed etiam ab extrinſeco mouēte ſpecies.]

Sed hic oritur difficultas, an ſaltem ab aliqua virtute creata poſſit Corpus Chriſti Domini in Sacramento exiſtens moueri immediatè, & per ſe; adeovt ipſum non moueatur per accidens ad motum ſpecierum, ſed potius ipſæ ſpecies moueantur 13

[Margin: Per ſe nō poteſt moueri ab agente corporeo.]

ad motum ipſius corporis. Hoc naturalitèr non poſſe fieri ab agente corporeo, videtur concludentèr deduci ex præcedentèr dictis; agens etenim corporeum non videtur poſſe applicari ſubſtantiæ Chriſti Domini exiſtenti indiuiſibilitèr, & modo inextenſo in Sacramento, nec alterando, nec vim aliquam imprimendo. An verò poſſit fieri virtute Angelica. Negat *Suarez. diſp. 53. ſect. 1. verſ. dico quarto circa principium*, qui ea ratione mouetur, quod duplicitèr intelligi poteſt Chriſtum Dominum hinc moueri, ſcilicet purè priuatiuè, nempè amittendo præſentiam hic, & nullam aliam alibi acquirendo, vel quaſi poſitiuè efficiendo in Corpore Chriſti aliam præſentiam incompatibilem cum prima;

14 An poſſit ab Angelo ſententia negatiua Suarez.

Neutram autem ex his aſſerit, poſſe fieri virtute Angelica; non primum, quia, vel id efficeret per aliquam actionem poſitiuam, & hoc non, quia actio poſitiua non poteſt terminari ad puram priuationem per ſe, ſeu ad non eſſe, vel per ſubſtractionem alicuius concurſus, & neque hoc poteſt efficere, quia Angelus nullum concurſum poſitiuum, nullamque cauſalitatem exercet in Corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus Euchariſticis; non ſecundum, quia Angelus per virtutem ſuam propriam naturalem, non poteſt aliquid poſitiuè efficere circa præſentiam ſupernaturalem, quam Chriſtus habet in Euchariſtia, & licet dicatur, quod, quamuis non habeat virtutem naturalem in Corpus Chriſti in Sacramento quoad primum eſſe, habeat tamen quando iam poſitum eſt quoad nouam præſentiam, reſpondet, quod, cum huiuſmodi præſentia ſecundum ſuam ſpeciem ſuperet virtutem Angelicam, eandem ſuperet in quocunque indiuiduo, quia & tota ſpecies clauditur in quocunque indiuiduo, & actio per ſe primo circa indiuiduum verſatur; vndè concludit, quod, ſicuti nequit primam præſentiam ſacramentalem conferre, ita neque poſſit conferre ſecundam, vt primam auferat.

15 Affirmatiua Cacherani.

Affirmat verò *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 9. §. 2. num. 26., & ſeqq.*, ea motus ratione, quod Angelus virtute propria naturali poſſit animam rationalem, ſiue corpori vnitam, ſiue extra corpus localitèr mouere, & quidem immediatè, ergo etiam poterit mouere, prout exiſtit in Sacramento, dum autem mouetur anima, mouetur ſimul, & Chriſtus. Conſequentia probatur, quia per hoc, quod ſacramentalitèr exiſtat, nullam habet repugnantiam, nec vllam reſiſtentiam, quominus poſſit recipere ab Angelo impulſum motus cauſatiuum; non enim hæc repugnantia, ſeu reſiſtentia poteſt prouenire ab eadem anima, quia ipſa etiam, vt exiſtens in Sacramento habet ſuam præſentiam naturalem; nec poteſt prouenire à ratione corporis, cui vnitur, quia, ſicuti ipſum corpus etiam, vt exiſtens in Sacramento non impedit, quominus virtus corporea motiua poſſit ipſum mouere ad motum ſpecierum, ita, nec videtur poſſe impedire, quominus virtus ſpiritualis Angelica poſſit mouere animam, ad cuius motum moueatur, & ipſum corpus propter naturalem cõnexionem, quam habet ad ipſum. Quod, ſi dicatur, quod hac ratione corpus moueretur ſolum per accidens ad motum animæ eo modo, quo Chriſtus Dominus ſolum per accidens mouetur ad motum ſpecierum; ſtatim reſpondet ipſe Cacheranus, comparando ipſum corpus ad animam, & ad ſpecies, & ſic dicit, quod licet, ſi comparetur ad animam, non poſſit dici, quod moueatur ab Angelo per ſe, & immediatè, prout tamen comparatur ad ſpecies, dici poſſit, quod moueatur per ſe, & immediatè, quia non mouetur ad motum ſpecierum, quinimmò ipſæ ſpecies mouentur ad motum ipſius. Subdit deindè, quod, cùm in rigore ſtante hac explicatione, non poſsit, dici corpus immediatè moueri ab Angelo, poſsit tamen alia ratione ſuſtineri, motum ab eodem immediatè, quatenus poſsit recipere impulſum, qui immediatè in ipſo corpore recipiatur, quod, an verum ſit, videbimus infrà, dum agemus, an Corpus Chriſti in Sacramento poſsit aliquas qualitates materiales ab agente extrinſeco recipere.

16 Hęc præfertur.

In hac controuerſia adhærendum exiſtimo Cacherano, nec vim faciunt aduerſa ex *Suarez. loc. cit.* adducta; non primum, quia admiſſa prima parte, quod ſcilicet poſſit mouere hinc purè priuatiuè, nego ſecundam partem, quod non poſſit Angelus hinc mouere transferendo ad alium locum, nec ex hoc ſequeretur id, quod ipſe infert, quod ſcilicet per virtutem purè naturalem attingeret præſentiam ſupernaturalem; nam in primis iuxta ſuperius dicta illa præſentia non eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, deindè non eſt de nouo poſita adæquatè, ſed tantum inadæquatè ratione loci, quatenus illa ſubſtantia iam ſacramentalitèr exiſtens, & non mutata intrinſecè ab vno in alium locum transfertur, quæ mutatio eſt extrinſeca ratione loci, non intrinſeca ratione ſubſtantiæ.

17 De potentia abſoluta poteſt actiones in ſe exercere, & in alijs.

Iam deſcendimus ad inueſtigandum, an Chriſtus Dominus in Sacramento exiſtens tum in ſe ipſo, tum in alijs actionem aliquam aliam à motu exercere poſſit, & hoc ſiue de lege abſoluta, ſiue de lege ordinaria, ſeu ſiue ſupernaturalitèr, & de potentia abſoluta, ſiue naturalitèr, & de

poten-

potentia ordinaria, & quidem, quod poſſit aliquas actiones phyſicas, tũ in ſe ipſo, tum in alijs ſupernaturalitèr, & de potentia abſoluta elicere vix videtur poſſe dubitari, cũ Chriſtus in Sacramento exiſtens, poſſit eleuari ad agendum, & patiendum vtrque per potentiam obedientialem, ſiue actiuam, ſiue paſſiuam iuxtà ſuum modum exiſtendi, quem habet in Sacramento modo ſcilicet inextenſo, & indiuiſibili.

18 Sententia aſſerens naturalitèr non poſſe. Maior difficultas eſt, an has actiones etiam poſſit præſtare naturalitèr, & de via ordinaria. Hæc difficultas poteſt examinari, vel ſpectata virtute naturali eiuſdẽ Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtentis, an ſpectato extrinſeco auxilio Dei ob ſpeciales fines ab eodem intẽtos. Negant abſolutè poſſe Corpus Chriſti in Sacramento exiſtens naturalitèr, hoc eſt ſpectata virtute naturali eiuſdem has actiones exercere alterando alia corpora *Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 7. §. reſpondeo*, quem ſequuntur omnes ferè Scotiſtæ tum antiquiores, tum recentiores, item *Suarez diſp. 53. ſect. 2. §. dico ſecundo*, *Vaſquez diſp. 191. cap. 3.*, *Lugus diſp. 9. ſect. 1.*, *Madernus quæſt. 4. art. 6.*

19 Sententia affirmans poſſe. Affirmant Nominales apud *Cacheranum cap. 5. §. 5. n. 86.*, *Amicus diſp. 20. n. 34.*, *Coninchus diſp. 76. quæſt. 6. dub. 2.*, *Arriaga diſp. 37. ſect. 4. num. 14.*, *Cacheranus loc. quo ſupra*, qui attentâ virtute naturali hanc vim alterandi alia tribuit Chriſto exiſtenti ſub ſpeciebus, negat tamen tale exercitium virtutis in actu ſecundo ob occultos fines ad noſtræ fidei exercitium, & meritum.

20 Rationes pro ſententia negante. Rationes pro ſententia negatiua plures adducuntur. Prima *à Scoto loc. cit. verſ. hoc probatur*, fundata in principio, quod ex ſuo marte ſibi firmauit, quia ſcilicet Corpus Chriſti in Sacramento non exiſtit localitèr, adeoque, vt in Sacramento exiſtens non poteſt eſſe localitèr applicatum, ſine applicatione autem agentis in loco non poteſt eſſe actio. Secunda à *Suarez loc. cit.*, in hunc modum, quia, ſicuti corpus, & qualitas naturalis ex natura ſua poſtulant extenſum modum occupandi locum, vt exiſtere poſſint, ita eundem modũ poſtulare videntur, vt agere poſſint, quia modus agendi ſequitur modum exiſtendi, & quia agens, & patiens debent ſibi eſſe proportionata. Tertia, quia in rebus incertis non eſt recedendum a communiori Theologorum conſenſu; hanc autem negatiuam ſententiam, ne dum plures, ſed etiam grauiores Theologi ſequuntur, & ſignantèr *D. Thomas qu. 76. art. 7.*, *& quæſt. 81. art. 4.*, cum omnibus ferè Thomiſtis, & Scotus cum omnibus ferè Scotiſtis. Quarta deducitur ex experientia, ſecundum quam Chriſtus exiſtens ſub ſpeciebus ſacramentalibus, nec alterat corpora circumſtantia, nec corpus tangentis, quod eſſe non poſſet, ſi actiuitas naturalitèr eidem competeret, cum cauſa neceſſaria applicata neceſſario debeat in ſuos actus exire, niſi actio per miraculum ſuſpendatur; hæc autem ſuſpenſio miraculoſa, & continuata non eſt admittenda, vbi ſine miraculo ſaluari poteſt res negando naturalem efficientiam, qua poſita negatione nullam ſequitur inconueniens.

Rationes pro parte affirmante in his conſtituunt, quia virtus agendi in Corpore Chriſti Domini exiſtente ſub ſpeciebus non tollitur, nec ratione modi exiſtendi indiuiſibilitèr, nec ratione qualitatum actiuarum in eodem quodamodo ſuſpenſarum, nec ratione ſubiecti, in quod deberet recipi actio, ergo non eſt, cur quantum eſt ex ſe ſpectata virtute naturali non poſſit agere alterando circumſtantia ſubiecta. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ad agendum non requiritur commenſuratio partium agentis ad partes ſubiecti patientis, vt benè hic notat *Cacheranus dicto cap. 5. §. 5. num. 90.* (licet parum ſibi conſtans contrarium anteceden̄ter docuiſſet *in hoc eodem cap. 5. §. 1.*, dum quærens, an Chriſtus Dominus poſſit in Sacramento exiſtens alia à ſe ipſo mouere motu organico, reſpondet abſolutè non poſſe, quia ad motum organicum non ſolum requiritur extenſio partium in ſubiecto mobili, ſed etiam in principio agente,) ſecus nulla res ſpiritualis poſſet agere in rem materialem, cum illi non poſſit eſſe ſufficientèr præſens per commenſurationem partiũm; probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, quia in Corpore Chriſti Domini remanent qualitates actiuæ, etiam, ſi ſit Sacramentaliter, quæ erant in corpore ſecundum realem præſentiam ante conſecrationem, & hæ qualitates ſic remanentes habent virtutem ad operandum per ſe ipſas formalitèr, non per extenſionem, ergo etiam, ſi ſint in Sacramento ſine extenſione poterunt agere; Item probatur quoad tertiam partem, quia ſubiectum poſita ſufficiente virtute in agente, ſi ſit capax alterationis, non poteſt non recipere qualitates, per quas alteretur, ergo &c. 21 Rationes pro ſententia affirmante.

Secundò, quia qualitates actiuæ Corporis Chriſti Domini ex eo, quod in eodem exiſtant ad modum exiſtentiæ eiuſdem in Sacramento potius maiorem vim acquirunt, ac deperdant, ſeu minuantur, ergo non eſt, cur attenta earum virtute non poſſint agere in ſubiecta circumſtantia. Antecedens probatur, quia ex eo, quod exiſtant ad modum exiſtentiæ Chriſti Domini in Sacramento penetrantur ad inuicem,

cem; & replicantur; ex eo, quod penetrentur maiorem intenſionem acquirunt, ex eo, quod replicentur, maiorem extenſionem, ergo potius augentur, quam diminuantur.

Tertiò eadem pars affirmatiua euincitur ex differentia, quæ verſatur inter agens, & patiens, nam, cum actio non recipiatur in agente, ſed in paſſo, cum ſit ab illo, non in illo, non requirit extenſionem partium in agente, quæ eſt in paſſo; vndè; quamuis virtus in agente ſit modo inextenſo, & indiuiſibili, adhuc poteſt terminare in paſſo extenſo, & diuiſibili. Quid iam concludendum?

22 Valdè probabile eſt, quod poſſit.

Non carere magna probabilitate exiſtimo hanc ſecundam ſententiam affirmatiuam propter rationes pro eadem adductas. Nec mihi magnum negotium faceſſunt rationes pro ſententia negante relatæ; Non prima ex Scoto, quia innititur falſo principio, quod ſcilicet Chriſtus exiſtens in Sacramento non exiſtat localitèr, adeoque non intelligatur localitèr applicatum paſſo; falſo, inquam, innititur principio, quandoquidem Chriſtus Dominus ſacramentalitèr exiſtens non ſolum facit complexum ſacramentale cum ſpeciebus, ſed etiam locale cum loco, in quo exiſtunt ſpecies, adeoque ratione iſtius exiſtentiæ in loco eſt ſufficientèr applicatus paſſo, quod ſatis eſt ad agendum phyſicè in ſubſtantia extrinſeca, nec ad iſtam actionem in corpora extrinſeca requiritur, vt agens ſit approximatum paſſo per quantitatiuam partium commenſurationem, ſed ſufficit, quod ſit approximatum per indiſtantiam localem.

23 Soluuntur rationes ſententiæ negantis.

Non ſecunda, quia, quamuis corpus, & qualitas materialis ſecundum ſe, & ſecundum ſuam naturalem ſpeciem exigant extenſum modum occupandi locum, ſi tamen ſupernaturalitèr conſtituantur in loco inextenſo, non exigunt modum extenſum, vt agere poſſint; nec valet in hoc regula adducta, quod ſcilicet modus agendi ſequatur modum exiſtendi, cum valeat ſolum in hoc ſenſu, vt ſcilicet modus agendi ſupponat modum exiſtendi; non quod in omnibus ille iſti aſſimiletur; cæteroqui, ſicuti accidentia Euchariſtica, quæ in Euchariſtia carent proprio ſubiecto, quamuis non habeant naturalem modum exiſtendi, poſſunt tamen operari naturalitèr, ita, quamuis Corpus Chriſti in Euchariſtia non habeat modum exiſtendi ſecundum ſuam ſpeciem naturalem, poterit tamen operari naturalitèr etiam in loco extenſo. Non tertia, quia nos non dicimus in primis, quod ſit res incerta, quod Corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit ſecundum ſuam virtutem naturalem in corpore extrinſeco agere, ſed ſimplicitèr affirmamus; Deindè dato etiam, quod ſit res incerta, ad definiendum potius eſt attendendum robur rationum, quam auctorum numerus, & licet magnam vim faciat auctoritas Diuæ Thomæ, hæc tamen explicari poteſt in ordine ad paſſiones, non in ordine ad actiones, prout manifeſtè colligitur *ex dicto quæſt. 81. art. 4. in corpore*, vt legenti fiet manifeſtum. Non quarta, quia licet huiuſmodi actiones in corpora extrinſeca non reſultent ex experientia, quin potius ab eadem contrarium deducatur, hoc tamen non prouenit ex defectu naturalis virtutis, ſed ex ſpeciali Dei motiuo ad occultandum myſterium, & augendam fidem, & eiuſdem meritum, & licet hoc videatur continuatum miraculum, non eſt tamen hoc admittere inconueniens exiſtente ratione occultandi myſterium, præcipuè cum hoc Sacramentum plenum ſit miraculis.

Sed, an, ſicuti Chriſtus in Sacramento poteſt agere in corpore circumſtantiæ quantum eſt ex vi ſuæ virtutis naturalis, ita etiam poſſit pati naturalitèr ab aliquo agente creato? Communitèr negant, poſſe Chriſtum in Sacramento exiſtentem phyſicè pati ab agente creato, & non ſolum omnes, qui negant ipſum poſſe agere in corpora extrinſeca, ſed etiam plures ex ijs, qui talem actionem eidem concedunt. Inter cæteros negat *D. Thomas quæſt. 85. art. 4. in corpore, Scotus in quarto diſt. 10. quæſt. 6. §. ad intellectum verſ. prima eſt*.

24 Sententia negãs poſſe Chriſtum phyſicè pati.

Eorum potior, & præcipua ratio eſt, quia nullum agens creatum verè poteſt naturalitèr producere qualitatem, ſeu formam materialem habentem modum exiſtendi ſpiritualem, & indiuiſibilem, ſed talis eſſet qualitas, ſeu forma materialis, ſi ab agente naturali induceretur in Corpus Chriſti in Sacramento exiſtens, ergo talis qualitas, ſeu forma nequit ab agente creato produci. Minor probatur, quia, cum talis qualitas reciperetur in Corpus Chriſti deberet recipi ad modum exiſtentiæ eiuſdem Chriſti iuxtà vulgatum adagium. Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; cum igitur exiſtentia Corporis Chriſti in Sacramento ſit ad modum indiuiſibilis, & rei ſpiritualis, qualitas, quæ in eadem reciperetur, deberet eſſe ad modum indiuiſibilis, & modi exiſtendi rei ſpiritualis. Addunt, quod reſpectu qualitatis, & formæ materialis modus exiſtendi indiuiſibilitèr, & per modum rei ſpiritualis ſit ſupernaturalis ſaltem in fieri, qui propterea non poteſt haberi virtute alicuius agentis naturalis. Sed non valdè me premunt huiuſmodi rationes, quamuis ſint fundamentales aduerſariorum; non

enim

25 Soluuntur rationes eiuſdē ſententię

enim qualitates, & formæ materiales, quantumuis in intenſione diuiſibiles exigũt ex genere ſuo recipi in ſubiecto diuiſibili, & extenſo, ſicuti exigit quantitas ſecundum ſuum modum naturalem eſſe in loco diuiſibili; ſed indefinitè poſſunt eſſe, vel in ſubiecto habente modum exiſtendi indiuiſibilem, vel in ſubiecto quantitatiuo habente modum extenſum, & diuiſibilem, cum qualitates nullam habeant oppoſitionem ad penetrationem quoad ſuos gradus, ſicuti habet quantitas quoad ſuas partes, nec per hoc, quod recipiantur in ſubiecto habente modum exiſtendi indiuiſibilem, conſtituuntur indiuiſæ, ſeu indiuiſibiles in ſuos gradus eo modo, quo gradus gratiæ ſpiritualis recipiuntur in anima indiuiſibili, nec tamen ipſi fiunt indiuiſibiles; ex quibus corruunt ea, quæ dicebantur de modo indiuiſibili, quem acquirerent huiuſmodi qualitates receptæ in Corpore Chriſti, vt ſacramentaliter exiſtente, & de ſupernaturalitate productionis, ſeu in fieri. Quamobrem, vel ex alio capite hæc impoſſibilitas paſſionum in Corpore Chriſti iniicienda eſt, vel à tali ſententia recedendum, & poſſibilitas admittenda.

Multominus videtur me premere alia ratio à *Suarez d. diſp. 53. ſect. 2. verſ. dico primo*, ponderata, quod ſcilicet corporea non patiuntur naturaliter, niſi per quantitatem, ſicuti è contrario agentia naturalia non agunt immediatè in ſubſtantiam, ſed in quantitatem, ſed Corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento ſupplet vicem ſubſtantiæ panis, & quantitas in eodem exiſtit per modum ſubſtantiæ, ergo agentia naturalia tantum agent in quantitatem panis, non verò in Corpus Chriſti. Minus, inquam videtur me premere, quia non minus quantitas panis, quam quantitas Corporis Chriſti ſecundum ſe eſt capax recipiendi huiuſmodi qualitates, & cum æquè vtraque ſit applicata, cum vtraque ſit in eodem loco compenetrata; æquè agentia naturalia poſſunt agere in quantitate panis, ac in quantitate Corporis Chriſti, niſi aliunde aſſignetur incapacitas; dum autem immediatè agerent in quantitatem Corporis Chriſti, mediatè ſaltem

26 Sententia aſſerens poſſe pati.

agerent in ſubſtantiam eiuſdem corporis; nec obſtat, quod etiam quantitas Corporis Chriſti exiſtat quaſi indiuiſibiliter, quia iuxta ſuperius dicta qualitates etiam in intenſione diuiſibiles poſſunt recipi in indiuiſibili.

Quod, ſi impoſſibilitatem huiuſmodi paſſionum refundant in eo, quod Corpus Chriſti ſit glorioſum, quod propter dotes gloriæ inalterabile eſt, & impaſſibile propria paſſione corruptiua; tunc dicam, hic agi ſolum de Chriſti corpore, vt notat *Suarez loc. cit. in princip.*, licet contrariæ ſententiæ propugnator acerrimus, ſecundum præciſam ſuam naturam conſiderato, & ſub ſpeciebus ſacramentalibus conſtituto, prout fuit in nocte cœnæ.

Quod, ſi vlterius refundat hanc impoſſibilitatem in incorruptibilitatem Corporis Chriſti Domini exiſtentis in Euchariſtia, quę certè incorruptibilitas non ſaluaretur, ſi admitteret alterationem ab agente creato extrinſeco, quandoquidem alteratio eſt ordinata ad corruptionem; ſi, inquam, in hoc refundant; eadem incorruptibilitate admiſſa poſſum dicere, (& hoc ſufficit ad ſaluandam poſsibilitatem paſsionum in Corpore Chriſti Domini exiſtente ſub ſpeciebus Euchariſticis,) qualitates eſſe in duplici differentia, alias perfectiuas, alias corruptiuas, & ſic, quamuis ex infallibilitate incorruptionis non poſsit admittere qualitates ſecundi generis, poſsit admittere illas primi, & item qualitates ordinatas ad motum præcisè, non ordinatas ad læſionem corporis &c.

27 Actiones intentionales plures.

Tandem proponimus examinandum, an Chriſtus in Sacramento exiſtens poſsit actiones intentionales exercere. Huiuſmodi actiones intentionales ſunt in multiplici differentia, aliquæ ſunt purè ſpirituales, vt ſunt actus intellectus, & voluntatis, qui etiam, vel ſunt ſpirituales, & in ſe, & in principio, quatenus à nulla actione, ſeu principio materiali dependent, quales ſunt actus animæ ſeparatæ, aut vnitæ operantis ad modum ſeparatæ, vel ſpirituales in ſe, non tamen in principio, quatenus ſunt dependentes ab organo, & phantaſmate materiali; aliquæ materiales, ſeu materialitatem inuoluentes, quales ſunt actiones ſenſuum externorum, appetitus ſenſitiui, & phantaſiæ.

28 Senſationes non poteſt exercere.

Incipiendo à ſenſationibus, ſeu actionibus materialibus animæ, tum internis phantaſiæ ſcilicet, & appetitus ſenſitiui, tum externis ſenſuum ſcilicet exteriorum, abſolutè ſentio, Chriſtum Dominum in Sacramento exiſtentem ſecundum præſentiam purè ſacramentalem non poſſe illas exercere. Conſentiunt *D. Thomas qu. 76. art. 7., Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 7 §. reſpondeo, Catheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 5. §. 3. nu. 43.*, & alij magis communiter. Ratio ex eo potiſsimum deducitur, quod ad eliciendas huiuſmodi operationes, cum ſint ſecundum ſe materiales, requiruntur organa expedita, nulloque obſtaculo perturbata, ſed Chriſtus in Sacramento exiſtens non habet organa expedita ad huiuſmodi operationes ſenſitiuas, cum cuiuslibet potentiæ organum ſit compenetratum cum omnibus corporis partibus, & cum quantitate, & acci-

accidentibus panis, per quam compenetrationem confunduntur, &, ſicuti, ſi oculus ſit aliquo colore infectus non poteſt videre, ita, ſi ſint organa tot rerum penetratione, & confuſione commixta non poterunt ſuas operationes exercere. Quod, ſi dicatur iuxta ſuperius dicta, quod in Corpore Chriſti Domini, quamuis indiuiſibiliter exiſtente in Sacramento poſſint recipi qualitates alię materiales maximè perfectiuæ, ergo etiam ſpecies obiectorum materialium, & ſenſibilium, medijs quibus eliciantur ſenſationes; tunc reſpondebo, quod, licet huiuſmodi ſpecies poſſint recipi in eodem Chriſti corpore, tanquam qualitates quoquo modo perfectiuæ, non tamen, vt rapreſentatiuæ obiectorum, quorum ſunt ſpecies non quidem defectu ipſarum, ſed defectu organi proportionati, vndè, quoad effectum rapreſentationis eodem modo in ipſo reciperentur, ac ſi reciperentur in lapide. Neque aliquid negotij debet faceſcere, quod Chriſtus in Sacramento exiſtens non viueret vita ſenſitiua, non videret extantes, non audiret loquentes, nec cerneret ſpecies, ſub quibus exiſtit, nec corpus ſuum in Sacramento, quod eſt contra mentem expreſſam *Diuæ Thomæ dict. quaſt. 76. art. 7. ad ſecundum*. Ibi *Oculus corporalis Chriſti videt ſe ipſum ſub Sacramento exiſtentem*. Non, inquam aliquid negotij poteſt faceſcere, quandoquidem ſuppoſito modo exiſtendi indiuiſibili, quodnam mirum eſt, quod non videat, non audiat, non olfaciat &c., cum potiſſimum hæc omnia comprehendat actu intellectuali, quem elicit eius anima ad modum animæ ſeparatæ, vel etiam per materiales ſenſus elicitos ſecundum præſentiam naturalem, quam habet in Cœlo, ſecundum quem ſenſum poteſt intelligi *D. Thomas loc. cit.*

29 *Intellige de via ordinaria.* Sed, an ſaltem de potentia abſoluta Chriſtus in Sacramento exiſtens, poſſit elicere has operationes ſenſitiuas. Affirmant *Suarez diſp. 53. ſect. 2. verſ. dico ſecundo, Cacheranus dict. cap. 5. §. 3. num. 50.*, qui ea ratione mouentur, quia nec eſt repugnantia ex parte potentiæ, nec ex parte ſenſitiuæ operationis, ergo de potentia abſoluta Chriſtus in Sacramento exiſtens poteſt has operationes elicere. Antecedens probatur ex eo, quod potentia ſenſitiua nō requirit organorum extenſionem tanquam principium, ſed ſolum tanquam conditionem, adeoque illam ſolum requirit de potentia ordinaria, non abſoluta, & cum operari ſequatur ad eſſe, ſicuti ipſæ potentiæ poſſunt ſupernaturaliter eſſe ſine tali organorum diſpoſitione, ita poſſunt ſine eadem operari. Rurſus de potentia abſoluta Dei iſtæ operationes poſſunt habere modum exiſtendi ad inſtar rerum ſpiritualium, & indiuiſibiliter exiſtentium, ergo, nec poteſt eſſe repugnantia ex parte earundem operationum ſenſitiuarum. Sed non libentèr poſſunt aliqui huic rationi acquieſcere, quia deorganizatio non ſolum concurrit ad ſenſationes eliciendas per modum conditionis, ſed etiam per modum comprincipij, cum ſit, & denominetur ſenſitiua, non à conditione; ſed à principio ſenſitiuo; quod, ſi dicatur, deorganizationem quidem entitatiuam eſſe comprincipium ſenſationis, non autem deorganizationem quantitatiuam, & extenſam, quæ ſolum eſt conditio; tunc repetunt, quod deorganizatio purè entitatiua non ſit propriè deorganizatio, & maſſa omnium partium organorum in eodem indiuiſibili exiſtentium non ſit propriè organum ſufficiens ad ſenſationem eliciendam in actu ſecundo. Sed perſiſtendo in ſententia affirmatiua, & reſpondendo obiectis contrarijs dicimus, quod, quamuis deorganizatio purè entitatiua non ſit proportionata ad actum ſenſitiuum iuxtà modum, quo materialitèr, & de via ordinaria elicitur, poſſit tamen eſſe proportionata ad ſupernaturalitèr huiuſmodi actus eliciendos, quatenus Deus poteſt eleuare virtutem actiuam oculi, vel ad agendum ſine extenſione connaturali, vel ad efficiendum actum dando illi modum indiuiſibilem, & ſupernaturalem exiſtendi.

Hactenus de cognoſciuitate ſenſitiua Chriſti Domini in Sacramento Euchariſtię exiſtentis in ordine ad alia obiecta; nunc de cognoſcibilitate ſenſitiua eiuſdem ab alijs; verum ſcilicet poſſit cognoſci cognitione ſenſitiua, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturalitèr, & potiſſimum procedit difficultas in ordine ad oculum corporeum, & quidem ſupernaturalitèr loquendo non ambigendum arbitrarer, poſſe Chriſtum in Sacramento exiſtentem oculo corporeo videri, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, quo exiſtit, atque in hoc conſentiunt *D. Thomas quaſt. 76. art. 7. ad ſecundum, & in 4. diſt. 10. quaſt. 1. art. 4. quaſtiunc. 1. ad primum, Scotus in 4. diſt. 10. quaſt. 9. cum omnibus ferè ſuis ſectatoribus, Vaſquez diſp. 191. cap. 2., Lugus diſp. 9. ſect. 2., Madernus quaſt. 4. art. 8. num. 4., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 5. §. 4. num. 67.* Ratio eſt, quia ex eo, quod Chriſtus Dominus ſit modo indiuiſibili, & inextenſo conſtitutus ſub ſpeciebus Euchariſticis, non deſinit eſſe intra rationem formalem obiecti viſibilis per ſenſum externum, licet quoquo modo conſtituatur improportionatus ad modum conſuetum viſionis, ergo de potentia abſolutè Dei ele- 30 *Supernaturaliter Chriſtus in Sacramento exiſtens poteſt oculo videri.*

uantis

uantis oculum corporeum poterit ab iſto videri. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ex eo, quod conſtituatur ſub ſpeciebus, non extrahitur a ratione colorati, & lucidi, quæ eſt proprium obiectum viſus, cum ratio lucidi, & colorati ſit omninò independens à loco, & æquè conueniens Chriſto in propria ſpecie, ac in ſpecie ſacramentali exiſtenti; quoad ſecundam etiam euincitur, quia iuxtà conſuetum naturæ ordinem, cum res ſint ſecundum ſe extenſæ, ſi in indiuiſibili conſtituantur, conſtituuntur extra talem ordinem. Conſequentia probatur, quia, quando obiectum eſt intra rationem formalem potentiæ, quamuis in modo excedat virtutem naturalem eiuſdem poteſt tamen eleuari à Deo ad adæquationem talis modi; ſic quia Deus ipſe eſt intra rationem formalem potentiæ intellectualis, quamuis excedat vim naturalem eiuſdem potentiæ, poteſt tamen ipſam eleuare ad intuitiuè ipſum cognoſcendum, ſic quia corpus glorificatum eſt intra rationem formalem obiecti viſibilis, quamuis ratione glorificationis, quam habet, excedat vim oculi naturalis, poteſt à Deo ipſe oculus eleuari ad videndum ipſum corpus glorificatum, ergo, cum Corpus Chriſti Domini exiſtens ſub ſpeciebus ſit intra rationem formalem obiecti viſibilis eleuante Deo poterit ab oculo corporeo attingi; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, quamuis Corpus Chriſti ſit intra rationem formalem obiecti viſibilis, modus tamen ille exiſtendi indiuiſibilitèr vtpotè proprius rei ſpiritualis ſit extra talem rationem formalem, adeoque licet daretur, quod in propria ſpecie poſſit ab oculo corporeo attingi, non poſſit tamen attingi, prout eſt in Sacramento, ſeu ſecundum modum exiſtendi, quem habet in ipſo; Non, inquã, obeſſe poteſt, quia licet modus ille exiſtendi indiuiſibilitèr ſit ad modum rei ſpiritualis, non eſt tamen propriè in ſe ſpiritualis, cum nihil aliud importet, quam partes ipſas materiales adinuicem compenetratas, quinimmò, cum ſit quaſi modificatio rei materialis, participat eandem rationem formalem rei modificatæ. Quod, ſi vrgeas, quod modus exiſtendi in Sacramento neque ſit color, neque lux, adeoque non ſit intra rationem formalem obiecti viſibilis; ſtatim dicam, quod licet non ſit ſecundum ſe lux, neque color, ſit tamen modificatio eiuſdem lucis, & coloris, quod ſufficit, vt ſimul cum obiecto colorato, & lucido conſtituatur intra rationem formalem obiecti viſibilis ſaltem per ſe ſecundo, ſi non per ſe primo.

31 Rationes pro hoc aſſerto.

Sed, an etiam de potentia ordinaria Chriſtus in Sacramento exiſtens poſſit videri oculo corporeo? Omnes in hoc conueniunt, & experientia ipſa docet, quod de facto non videatur; ſed, an hoc ſit ex defectu virtutis intrinſecæ in potentia, an verò ex decreto extrinſeco Dei ad occultandum myſterium, & ad meritum fidei, non omnes conueniunt. *Maior in 4. diſt. 10. quæſt. 5., Gabriel lect. 45. in Can. Miſſæ, Serbellonus de anima diſp. 2. quæſt. 2. art. 6.*, ſentiunt ſpectata virtute potentiæ, & attingibilitate obiecti poſſe naturalitèr oculo corporeo videri, de facto tamen non videri ex ordinatione Diuina ad cælandum myſterium, & ad meritum fidei. Ex aduerſo *D. Thomas in quarto diſt. 10. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad primum, Alenſis quarta parte quæſt. 10. membr. 7. art. 3., Sotus in quarto diſt. 10. quæſt. 1. art. 7., Maſtrius diſp. 3. quæſt. 9. art. 2. num. 256., Lauræa diſp. 22. art. vlt.*, quamuis admittant de potentia abſoluta poſſe videri, negant de ordinaria. Cum his de potentia ordinaria, & naturali negantibus & ego ſentio. Rationem ex eo deduco, quia Chriſtus Dominus, vt in Sacramento exiſtens non eſt naturalitèr ſenſibilis, ergo nec naturalitèr viſibilis. Antecedens probatur, indiuiſibile panis, quamuis intrinſecè, & in obliquo ſaltem ſit panis, non eſt conſecrabile, non alia ratione, niſi, quia non eſt naturalitèr, & humano modo ſenſibile per eã, quæ in præcedentibus probauimus, ergo Chriſtus Dominus, vt eſt in Sacramento non eſt naturalitèr ſenſibilis. Conſequentia hæc probatur, quia Chriſtus Dominus, vt in Sacramento exiſtens, indiuiſibilitèr exiſtit, & ita ſub quolibet indiuiſibili panis, ac ſi indiuiſibile ſubſtantię panis exiſteret ſub indiuiſibili quantitatis eiuſdem, ergo, ſi indiuiſibile non eſt ſenſibile, nec Chriſtus indiuiſibilitèr exiſtens, ſeu ſub indiuiſibili erit naturalitèr ſenſibilis.

32 De facto naturalitèr non videtur.

33 Ex defectu virtutis intrinſecæ.

Hinc corrunt ea, quæ ex aduerſo adducit pro ſententia affirmante Corpus Chriſti poſſe, vt eſt in Sacramento naturalitèr videri oculo corporeo *Cacheranus loc. cit. num. 76.*, ſcilicet extimam Hoſtiæ conſecratæ ſuperficiem in quolibet puncto cum propria albedine habere omnes colores omnium, & ſingularum partium Corporis Chriſti Domini, & indè reſultare colorem, quaſi medium, qui poteſt eſſe obiectum oculi corporei naturalitèr videntis, non etenim poteſt impediri viſio à ſpeciebus, neque à penetratione, & replicatione; non à ſpeciebus cum Chriſtus eiſdem nõ obtegatur, quaſi ſit intra eaſdem ſpecies eo modo, quo gemma velamine tegitur, ſed verè ſit præſens ſpeciebus ſecundum quamlibet partem, & ſecundum extimam ſuperficiem ipſarum æquè; ac

34 Confutatur Cacheranus

An ſe-

ſecundum profunditatem; non à penetratione, & replicatione, quia licet huiuſmodi actiones dici poſſint ſupernaturales, tales ſunt ſolummodò in fieri, poſtquam tamen factæ ſunt res replicatæ, & penetratæ non habent modum exiſtendi ſupernaturalem, ratione cuius nequeant naturalitèr videri. Corruunt, inquam, nam nos non negamus Corpus Chriſti non poſſe naturalitèr, vt eſt in Sacramento videri, quia obtegatur ſpeciebus ſacramentalibus, nec quia ſit replicatio, & omnes eius partes compenetratæ, ſed quia, cum ſit ſub indiuiſibili, non ſit naturalitèr ſenſibilis, nec item negamus, quod ille medius color coaleſcens ex omnibus coloribus, quibus conſtant partes Chriſti Domini, non poſſit videri, quia ſit medius color, ſed quia cum omnes colores exiſtant ſub indiuiſibili, non ſint ſenſibiles, ſicuti non eſſet ſenſibilis vnus dumtaxat color, ſi in vno indiuiſibili exiſteret; & hoc videre eſt in indiuiſibili panis, quod licet intrinſecè retineat albedinem, quia tamen hæc in eodem non eſt ſenſibilis, nec eſt conſecrabilis per ea, quæ ſupra probauimus.

35 *Nequit Christus in Eucharistia actus intellectus dependẽtes à ſenſibus elicere.*

Iam accedimus ad actus ſpirituales intellectus, & voluntatis inquirentes, an Chriſtus in Sacramento exiſtens poſſit illos elicere? Pro quo recole ea, quæ ſupra innuimus, ſcilicet huiuſmodi actus, vel eſſe dependentes à phantaſmatibus materialibus, & organis corporeis, vel omninò independentes, & quidem loquendo de primis abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe illos elicere directè, & per ſe. Dixi *directè, & per ſe*, quatenus formalitèr, vt exiſtens in Sacramento independentèr à cognitione, quam poſſit elicere ſecundum aliam præſentiam naturalem, quam habet, non poſſit tales actus elicere; ſed, an ſaltem poſſit elicere actus intellectionis, & volitionis dependentes à phantaſia, vt exiſtens in Sacramento ex eo, quod actus ſenſuum, & phantaſiæ eliciat in Cœlo, ex quo conſequitur, quod illos illicò concomitantèr habeat in Sacramento, hoc non videtur facere ad præſentem difficultatem, quæ procedit per ſe, & prout Chriſtus conſideratur præcisè, vt exiſtens in Sacramento præſcindendo ab eo, quod alibi exiſtat ſecundum præſentiam naturalem. Proba-

36 *Intellige naturalitèr.*

tur iam noſtra opinio. Chriſtus Dominus, vt exiſtens in Sacramento non poteſt naturalitèr elicere actus ſenſationum, nec phantaſiæ per ea, quæ ſupra probauimus, ergo nec operationes alias dependentes ab huiuſmodi ſenſationibus, & phantaſmatibus. Hæc procedunt naturalitèr, & de potentia ordinaria, nam poſſe exercere supernaturalitèr, & de potentia abſoluta deducitur ex ijs, quæ ſupra diximus, nempè poſſe etiam Chriſtum Dominum de eadem potentia abſoluta elicere in Sacramento ipſas ſenſationes.

Loquendo verò de actibus intellectus, & voluntatis independentibus à phantaſmatibus, & organis corporeis, quales ſunt actus ſcientiæ infuſæ, & actus, quos poteſt exercere anima ſeparata, vel etiam vnita operans ad modum ſeparata, non eſt hæſitandum, quin illos, vt in Sacramento exiſtens poſſit elicere, & ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad huiuſmodi actus per indè ſe habet, ac ſi eſſet anima ſeparata, nec exigit habere extenſionem localem, & in hoc conſentiunt communitèr, & ſignantèr *Scotus in quarto diſt. 10. quæſt. 5. §. reſpondeo verſ. tertia concluſio*, *Maſtrius diſp. 3. quæſt. 14. art. 2. num. 354.*, *Vaſquez diſp. 191. cap. 3. num. 27.*, *Arriaga diſp. 37. ſect. 5. num. 17.*, *Madernus quæſt. 4. art. 7. num. 1.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 5. §. 3. num. 32.* 37 *Poteſt intelligere.*

38 *An Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtens poſſit cognoſci ab Angelo, & anima ſeparata.*

Sed, an etiam poſſit cognoſci naturalitèr, vt exiſtens in Sacramento cognitione intellectuali ſiue Angelica, ſiue animæ ſeparatæ, hoc pendet à quæſtione, an præſentia ſacramentalis Corporis Chriſti Domini importet aliquod ſupernaturale, nec ne; ſi etenim importet aliquid in ſe ſupernaturale, certè nec Angelus, nec anima ſeparata per naturalia ſua principia poterit illam attingere, cum virtus naturalis non ſit proportionata ad ſupernaturalia, nec in eſſendo, nec in cognoſcendo; ſi verò nil ſupernaturale importat, non videtur poſſe ſubtrahi à cognitione naturali Angelica, & animæ rationalis ſeparatæ, *Cacheranus dicto tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento dicto cap. 5. §. 4. num. 53.*, aſſerit poſſe per virtutem Angelicam, & animæ rationalis naturaliter cognoſci, ſi abſtrahatur à modo præſentiæ, quam habet ad locum ſpecierum, & ad ſpecies; in quo videntur etiam conſentire *Caietanus quæſt. 76. art. 7.*, *Suarez diſp. 53. ſect. 5. in fine*, *Arriaga diſp. 37. ſect. 6. ſubſect. 2. num. 25.*, deinde idem *Cacheranus loc. cit. num. 59.*, aſſerit, quod, ſi non abſtrahatur à tali præſentia, non poſſit naturalitèr, nec ab Angelo, nec ab anima ſeparata cognoſci, & ad hoc mouetur, quia præſentia ſacramentalis Chriſti Domini inuoluit complexum, quod ſecundum ſe importat quid ſupernaturale; hoc etenim complexum iuxta ipſius principia importat coexiſtentiam Corporis Chriſti cum ſpeciebus, non quomodocunque, ſed ſuſtentantis effectiuè ſpecies, quæ ſuſtentatio effectiua importat concurſum ſupernaturalem Dei effectiuè ſuſtentantis. Si primum dictum Cacherani abſtrahentis à modo præſentiæ, quam habet ad locum ſpe-

ſpecierum, & ad ipſas ſpecies intelligatur de Chriſto exiſtente ſecundum ſuam ſpeciem naturalem, verum continet, nec videtur in alio ſenſu poſſe accipi, cum Chriſtus non habeat aliam præſentiam, niſi localem cum loco ſpecierum, ſacramentalem cum ipſis ſpeciebus, & naturalem per commenſurationem partium ſui Corporis cum loco, ſeu partibus loci, & ſic, ſi abſtrahitur à loco ſpecierum, & ab eiſdem ſpeciebus, non poteſt conſiderari, niſi, vt exiſtens ſecundum ſuum eſſe, ſeu præſentiam naturalem; ſi verò eius dictum intelligatur de ipſo Chriſto, vt exiſtente ſub ſpeciebus non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, quatenus præcisè conſideretur in ſe, vt exiſtens indiuiſibilitèr, prout dicit omnes partes adinuicem compenetratas, & replicatas non conſiderando vnionem cum ſpeciebus, ſed præciſiuè, & tunc etiam videtur verum continere, quia non eſt ſupra virtutem naturalem Angelicam, & animæ rationalis ſeparatæ cognoſcere in ſe tales partes penetratas, & replicatas, ſicuti non eſt ſupra eandem virtutem cognoſcere duo corpora ſimul compenetrata, & replicata in pluribus locis ſuppoſita compenetratione, & replicatione præcipuè in noſtra ſententia conſtituente replicationem in reproductione, nam eo ipſo, quo corpus eſt reproductum in duplici loco, poteſt in vtroque naturalitèr, & ab Angelo, & ab homine cognoſci.

Secundum dictum eiuſdem Cacherani, (quatenus conſiderat præſentiam ſacramentalem, prout importat complexum Corporis Chriſti effectiuè ſuſtentantis ſpecies cum eiſdem ſpeciebus, & aſſerit ratione ſupernaturalitatis, quam dicit illè potentior concurſus in genere efficientis, non poſſit ab Angelo naturalitèr cognoſci, nec ab anima rationali ſeparata) præter quam quod incongruè tribuit Corpori Chriſti illam ſuſtentationem effectiuam, cum hæc poſſit immediatè à Deo prouenire, vt infra latè videbimus, nullam vim habere poteſt, quandoquidem hic conſideratur præcisè exiſtentia Chriſti Domini ſub ſpeciebus, non modus, ſeu actio, quo, ſeu qua ſpecies exiſtunt; cum hic, ſeu hæc ſit quid ſubſequens ad talem exiſtentiam, &, ſicuti, quatenus dicitur naturalitèr cognoſcere accidentia panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ, quantumuis quidditatiuè non cognoſcat potentiorem concurſum, quo talia accidentia exiſtunt ſine ſubiecto, ita dicitur cognoſcere naturalitèr Chriſtum Dominum in eodem Sacramento exiſtentem, quamuis quidditatiuè non cognoſcat potentiorem concurſum, quo effectiuè ſuſtentat eadem accidentia.

QUÆSTIO VII,

De ſpeciebus panis, & vini conſecratis.

CUm præſentia ſacramentalis Chriſti Domini ex ſæpiùs repetitis importet complexum exiſtentiæ eiuſdem cum ſpeciebus, non incongruè poſt latam diſcuſſionem eiuſdem exiſtentiæ eaſdem ſpecies examinandas aſſumimus, cum ipſæ ſint partes conſtitutiuæ eiuſdem complexi, ſeu Sacramenti. Huiuſmodi autem ſpecies, ſeu accidentia ſunt quaſi in duplici differentia, alia ſubiectiua, & hæc ſunt præcisè quantitas, alia inhæſiua, & ſunt color, ſapor, odor, figura &c. De his omnibus in hac quæſtione tractabitur.

ARTICVLVS I.

An de fide ſit omnia accidentia panis, & vini, quæ ante conſecrationem inerant ſubſtantiæ eorundem, remanere poſt conſecrationem.

SVMMARIVM.

Accidentia panis, & vini in duplici differentia, & quali. 1.
Accidentia panis, & vini omnia remanent poſt conſecrationem. 2.
Non tamen hoc eſt de fide. 3.
Definitiones Conciliorum verificantur in ſolis accidentibus ſenſibilibus. 4.
Soluitur inſtantia oppoſita. 5.

ACcidentia panis, & vini remanere poſt conſecrationem tanquam de fide definitum eſt in *Concilijs Florentino in decreto vnionis, & in Trident. ſeſ. 13. can. 2.* ſed, cum huiuſmodi Concilia non expreſsè loquantur de omnibus collectiuè, reliquerunt occaſionem Theologis diſputandi, an non ſolum omnia remaneant, nec ne, an verò etiam ſit de fide, quod omnia remaneant, an verò aliqua dumtaxat, & quænam;

Pro quo aduerte, accidentia panis, & vini poſſe eſſe quaſi in duplici differentia, alia ſenſibilia, cuiuſmodi ſunt color, ſapor, odor, & figura; alia quodamodo occulta, de quibus meminit *Suarez diſp. 56.*

1 Accidens quotuplex. *ſect.* 1., non tamen in particulari aſſignat. Vaſquez nulla facta diſtinctione inter huiuſmodi accidentia abſolutè aſſerit, ne dum omnia remanere, ſed de fide hoc eſſe, quem arbitror ea ratione moueri, quia Concilia indefinitè loquuntur ſine vlla exceptione; propoſitio autem indefinita æquiualet vniuerſali, quæ omnia comprehendit. E contra verò *Suarez loc. cit.*, cui etiam adhæret *Madernus tract. 3. de Euchariſtia Sacramento quæſt. 5. art. 1. num. 1. in fine*, ſuſtinet quidem omnia remanere, ſed ſolum de fide eſſe remanere ſenſibilia, non autem qualitates occultas.

2 Omnia accidentia panis, & vini remanēt. In prima parte, in quâ conueniunt *Vaſquez, & Suarez*, quibus adhærent *Lugus diſp. 10 ſect. 1.*, & *Madernus loc. cit.*, ego quoque conuenio, non ſolum propter rationem mox allegatam, quia ſcilicet indefinita propoſitio æquiualet vniuerſali, potiſſimum, quando ſubeſt eadem ratio omnium ſub indefinita comprehenſorum, ſed etiam, quia non eſt aſſignabilis aliqua actio in conſecratione deſtructiua aliquorum ex huiuſmodi accidentibus, cum verba apta ſint quidem ex ſua inſtitutione conuertere ſubſtantiam panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini, non autem accidentia deſtruere, quinimmò, cum ſub eiſdem accidentibus tanquam communibus ſubſtantiæ panis, & vini, & ſubſtantiæ Corporis, & Sanguinis Domini debeat remanere ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini loco eiuſdem panis, & vini, conſequens eſt, vt omnia remaneant, vt adæquatè ſaluetur conuerſio manentibus accidentibus prioribus. Quod, ſi dicatur, quod aliqua accidentia propriiſſima maximè occulta ita ſint affixa ſubſtantiæ, vt ea definente regulariter deſinant, tunc dicam, hoc gratis omninò dici, niſi aſſignentur hæc accidentia ita affixa, quod aduerſarij non præſtant.

3 Non eſt tamen de fide. In ſecunda parte, in qua diſcordant *Vaſquez, & Suarez*, dum primus aſſerit eſſe de fide omnia remanere, ſecundus negat reſtringens ſolummodò propoſitionem de fide ad accidentia ſenſibilia; probabilius adhæreo Suarez aſſerenti non eſſe de fide omnia remanere. Ratio ex eo deducitur primò, quia *Concilium Tridentinum in allegat. ſeſſ. 13. can. 2.*, intendit præcipuè hæreticos condemnare, qui, ex quo remaneant accidentia panis, & vini, inferebant remanere etiam ſubſtantias eorum, contra quos propterea definit, quod remanentibus dumtaxat ſpeciebus deſinat tota ſubſtantia panis, & vini, quæ definitio ad hunc finem relata vtique ſubſiſtit, & effectum conſequitur, quamuis deſinant aliqua accidentia, maximè, ſi ſint occulta; cum nomine ſpecierum veniant accidentia ſenſibilia, cum ſpecies habeant rationem rapræſentatiui; & accidentia latiùs pateant, quam ſpecies, & ideò Concilium potius adhibuit nomen ſpecierum, quam accidentium.

Ratio ſecundò deducitur ex eo, quod Concilia, & PP., non potuerunt habere aliquod certum fundamentum definiendi, quod præter accidentia per ſe ſenſibilia remaneant alia accidentia maximè, ſi ſint occulta; nam, ſi quod fundamentum eſſet ſic definiendi, vel eſſet ad occultandum myſterium fidei, vel ad indicandum non remanere ſubſtantiam; hoc vtrumque habetur per ſolam permanentiam ſpecierum ſenſibilium, ergo &c. Neque dicas, certum fundamentum definiendi remanere omnia accidentia illud eſſe, quia ex fide habemus in hoc myſterio ſolam fieri tranſubſtantiationem, per quam ſola ſubſtantia deſinit, ergo omnia accidentia ex fide remanent, cæteroqui non fieret ſola tranſubſtantiatio, ſed etiam tranſmutatio accidentium; Contra enim impugnaberis, nam, licet ex vi verborum ſolum fiat tranſubſtantiatio, quâ vna ſubſtantia in aliam conuertitur, concommitanter tamen cum ſubſtantia venire poſſunt, & accidentia, &, ſicuti ex parte termini ad Quem non ſolum venit ſubſtantia Corporis Chriſti, ſed etiam accidentia ipſum comitantia, ita non eſt, cur ex parte termini à Quo deſinente ſubſtantia non poſſint deſinere accidentia maximè occulta &c. — 4 Quomodo intelligenda ſint Concilia.

Neque vlterius dicas, quod, ſi de fide eſſet, quod accidentia dumtaxat ſenſibilia remaneant, eſſet contra fidem aſſerere, quod alia accidentia occulta remaneant, quod nemo audet affirmare. Sequela probatur, quia non tam repugnat fidei non credere, quod eſt credendum, quam credere, quod non eſt credendum, ergo, ſi de fide eſſet credendum, quod ſola accidentia ſenſibilia remaneant, contra fidem eſſet credere, quod alia ab ipſis permaneant; contra enim impugnaberis, quia aliud eſt dicere, quod ſola accidentium ſenſibilium permanentia ſit obiectum fidei, cum excluſione aliorum ex motiuo eiuſdem fidei, quod certè Concilia non definierunt, aliud, quod accidentium ſenſibilium permanentia ſit obiectum fidei non excludendo ex motiuo fidei alia; Primum non ſolum dicit de fide eſſe, & quod ſenſibilia remaneant, ſed etiam de fide eſſe, quod alia non permaneant, ſed deſtruantur, quod nos non dicimus; ſecundum ſolum dicit eſſe de fide, quod prima permaneant, non autem dicit eſſe de fide, quod alia deſtruantur, quod nos vtique dicimus, & hoc congruentius ad mentem Concilij, — 5 Soluitur inſtantia oppoſita.

quod

quod definiuit contra hæreticos, quod nulla in Hoſtia conſecrata remaneat ſubſtantia panis *manentibus dumtaxat ſpeciebus* referendo ly, *dumtaxat* ad ſubſtantiam per excluſionem ipſius, non referendo ſpecies ſenſibiles ad accidentia non ſenſibilia, & occulta per ipſorum poſitiuam excluſionem; de quibus Concilium non curauit, contentum excluſiſſe errorem hæreticorum volentium, cum ſpeciebus remanere etiam ſubſtantiam panis, & vini. In his vlterius non immoramur, cum modicum difficultatis contineant.

ARTICVLVS II.

Quomodo, & per quid quantitas panis remaneat in Sacramento ſine ſubiecto.

SVMMARIVM.

Quantitas eſt realitèr diſtincta, & ſeparabilis à materia. 1.
Referuntur plures dicendi modos quoad hoc. 2.
Reijcitur ſententia aſſerens quantitatem, nil de nouo acquirere, quo ſuſtentetur. 3.
Rationes pro tali reiectione. 4.
Soluitur obiectum contrarium. 5.
Quantitas non acquirit nouum modum exiſtendi. 6.
Ille modus, etiam ſi daretur, non eſſet ſufficiens ad hunc effectum. 7.
Exiſtit quantitas per potentiorem Dei concurſum. 8.
Ille potentior concurſus eſt immediatè à Deo, non mediante Corpore Chriſti. 9.
Non eſt magis connaturale, quod ſit ſolum mediatè, hoc eſt mediante Corpore Chriſti, & quare. 10.

1 Quantitas eſt ſeparabilis à materia

CErtum eſt, quantitatem diſtingui realiter a ſubſtantia, &, quamuis ſit coæua materiæ, eſſe tamen accidens ab illa, ſecundum ſuum eſſe diſtinctum, & etiam diuinitus ab ipſa ſeparabile iuxta communiorem, & veriorem tam Philoſophorum, tam Theologorum ſententiam quidquid ex aduerſo dixerint Nominales, & Recentiores nonnulli, quibus etiam fauet *Arriaga hic diſp. 38. ſect. 2.*; volentes quantitatem non diſtingui a rebus, quantis, hoc eſt à ſubſtantijs, quæ per eandem conſtituuntur quantæ; vnde, ſi admitteretur hæc Nominalium ſententia, (quæ certè falſa eſt ex ijs, quæ latè docuimus in phyſicis,) non haberet locum quæſtio, quæ ſub hoc titulo excitatur, quandoquidem, cum de fide ſit, quod nihil ſubſtantiæ panis, & vini remaneat poſt conſecrationem, ſi quantitas eſſet ab eadem ſubſtantia indiſtincta, deſinente ſubſtantia per neceſſarium conſequens deberet, & ipſa deſinere, & ſic inaniter quæreretur, quomodo, & per quid exiſteret poſt conſecrationem.

Suppoſita igitur reali diſtinctione, & ſeparabilitate quantitatis à materia, & permanentia eiuſdem in Euchariſtia ſine ſubiecto ſubſtantiali; inquirimus, an aliquam patiatur mutationem acquiſitiuam, an merè deperditiuā in tali ſeparatione, & permanentia, ſeu, quod idem eſt, an acquirat aliquod poſitiuum de nouo, ratione cuius exiſtat ſine ſubiecto, an verò ſine aliquo ſuperaddito per ſolam à Deo dependentiam in ſe perſeueret.

Plures dicendi modos in hoc inuenio: Primus docet, quantitatem nihil de nouo acquirere, ſed ſolum ſubiectum deperdere, nec poſitiuo aliquo modo per ſe exiſtendi affici, nec potentiori actione conſeruari, atque hic modus tribuitur *Scoto in quarto diſt. 12. quæſt. 1. § ad argumenta*, quem ſequuntur omnes ferè Scotiſtæ, & vlterius ex Recentioribus idem ſentiunt *Valentia diſp 6. quæſt. 5. punct. 1., Leſſius lib. 3. de ſummo bono lib. 4. nu. 49., Madernus qu. 5. art. 1., & alij plures.* — 2 Plures ſententiæ exponuntur.

Secundus docet, quantitatem mutari intrinſecè, quatenus acquirit nouum modum poſitiuum quaſi oppoſitum actuali inhærentiæ, quæ etiam conſiſtit in modo poſitiuo; atque hic dicendi modus tribuitur *Caietano quæſt. 77. art. 1.*, quem ſequuntur plures ex Thomiſtis, & plures etiam ex recentioribus, & ſignanter *Suarez diſp. 57. ſect. 2., Coninchus quæſt. 77. art. 1. dub. 3., Lugus diſp. 10. ſect. 1.* Sed, an ille modus dicendus ſit ſubſtantialis, an verò accidentalis, non conueniunt inter ſe.

Tertius docet quantitatem mutari non mutatione intrinſeca per aliquod, quod intrinſecè in ſe recipiat, ſed tantum extrinſeca, quatenus terminet concurſum effectiuum Dei potentiorem, atque hic tribuitur *Mayroni in quarto diſtinct. 12. quæſt. 4., Siluio quæſt. 77. art. 1.*, & alijs pluribus apud *Cacheranum tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 6. §. 1. num. 24.*, qui tamen ſunt inter ſe diuiſi, dum alij illum potentiorem concurſum dicunt eſſe immediatè a Deo; alij ſolum mediatè, quatenus ſit a Corpore Chriſti diuinitus eleuato.

Primus dicendi modus conſtituens ſolummodò mutationem deperditiuam, & non acquiſitiuam nullatenus arridet; non enim denegari poteſt, quod ſubſtantia panis exiſtens cum quantitate ſuo modo influat in eandem quantitatem ipſam ſuſtentando; ergo ipſa ſubſtantia deficiente debet quid aliud ſuccedere, quod ſuppleat defe- — 3 Non eſt merè deperditiua

defectum illius ſuſtentationis, & ipſam quantitatem conſeruet. Antecedens probatur primò, quia quantitas non creatur, ſed educitur de potentia materiæ, ergo ipſa materia quoquo modo influit in eandem quantitatem, cæteroqui non educeretur, ſed crearetur, &, ſi influit in eſſe ſuſtentando debet quoque influere in conſeruare; quod etiam exemplo formæ materialis euincitur, ad cuius conſeruationem æquè, ac ad productionem concurrit materia prima, cum educatur non creetur. Secundò, quia, ſi materia ſuo modo non influeret in quantitatem, non eſſet miraculoſa illius conſeruatio ſine materia, nam ad ſummum eſſet miraculoſa ſeparatio vnius ab altera, ſicuti eſt miraculoſa ſolummodò ſeparatio à forma materiali materiæ,
4 Rationes talis negationis. non autem conſeruatio, vndè, ſicuti in phyſicis latè docuimus, quòd poſita ſupernaturalitèr ſeparatione materiæ à forma, materia naturalitèr exiſteret, quia forma materialis non influit in eandem materiam, & è conuerſo poſita ſeparatione formæ à materia forma naturalitèr non exiſteret, quia materia in ipſam influit; vndè indiget nouo concurſu ſupplente defectum influxus materiæ, ita dicendum modo eſt, quod poſita ſeparatione quantitatis à materia, ſi hæc in illam non influeret, naturalitèr quantitas ſine materia exiſteret, non miraculosè, quod eſt contra communem ſenſum. Conſequentia primi argumenti probatur; quotieſcunque deficit influxus conſeruatiuus rei, ſupplendus eſt talis concurſus per quid aliud, adeoque mutatio ipſius debet eſſe cum aliqua acquiſitione, ergo, cùm reſpectu quantitatis in ſeparatione eiuſdem à materia deficiat influxus, quem præſtat materia in ipſam, ſupplendus eſt talis influxus per quid aliud, adeoque quantitas mutatur mutatione acquiſitiua.

Neque dicas, quod, cum actio conſeruatiua ſubſtantiæ ſit diuerſa ſaltem in actu ſecundo ab actione conſeruatiua accidentis, ſeu quantitatis, ſufficiat ad conſeruationem illius, vt definente actione conſeruatiua ſubſtantiæ remaneat conſeruatiua eiuſdem quantitatis, ergo quantitas ſeparata à ſubſtantia non mutatur mutatione acquiſitiua, ſed tantum deperditiua. Antecedens probatur, quia ex eo præcisè, quod remaneat Diuina actio conſeruatiua vnius, & non actio conſeruatiua alterius ſufficientèr habetur, quod vnum habeatur ſine altero, ergo &c.; Contra enim
5 Diſſolutio inſtātiæ oppoſitæ. reſpondet *Suarez diſp. 56. ſect. 2. verſ. dico tertio*. quod ſit vna, & eadem actio, qua conſeruatur quantitas, & omnis forma dependentèr à ſubiecto, vanum enim arbitratur, plures actiones conſeruatiuas tales fingere cum vna ſufficiat; quo poſito dicit, quod deficiente materia, & actione conſeruatiua eiuſdem remanente quantitate ſuccedat noua actio conſeruatiua eiuſdem quantitatis ſine ſubiecto, quæ actio eſt adinſtar creatiuę, cum ſit ſine concurſu ſubiecti. Sed non poſſum acquieſcere huic reſponſioni; Dato etenim, quod ſit vna, & eadem actio in actu primo, non eſt tamen vna, & eadem in actu ſecundo; vndè deficiente ipſa in actu ſecundo quoad conſeruationem materiæ debet alia in actu ſecundo ſuccedere ad conſeruationem quantitatis ſine eadem materia. Sed, quidquid ſit de hoc, abſolute dico non ſufficere, quod remaneat actio conſeruatiua quantitatis, niſi accedat potentior actio, per quam ſuppleatur defectus concurſus materiæ, & eadem quantitas conſeruetur; quod, ſi dicatur, quod Deus conſeruet quantitatem, aliudque accidens actione illimitata, adeoque poſſit etiam conſeruare eadem actione etiam ſine ſubiecto quantitatem abſque eo, quod actio fiat maior; tunc reſpondebo eſſe illimitatam in actu primo, & ex parte principij; non in actu ſecundo, & ex parte termini.

Secundus dicendi modus, nec poteſt arridere; quia in primis nos nullos modos tanquam entitates ſuperadditas admittimus. Deindè, vel ille modus ſuperadditus eſſet ſubſtantialis, vel accidentalis; non accidentalis, quia hic non poteſt tribuere eſſe per ſe alteri accidenti, nempè quantitati, cum talem modum non habeat in ſe ipſo; Non ſubſtantialis, quia modus debet correſpondere rei, cuius eſt modus, & cum res cui adhæret, ſit accidens, nempè quantitas, non poteſt eſſe, niſi accidentalis. Tandem hic poſitiuus modus in quantitate eſt impoſſibilis, cum etenim adijciatur quantitati, quæ eſt accidens, deberet eſſe accidentalis, & hoc non ſolum propter adiacientiam accidenti, ſed etiam ob principia fidei, quia in accidentibus Euchariſtiæ nihil poſt conſecrationem ſubſtantiale manet, nec de nouo ponitur præter Chriſtum; ſed hoc eſt repugnans, ergo &c. Minor probatur, quia repugnat naturæ accidentis non poſſe inhærere, cum aptitudinalis inhæſio ſit de eſſentia accidentis, ſed illi modo ſuperaddito, quem aduerſarij adſtruunt repugnaret poſſe inhærere, quia, cum ſit modus per ſe exiſtendi, habet formalem effectum repugnantem inhærentiæ, ergo &c. 6 Quantitas non acquirit nouum modum intrinſecum.

Neque dicas primò, non poſſe aſſignari alium modum exiſtendi, quam, aut per ſe, aut inhærendo; ſed quantitas panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ non exiſtit inhærendo, ergo debet exiſtere per ſe, ſed per ſe non poteſt exiſtere, cum ſit accidens,

dens, ergo debet talem exiſtentiam habere ab aliquo eidem ſuperaddito, quod eſt ille modus exiſtendi per ſe; Contra enim impugnaberis, quia in primis contra hunc modum ſuperadditum militant omnia argumenta allata in confutatione eiuſdem. Deinde fateor, quod non ſit aſſignabilis alius modus exiſtendi, niſi per inhæſionem, vel per ſe; ſed hic modus exiſtendi per ſe non eſt alligatus entitati ſuperadditæ, ſed æque haberi poteſt per entitatem ſuperadditam, ac per potentiorem concurſum gerentem vices in genere cauſæ efficientis illius entitatis, qui certè potentior concurſus eſt admittendus in re præſenti, potius quam entitas ſuperaddita, cum certum ſit in Euchariſtico Sacramento nihil ſubſtantiale remanere, quam Chriſtum Dominum. Quod, ſi repetas, quod ille potentior concurſus debeat habere aliquem nouum terminum, ſeu effectum, qui alius eſſe non poteſt, niſi ille modus ſuperadditus; ſtatim reſponſionem accipies, quod effectus, ſeu terminus illius potentioris concurſus ſit ille, quem præſtabat materia panis, & vini in ipſam quantitatem, quando erat vnita in genere cauſæ materialis, quem modo præſtat Deus per illam maiorem efficientiam, ſeu concurſum in genere cauſæ efficientis.

7 Ille modus non eſt ad hoc ſufficiens.

Neque vrgeas, quod connaturalius eſt quantitati per ſe exiſtere per illum modum ſuperadditum, quam per potentiorem concurſum extrinſecum Dei; tum quia connaturalius eſt rei exiſtere per aliquid intrinſecum, quam per extrinſecum; tum quia modus poſitiuus exiſtendi intrinſecè eſt aliqua perfectio, & reddit quantitatem incapacem inhæſionis; Contra enim impugnaberis, quia antecedens verum eſt, quando ille modus ſuperadditus eſſet poſſibilis, & ſufficiens ad effectum, qui intenditur; ſecùs quando, nec poſſibilis, nec ſufficiens, vt in caſu præſenti, nam, ſi ſit accidentalis non poteſt tribuere eſſe per ſe, quod non habet in ſe, ſi ſubſtantialis eſt incongruus accidenti, quale eſt quantitas, & in Sacramento Euchariſtiæ vltra exiſtentiam Chriſti Domini ex parte ſpecierum eſſet aliquod ſubſtantiale, quod repugnat; quod deinde non ſit ſufficiens ex eo euincitur, quod etiam aduerſarij videntur aſſerere, cum ferè omnes vltra illum modum requirant efficientiam extrinſecam potentiorem.

8 Exiſtit per potẽtiorẽ Dei concurſũ.

Tertius modus in ea parte, qua aſſerit quantitatem mutari mutatione acquiſitiua extrinſeca ratione potentioris concurſus immediate a Deo prouenientis, & terminati ad conſeruationem eiuſdem quantitatis ſine ſubiecto, magis arridet, quam in ea parte, quæ aſſerit mutari quidem mutatione extrinſeca per potentiorem concurſum, ſed hunc non haberi immediatè à Deo, ſed mediante Chriſti Corpore, & Sanguine ad id inſtrumentalitèr eleuatis. Conſentiunt in eo, quod quantitas ſine ſubiecto in Sacramento Euchariſtiæ exiſtat per potentiorem concurſum extrinſecum *Mayron in quarto diſt. 12. quæſt. 4.*, *Siluius quæſt. 77 art. 1.*, *Herinez diſp. 4. quæſt. 1. num. 6.*, *Amicus diſp. 23. num. 27.*, *Bellarminus in controuerſ. lib. 3. de Euchariſtia cap. 24 in reſp. ad tertiam, & quartam*; Diſcrepant inter ſe in aſſignando, an ille potentior concurſus ſit immediatè à Deo, an mediante Corpore Chriſti &c., in qua diſcrepantia *Cacheranus de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 6. §. 2. num. 22.*, acritèr ſuſtinet, non prouenire immediatè à Deo, ſed tantum mediatè mediante ſcilicet Corpore Chriſti Domini ad hoc ſupernaturalitèr eleuato. Quod autem illa exiſtentia quantitatis ſine ſubiecto habeatur per illum potentiorem concurſum facilè deducitur ex ſupra dictis; non enim exiſtit merè negatiuè per deſinentiam ſcilicet præciſè ſubſtantiæ panis, & per eundem ſimplicitèr concurſum, quo conſeruabatur, dum erat ſimul cum materia, vt probauimus in confutatione primi modi; nec exiſtit poſitiuè per illum ſcilicet modum per ſe exiſtendi ſuperadditum, vt probauimus in confutatione ſecundi modi, ergo debet exiſtere per mutationem extrinſecam conſiſtentem in illo potentiori concurſu, cum non ſit aſſignabilis alius modus, per quem poſſit exiſtere. Deinde ſupplenda eſt illa cauſalitas, quam præſtabat materia panis in quantitatem eiuſdem, quod ſupplementum haberi non poteſt per concurſum, qui præſtabatur, dum illa quantitas erat vnita materiæ, ergo debet ſuppleri per concurſum potentiorem.

9 Qui eſt immediatè à Deo

Quod autem Deus præſtet illum concurſum potentiorem in genere cauſæ efficientis immediatè per ſe ipſum potius, quam mediante Chriſti Corpore ad hoc ſupernaturaliter eleuato, ex eo euincitur, quod quotieſcunque ſupplendus eſt aliquis defectus cauſæ naturalis in ordine ad aliquem effectum, incongruum eſt procedere per media ipſa eleuando, quando æquè poteſt eleuari id, ad cuius conſecutionem media eleuata ordinantur, &, ſi per potentiorem concurſum poteſt eleuari Corpus Chriſti ad conſeruandam quantitatem in genere cauſæ efficientis, cur in eodem genere per eundem concurſum immediatum non poterit eleuari quantitas, vt conſeruetur ſine ſubiecto; &, ſi poteſt, ad quid procedere per remota, quando effectus haberi poteſt in proximo? Neque dicas, quod in operationibus ad extra,

ſiue

ſiue verſemur in naturalibus, ſiue in ſupernaturalibus Deus ſit liber ad operandum, ſiue immediatè per ſe ipſum, ſiue mediante cauſa ſecunda; connaturalius autem eſt in tali libertate, quod operetur media cauſa ſecunda, cum regulariter videamus ad extra Deum operari medijs creaturis, potius quam immediatè per ſe, ergo connaturalius operabitur medio corpore Chriſti ad conſeruandam quantitatem ſine ſubiecto, ac operaretur immediatè per ſe ipſum; Contra enim impugnaberis, quia regula, quod connaturalius operetur Deus agendo media cauſa ſecunda, ac agendo immediatè per ſe ipſum ſuas patitur exceptiones; & primò, quando actio eſt in ſupplementum alicuius cauſæ deficientis requiſitæ ad conſeruationem effectus à ſe dependentis, tunc etenim, cum requiratur concurſus potentior, ad quid ipſum applicare alteri cauſæ, & non immediatè rei, quæ indiget tali concurſu potentiori? Et cum immediatè operetur per ſe ipſum eleuando Corpus Chriſti ad effectiuè ſuſtentandam quantitatem panis, cur per potentiorem concurſum immediatum non poterit eleuare ipſam quantitatem, vt exiſtat ſine ſubiecto? Dicere deindè, quod

10 Chriſti Corpus, & Sanguis, cum ſucceſſerint ſubſtantiæ panis, & vini, congruentius ipſa habeant ſupplere defectum eiuſdem ſubſtantiæ panis, & vini, quam concurſus immediatus Dei relatus ad ipſam quantitatem, & per illud ſupplementum præſtitum à Corpore, & Sanguine Chriſti Domini in genere cauſæ efficientis clarius, & congruentius explicetur, quod iſta ſucceſſerint pani, & vino, & quod localiter moueantur ad motum quantitatis panis, & vini, & quod deſignata quantitate, & ſpeciebus ſacramentalibus rectius dicatur. *Hoc eſt Chriſti Corpus*; *Hic eſt Chriſti Sanguis*. Dicere, inquam, hoc, non magis firmat contrariam ſententiam, quia, quod ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini ſucceſſerint ſubſtantiæ panis, & vini, in eo ſenſu verificatur, quod deſinente ſubſtantia panis, & vini ratione conuerſionis ſucceſſerint ſub eiſdem ſpeciebus Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, non quod ſucceſſerint ad præſtanda munera panis, & vini, adeo vt, ſicuti ipſa componebant per modum ſubiecti cum eiſdem accidentibus complexum accidentale, ita, & Corpus Chriſti cum eiſdem accidentibus conflet accidentale compoſitum; quod, ſi dicatur, quod hoc non præſtat in genere cauſæ ſubiectiuæ, ſed in genere cauſæ efficientis, tunc repetam, quod hic concurſus in genere cauſæ efficientis, non præſtet hos effectus, vt potius dicatur ſubſtantiam Corporis Chriſti ſucceſſiſſe

Et hoc eſt magis cōgruum.

ſubſtantiæ panis, vt ad motum quantitatis moueatur Corpus Chriſti, vt rectius dicatur: *Hoc eſt Corpus Chriſti*, quandoquidem influxus cauſæ efficientis, cum ſit extrinſecus, non efficit, quod vnum dicatur ſuccedere alteri, ita vt vnum moueatur ad motum alterius, & potius dicatur hoc eſt Corpus Chriſti, quando applicatur eidem Corpori, ac quando applicatur immediatè quantitati, cum non conſtituatur Corpus Chriſti ex vi illius concurſus potentioris ſub ſpeciebus, & ille concurſus potentior non terminet ad exiſtentiam Corporis Chriſti ſacramentaliter, ſed tantum ad conſeruandam quantitatem ſine ſubiecto?

Deindè, vel ille concurſus, quo conſeruatur quantitas ſine ſubiecto, eſt eductiuus, vel creatiuus; ſi ſit eductiuus quæro à quonam illius effectus educatur, an à Corpore Chriſti, an ab ipſa quantitate; non à Corpore Chriſti, quia hoc non habet rationem ſubiecti reſpectu quantitatis, ergo à quantitate, adeoque immediatè illam debet afficere; ſi ſit creatiuus, eſt independenter tum à Corpore Chriſti, tum à quantitate, & cum ſuum effectum debeat præſtare circa quantitatem, illam potius debet afficere, quam Corpus Chriſti.

ARTICVLVS III.

Quomodo, & per quid alia accidentia à quantitate remaneant in Sacramento.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa præſentem titulum. 1.
Qualitates duplicis generis aſſignatæ à Suarez. 2.
Poſt conſecrationem qualitates panis, & vini non mutantur intrinſecè, nec per acquiſitionem, nec per deperditionem, nec extrinſecè per potentiorem concurſum. 3.
Quantitas eſt immediatum ſubiectum aliorum accidentium. 4.
Poteſt aliquid ſubſtare accidentibus, quamuis in ſe non ſit ſubſiſtens. 5.
Neceſſario ſpecies ſacramentales debent vniri in tertio, & quare. 6.
Quantitas non eſt mera diſpoſitio, ſed medium quid. 7.
Qualitas, quæ in conſeruari dependet à forma mutatur deperditiuè, & acquiſitiuè. 8.
Quænam ſint qualitates, quæ dependent à forma in conſeruari. 9.

Sicuti

1 Rationes dubitãdi. SIcuti in præcedenti articulo quærebamus, an quantitas exiſtens in Sacramento ſine ſubiecto patiatur aliquam ſui mutationem, vel deperditiuam, vel acquiſitiuam, ita modo quærimus, an alia accidentia à quantitate, quæ remanent in Sacramento, patiantur aliquam ſui mutationem, & quamnam? Et quidem circa deperditiuam ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod huiuſmodi accidentia, dum inerant ſubſtantijs ſuis panis, & vini, habebant vnionem, & dependentiam ab eiſdem ſubſtantijs, quam vnionem, & dependentiam deperdunt, cum ſine eiſdem ſubſtantijs exiſtant, adeoque non videtur poſſe negari, quin deperditiuè mutentur. Quoad acquiſitiuam verò ſaltem extrinſecam ratio dubitandi videtur ex eo oriri, quod aſſerit *Marſilius in quarto quæſt. 9. art. 2. concl. 1., & 2.*, nempè quantitatem non eſſe ſubiectum accidentium, ſed diſponere ſolummodò materiam ad eadem recipienda; ex quo ſequitur, quod ſeparata materia à quantitate, & cæteris accidentibus non remaneat ſubiectum eorundem, adeoque non minus accidentia alia, quam quantitas indigeant potentiori concurſu, vt ſine eadem materia conſeruentur.

2 Qualitates duplicis generis. In ordine ad primam mutationem ſcilicet deperditiuam notandum eſt ex mente *Suarez diſp. 56. ſect. 3. verſ. dico tertio*, qualitates panis, & vini eſſe quodamodo in duplici diferentia, alias, quæ licet in modo vnionis à ſola quantitate dependeant, in modo tamen depẽdentiæ effectiuè à forma ſubſtantiali ſint dependentes, & in eſſe, & in conſeruari, alias, quæ in modo vnionis à quantitate pendent, non tamen in dependentia effectiua à forma. Qualitates primi generis, aſſerit, quod deficiente forma ſubſtantiali panis indigeant potentiori concurſu ad ſui conſeruationem, adeoque mutentur, & deperditiuè ratione influxus formæ, quem amittunt, & acquiſitiuè ratione potentioris concurſus, quem acquirunt; qualitates verò ſecundi generis aſſerit non mutari, nec per deperditionem, nec per acquiſitionem, quia non mutant inhærentiam, nec indigent potentiori concurſu; ſed quænam ſint qualitates, quæ dependent à forma ſubſtantiali in conſeruari, non aſſignat. His ſic ſuppoſitis

3 Non mutantur, nec intrinſecè, nec extrinſecè. Sentio primò, qualitates omnes panis, & vini, quæ remanent poſt conſecrationem quoad modum vnionis, ſeu inhærentiæ, nec mutari intrinſecè; nec poſitiuè, nec negatiuè, ſcilicet per aliquam acquiſitionem entitatis intrinſecæ, nec per deperditionem alicuius intrinſeci, nec extrinſecè per acquiſitionem potentioris concurſus. Conſentiunt in hoc *Suarez diſp. 56. ſect. 3. per totum, Scotus diſt. 12. quæſt. 2. §. ad quæſtionem ergo, Vaſquez diſp. 194. cap. 3., Maſtrius diſp. 3. quæſt. 15. nu. 372., Cacheranus cap. 6. §. 2. num. 28.* Pro quo ſuppono ex phyſicis iuxtà noſtra principia, quantitatem eſſe ſubiectum immediatum aliorum omnium accidentium materialium, quo poſito ſic ad rem noſtram arguo. Perſeuerante quantitate permanet ſubiectum immediatum, & inhæſiuum omnium accidentium, ergo permanent eadem accidentia ſine aliqua ſui mutatione, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca. Antecedens ſupponitur ex eiſdem principijs. Conſequentia probatur, permanente eodem ſubiecto, cui antea inhærebant, nihil deperdunt, quod ſit requiſitum ad eorum ſuſtentationem, & conſeruationem, ergo non indigent, vt aliud acquirant, quo ſuſtententur, & ſic, ſi nihil intrinſecum deperdunt, non mutantur intrinſecè negatiuè, &, ſi nihil acquirunt, non mutantur intrinſecè poſitiuè, ſeu acquiſitiuè, nec extrinſecè, cum non indigeant potentiori concurſu extrinſeco. Neque dicas, amittere vnionem, quam habebant cum cauſa materiali, à qua ſaltem mediatè ſuſtentabantur, & è cuius potentia fuerant educta; contra enim impugnaberis, quia huiuſmodi accidentia nullam habebant immediatam vnionem cum cauſa materiali ſubſtantiali, ſed ad ſummum mediatam, quatenus cauſa materialis ſubſtantialis ſuſtentabat ſubiectum eorundem accidentium, nempè quantitatem, quod, ſi hoc ſubiectum, ſeu quantitas aliter ſuſtentetur, quàm ab eadem cauſa ſubſtantiali, vt euenit in præſenti hypotheſi, in qua quantitas ſuſtentatur effectiuè per potentiorem Dei concurſum, hoc nullam inducit mutationem in ipſis accidentibus, ſed ſolummodò extrinſecam in ipſa quantitate, ea proportionali ratione, qua ſi per impoſſibile humanitas deſineret eſſe vnita verbo, accidentia eiuſdem humanitatis non mutarentur, quamuis diceretur deſinere eſſe vnita verbo media humanitate, quia ſolum ipſa humanitas mutaretur, non eadem accidentia; Quod, ſi vrgeas, diuerſam eſſe rationem de accidentibus humanitatis reſpectu Verbi Diuini, & de accidentibus quantitati inhærentibus reſpectu cauſæ materialis ſubſtantialis, quia accidentia humanitatis non dependent à verbo, neque in eſſe entitatiuo, neque in eſſe ſubiectiuo, cum verbum non ſit cauſa materialis eorum accidentium; accidentia autem quantitatis inhærentia dependeant ab eadem cauſa materiali ſubſtantiali, cum de eius potentia educantur; ſtatim impugnationem recipies, quia, licet

4 Quantitas eſt immediatum ſubiectũ aliorum accidentium.

quantitas ipſa, vt fundamentum cæterorum accidentium educatur de potentia materiæ, cætera tamen accidentia educuntur immediatè de potentia eiuſdem quantitatis, adeoque diſparitas aſſignata non ſubſiſtit quoad præſentem effectum.

5 Poteſt aliquid ſubſtare accidentibus, quamuis non ſit in ſe ſubſiſtens.

Dices primò cum *Marſilio in quarto quæſt. 9. art. 2.*, quod, licet quantitas ſit realitèr diſtincta à ſubſtantia, non tamen eadem quantitas ſit receptiua accidentium, quia nihil poteſt ſubſtare, niſi quod ſubſiſtit teſte *Ariſtotile quarto metaphyſ. textu 14.*; quantitas autem per ſe non ſubſiſtit, & ſecundum ſe indiget inhærere, vndè, ſicuti dicitur quantitas eſt alba, ita dicitur albedo eſt quanta; ex quo ſequitur, vel quod mutuo ſibi inhæreant, vel neutra alteri, cum ſit æqualis ratio, quod neutrum dici poteſt; vndè concludit qualitates omnes mutare exiſtendi modum per inhærentiam, & acquirere modum eſſendi per ſe. Sed contra, quia dictum Ariſtotelicum, quod nihil poſſit ſubſtare, niſi, quod ſubſiſtit, verificatur ſolum de ſubiecto, quod eſt primum fundamentum aptum de ſe ad ſuſtentandum etiam primarium accidens, ſe tenens ex parte materiæ, cuiuſmodi eſt quantitas, non de quocunque ſubiecto inhæſiuo, & dependente in eſſe à primo ſubiecto fundamentali. Cæterum, quod alia accidentia à quantitate immediatè recipiantur in quantitate, nec quantitas in ipſis inhæreat, multis rationibus contra Marſilium euincitur; & primò, quia, ſicuti in ordine ſubſtantiali datur primum ſubiectum immediatum, tum in ordine ad formas ſubſtantiales materiales, tum in ordine ad primum, & principale accidens ſubiectiuum, ita in ordine accidentali congruum eſt, quod detur primum ſubiectum ſe tenens ex parte materiæ immediatum in ordine ad formas accidentales, ſeu qualitates materiales, quod aliud eſſe non poteſt, niſi quantitas coæua materiæ, quæque ſemper eandem materiam comitatur etiam formis ſubſtantialibus deſtructis.

6 Species ſacramentales debent vniri in tertio.

Secundò ratio deducitur ex vnione, quam ſeruant inter ſe ſpecies ſacramentales, adeo vt ad motum vnius cæteræ moueantur, quæ vnio non poteſt eſſe, niſi in tertio eiſdem accidentibus communi; nam, ſi ſolum haberent inter ſe intimam præſentiam, & penetrationem, non eſſet, cur ad motum vnius cæteræ deberent moueri, cum non haberent inter ſe colligationem, nec vnirentur per modum actus, & potentiæ, cum non ſit maior ratio, cur vna reſpectu alterius habeat rationem ſubiecti, & hæc alia non habeat rationem ſubiecti reſpectu illius; vndè neceſſe eſt, quod vniantur in tertio, quod habeat reſpectu illarum rationem ſubiecti; hoc autem tertium non poteſt eſſe, niſi quantitas, cum non ſit aſſignabile aliud, quod poſſit habere talem rationem ſubiecti communis; non enim poteſt eſſe ſubſtantia, quæ ibi non eſt, non qualitas, cum vna reſpectu alterius non poſſit rationem ſubiecti induere. Tertiò ratio ex eo deducitur, quod experientia conſtat, albedinem, cæteraſque qualitates in Hoſtia conſecrata eſſe extenſas impenetrabilitèr; hæc autem impenetrabilis extenſio aliundè haberi non poteſt, quam à quantitate; vel ergo quantitas recipitur in eiſdem qualitatibus, vel ipſæ qualitates recipiuntur in ipſa; ſi hoc ſecundum afferatur, habemus intentum; ſi primum; eſt contra rationem, quia quantitas eſt propinquior materiæ, & ſe tenet ex parte ipſius ad differentiam formarum accidentalium, quæ ſe tenent ex parte formæ, adeoque ipſa quantitas eſt potius receptiua, quam qualitates, quæ ad inſtar formarum ſubſtantialium, quas ſubſequuntur, recipiuntur.

Dices ſecundò, ipſam quantitatem eſſe ſolum præuiam diſpoſitionem, & medium Quo materia recipit has qualitates, non autem ſubiectum, & medium Quod, cum materia non recipiat qualitates, niſi vt extenſa, & extenſio eſt diſpoſitio, non ipſum ſubiectum, vt videre eſt etiam in ordine ad formam ſubſtantialem, quæ, cum non recipiatur, niſi in ſubiecto extenſo, exigit extenſionem ad ſui receptionem tanquam diſpoſitionem, non tanquam principium Quod receptiuum. Sed contra, quod quantitas, & eiuſdem extenſio ſe habeat ſolum, vt diſpoſitio in ordine ad formas ſubſtantiales, & non vt principium Quod, verum aſſerit, cum forma ſubſtantialis exigat ex genere ſuo ſubiectum ſibi proportionatum, adeoque ſubſtantiale; at in ordine ad formas accidentales verum non attingit, cum ipſa quantitas, vtpotè primarium accidens materiæ poſſit eſſe proportionatum accidenti, nec eſt aliqua repugnantia, quod id, quod reſpectu formæ ſubſtantialis eſt diſpoſitio, reſpectu formarum accidentalium ſit ſubiectum, ea proportionali ratione, qua formæ partiales ſubſtantiales in viuente iuxta noſtra principia reſpectu animæ ſunt diſpoſitiones, reſpectu verò aliarum qualitatum in corpore exiſtentium ſunt principium. 7 Quantitas non eſt mera diſpoſitio

Sentio ſecundò, qualitates, quæ remanent poſt conſecrationem dependentes à forma ſubſtantiali in conſeruari quantum ad modum dependentiæ effectiuæ mutari intrinſecè deperditiuè, & extrinſecè acquiſitiuè. In hoc conſentit *Suarez d. diſp. 56. ſect. 3. verſ. dico tertio*. Probatur prima pars, 8 Qualitates, quæ dependent à forma, quomodo conſeruentur.

pars, quia deſtructa forma ſubſtantiali amittunt huiuſmodi accidentia dependentiam, quam habebant in eſſe, & in conſeruari ab eadem forma, ergo amittunt aliquod, per quod intrinſecè conſeruabantur, ergo mutantur intrinſecè deperditiuè; mutatio etenim intrinſeca deperditiua in alio non conſiſtit, quam in amiſſione alicuius intrinſecè conſeruantis. Probatur item ſecunda pars, quia deſtructo eo, per quod huiuſmodi accidentia conſeruabantur, & per conſequens amiſſa dependentia, quam habebant à ſuo principio conſeruatiuo indigent alio, per quod conſeruentur, & quod ſuppleat defectum eiuſdem conſeruatiui; hoc autem ſupplementum non habetur, niſi per potentiorem Dei concurſum extrinſecè in genere cauſæ efficientis eo modo, quo conſeruatur quantitas ſine ſubiecto, ergo mutantur extrinſecè acquiſitiuè, acquirendo ſcilicet illum potentiorem concurſum.

9 Quænam qualitates depēdeant à forma.

Difficultas ſolummodò eſt in aſſignandis huiuſmodi qualitatibus in Hoſtia conſecrata, quæ dependeant à forma ſubſtantiali in conſeruari, quod non præſtat *Suarez loc. cit.* Pro quo aduerte, alias eſſe qualitates communes corrupto, & genito, alias eſſe qualitates proprias formæ præcedentis. Primi generis ſunt dimenſiones, figura, color, & ſimiles. Secundi generis ſunt qualitates, quæ determinatè conueniunt tali formæ, & ſine qua non conſeruantur, vt ſunt calor reſpectu ignis, & reſpectu corporis viuentis, & ſimiles reſpectu aliorum corporum. In particulari reſpectu panis, & vini qualitates communes ſunt dimenſiones, figura, color; qualitates verò propriè poſſunt dici ſapor, & odor talis, & etiam qualitates illæ occultæ, quas aliqui ponunt, & inter cæteros Suarez, & vtique alligatas eidem ſubſtantiæ panis, quas Vaſquez ex ſuppoſitione, quod dentur, aſſerit de fide eſſe, poſt conſecrationem remanere, Suarez verò, quamuis aſſerat remanere, negat tamen hoc eſſe de fide, ex quibus deduces, qualitates communes, nec in modo vnionis, nec in modo dependentiæ effectiuæ mutari; qualitates verò proprias, & dependentes mutari, non in modo vnionis, ſed in modo dependentiæ effectiuæ, cum ſublata ſubſtantia panis conſeruentur in tali modo potentiori Dei concurſu.

ARTICVLVS IV.

An accidentia panis, & vini in Sacramento remanentia poſſint agere, & pati, ſiue accidentalitèr, ſiue ſubſtantialitèr.

SVMMARIVM.

Enumerantur actiones, & paſſiones, de quibus poteſt eſſe quæſtio. 1.
Poſſunt producere ea accidentia in alio ſubiecto, quæ poterant producere, quando erant vnita cum ſuis ſubſtantijs. 2.
Quomodo verificetur, quod actiones ſint ſuppoſitorum. 3.
Accidentia Euchariſtica poſſunt agere intentionalitèr mouendo potentias ſenſitiuas. 4.
Oppoſitiones diuerſæ in ordine ad actiones productiuas ſubſtantiæ. 5.
Iuxta noſtra principia vix habere poteſt locum hæc quæſtio. 6.
Accidentia Euchariſtica poſſunt diſponere ad ſubſtantiam, non eandem efficere. 7.
Inſtantia propoſita, & ſoluta. 8.
Sententia Suarez aſſerentis poſſe per ſe corrumpere præcedentem ſubſtantiam. 9.
Contraria ſententia præfertur. 10.
Accidentia Euchariſtica poſſunt pati, & intentionalitèr, & phyſicè. 11.
Species ſacramentales poſſunt corrumpi, & quomodo. 12.
Remanent in potentia quantitatis. 13.
Si deſineret quantitas, an dicenda ſint annihilari remiſſiuè. 14.
Ex ſpeciebus ſacramentalibus poteſt aliquid ſubſtantiale produci. 15.
Hæc productio non fieret per conuerſionem. 16.
Nec ſimplicitèr per creationem. 17.
Sententia aſſerens fieri per generationem. 18.
Non fit ex aere circunſtante. 19.
Nec fit per ſupplementum quantitatis. 20.
Explicatur, in quo ſenſu accipiendus eſt Diuus Thomas. 21.
Conformitèr ad mentem plurium eius ſectatorum. 22.
In deſitione ſpecierum non redit tota ſubſtantia panis, & vini. 23.
Fit creatio ſimul, & eductio. 24.
Soluuntur rationes contrariæ. 25.
Hinc non fit commixtio panis, & vini cum ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini. 26.
Eadem numero materia reproducitur. 27.
Non reproducitur tamen noua quantitas. 28.

RESpicit hic titulus tam actiones, quas poſſunt præſtare huiuſmodi accidentia in alia corpora, quam paſſiones,

1 *Varia actionum, & paſſionum genera.* nes, quas poſſunt ab alijs corporibus pati. Actiones autem, vel poſſunt verſari circa terminum purè accidentalem, & ſic præcisè important alterationem, vel poſitiuam per productionem alicuius qualitatis, vel negatiuam per deſtructionem qualitatis præexiſtentis in ſubiecto; vel poſſunt verſari circa terminum ſubſtantialem, & ſic important generationem, ſi terminent ad poſitiuum, vel corruptionem, ſi ad priuatiuum. Paſſiones verò aliæ ſunt phyſicæ, vt alterari, corrumpi, frangi &c. aliæ intentionales, vt cognoſci, videri, tangi, guſtari, odorari &c. De his omnibus hic agendum eſt.

2 *Poſſunt accidentia producere in alio ſubiecto.* Et quidem in ordine ad actiones terminabiles ad formam accidentalem, ſeu importantes alterationem in alio ſubiecto ſentiendum eſt, huiuſmodi accidentia Euchariſtica ſeparata à proprijs ſubſtantijs poſſe agere in aliud ſubiectum ea, quæ poterant agere, dum erant coniuncta eiſdem ſubſtantijs. Conſentiunt *D. Thomas q. 77. art. 3., & in quarto diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1., & ſecunda. Scotus diſt. 12. quæſt. 3. §. dico ergo.* Ratio deſumitur, quia accidentia in Euchariſtia retinent ſuum eſſe, & per conſequens potentiam ad agendum, quia, vt notat *Diuus Thomas dicto art. 3. in corpore*, ſicut vnumquodque ſe habet ad ſuum eſſe; ita ſe habet ad agere; ex alia parte accidens in actione eſt proportionatum alteri accidenti, ergo non eſt, cur accidentia Euchariſtica, quamuis ſeparata à ſuis ſubſtantijs, non poſſint per productionem ſimilium accidentium alterare alterum ſubiectum.

3 *Actiones quomodo dicantur eſſe ſuppoſitorũ.* Neque his, quæ dicuntur, aduerſari poteſt id, quod ex *Ariſtotile primo metaphyſicorum in proemio* circumfertur; nempè, quod actiones ſint ſuppoſitorum, & *ex eodem primo de generatione*, quod agens, & patiens debeant communicare in materia. Non, inquam aduerſari poteſt, non primum, quia, quando dicitur, quod actiones ſint ſuppoſitorum, hoc intelligendum eſt de actionibus ſubſtantialibus, & à ſubſtantijs prouenientibus, non de accidentalibus, & prouenientibus ab accidentibus, quandoquidem ſubſiſtentia eſt conditio ad agendum, prout complet principium agens, non complet autem, niſi ſubſtantiam, non accidens; Quod, ſi repetas, quod, ſicuti ſubſiſtentia eſt conditio ad agendum, quatenus eſt complementum ſubſtantiæ, ita actualis inhærentia ſit conditio requiſita ad agendum in accidentibus, quia eſt complementum eorundem; ſtatim impugnaberis, quia in primis iuxtà noſtram ſententiam accidentia actiua in Euchariſtia actualitèr inhærent quantitati, & quando etiam eidem non inhærerent, dici poſſent æquiualentèr inhærere ratione potentioris concurſus, quo effectiuè ſuſtentantur; non ſecundum, quia, quod agens, & patiens debeat communicare in materia, hoc procedit iuxtà curſum ordinarium, ſecundum quem agentia, & patientia ſubſtant materiæ; cæterum, cum materia ex genere ſuo non ſit actiua, quamuis ſupernaturalitèr non eſſet, in agente non poſſet impedire eius actionem.

4 *Accidentia Euchariſtica poſſunt agere intentionalitèr, & quomodo.* Ad hoc caput etiam reducitur, quod huiuſmodi accidentia Euchariſtica poſſint agere intentionalitèr mouendo potentias ſenſitiuas, prout firmant *Suarez. diſp. 57. ſect. 1. verſ. dico primo Cacheranus dicto cap. 6. §. 3. num. 39., & alij magis communitèr*, nec de hoc dubitari poteſt, cum ipſa accidentia ſint primaria ratio cognoſcibilitatis, cum ſubſtantia per ſe non ſit ſenſibilis, ſed ſolummodo medijs accidentibus, ergo non eſt, cur non poſſint mouere potentias, vel per tranſmiſſionem ſpecierum, vel per ſe ipſa immediatè, ſi ſint proportionata potentijs, ad ſui cognitionem, & ſic, cum color ſit obiectum immediatum potentiæ viſiuæ, ſapor guſtatiuæ, odor olfactiuæ &c., vtique mouent viſiuam ad viſionem, olfactiuam ad olfactum, guſtatiuam ad guſtum &c.

5 *Circa productionem ſubſtantiæ opiniones diuerſæ.* In ordine verò ad actiones ſubſtantiales, ſiue poſitiuas, ſiue negatiuas reſolutio pendet à quæſtione phyloſophica, an ſcilicet accidentia, ſiue coniuncta, ſiue ſeparata effectiuè inſtrumentalitèr attingant, ſeu attingere poſſint ſubſtantiam, an verò tantum diſpoſitiuè, qua in quæſtione *Diuus Thomas quæſt. 77. art. 3. ad tertium*, tribuit ſignantèr in hac materia ſpecierum ſacramentalium æquitatem inſtrumentalem etiam in ordine ad ſubſtantiam. *Scotus verò in quarto diſt. 12. quæſt. 1., & ibi Durandus quæſt. 2., Diuus Bonauentura art. 2. quæſt. 3., & ferè omnes Scotiſtæ*, aſſerunt, non competere eiſdem accidentibus, ſeu ſpeciebus vim actiuam in ſubſtantialem formam, ſed dumtaxat diſpoſitiuam, quatenus diſponunt ſubiectum per alterationem ad talem formam, quam tamen ipſæ effectiuè non attingunt, ſed Deus poſita illa perfecta diſpoſitione immediatè producit.

6 *In noſtris principijs non habet locum hæc quæſtio.* Antequam, quid ſentiam in hac quæſtione aperiam, debeo aduertere, quod vix poſſit caſus contingere, quod accidentia Euchariſtica poſſint ità alterare alterum ſubiectum, vt poſſit ſubſtantialitèr acquirere formam panis, & vini ſubſtantialem, nam, ſi loquamur de accidentibus panis, manifeſtum eſt, eadem non eſſe tantæ actiuitatis, vt poſſint generare ſibi ſimilia, & per conſequens, nec formam ſubſtantialem

lem eiuſdem panis; ſi verò loquamur de accidentibus vini, quamuis hæc videantur magis apta ad alterationem, puta aquæ, quia tamen in præcedentibus docuimus, vinum non conuertere in ſui ſubſtantiam aquam, quæ ſibi commiſcetur, per conſequens ſequitur non habere vim alteratiuam vſque ad productionem ſubſtantiæ; ex quibus ſequitur, inanem eſſe controuerſiam, quam hic excitamus. Nihilominus, quia ſcopus noſtræ intentionis eo dirigitur, vt dignoſcatur, an accidentia panis, & vini ſeparata à proprijs ſubſtantijs poſſint æquè attingere ſubſtantias ſimiles proprijs, à quibus ſunt ſeparata, ac ſi eſſent cum proprijs ſubſtantijs coniuncta, parum negotij nobis videtur faceſcere, quod, ſi non ratione ſeparationis, ſed defectu propriæ actiuitatis, quantumuis eſſent coniuncta, oriatur impotentia productionis formæ ſubſtantialis, non ſequi poſſit productio; cum hic procedamus ex ſuppoſitione, quod vt coniuncta poſſint formas ſubſtantiales producere, & inquiramus, an etiam poſſint producere, vt ſeparata, &, quamuis iuxtà noſtram ſententiam negantem vinum, ſeu accidentia vini non poſſe aquam in ſui ſubſtantiam conuertere, non poſſit habere locum præſens quæſtio, poteſt tamen habere locum iuxta ſententiam tribuentium vino actiuitatem ſufficientem ad conuertendam aquam in ſui ſubſtantiam. His poſitis

7 **Poſſunt diſponere, non efficere.**

Probabilius arbitror, accidentia Euchariſtica poſse quidem per alterationem diſponere ſubiectum vſque ad complementum diſpoſitionis, non tamen effectiuè attingere formam ſubſtantialem. In hoc conſentiunt *Scotus, & omnes ferè Scotiſtæ, & vlterius Arriaga diſp. 38. ſect. 4. num. 13. Madernus quæſt. 5. art. 2. Cacheranus dicto cap. 6. §. 4. num. 51.* Ratio primæ partis facilè deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt de virtute alteratiua; accidentia etenim ſecundum ſe poſſunt producere accidentia ſimilia in aliud ſubiectum ſibi approximatum, quæ accidentia ſic producta ex genere ſuo habent diſponere illud ſubiectum ad formam ſubſtantialem, &, ſi poſſunt producere accidentia in initio alterationis, cur non in progreſſu vſque ad complementum diſpoſitionis eiuſdem ſubiecti. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia non maior concedenda eſt actiuitas accidentibus Euchariſticis ſeparatis a propria ſubſtantia, ac concedatur eiſdem, vt coniunctis, quandoquidem ſubſtantia, cum qua coniunguntur, potius vim auget, ac diminuat, ſed accidentibus etiam, vt coniunctis non tribuitur vis effectiua ſubſtantiæ, cum non habeat cum iſta proportionem in prædicatis ſpecificis per ea, quæ latè docuimus in phyſicis, ergo, nec tribuenda eſt eiſdem, vt ſeparatis.

8 Soluitur argumentum oppoſitum.

Dices, hanc poſtremam probationem falſo vniri principio, quod ſcilicet accidentia coniuncta propriæ ſubſtantiæ non poſſint effectiuè ſaltem inſtrumentalitèr attingere ſubſtantiam, quia, quando coniuncta ſunt, tanquam inſtrumentum mouens motum abeo, cuius ſunt inſtrumentum, & in virtute eius actu mouente mouent. Sed contra, quia hæc virtus ſubſtantiæ, qua dicuntur agere, vel eſt virtus ſubſtantialis, vel accidentalis; ſi ſubſtantialis, eſt indiſtincta a ſubſtantia, & ſic non ipſum accidens ageret, ſed ipſa ſubſtantia per virtutem a ſe ipſa indiſtinctam, & ſic accidens ad ſummum applicaret talem virtutem, non ipſum ageret; ſi accidentalis ſemper eſt improportionata ſubſtantiæ.

9 Sententia aſſerens poſſe corrumpere præcedentem ſubſtantiam.

Hic oritur difficultas, an, licet accidentia huiuſmodi non poſſint effectiuè, ne quidem inſtrumentalitèr attingere ſubſtantiam quoad productionem nouæ formæ, poſſint tamen effectiuè attingere deſtructionem formæ ſubſtantialis præcedentis? *Suarez dicta diſp. 57. ſect. 1. verſ. vndè hoc loco quæri ſolet in fine,* videtur aſſerere, in naturalibus corruptionibus, & generationibus ſæpè accidere, quod agens proximum poſſit alterare, & corrumpere, non verò per ſe ſubſtantialem formam attingere; ex quibus videtur poſſe deduci, quod ipſe ſentiat accidentia Euchariſtica poſſe corrumpere ſubſtantiam præcedentem per ſe, non verò per ſe effectiuè producere nouam ſubſtantiam, quod etiam videtur, poſſe ex eo confirmari, quod deſtructio ſit actio negatiua, quæ non exigit poſitiuum influxum, ſed ſolum poſitiuum influxum terminatum ad vltimas qualitates diſpoſitiuas ad formam ſubſequentem, ad quas immediatè ſubſequitur deſitio eiuſdem formæ præcedentis. Nihilominus aſſero, formalem deſitionem non haberi ab huiuſmodi accidentibus, niſi ad ſummum diſpoſitiuè; ſed vtpotè actionem negatiuam procedere à ceſſatione præcedentis actionis, qua conſeruabatur.

10 Contraria ſententia verior.

11 Accidentia Euchariſtica poſſunt pati, & intentionalitèr, & phyſicè.

Loquendo iam de paſſionibus alteratiuis aduerto in primis, huiuſmodi accidentia non poſſe dici in rigore pati, cum pati importet recipere qualitates, & accidentia; vnum autem accidens, ſi excipias quantitatem, nec aliud recipit, nec ab alio recipitur, adeoque non dicuntur in rigore, & abſolutè accidentia pati; Dicuntur igitur ad ſummum impropriè pati, quando per contraria accidentia, & qualitates a ſubiecto expelluntur. Deindè aduerto, difficultatem æquè procedere de paſſionibus intentionalibus, ac de phyſicis

cis

cis alterationibus, & quidem in ordine ad paſſiones intentionales non videtur poſſe eſſe difficultas, quin poſſint eſſe circa accidentia Euchariſtica, quandoquidem experientia ipſa conſtat, hæc poſt conſecrationem æquè terminare actus ſenſitiuarum potentiarum, & etiam medijs talibus actibus ſenſitiuis actus intellectus, & voluntatis, ac terminabant ante conſecrationem. Nec maior poteſt eſſe difficultas quoad paſſiones, & alterationes phyſicas, cum experientia conſtare poſſit, quod ſpecies ſacramentales ab agente calido poſſint calefieri, à frigido frigeſieri; & omninò incongruum videtur aſſerere, quod ſpecies ſacramentales igni approximatas non calefiant ab eodem igne, ſed ad præſentiam eiuſdem à Deo; cum non ſit aliqua ratio euincens, quod ignis non poſſit per ſe immediatè agere; non enim hoc poteſt prouenire ob defectum ſubiecti, cum non deficiat quantitas tanquam ſubiectum commune, quæ, ſicuti recipit eaſdem qualitates ſacramentales, æquè poteſt recipere alias ab agente extrinſeco producibiles.

12 Species ſacramẽtales poſſunt corrumpi, & quomodo. Si verò loquamur de paſſionibus corruptiuis, & relatis ad productionem alicuius ſubſtantiæ, tunc duæ difficultates emanant. Prima eſt, an huiuſmodi qualitates ſacramentales poſſint dici propriè corrumpi. Secunda, an ex ſpeciebus conſecratis poſſit aliqua ſubſtantia generari, & quomodo. Quoad primam; difficultatem non modicam ingerit, quod corruptio ad differentiam anihilationis exigit habere aliquod ſubiectum, in cuius potentia remaneat terminata corruptione, ſed hoc ſubiectum non eſt aſſignabile, cum ibi non remaneat materia prima; item, quod corruptio accidit per ſeparationem formæ à materia, quæ ſeparatio eſſe non poteſt in præſenti hypotheſi, in qua nulla eſt materia, ergo &c. Sed his minimè obſtantibus ſentiendum eſt, huiuſmodi ſpecies ſacramentales poſſe dici corrumpi, ſi corruptionis nomine veniat deſitio rei manente communi ſubiecto, ſecus, ſi ſumatur, prout opponitur generationi ſubſtantiali, quia in hoc ſenſu, ſicuti generatio importat productionem formæ ſubſtantialis dependentèr à ſubiecto, ità corruptio importat deſitionem formæ ſubſtantialis manente ſubiecto, in cuius potentia remaneat, quod non poteſt verificari reſpectu ſpecierum ſacramentalium, quæ ſunt formæ accidentales. Probatur iam noſtra ſenten-

13 Remanẽt in potentia quantitatis. tia, quia huiuſmodi ſpecies ſacramentales quotieſcunque deſinunt, deſinunt remanente eadem quantitate, prout infrà latè probabitur, ipſa autem quantitas eſt ſubiectum immediatum, & proximum ipſorum accidentium, quæ, ſicuti ex ſuperius dictis educuntur de potentia eiuſdem quantitatis, ita in deſitione remanent in potentia eiuſdem; & per hoc ſoluuntur rationes, quę in contrarium afferebantur; Quod, ſi ſupponas, in deſitione huiuſmodi accidentium deſinere etiam quantitatem, tunc poſſunt dici, & hæc accidentia corrumpi per accidens, vt notat *D. Thomas qu. 77. art. 4. in corpore*. Sed, an tunc illa accidentium deſitio dicenda eſſet potius corruptio, an verò anihilatio, non eſt communis DD. ſenſus. *D. Thomas loco cit.*, videtur aſſerere, quod potius dicenda ſit corruptio, dum expreſsè hæc habet. Quamuis enim ſubiectum non remaneat, remanet tamen eſſe, quod habebant huiuſmodi accidentia in ſubiecto, & ideo eſſe huiuſmodi accidentium poteſt corrumpi a contrario agente, ſicuti corrumpebatur ſubſtantia panis, & vini, quæ etiam non corrumpebatur, niſi præcedente alteratione circa accidentia. Sed in hoc videtur Diuus Thomas ſumere corruptionem lato modo, prout importat præcisè deſitionem eſſe, quæ tamen, cum non ſupponat in præſenti hypotheſi ſubiectum, in cuius potentia remanent, videtur potius eſſe anihilatio. Sed in hoc non immoror, cum parum conferat ad rem præſentem. 14 Si deſineret quantitas, an dici poſſent anihilari.

Quoad ſecundam difficultatem, an ſcilicet ex ſpeciebus ſacramentalibus poſſit aliquid ſubſtantiale produci, non videtur dubitandum, cum experientia ipſa conſtet ex eiſdem, ſi comburantur, generari cineres, vel vermes, ſi putrefiant, vel pulueres, ſi conterantur. Difficultas ſolum modò verſatur in explicando, quomodo fiat hæc noua ſubſtantiæ productio, an ſcilicet per conuerſionem, an per creationem, an verò per generationem. Aliqui, inter quos *Gonetus diſp. 6. art. 5. num. 46.* cum aliquibus alijs Thomiſtis, quos ibi refert, ſtatuunt, hanc nouam ſubſtantiam produci per conuerſionem, quatenus quantitas ſpecierum ſacramentalium, & ipſæ ſpecies conuertantur in ſubſtantiam nouam, quæ ſuccedit. Sed hoc non poteſt ſubſiſtere, tum quia ipſa quantitas, vt infra videbimus remanet in noua materia, quæ producitur, ergo non eſt terminus, à Quo nouæ illius productionis, adeoque nec poteſt ibi eſſe conuerſio; tum quia eſſet magis miraculoſa illa conuerſio, quam noua creatio. Alij aſſerunt, illam ſubſtantiæ productionem fieri per creationem, quatenus deſinentibus ſpeciebus ſacramentalibus nullo alio præexiſtente totum aliquod ſubſtantiale immediatè à Deo creetur. Sed, quamuis hæc opinio poſſet ſuſtineri, quia tamen deſtruit quemcunque ordinem naturalis generationis, non 15 Ex ſpeciebus ſacramentalibus poteſt aliquid ſubſtantiale produci. 16 Hæc productio nõ fit per cõuerſionẽ. 17 Nec ſimpliciter per creationem.

vi-

18 Sentẽtia aſſerens fieri per generationem.

videtur accommoda communi modo loquendi, ſecundum quem dicitur ex ſpeciebus aliquid ſubſtantiale generari. Ideò communiter dicunt, hanc nouam productionem ſubſtantiæ fieri per generationem, ſed quomodo hoc poteſt ſuſtineri, ſi aliud ſubſtantiale non præexiſtit, niſi ſubſtantia Corporis; & Sanguinis Domini, quæ eſt incorruptibilis?

19 Non fit ex aere circunſtante.

Aliqui, apud *D. Thomam d. quæſt. 77. art. 5. in corpore*, innominati ſenſerunt, ſubſtantiam nouam generari ex aere circunſtante ipſis ſpeciebus; ſed hos latè impugnat *D. Thomas loc. cit.*, & quidem validis, & efficacibus argumentis. Nobis ſufficiat pro nunc adnotare ex hac ſententia non benè probari talem ſubſtantiam ex ſpeciebus generari, ſed potius ex aere circunſtante. Recolite apud D. Thomam impugnationes huius ſententiæ.

20 Nec fit per ſupplementũ quantitatis.

Alij dixerunt, hanc nouam ſubſtantiam produci per generationem ſupplente defectum materiæ ipſa quantitate, quod explicat *D. Thomas d. quæſt. 77. art. 5. in fine corporis*, per hoc, quod *in ipſa conſecratione*, (ſunt verba eiuſdem Sancti Doctoris) *miraculosè detur quantitati dimenſiuæ panis, & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum. Hoc autem eſt proprium materiæ, & ideò ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſiuæ omne illud, quod ad materiam pertinet, & ideò, quidquid poſſet generari ex materia panis, vel vini, ſi adeſſet, poteſt generari ex eadem quantitate dimenſiua panis, & vini, non quidem nouo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti.* Hactenus ille. Sed non facilè poteſt concipi, quomodo forma ſubſtantialis poſſit à ſolo ſubiecto accidentali, quale eſt quantitas, educi, cum accidens neque in potentia contineat ſubſtantiam, nec videatur poſſe eandem ſubſtantiam ſuſtentare, cum magis accidens, quam ſubſtantia indigeat ſuſtentante; quod, ſi dicas, hæc verificari ad ſummum conſiderata eadem quantitate ſecundum ſe, & ſpectata præcisè natura ipſius, non verò conſiderata eadem quantitate, vt eleuata, vt notauit D. Thomas mox allegatus in illis verbis. *Quod in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſiuæ panis, & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum*, ex quibus colligitur, quod per conſecrationem accipiat quodamodo vim ſubſtantiæ; ſtatim impugnaberis, quia D. Thomas per allegata verba noluit inferre, quod quantitas induat rationem ſubſtantiæ, cum eidem nil additum ſit, neque immutatum, niſi modus exiſtendi ſine materia per potentiorem Dei concurſum; vndè eadem in entitate remanet; capacitas autem quantitatis non eſt ratione illius modi exiſtendi, ſed ratione ſuæ entitatis; entitas autem ſecundum ſe non eſt capax, vt ab illa educatur forma ſubſtantialis; dicere deindè, quod ex vi conſecrationis eleuetur tanquam ſubiectum in ordine ad quamcunque formam ſubſtantialem ſubſequentem per potentiam obedientialem, & quod proindè dixerit *D. Thomas*, *quod in ipſa conſecratione detur eidem, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum*, eſt quid dicere ex proprio marte gratis, & ſine fundamento, quandoquidem eleuatio quantitatis ex vi conſecrationis eſt ſolummodò ad ſaluandum hoc myſterium in ordine ad hoc, vt exiſtat in Sacramento quantitas ſine ſubiecto, quod fuit neceſſarium ad tranſubſtantiationem, & ad cælandum myſterium, augendumque fidei meritum, non in ordine ad alias actiones ſubſequentes; vndè, quod D. Thomas dixerit, quod poſita conſecratione habeat quantitas, vt ſit ſubiectum ſubſequentium formarum, hoc intelligendum eſt de formis accidentalibus, nempè ſpeciebus Euchariſticis, alijſque, quas contingeret, vt recipiat perſeuerante Corpore Chriſti in Sacramento, non de ſubſtantialibus ſuccedentibus ad deſitionem Corporis &c.;

21 Explicatur mens D. Thomæ.

Cæterum, ſi D. Thomas intelligendus eſſet loqui de quacunque forma ſubſtantiali ſubſequente, verificaretur, quod non ſolum quando ex ſpeciebus ſacramentalibus noua ſubſtantia produceretur, quod quantitas ſine ſubiecto componeret cum illa ſubſtantia, quæ tunc produceretur, ſed etiam in quacunque tranſmutatione ſucceſſiua, quæ fieret in illa quantitate, quod certè non videtur dicendum.

Rurſus hic modus ſaluandi generationes ſubſequentes ſolum dependenter ab illa quantitate ex alio capite non videtur poſſe ſubſiſtere, quia compoſita, quæ indè reſultarent, non poſſent dici, nec eſſe ſubſtantialia, cum conſtarent ſubiecto omninò accidentali, &, ſicuti non poſſet dici compoſitum ſubſtantiale illud, quod conſtaret ſubiecto ſubſtantiali, & forma accidentali, ità nec poſſet dici tale, quod conſtaret forma ſubſtantiali, & ſubiecto dumtaxat accidentali; nec euacuat vim huius argumenti modus ille, quo miraculosè exiſtit quantitas non per inhærentiam, & ſine ſubiecto propter rationes mox inſinuatas, quod ſcilicet modus ille exiſtendi non extrahat quantitatem à ſuo eſſe accidentali, nec conſtituat in eſſe ſubſtantiali.

Solum aliquid negotij videtur faceſcere auctoritas, quæ videtur eſſe ſatis expreſſa D. Thomæ in allegatis verbis; ſed quia communiter Thomiſtæ acerrimi Sancti Doctoris propugnatores expreſsè aſſerunt,

non

22 Iuxtà mentem plurium Thomiſtarum.

non eſſe propugnatorem huius ſententiæ, ſed eius dictum mox recitatum in alium ſenſum deflectunt, ideò, & ego deflecto. Videatur ſignantèr *Gonetus diſp. 6. art. 5.*, vbi latè oſtendit malè pro hac ſententia afferri D. Thomam.

Alij dixerunt, quod, quando corrumpuntur ſpecies ſacramentales, redeat virtute Diuina ſubſtantia panis, & vini, è cuius materia expellatur ab agente creato propria forma ſubſtantialis, & educatur alia forma ſubſtantialis conſtitutiua compoſiti, per quod ſaluatur vera ratio generationis; atque iuxtà hunc ſenſum procedunt *Innocentius III. lib. 4. de myſterijs Miſſæ cap. 11.*, *D. Bonauentura in 4. diſt. 12. prima part. art. 2. quæſt. 1. ad primum*, *Alenſis quarta part. quæſt. 10. membr. 7. art. 2. §. 2.* Hæc opinio in parte placet, in parte ſummè diſplicet; placet in ea parte, quæ aſſerit in corruptione ſpecierum virtute Diuina redire ſubſtantiam panis, & vini, ſi intelligatur præcisè de materia eiuſdem panis, & vini, quia hoc coincidit cum noſtro ſenſu infra latè exponendo; Diſplicet in ea parte, quæ aſſerit redire ſubſtantiam panis, & vini, prout appellat totum compoſitum ex materia, & forma, huncque dicendi modum iuxtà hunc ſenſum acceptum latè impugnat *D. Thomas d. quæſt. 77. art. 5. in corpore*, & primò, quia, vel quando redit ſubſtantia panis, & vini, adhuc perſeuerant ſpecies ſacramentales, vel non perſeuerant; ſi perſeuerant, tunc adhuc perſeuerat ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini, adeoque tunc eſſet ſimul ſub eiſdem ſpeciebus ſubſtantia Corporis Chriſti, & ſubſtantia panis, & vini, quod eſt abſurdum, & contra fidem; ſi non perſeuerant; non ſunt amplius ſufficientèr diſpoſitiones pro ſubſtantia panis; ad quid ergo potius Deus illam ſubſtantiam reproducit, quam aliam, ad quam diſponunt qualitates alteratiuæ ſpecierum ſacramentalium? Secundò, quia, ſi rediret eadem numero ſubſtantia panis, & vini, ſicuti eadem ſubſtantia panis, & vini in productione Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus conuerſa eſt in ſubſtantiam eiuſdem Corporis, ita in deſinentia eiuſdem Corporis ſub ſpeciebus eadem ſubſtantia Corporis deberet dici conuerti in eandem ſubſtantiam panis, quod non videtur dicendum; tum quia non eſſet ſpecialis ille ineffabilis modus conuerſionis panis in Corpus Chriſti, ſi eſſet communis in deſitione eiuſdem Corporis ſub ſpeciebus alteri conuerſioni, qua Corpus Chriſti conuerteretur in ſubſtantiam panis; tum quia incongruum videtur, quod ſubſtantia infinitè dignificata Corporis Chriſti conuertatur in deteriorem ſubſtantiam panis. Tertiò, quia incongruum videtur, quod miraculoſo quodam modo redeat cum materia forma ſubſtantialis panis, quæ immediatè eſt deſtruenda, & expellenda.

23 Nō redit tota ſubſtantia panis.

24 Fit creatio ſimul, & eductio.

Quamobrem his dicendi modis reiectis ſentio, in illa productione nouæ ſubſtantiæ deſinentibus ſpeciebus ſacramentalibus fieri creationem ſimul, & generationem; creationem ſcilicet, qua per eandem reproducitur illa eadem numero materia, quæ erat in ſubſtantia panis, antequam conuerteretur in ſubſtantiam Corporis Chriſti; generationem verò, quatenus ex illa materia ſic reproducta, vi agentis naturalis educitur noua forma ſubſtantialis. In hanc noſtram ſententiam conſentiunt *D. Thomas in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtincula 4. ad quartum, & quæſtiuncula 5. ad ſecundum*, *Scotus eadem diſt. quæſt. 6. verſ. dico ergo, verſ. quarta concluſ.*, quibus adhærent omnes ferè Thomiſtæ, & Scotiſtæ, item *Suarez diſp. 57. ſect. 3.*, *Vaſquez diſp. 195. cap. 3.*, *Madernus quæſt. 5. art. 3.*, *Cacheranus dicto cap. 6. §. 4. num. 68.* Probatur, quia poſita hac creatione, & generatione melius ſaluatur, quomodo in productione nouæ ſubſtantiæ poſt deſitionem ſpecierum ſacramentalium fiat vera generatio ſine commixtione ſubſtantiæ panis, & vini cum ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini, & ſine conuerſione, & congruentius ſaluatur ordo cauſarum naturalium ſine multiplicatione miraculorum ſine neceſſitate, ergo hæc nouæ ſubſtantiæ productio in ijs actionibus conſiſtit. Antecedens quoad primam partem probatur, quia non poteſt eſſe vera generatio, niſi forma materialis educatur de potentia materiæ, ſed hæc eductio non poteſt eſſe ſine tali creatione, & generatione, ergo &c. Minor probatur, quia, cum ſub ſpeciebus ſacramentalibus non exiſtat aliqua materia, vtique, vt fiat eductio, debet talis materia conſtitui; cum autem hæc non conſtituatur per adductionem de loco ad locum, vt per ſe patet, nec per conuerſionem, vtſupra probatum eſt, vtique debet conſtitui per creationem, quæ non poteſt de lege ordinaria eſſe, niſi à Deo; poſita autem hac materia facilè ſaluatur generatio, cum forma, quæ producitur, educatur de eius potentia. Neque dicas, difficilè eſſe explicatu, quomodò per vires agentis naturalis poſſit de tali materia educi forma ſubſtantialis; tùm quia, vt educatur forma, debet materia per diſpoſitiones aptas ad formam educendam præparari; agens autem naturale non poteſt in eodem inſtanti, in quo materia creatur, illam per diſpoſitionem, ad huiuſmodi eductionem præparare, cum non poſſit, niſi ſucceſſiuè inducere

25 Argumenta contraria diſſoluta.

tum

tum quia agens creatum non poteſt educere, niſi concurrente materia, de qua fit eductio; materia autem in eo inſtanti, in quo creatur, non poteſt concurrere, quia vt concurrat, & terminet dependentiam formæ à ſe ipſa; debet præexiſtere &c.; tum quia, quandoque fiunt huiuſmodi generationes nullo concurrente agente naturali, vt cum ſpecies vini ex ſe aceſcunt, vel ſpecies panis ex ſe putreſcunt, & abſq; eo, quod à vermibus corrodantur, remanent ad formam vermium diſpoſitæ; Contra enim impugnaberis, nam difficultas illa, quam ſibi confingunt auctores iſtius inſtantiæ in explicando, quomodo per vires agentis naturalis poſſit illa forma ſubſtantialis educi, omninò friuola eſt, & nullius roboris. Ad primam probationem dico, materiam non præparari immediatè ab agente naturali, ſed tantum mediante quantitate præcedente, in quam agens naturale induxit qualitates diſpoſitiuas ad formam generandam, &, cum hæc quantitas in eo inſtanti, quo producitur materia, vniatur ſimul cum qualitatibus, quas recepit ab agente naturali, vtique in eodem inſtanti diſponit eandem materiam ad talem formam. Ad ſecundam dico, ad terminandam dependentiam formæ à ſe ipſa, non eſſe neceſſe materiam præcedere tempore ad actionem agentis, & ad productionem eiuſdem formæ, ſed ſufficere, quod præcedat prioritate naturæ; &, ſicuti nos docuimus in phyſicis ad cauſalitatem efficientis ſufficere prioritatem naturæ ad ſuum effectum, ita non video modo, cur eadem prioritas naturæ non ſufficiat ad cauſalitatem cauſæ materialis ad formam producendam. Ad tertiam dico, vel huiuſmodi generationes fieri à corpore circunſtante ſuppoſita fragilitate earundem ſpecierum apta ad facilius recipiendas extrinſecas impreſſiones, vel huiuſmodi generationes fieri à Deo ſupplendo abſentiam agentis creati, & educendo formam de materia à ſe in priori naturæ per creationem reproducta.

26 Non fit commixtio panis, cum Corpore Domini. Hinc deducitur, quod poſita hac noſtra expoſitione non fiat illa commixtio ſubſtantiæ panis, & vini, quæ arguebatur in ſententia illorum, qui aſſerebant redire totam ſubſtantiam panis, & vini, nec conuerſio; non prima, quia materia, quæ producitur per creationem non ponitur, niſi ad deſitionem ſpecierum, & per conſequens Corporis, & Sanguinis Domini eo modo, quo Corpus, & Sanguis Chriſti Domini in conſecratione non ponitur, niſi ad deſitionem ſubſtantiæ panis, & vini; non ſecunda, quia propriè fit creatio materiæ, & eductio materialis formæ, quæ ſunt quid diuerſum à conuerſione propriè ſumpta.

Probatur ſecundò primum antecedens quoad ſecundam partem, quia ordo cauſarum naturalium exigit, vt præcedentibus diſpoſitionibus in ſubiecto etiam ſolum quantitatiuo ad eaſdem ſubſequatur forma eiſdem proportionata, & vtique per viam generationis, ſed hoc congruentius haberi non poteſt, niſi per illam materiæ creationem, & eductionem formæ ab ipſa, ergo &c. Minor probatur, tum quia non eſt aſſignabilis modus congruentior, qui ſit aptus, & ſufficiens, tum quia, cum nulla præexiſtiterit materia, debet hæc per modum conſuetum, & proportionatum produci, &, cum ex alio capite diſpoſitiones præexiſtentes determinent ad formam determinatam, & productiones ab agentibus naturalibus ſolum fiant via generationis, vtique ſequendo conſuetum naturæ ordinem, quantum fieri poſſibile eſt, debemus aſſerere, quod per talem creationem, & generationem idem ordo congruentius explicetur.

Ex eodem ordine cauſarum naturalium etiam deducitur, quod eadem numero materia, quæ præceſſerat ante conſecrationem cum forma panis, debeat reproduci potius, quam alia, quod ex duplici capite deduco, primò ex permanentia eiuſdem numero quantitatis; ſecundò ex ordine vniuerſi; ex primò capite, quia eadem numero quantitas non exigit mutare ſubiectum, quinimmò, nec naturalitèr poteſt eſſe ſine illo, cum eidem ex natura ſua ſit affixa, ergo, ſi quandoque ex fine ſupernaturali priuetur, retinet exigentiam ad illud. Quod, ſi dicas, quod, ſicuti quantitas ſecundum ſe conſiderata eſt indiferens ad has, vel illas qualitates, ita ſit indiferens ad hoc, vel illud ſubiectum, adeoque non potius exigat vnum, quam aliud; ſtatim impugnaberis, quia licet, ſi conſideretur ſecundum ſe in abſtracto, habeat allegatam indiferentiam, tam quoad formas accidentales, quam quoad ſubiectum, prout tamen ſumitur in concreto, prout coæua tali materiæ, & cum eadem materia nata potius reſpicit illam, quam aliam. Ex ſecundò capite, quia huic connaturale eſt, vt benè notat *Cacheranus d. t. 6. §. 4. num. 73. in fine*, nullam pati variationem in materia rerum generabilium, & corruptibilium, quam variationem longè maiorem pateretur, ſi in ſingulis conſecrationibus vna materia deſtructa alia diuerſa poſtmodum producatur, quam pateretur, ſi eadem numero reproducatur, quia in primo caſu variatio eſſet abſoluta, & ſimplex; in ſecundò nonniſi limitata, & ad tempus. 27 Creatur eadem numero materia.

Ex his habes, quod in reproductione

28 Non reproducitur tamen noua quantitas.

materiæ ad deſitionem ſpecierum ſacramentalium non reproducatur noua quantitas, ſed illa eadem, quæ erat ante conſecrationem cum ſubſtantia panis, & vini, & perſeuerat ſimul cum ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Domini poſt conſecrationem, perſeueret cum materia de nouo producta, & illi vniatur, prout ſtatuunt *Suarez d. diſp. 57. ſect. 3. §. vltimo inquiri, Madernus quæſt. 5. art. 3. num. 10.* Hoc euincitur ex principijs, quæ nos ſuſtinemus, ſcilicet quantitatem, quæ erat in corrupto remanere in genito, nec valet dicere, hoc verificari ſolum, quando quantitas remanet in materia, tanquam in ſubiecto, quia, cum tunc ea materia, cui affixa eſt quantitas, tam in corrupto fuerit, quam maneat in genito, mirum non eſt, quod quantitas maneat cum eadem in vtroque caſu corrupti, & geniti, hoc autem non ſaluatur, quando quantitas eſt ſeparata a materia, quia, cum materia, quæ de nouo producitur, ſecundum curſum ordinarium ſit annexa quantitati, quæ eſt coæua eiuſdem, ideò quantitas, quæ erat, debet deficere, ne ſimul ſit cum quantitate, quæ de nouo producitur cum materia; Non valet, inquam, quia gratis omnino dicitur, quod, quando quantitas eſt ſeparata à materia in productione materiæ debeat cum eadem produci noua quantitas, quandoquidem, in tantum hæc noua quantitas eſſet producenda, in quantum materia debet eſſe cum quantitate, cum autem in noſtro caſu in productione materiæ prior quantitas eidem vniretur, non eſſet, cur alia ſit producenda, quod potiſſimum verificatur in ſententia diſtinguente quantitatem a materia, & tribuente eidem materiæ cauſalitatem materialem in ipſam quantitatem; cum etenim tunc in ſui productione inueniat quantitatem diſpoſitam, eandem recipit, ſibique vnit loco quantitatis producendæ, ſi ipſa non adeſſet, quæ magis vera apparent in noſtra ſententia, qua ſtatuimus, quod materia, quæ producitur in deſitione ſpecierum ſacramentalium ſit eodem numero, quæ erat ante conſecrationem cum forma panis, quæ propterea congruentius exigit eandem numero quantitatem. Adde, quod, ſi in reproductione materiæ noua quantitas cum ipſa produceretur, duo coniurgerent inſueta, & præter naturæ ordinem, primum, quod materia reproduceretur cum diuerſa quantitate ab illa, quæ erat ipſi coæua in ſua origine, & hoc ad præſentiam ſuæ propriæ quantitatis originariæ, ſeu materiæ cum ipſa; ſecundum, quod deſtrueretur prima quantitas propria ad aduentum alterius, ne inuicem penetrarentur, quod videtur incongruum, cum quantitas, ſicut materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, & poneretur anihilatio prioris quantitatis, vbi eiuſdem non fuit creatio, & ſic anihilaretur, quod non fuit creatum, quod licet ſit poſſibile, eſt tamen præter naturæ ordinem.

ARTICVLVS V.

Nonnulla corrollaria ex prædictis deducenda.

SVMMARIVM.

An quantitas in Euchariſtia pati poſſit mutationem. 1.
Quot modis poſſit fieri hæc quantitatis mutatio. 2.
Per condenſationem, & rarefactionem poteſt fieri mutatio. 3.
Etiam per diuiſionem, & continuationem. 4.
Non tamen per corruptionem. 5.
Alteratis ſpeciebus remoto contrario alterante haſe reducunt ad proprium ſtatum ſupplente Deo defectum propriæ formæ. 6.
Species ſacramentales ex ſe non nutriunt formalitèr, ſed tantum diſpoſitiuè, & quomodo. 7.

PRo complemento eorum, quæ dicta ſunt in tota hac quæſtione, nonnulla veniunt examinanda, quæ ſunt tanquam corrollaria ad prædicta. Primum eſt, an, ſicuti accidentia Euchariſtica, quæ recipiuntur in quantitate panis, quæ remanent poſt conſecrationem, pati poſſunt ſuo modo aliquas mutationes, quinimmò omnes illas, quas pati poſſent, ſi eſſent non in ſola quantitate, ſed in tota ſubſtantia panis, ita & eadem quantitas, quæ eſt poſt conſecrationem pati poſſit in ſe ipſa illas mutationes, quas pati poſſet, ſi eſſet ſimul cum materia, quæ mutationes non poſſunt in alio conſiſtere, niſi in diminutione, & augmento. Secundum, quomodo ſaluari poſſit, quod accidentia Euchariſtica, quando aliquam mutationem paſſa fuerunt, vel ab agente calido, vel frigido, vel alio quocunque ſe reducant ad proprium ſtatum non exiſtente forma reductiua. Tertium, an, & quomodo huiuſmodi accidentia Euchariſtica nutrire poſſint.

1 Quantitas, an pati poſſit mutationem.

In ordine ad primum aduertendum eſt, quantitatem poſſe tripliciter pati augmentum, & dimminutionem. Primò per condenſationem, & rarefactionem. Secundò per diuiſionem, vel continuationem. Tertiò per aliquarum partium corruptionem, vel nouam productionem; Quibus poſitis dico, quantitatem Euchariſticam pati

2 Mutatio in quantitate tribus modis poteſt contingere.

pati poſſe mutationem primo, & ſecundo modo, non ſic tertiò naturalitèr loquendo. Ratio primæ partis deducitur ex eo, quod in phyſicis docebamus, nempè rarefactionem fieri per aperitionem pororum, & minutiſſimas partium diuiſiones formalitèr, conſecutiuè verò per corpuſcolorum introductionem ad occupanda illa exigua ſpacia relicta per pororum aperitionem, condenſationem verò per reſtrictionem eorundem pororum; ex qua aperitione, & reſtrictione prouenit maior, & minor extenſio, ſed quantitas Euchariſtica poteſt pati huiuſmodi pororum aperitionem, & reſtrictionem, ergo, & mutationem per condenſationem, & rarefactionem. Minor probatur, quia quantitas Euchariſtica eſt eiuſdem rationis cum cæteris quantitatibus, & æquè eſt capax talium dimenſionum, ſicuti cæteræ quantitates; quæ capacitas non amittitur ex eo, quod careat ſubiecto materiali, cum agens naturale æquè poſſit operari in quantitate ſeparata à ſubiecto, & in quantitate cum eodem coniuncta.

3 *Per condenſationem, & rarefactionem poteſt fieri mutatio.*

4 *Etiam per diuiſionem, & continuationē*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod quantitas panis, & vini exiſtens in Sacramento retinet extenſas dimenſiones, & diuiſibiles ab inuicem, ergo vna pars poterit ab altera ſeparari, & tota eiuſdem quantitas cum alia quantitate coniungi. Hæc quoad diuiſionem patent ad oculum, tam in quantitate panis, quam in quantitate vini, cum vtriuſque partes ſine vllo prorſus obice ab inuicem ſeparentur, & Hoſtia in plures particulas, & minutas partes frangatur, & vinum in plures guttas ſecernatur; itèm quoad quantitatem vini in ordine ad continuationem patet manifeſtè cum vinum conſecratum in vno Calice poſſit miſceri, & continuari cum vino conſecrato in alio Calice, vel etiam cum vino, vel alijs liquoribus non conſecratis; difficultas ſolummodò poteſt eſſe in ordine ad continuationem ratione panis Euchariſtici, qui ratione duritiei, & ſiccitatis non eſt ita facile cum alijs continuabilis; ſed non video, cur, ſi aliquo liquore molleſiat, non poſſit cum alia Hoſtia conſecrata continuari, vel cum alia non conſecrata; Deindè, quamuis non eſſet facilè continuabilis, hoc non proueniret ex eo, quod ſit quantitas Euchariſtica, cum hoc æquè contingat in alijs quantitatibus coniunctis cum ſubiecto, ſi ſolidæ ſint, & ſiccæ.

5 *Non per corruptionem.*

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod, cum quantitas ſit coæua materiæ, comes, & indiuiſa, eſt per vires agentis naturalis ingenerabilis, & incorruptibilis, & ad ſummum deſtruibilis per accidens ad deſtructionem ſubiecti.

In ordine ad ſecundum difficultas in eo videtur conſiſtere, quod communitèr Doctores in corporibus ab agente contrario extrinſeco alteratis principium reductionis ad proprium ſtatum in illis remoto contrario agente refundant in formas ſubſtantiales eorundem corporum; non etenim ipſa accidentia poſſunt ſe ipſa in proprio ſubiecto intendere; quod certè verificari non poteſt in ſpeciebus Euchariſticis alteratis, vel per calorem ab igne, vel per frigiditatem à corpore frigido circunſtante, cum huiuſmodi ſpecies careant propria forma ſubſtantiali, à qua reducantur ad proprium ſtatum, cum tamen experientia comperiamus remoto igne, vel corpore frigido ſe reducere ad proprium, & naturalem ſtatum. Omiſſis quoad hoc varijs dicendi modis ad hunc vnum me reduco, quod illa reductio fiat à Deo, tanquam auctore naturæ ad exigentiam earundem ſpecierum ſacramentalium. Pro quo aduerto, quod, quamuis huiuſmodi ſpecies ſacramentales ſint à propria forma ſubſtantiali ſeparatæ diuinitus ratione huius ineffabilis myſterij, retineant tamen exigentiam ad talem formam, ſicuti ex eo, quod actu ſint ſeparatæ à ſubiecto, retinent exigentiam ad ipſum. Cum ergo Deus ſuppleat defectum eiuſdem formæ, ſicuti, & ſubiecti ſubſtantialis, ita & ſupplere debet illam exigentiam, ſeu id, quod præſtare deberet ipſa forma, ſi adeſſet, adeoque ad exigentiam eorundem accidentium ipſa reducere ad proprium, & naturalem ſtatum.

6 *Quomodo ſpecies alteratæ ſe reducant ad propriū ſtatum.*

7 *Species ſacramētales, an nutriant, & quomodo.*

In ordine ad tertium, dico ſpecies ſacramentales ex ſe formalitèr non nutrire, ſed ad ſummum diſpoſitiuè, quatenus per agens naturale diſponuntur, vt ex ipſis producatur ſubſtantia ex ſe nutritiua. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia accidentia, vt talia, vt ſuppono ex quæſtionibus de anima, non ſunt nutritiua aſſerente *Ariſtotile ſecundo de anima*, quod alimentum nutrit, prout eſt ſubſtantia quædam, auget autem, prout eſt aliquod quantum, ſed ſpecies ſacramentales ſunt pura accidentia, non ſubſtantia, ergo &c. Ratio ſecundæ partis, quia nutritio eſt quædam ſpecies generationis, quæ terminatur ad ſubſtantiam ad differentiam alterationis, quæ terminatur ad accidens, ſed ex ſupradictis non ex ipſis ſpeciebus formalitèr fiunt generationes, ſed ex eiſdem dumtaxat diſpoſitiuè, quatenus ex ipſis per agens naturale diſpoſitis fit productio materiæ, ex qua educitur forma ſubſtantialis, ergo ex eiſdem formalitèr non fit nutritio, ſed dumtaxat diſpoſitiuè, quatenus ab ipſis diſpoſitis fit productio &c.

QUÆSTIO VIII.

De obligationibus aſſiſtendi Miſſæ Sacrificio, & ſumendi Euchariſtiam.

CUm Miſsæ Sacrificium, & inſtitutio Euchariſtiæ ordinata ſint ad cultum ſupremę Maieſtatis, & ſalutem animarum, non incongruè inducta eſt obligatio, & aſſiſtendi, & ſumendi pro certis, & determinatis temporibus, ne id, quod pro ſalute omnium inſtitutum eſt; facilè, vel ab omnibus, vel à pluribus negligatur, & cultus debitus omittatur. Hanc obligationem tam ſumendi Euchariſtiam, quam aſſiſtendi Sacrificio in præſenti examinabimus, ne quid prætermittatur, quod etiam ad conſequentia ad ipſam Euchariſtiam, & Sacrificium pertinere poſse videantur.

ARTICVLVS I.

An ſumptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij.

SVMMARIVM.

Quænam dicatur neceſſitas medij. 1.
Quot modis ſumptio Euchariſtiæ poſſit eſſe neceſſaria. 2.
Non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re. 3.
Nec item neceſſaria, ſicut eſt baptiſmus. 4.
Non eſt medium vnicum ad perſeuerantiam. 5.
Nec eſt neceſſaria neceſſitate medij in voto explicito, & formali. 6.
Benè tamen in voto implicito, & quomodo. 7.

1 Neceſſitas medij quid. NEceſſitas medij illa eſt, qua medium ex ſe independentèr à quocunque præcepto poſitiuo ita influit in finem, vt hic ſine illo haberi non poſſit. Porro medium hoc, vel eſt neceſſarium ad finem, quatenus eſt in re, vel ſufficit, quod fuerit, ſeu ſit dumtaxat in voto. Rurſus votum, in quo medium poteſt dici neceſſarium ad finem, adhuc duplex eſt, alterum formale, proprium, & explicitum, & conſiſtit in explicito, & formali actu, quo quis appetit finem; alterum virtuale, implicitum & improprium, atque hoc conſiſtit in quadam habitudine, & inclinatione, quam habet res aliqua, ſeu actus aliquis, quem poſſidet quis in ordine ad aliquem finem.

2 Quot modis poſſit eſſe neceſſaria. Hoc votum implicitum, & virtuale in hac materia Euchariſtiæ hoc modo explicant Thomiſtæ, & recentiores plurimi. Supponunt Euchariſtiam, tanquam aliorum omnium Sacramentorum finem, omnemque gratiam, quæ per alia Sacramenta in ſumentibus cauſatur, perfici per Euchariſtiam, & conſummari, vnde dicitur gratiæ conſummatæ, & æternæ gloriæ pignus. Cum igitur alia Sacramenta conſiderentur quaſi tanquam media ad ipſam Euchariſtiam, & in medijs detur aliqua habitudo, & ordinatio ad finem; hinc aſſerunt, quod, qui ſuſcipit alia Sacramenta, dicatur habere in voto implicito, & virtuali ipſam Euchariſtiam propter illam habitudinem, quam habent alia Sacramenta ad ipſam Euchariſtiam. His ſic pro notitia explicatis.

3 Non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re. Dico primò, ſumptionem Euchariſtiæ in re non eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem. Eſt veritas Catholica communiter ab omnibus recepta, & intelligitur æquè de adultis, ac de paruulis, & quidem in ordine ad paruulos ſic definitum reperitur per *Concilium Tridentinum ſeſs. 21. cap. 4.* Denique Sancta Synodus docet, paruulos vſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem; ſiquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam iam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt; ex qua definitione Concilij reprobatur error quorundam Armenorum, qui Euchariſtiam ſimul cum baptiſmo paruulis conferebant, quaſi eſſet eadem vtriuſque neceſſitas. In ordine verò ad adultos ex eo deducitur, quod Eccleſia neminem priuat medio ad ſalutem neceſſario; aliquos autem adultos priuat eadem Euchariſtia etiam in articulo mortis conſtitutos, & præcipuè non valentes Sacramentum ſumere ſine veriſimili periculo grauis irreuerentiæ; & hinc reijcitur perfida illorum conſuetudo; qui tenaces talis neceſſitatis aſſertores eò fatuitatis deuenerunt, vt etiam corporibus poſt mortem applicarent Euchariſtiam; quaſi non poſſent animæ ſaluari ſine illa applicatione, qui fuerunt reprobati *in Concil. Cartaginenſi III. can. 6.* Confirmatur in vniuerſum, quia Euchariſtia non eſt per ſe cauſatiua primæ gratiæ poſt lapſum, ergo non eſt neceſſaria in re neceſſitate medij ad ſalutem. Antecedens probatur, quia Sacramentum Euchariſtiæ non eſt Sacramentum mortuorum, ſed dumtaxat viuorum, quod per conſe-

quens

quens ſupponit vitam per gratiam in ſuſcipiente, adeoque non debet præcedere iuſtificationem, ſed ſubſequi. Conſequentia verò probatur, quia habita iuſtificatione habetur ſufficiens ius ad gloriam, & ad ſalutem, ſed hoc jus habetur independentèr ab eadem Euchariſtia, cum hæc non ſit cauſatiua per ſe iuſtificationis, nec illius iuris, ergo eadem Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad illam, ſeu illud.

4 Non eſt ita neceſſaria ſicut eſt baptiſmus.

Neque obeſſe poteſt, quod Euchariſtia ita ſit neceſſaria ad ſalutem, ſicuti eſt baptiſmus, ſed baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij in re, quando haberi poteſt, & ſaltem in voto, quando haberi non poteſt in re, ergo etiam Euchariſtia. Maior probatur, quia eodem modo, & ſub eadem formalitate in ſacris paginis imponitur onus ad vtrumque, & importatur eadem neceſſitas; nam de baptiſmo dicitur, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt &c.* de Euchariſtia verò dicitur. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, vbi nota illam particulam, *niſi*, in vtroque expoſitam, quæ certè importat omnimodam neceſſitatem in ordine ad conſecutionem gloriæ, & vitæ æternæ. Non, inquam, obeſſe poteſt; quia ex modo exprimendi eodem non eſt arguenda eadem neceſſitas, nam etiam dici poteſt in ijs, quæ ſunt iuris merè Euchariſtici, niſi audias ſacrum in die feſtô, niſi ſerues ieiunium in die præcepto, non ſaluaberis &c., vnde ly, *niſi* aptum eſt ſignificare, vel præcepti, vel medij neceſſitatem, vnde ad diſtinguendam neceſſitatem medij à neceſſitate præcepti non eſt attendendus ſimpliciter modus expreſſionis, ſed rationis diuerſitas; quæ maximè reſultat ex eo, quod baptiſmus confert ex ſe primam gratiam, non ſic Sacramentum Euchariſtiæ, quæ eandem ſupponit.

5 Non eſt medium vnicū ad perſeuerantiam.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi dicatur, quod non minus neceſſaria eſt ad ſalutem perſeuerantia in gratia, ac ſit ipſa prima gratia, ſed eadem prima gratia poſt lapſum eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, ergo, & perſeuerantia in eodem, ſed hæc habetur virtute Euchariſtiæ, ergo Euchariſtia eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. Subſumpta minor probatur, quia perſeuerantia in gratia eſt deſiſtentia poſt acceptam gratiam à læthalibus, ſed vis ad abſtinendum à læthalibus præſtatur a Sacramento Euchariſtiæ, prout habetur *in Trident. ſeſs. 13. cap. 2.* Ibi: *tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruamur*, ergo *&c.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato etiam, quod Euchariſtia conferat ad hanc perſeuerantiam, prout re vera confert, non eſt tamen vnicum medium, & ſimpliciter neceſſarium ad illam obtinendam, ita vt ſine illa haberi non poſſit, cum haberi etiam poſſit per auxilia actualia, & efficacia, per alia opera meritoria etiam ſine ſumptione Euchariſtiæ, ex quo reſultat non eſſe neceſſariam neceſſitate medij.

6 Nec eſt neceſſaria tali neceſſitate in voto formali.

Dico ſecundò, nec eſſe neceſſariam neceſſitate medij in voto proprio, & explicito, & formali. In hoc etiam conueniunt communiter. Ratio ex eo deducitur, quia non eſt neceſſarium votum formale, & explicitum rei, quando res ipſa neceſſaria non eſt, cum votum ſupplere habeat rem, & per conſequens neceſſitas voti ſuccedere debet neceſſitati rei, quando hæc haberi non poteſt, ſed Euchariſtia in re non eſt neceſſaria neceſſitate medij, ergo neque in voto explicito, & formali. Confirmatur, quia in tantum Sacramentum Baptiſmatis, & Pænitentiæ dicitur neceſſarium neceſſitate medij, vel in re, vel in voto, in quantum ſine altero ipſorum nequit haberi iuſtificatio, & prima gratia, ita vt, ſi non poſſint haberi in re, ſit tamen in ſupplementum rei neceſſarium votum, ſed hoc non militat reſpectu Euchariſtiæ, cum ſine ipſa haberi poſſit iuſtificatio, & prima gratia, ergo &c. Hæc argumenta, quæ militant in caſu adultorum, à fortiori militant reſpectu paruulorum, in quibus nequit eſſe hoc votum formale, & explicitum.

7 Bene tamen in voto implicito, & quomodo.

Dico tertiò, votum virtuale, implicitum, & improprium Euchariſtiæ eſt neceſſarium neceſſitate medij, tam adultis, quàm paruulis. In hoc etiam communiter conſentiunt. Hoc autem votum, vt ſupra etiam inſinuabam, dicitur tale non ratione alicuius actus voluntatis poſitiui relati ad eandem, cum poſſit eſſe ſine quocunque actu, ſed ratione cuiuſdam habitudinis, & inclinationis, quam habent alia Sacramenta, & præcipuè illud Baptiſmatis, & Pænitentiæ ad eandem Euchariſtiam. Hæc autem habitudo in eo conſiſtit, quod Euchariſtia ſit veluti complementum, & conſummatio aliorum Sacramentorum, aſſerente *D. Thoma quæſt. 73. art. 3.*, in corpore, quod Baptiſmus ſit principium ſpiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum, Euchariſtia verò eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, vnde, ſicuti omnes res inclinant ad ſuam conſummationem, & complementum, ita, & Baptiſmus ad Euchariſtiam, quæ eſt conſummatio, & finis eiuſdem, & ſic ille ordo, ſeu illa habitudo eſt quodamodo

imbi-

imbibitus, ſeu imbibita in eodem Sacramento Baptiſmatis, qui, ſicut ſecundum ſe eſt neceſſarius ad ſalutem, ita videtur neceſſarius ſecundum illam habitudinem imbibitam in ipſo.

ARTICVLVS II.

An detur præceptum Diuinum de Euchariſtia ſumenda, & quando obliget, & quoſnam.

SVMMARIVM.

Adeſt præceptum Diuinum obligans ad ſumendam Euchariſtiam. 1.
Obligat omnes baptizatos gaudentes vſu rationis. 2.
Etiam peccatores, & excommunicatos. 3.
Quinam dicantur gaudere vſu rationis ad hunc effectum. 4.
Pro quonam anno præceptum Euchariſticum communionis Paſchalis obliget. 5.
Præceptum Diuinum communicandi in articulo mortis citius obligat, ſeu pro minori ætate, & pro quanam. 6.
Præceptum Diuinum extra mortis articulum non obligat citius, ac præceptum Eccleſiaſticum. 7.
Reijciuntur Amicus, & Nauarrus aſſerentes de iure Diuino pueros gaudentes vſu rationis non eſſe communicandos. 8.
In dubio, an pueri polleant ſufficienti rationis vſu, quid agendum. 9.
Quid agendum cum amentibus, & furioſis, vbi de diuerſis illorum ſtatibus. 10.
Præceptum Diuinum obligat etiam infideles. 11.
Si habeant notitiam Euangelij. 12.
Obligat in articulo mortis. 13.
Obligat etiam aliquoties in vita. 14.
Quandonam obliget in vita. 15.
Suarez vix agnoſcit neceſſitatem extra mortis articulum. 16.
Secundum eundem accepto Viatico in articulo mortis non eſt ex præcepto Diuino iterum conferenda communio, ſi eodem durante infirmus incidat in nouum peccatum lethale. 17.
Vrgentibus grauibus tentationibus, quæ alijs remedijs ſuperari non poſſint per accidens præceptum Diuinum obligat. 18.
Differens communionem vltra annum peccat ſolum contra præceptum Eccleſiaſticum. 19.
Præceptum Euchariſticum de Paſchali communione eſt diſtinctum à præcepto Diuino. 20.

QVamuis olim *D. Bonauentura in quarto diſt. 12. art. 2. quæſt. 10., Argentinas eadem diſt. qu. 3. art. 4., Alenſis quarta parte quæſt. 11. memb. 2. art. 4.,* nullum præceptum Diuinum agnouerint de ſumptione eiuſdem Euchariſtiæ, quod etiam videtur docuiſſe *D. Thomas in quarto diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2., & diſt. 12. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 1., & etiam Scotus in 4. diſt. 9. qu. vnica.* Nihilominus tale præceptum Diuinum dari, & alij omnes cognouerunt, & D. Thomas poſtea non reprobauit *quæſt. 80. art. 11., & Scotus etiam diſt. 19. quæſt. 1. art. 2.,* & nos etiam agnoſcimus, & præcipuè ex duplici Euangelij textu; primò ex illo Ioannis 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis,* quæ certè verba important præceptum, cum ſint ſub comminatione amiſſionis vitæ æternæ; nec certè intelligenda ſunt de manducatione, ſeu bibitione purè ſpirituali, & in voto, quandoquidem ex contextu horum verborum tum præcedentium, tum ſubſequentium ſatis apertè comperitur ibi eſſe ſermonem de manducatione reali, & ſacramentali. Secundò ex illo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* quæ certè verba important præceptum, cum modo imperatiuo fuerint concepta, & cum prolata fuerint poſt confectionem, & ſumptionem Euchariſtiæ, vtique important præceptum tam Sacerdotibus conficiendi, quam Laicis ſumendi; Nec arbitrandum eſt ſolummodò per illa verba Apoſtolis, cum quibus tunc loquebatur, & eorum ſucceſſoribus, impoſuiſſe præceptum conficiendi, non autem Laicis, cum quibus non loquebatur, præceptum ſumendi; Non, inquam, arbitrandum hoc eſt, quandoquidem tunc Apoſtoli Euchariſtiam à Chriſto Domino confectam ſumpſerunt modo laicali; cum tunc ipſi non conſecrauerint, nec ſacrificium confecerint; ex quo arguitur, quod non ſolum Sacerdotibus conficientibus, ſed & cunctis ſumentibus præceptum tunc Chriſtus dederit; quod, & magis explicat *Apoſtolus prima ad Corinth. 11.,* per illa verba: *quotieſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis,* ex quibus reſultat, quod præceptum reſpiciat etiam manducantes, & bibentes, non præciſè conficientes.

1 Præceptū Diuinū obligat.

Suppoſito tali præcepto Diuino de ſumptione Euchariſtiæ remanet iam explicandum; quoſnam tale præceptum obliget. Pro quo dico primò, hoc præcepto teneri omnes baptizatos gaudentes vſu rationis. In hoc videntur communiter conſentire. Euincitur ex allegatis præceptis, & præcipuè ex illo Ioannis 6. *Niſi manducaueritis &c.,* quod videtur vniuerſale etiam in ordine ad infideles, vt infra videbimus, & à fortiori extenditur ad omnes

2 Obligat omnes baptizatos rationis compotes.

fideles

fideles baptizatos gaudentes vſu rationis. Quod, ſi dicas, publicos peccatores, excommunicatos, ſciſmaticos, & energumenos excludi à communione, qui tamen ſupponuntur baptizati, & capaces rationis, ergo illud præceptum non eſt vniuerſale ad omnes baptizatos; Contrà ſtatim impugnaberis, quia excluduntur ſimul, & obligantur; excluduntur, ne affecti illis peruerſis qualitatibus indignè accedant; obligantur item, quia præceptum, quod ipſos obligat ad ſumendam Euchariſtiam, obligat etiam ad remouendos obices, qui impediunt licitam, & dignam ſumptionem; nam, qui obligat ad finem, obli-

3 Etiam peccatores, & excommunicatos.

gat etiam ad remouenda media, quæ impedire poſſunt eiuſdem finis cōſecutionem; & hoc, quod præſtat præceptum Diuinum in ordine ad tempus, pro quo obligat, præſtat etiam præceptum Eccleſiaſtico in ordine ad ſumptionem pro temporibus ab eadem Eccleſia præſcriptis; vndè, ſi peccatores, excommunicati, & ſciſmatici pro temporibus à Deo, vel ab Eccleſia præſcriptis non remouerint obices, quibus impediebantur, ex ſua incuria, vel peruerſitate, non eximerentur à noua noxa læthali ob tranſgreſſionem talis præcepti. Quoad energumenos verò non video, quo iure, quoue canone arceantur à ſacra communione, & licet à *Vaſquez diſp. 212. cap. 4.*, allegetur Concilium Elibertinum communionem eiſdem vetans, hoc intelligendum eſt, quando energumeni, ità à Dæmone vexantur, vt adſit magnum periculum irreuerentiæ erga Sacramentum, ſi ad illud admittantur, vel dicas hoc Concilium iam eſſe communi Eccleſiæ praxi abolitum.

Dixi, *gaudentes vſu rationis*, in quibus particulis maior videtur ſubeſſe difficultas in ordine ad explicandum, pro quonam tempore, ſeu quandonam dicantur gaudere ſufficienti vſu rationis, tam in ordine, vt obligentur præcepto Eccleſiaſtico ad communionem Paſchalem, tam in ordine, vt obligentur præcepto Diuino ad communicandum in articulo mortis, vel alio tempore à iure Diuino præſcripto. Quoad communionem Paſchalem ex præcepto Eccleſiaſtico varij varia tempora aſſignant tum ſimpliciter, tum in ordine ad diuerſas perſonarum habitudines, capacitates, & educationes. Viguerius inde-

4 Quinam ad hunc effectum dicantur rationis compotes

finitè, nec diſtinguens inter maſculos, & fœminas, aſſignat annum quartumdecimum, & hoc expreſsè docet *cap. 16. §. 3. verſ. ſecundo, Sotus in quarto diſt. 9. art. 11.* ſtatuit annum 12. D. Thomas *ead. diſt. 9. quæſt. vnica art. 5. quæſtiunc. 4.*, præſcribit annum decimum, vel vndecimum. *Ʒ enſis quarta part. quæſt. 11. membr. 11. art. 3. §. 2.*, cui adhæret *Cacheranus qu. 80. art. 9.*, quoad puellas præſcribit annum decimum. Alij tandem, quos ſuppreſſo nomine refert *D. Antoninus in ſumma part. 2. tit. 9. cap. 8. §. 2.*, ſtatuunt tempus immediatè poſt ſeptennium. Antequam quoad hoc, quid ſentiam, proferam, aduerto, quod, quamuis fœminæ citius ad pubertatem perueniant, quam maſculi, non præterea citius habilitentur ad ſacram communionem, quia, licet natura in fœminis citius perficiatur in ordine ad actiones animales puta ad generationem, non tamen in eiſdem citius perficitur in ordine ad operationes intellectuales, & rationales, & ad vſum rationis, qui potius præuenit in maſculis, quam in fœminis. Ad ſacram autem communionem attendendæ 5 Pro quonam ætatis anno obligentur ad communionem Paſchalē.

ſunt potius vires rationis, & iudicij, quam vires naturæ ad animales actiones. Dico iam, cum non poſſit propter variam corporalem temperiem, & educationem in ordine ad omnes præſcribi certa regula pro tempore certo, & determinato, quo omnes indefinitè obligentur, hoc relinquendum eſſe iudicio pij, & prudentis confeſſarij cum quadam tamen limitatione, vt ſcilicet nullus admittatur ad ſacram ſinaxim ante annum decimum, nulli protrahatur vltra decimumquartum annum; atque in hoc videntur conſentire *Scotus in quarto diſt. 17. quæſt. vnica, §. de ſecundo articulo, Suarez diſp. 70. ſect. 1. §. deindè, Lugus diſp. 13. ſect. 4. num. 33., Madernus quæſt. 7. art. 5. n. 11., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 3. §. 4. num. 86., & ſeqq.*, & per hoc conſulitur reuerentiæ Sacramento debitæ, & vtilitati puerorum; reuerentiæ, quia prudens Confeſſarius pro illo aſſignato tempore poterit facilè dignoſcere, an puer nouerit diſcernere panem conſecratum à non conſecrato, & cognoſcere quænam reuerentia ſic illi debita; vtilitati puerorum, ne illis differatur, vltra quam par ſit, tam ſalubre beneficium participationis in Corpore Chriſti Domini.

Quoad communionem verò in articulo 6 Præceptum Diuinum citius obligat.

mortis, vel alio tempore ex præcepto Diuino plures ſtatuunt idem tempus, quod præſcribitur ex præcepto Eccleſiaſtico pro communione Paſchali; atque ità docent *Corduba in ſumma quæſt. 60., Vaſquez diſp. 214. cap. 4. num. 41., Hurtadus diſp. 10. difficul. 4.* Sed probabilius ego arbitror potiſſimum in ordine ad articulum mortis præceptum Diuinum citius vrgere, quam præceptum Eccleſiaſticum, adeoque ſtatim obligare, ac puer peruenerit ad diſcretionem, & ad vſum rationis, adeovt valeat panem conſecratum à non conſecrato diſcernere; atque in hoc conſentiunt *Suarez*

rez

rez d. diſp. 70. ſect. 1. §. quare tandem, *Madernus quæſt. 7. art. 5. num. 12.*, *Cacheranus loc. cit.* Rationem ex eo deduco, quia præceptum Diuinum ſine limitatione temporis prolatum pro eo tempore intelligendum eſt ſimpliciter obligare, pro quo potiſſimum vrget neceſſitas, & quo elapſo non poteſt amplius adimpleri, &, cùm ſit vniuerſale, debet extendi ad quoſcunque capaces fructus ipſius, ſed pueri poſt adeptum vſum rationis intelliguntur idonei, & capaces &c., ergo præceptum Diuinum illos etiam in tali articulo conſtitutos obligat. Dixi *in ordine ad articulum mortis*. Sed, an extra talem mortis articulum præceptum Diuinum obliget pueros ad communicandum aliquando etiam, antequam præceptum Eccleſiaſticum obliget? Ratio dubitandi videtur ex eo pendere, quod infrà dicemus, ſcilicet præceptum Diuinum non ſolùm obligare in articulo mortis, ſed etiam aliquando in vita, quod congruentiùs non videtur poſſe adimpleri, niſi cum

7 Extra mortis articulū non citius obligat. peruenerit ad vſum rationis. Nihilominus extra talem mortis articulum ſentiendum arbitror, hoc præceptum non vrgere ante tempus ab Eccleſia præſcriptum ad communionem Paſchalem, prout ſentit *Suarez d. diſp. 70. ſect. 1. verſ. quares tandem*, quia extra periculum, ſeu articulum neceſſitatis, nec ipſum præceptum Diuinum videtur potiùs pro vno, quàm pro altero tempore obligare, vndè determinatio eiuſdem quoad tempus aliundè haberi congruentius non poteſt, quàm à determinatione Eccleſiæ interpretis iuris Diuini.

8 Reijcitur in hoc Amicus, & Nauarrus. Hic nequeo acquieſcere *Amico diſp. 24. num. 60., & ſeqq.*, *Nauarro in manuali cap. 21. num. 57., & ſeqq.*, qui loquentes de pueris in articulo mortis conſtitutis nullam agnoſcunt ex præcepto Diuino obligationem de ipſis communicandis; aſſerunt tamen, hoc eſſe illis conſulendum, & ſuadendum; Nequeo, inquam, acquieſcere, quia, ſi ſunt conſulendi, & ſuadendi, ergo ſupponuntur habere ſufficientem idoneitatem, & diſcretionem, cæteroqui iniquè hortarentur, & ſuaderentur, ergo ſunt ex neceſſitate præcepti Diuini communicandi, quia præceptum Diuinum obligat in articulo mortis quoſcunque idoneos, & habentes ſufficientem diſcretionem. Ex quibus infero, non ſolum præceptum Diuinum obligare pueros habentes ſufficientem vſum rationis ad ſumendum Viaticum in articulo mortis; ſed etiam Parochos ad idem Viaticum eiſdem deferendum.

Sed quid erit dicendum, ſi dubium ſit, an pueri in articulo mortis conſtituti habeant ſufficientem vſum rationis ad Viaticum recipiendum requiſitum? Hoc idem agitari poteſt extra mortis articulum in ordine ad communionem Paſchalem reſpectu habentium vſum rationis debilem, & valdè imperfectum, quantumuis attigerint annos diſcretionis puta duodecimum, vel decimumquartum annum ſuæ ætatis. Auctores in hoc video diuiſos, dum alij affirmant, alij negant. Magis piam arbitror in ordine ad pueros periclitantes opinionem concedentem illis deferri poſſe Viaticum, cum hæc magis faueat præcepto Viatici, & vtilitati paruulorum, & in hoc conſentiunt *Madernus d. quæſt. 7. art. 5. num. 14.*, *Lugus diſp. 13. ſect. 4.*, *Arriaga diſp 43. ſect. 4.*, *Cacheranus dict. cap. 3. § 4. num. 91.*, *& alij*. In ordine verò ad alios habentes debilem, & imperfectum vſum rationis quoad communionem Paſchalem, ſentiendum eſt, quod, ſi debilitas rationis talis ſit, vt ſit minor, & imperfectior ea, quam diximus ad minimum requiri pro Viatico in paruulis, & tunc eiſdem non ſit concedenda communio non ſolum ex vi præcepti Eccleſiaſtici in Paſchate, ſed nec ex vi iuris Diuini in articulo mortis, cùm ſint omninò inidonei; ſi verò debilitas ſit talis in adulta ætate, vt ipſa ſtante, ſeu cum æquali eidem concederetur communio pueris in articulo mortis, tunc adhuc diſtinguendum arbitror, vel eſſet ſpes futuri melioris vſus rationis, & tunc diferenda eſſet prima communio vſque ad decimumquartum annum, & fortè etiam vlterius ad experimentum, vel non eſſet ſpes melioris iudicij, & tunc, cum peruenerit ad annum decimumquartum, non erit vlterius diferenda communio, ad quod reſpexiſſe videtur *D. Thomas quæſt. 80. art. 9. in corpore*, dum dixit: *Aliqui dicuntur non habere vſum rationis, quia habent debilem, ſicut dicitur non videns, qui malè videt, & quia tales poſſunt aliquam deuotionem huius Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum*.

9 In dubio vſus rationis quid agendum.

Ex occaſione eorum, quæ dicta ſunt de pueris, non incongruo ordine hic inquirendum arbitramur, an amentibus ex neceſſitate præcepti Diuini in articulo mortis, vel ex neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici in Paſchate ſit conferenda communio. Pro quo aduerte, amentes, vel eſſe tales à natiuitate, adeovt numquam rationis vſum habuerint, nec potuerint diſcernere panem conſecratum à non conſecrato, nec reuerentiam Euchariſtiæ debitam, vel eſſe tales poſt acquiſitum perfectum vſum rationis ex aliqua cauſa ſuperueniente. Rurſus, vel eſſe tales poſtquam tales facti ſunt, ita vt nullis gaudeant lucidis interuallis, vel tales, vt habeant quandoque huiuſmodi interualla. Quibus ſuppoſitis aſſero

10 Quid agendum cū amentibus, & furioſis.

primò,

primò, ſi fuerint tales à natiuitate, adeovt numquam rationis vſum habuerint, nec in articulo mortis ex præcepto Diuino eſſe communicandos, nec in Paſchate ratione præcepti Eccleſiaſtici. Ratio ex eo deducitur, quia comparantur tanquam pueris vſu rationis omninò carentibus, quibus, ſicuti ex ſupradictis non eſt concedenda communio, nec per modum Viatici in articulo mortis, ita nec iſtis eſt concedenda. Aſſero ſecundò, ſi non fuerint tales à natiuitate, ſed poſt acquiſitum perfectum vſum rationis in amentiam inciderint, nec extet periculum expuitionis, contemptus, & irreuerentiæ, in articulo mortis eſſe communicandos, dummodò antecedentèr ſigna pænitentiæ oſtenderint, & deuotionem exhibuerint, quod indicatur expreſsè in Catechiſmo Pij V., vbi dicitur, amentes, & inſanos eſſe communicandos, ſi antequàm in inſaniam inciderint, piam, ac Religioſam animi voluntatem præſetulerint. Sed, an hæc, quæ dicuntur, intelligenda ſint dumtaxat de communione eiſdem in articulo mortis per modum Viatici conferenda; an etiam de communione annua, & Paſchali extra tale mortis periculum? Crederem, non ità facilè extra mortis periculum conferendam eſſe communionem Paſchalem, niſi pro illo tempore gauderent lucidis interuallis, quod videtur innuere Rituale Pauli V., vbi habetur, illos tantum eſſe communicandos (loquitur de amentibus, & inſanis,) qui lucida habent interualla, & deuotionem oſtendunt, dum ſunt in tali ſtatu; nec incongrua ratione hoc aſſerendum videtur, quandoquidem, cum in tali ſtatu communionis Paſchalis non ſit tanta indigentia, non eſt hæc præferenda obligationi, quam quiſque habet accedendi ad Euchariſtiam cum aliqua reuerentia, & diſpoſitione actuali.

11 Præceptũ Diuinum obligat etiam infideles. Dico ſecundò, hoc præceptum obligat prout eſt Diuinum etiam infideles, non baptizatos, dummodò rationis vſu gaudeant, & notitiam habuerint Euangelij. Ratio ex eo deducitur, quia hoc præceptum prouenit ab habente ſupremam poteſtatem in omnes, ſiue fideles, ſiue infideles, & eſt vniuerſale cum extenſione ad omnes, quandoquidem, quando Chriſtus hoc mandatum dedit per illa verba. *Niſi manducaueritis &c.*, non ſolum loquebatur cum Apoſtolis, & diſcipulis, ſed etiam cum turbis Iudæorum, qui etiam inter ſe ſtupentes dicebant. *Quomodo hic poteſt dare nobis ſuam carnem ad manducandum?* Neque dicas, quod præceptum, quantumuis Diuinum non poſſit dirigi ad eos, qui ſunt incapaces illius effectus; infideles autem non baptizati non ſunt capaces, prout ſunt in eo ſtatu, ergo &c.; Contra enim impugnaberis, quia, ſi inſtantia aliquid euinceret, euinceret etiam, quod fideles peccatores non tenerentur tali præcepto, quandoquidem, vt tales non ſunt capaces fructus eiuſdem Euchariſtiæ; Sicuti igitur peccatores, quantumuis, vt tales non poſſint licitè ſumere Euchariſtiam, nec ſint capaces eiuſdem, tenentur tali præcepto, quia hoc obligans ad ſumptionem obligat etiam ad ea adimplenda, & remouenda, quæ ſunt neceſſaria ad licitam ſumptionem, nempè ad remouendum obicem peccatorum per ſacramentalem confeſſionem; ita & infideles, quantumuis, vt tales non poſſint licitè &c., tenentur tamen eodem præcepto, quod, cum obliget ipſos ad ſumptionem, obligat etiam ad ea remouenda, quæ obſtare poſſunt licitæ ſumptioni, adeoque ad recedendum ab infidelitate &c.

Dixi, *dummodò vſu rationis gaudeant, & notitiam habeant Euangelij;* Quoad vſum rationis patet ex dictis; ſi etenim paruuli ante vſum rationis, quantumuis baptizati non tenentur, multominus tenentur non baptizati carentes vſu rationis; Quoad notitiam verò Euangelij patet ex communi regula, ſecundum quam nemo tenetur ad obſeruantiam legis, cuius habet ignorantiam inuincibilem; ſed hæc ignorantia vix modo poteſt præſumi, cum in omnem terram exierit media prædicatione Apoſtolorum, & ſucceſſorum eorundem ſonus Euangelij. 12 Si habeat notitiam Euangelij.

Remanet modo explicandum tempus, ſeu pro quonam tempore obliget præceptum Diuinum ad ſumptionem Euchariſtiæ? Obligare in articulo mortis iam ſatis, ſuperque inſinuatum eſt in præcedentibus, & præcipuè ea ratione, quod ſuppoſita exiſtentia præcepti Diuini nullo alio tempore poteſt congruentius obligare, quam cum maior, & extrema vrget indigentia, tum ad confirmandam vitam ſpiritualem, tum ad luctam aduerſus Dæmonem tunc magis inſidiantem ſuperandam, hæc autem maior, & extrema neceſſitas vrget magis in mortis articulo. 13 Obligat in articulo mortis.

Quoad alia tempora extra mortis articulum non defuerunt aliqui, inter quos *Ledeſma prima part. quarti lib. quaſt.* 21. *art.* 11. *in fine*, *Victoria in ſumma num.* 86., qui, cum docuerint præceptum Diuinum non obligare ad ſumptionem Euchariſtiæ, niſi ſemel in vita, ſiue hoc fiat in articulo mortis, ſiue antecedenter ad illam, debent per conſequens aſſerere, quod, ſi omiſerit quis pro toto tempore vitæ communionem ſumere, & ſumat in articulo mortis, adimpleat hoc præceptum Diuinum. Sed abſolutè ſentiendum eſt ſignantèr hoc 14 Etiam aliquoties in vita.

præceptum obligare in articulo mortis, & vlterius aliquoties in vita; atq; ità ſentiunt *Suarez diſp. 69. ſect. 3. verſ. dico ſecundo*, *Vaſquez diſp. 214. cap. 2., & 3.*, *Madernus quæſt. 7. art. 5. num. 9.*, *Cacheranus cap. 3. §. 3. num. 50.*; & deducitur ex fine, ob quem hoc Sacramentum inſtitutum eſt, qui eſt charitatis robur, & nutritio, & perſeuerantia; ſicuti autem charitatis robur, & carnis concupiſcentia, & peccati fomite continuo tepeſcit, & vires animæ nutritione ſpirituali deſtitutę debilitantur, ita & debet non vnico actu, nec vnica nutritione reſtaurari, ſed aliquoties, prout neceſſitas exiget, & indigentia.

15 Quandonam obligantur in vita.

Sed quænam erunt hæc tempora, pro quibus vltra mortis periculum vrgeat præceptum Diuinum de communione ſumenda? Nonnulli apud *Suarez diſp. 69. ſect. 3. verſ. ſed ſtatim occurrit difficultas circa finem* exiſtimant non poſſe aſſignari quoad hæc tempora vniformem regulam pro omnibus, eò quia fortè exiſtiment, hoc præceptum vrgere dumtaxat ratione tentationum, quæ, cum non ſint æquales in omnibus, nec videantur habere æqualia tempora pro omnibus ad obligandum. Sed iſti confundunt neceſſitatem per accidens ratione alicuius adiacentis cum neceſſitate per ſe ratione præcepti, vndè conſiderata præcisè neceſſitate per ſe non videtur debere eſſe difformis regula, &, ſicuti ratione præcepti Eccleſiaſtici aſſignatur determinatum tempus Paſchalę pro omnibus, quamuis ratione tentationum poſſint aliqui frequentius obligari, ita ratione præcepti Diuini debet vniformis regula pro omnibus aſſignari, quamuis poſſit eſſe varia per accidens pro ſingulis ratione variarum tentationum, ſeu aliorum adiacentium.

16 Opinio Suarez exponitur.

Suarez loc. cit. verſ. dico tamen quarto, & ſeqq., diſcurrendo per varios modos, quibus videtur poſſe contingere neceſſitas per accidens, arbitratur, nunquam hanc oriri poſſe ex alijs præceptis, neque eius tempora per extrinſecas circumſtantias poſſe deſignari, & quidem incipiendo ex neceſſitate conſurgente per accidens ratione grauium, & vehementium tentationum vix agnoſcit conſurgere obligationem communionis ad eas ſuperandas, cum adhiberi poſſint alia remedia Orationum, Pœnitentiarum, & mentis eleuationis in Deum, remotionis otij, aliarumque occaſionum tunc vigentium, quod, ſi hæc non proſint, nec videtur poſſe prodeſſe communio. Quod, ſi dicatur, quandoque in aliquibus compertum fuiſſe poſt adhibita alia remedia omnia non euitaſſe peccata, & poſt adhibitam communionem crebrò ea euitaſſe, tunc in hoc ſpeciali caſu aſſerit teneri communionem ſumere non ex vi præcepti Diuini communicandi, ſed ex vi alterius præcepti, quo obligatur vitare talem tentationem, ſed hoc regulariter, vt ipſe notat, non ſolet accidere.

17 Accepta Euchariſtia in mortis articulo non oritur obligatio iterum ſumendi, ſi eadem durante incidat in peccatũ læthale.

Proſequendo poſtea ad alias neceſſitates per accidens ex peccato mortali poſt vltimam communionem etiam in fine vitæ habitam prouenientes, nec in illis agnoſcit aliquam obligationem communionis, priuſquam ex hac vita decedat; cum nec conſurgat hæc obligatio ex diſpoſitione alicuius ſacræ ſcripturæ, nec ex aliqua traditione, ſeu conſuetudine Eccleſiæ, neque ex vi inſtitutionis, ſeu natura Sacramenti; non ex primo capite, quia de tali ſcriptura non conſtat; non ex ſecundo, quia Eccleſia poſt collationem Euchariſtiæ, ſeu Viatici, quamuis quandoque ex deuotione infirmi poſt aliquot dies iterum conferat Euchariſtiam, hoc præſtat ex benignitate, non quod nouerit aliquam obligationem; non ex tertio capite, quia hoc Sacramentum non eſt inſtitutum tanquam medium ad tollendum peccatum, ergo ex nullo capite conſurgit hæc obligatio; quinimmò nimis dura ex hoc conſurgeret obligatio, & contra praxim Eccleſiæ, ſi poſt vltimam communionem in articulo mortis ſumptam teneretur iterum communicare de iure Diuino, ſi ex fragilitate in nouum peccatum incideret, quandoquidem, ſi timeretur mors, deberet iterum eadem die communicare, quod eſt inauditum; ſufficit igitur, quod tunc ſibi conſulat per confeſſionem ſacramentalem.

18 Exponitur auctoris ſenſus.

Quidquid autem ſenſerit Suarez, ego in primis arbitror, quod, ſi experientia compertum fuerit aliquem cæteris adhibitis remedijs, non poſſe tentationes vehementes ſuperare, poſſe autem adhibito Euchariſtię Sacramento, teneatur per accidens etiam vigore præcepti Diuini tale remedium adhibere. Ratio eſt, quia vnum ex principalioribus motiuis, quibus quiſq; tenetur ex præcepto Diuino communicare in articulo mortis eſt ad effectum vitandi dæmonis fraudes, & tentationes, quæ pro eo tempore ſolent infirmum magis vexare, ergo, vbicunque vigent huiuſmodi graues tentationes, quas vix quiſque aliter poteſt ſuperare, ex eodem præcepto Diuino tenebitur Sacramentum ſumere; &, ſi in primo ſenſu eſt ex vi præcepti Diuini ſumenda Euchariſtia, non video, cur non ſit ſumenda etiam in ſecundo vrgente eodem motiuo, & cauſa. Secundò ſentio, vbi etiam non adeſſet graue periculum ſuccumbendi oneri huiuſmodi tentationum ſine communione, præceptum Diuinum non obligare ad communicandum frequen-

quentius, ac de anno in annum; cæteroqui incongruè Eccleſia permitteret fideles ab anno in annum communionem differre, ſi Diuinum præceptum vrgeret frequentius. Suppoſito iam, quod nec ex præcepto Diuino, nec ex Eccleſiaſtico teneantur fideles frequentius, quam de anno in annum communicare, parum curandum videtur, vtrùm ex præcepto Diuino, ſeu quantum eſt ex vi ipſius poſsit differri vltra annum, ſeu ad tres, vel quatuor annos, vt vult *Suarez d. diſp. 69. ſect. 3. verſic. dico ergo tertio*, vel etiam ad maius tempus, vt vult *Amicus diſp. 29. num. 14.*, quandoquidem, cum iam vrgeat præceptum Eccleſiaſticum de annua communione, iam ex vi iſtius non poteſt vltra annum differri. Sed non per hoc tollitur omnis difficultas, quæ poteſt eſſe circa præceptum Diuinum, quandoquidem adhuc remanet inquirendum, an, ſi quis vltra annum differret communionem, peccaret non ſolùm contra præceptum Eccleſiaſticum; an verò etiam contra Diuinum; ſi etenim obligat præceptum Diuinum de anno in annum, ſicuti obligat Eccleſiaſticum, per talem dilationem vtique delinqueretur contra vtrumque præceptum, adeoque grauior committeretur noxa; ſi verò præceptum Diuinum obligaret tantum de triennio, vel quadriennio in triennium, vel quadriennium, per dilationem vltra tempus Paſchale, non autem ad triennium, vel quadriennium delinqueretur ſolùm contra præceptum Eccleſiaſticum, non Diuinum, quod certè eſt conſiderandum. Verum hęc conſideratio non videtur magnam vim facere, quia ex pluralitate præceptorum non deſumitur, nec diuerſitas ſpecifica, nec numerica peccatorum, vt ſuppono ex quæſtionibus de vitijs, & peccatis, vnde ad ſummum ex illis oriri poteſt circumſtantia aggrauans.

19 Ad dirimendum in vniuerſum hoc dubium, reſoluenda prius videtur quæſtio an illa determinatio temporis Paſchalis importet nouum præceptum diſtinctum à præcepto Diuino, an verò ſit modificatio, ſeu determinatio præcepti Diuini quoad tempus, quatenus Chriſtus Dominus præceperit quidem ſumptionem Euchariſtiæ, ſed tempus non determinauerit, ſed reliquerit Eccleſiæ, tanquam ſuæ mentis interpreti determinandum; ſi ſit præcisè modificatio, ſeu determinatio pręcepti Diuini ceſſabit difficultas, quia tunc non communicando in Paſchate violaretur ſolum præceptum Diuinum modificatum per determinationem temporis factam ab Eccleſia; ſi verò importet præceptum diſtinctum à præcepto Diuino, tunc militat difficultas mox excitata de maiori grauitate peccati propter transgreſſionem duplicis præcepti, ſi etiam præceptum Diuinum obligaret de anno in annum, ſecus, ſi non ſic obligaret. In hoc ſentio, præceptum Eccleſiaſticum de annua communione in Paſchate non eſſe puram determinationem præcepti Diuini; ſed nouum, & diſtinctum præceptum poſitiuum eiuſdem Eccleſiæ obligantis pro tali tempore etiam independenter à iure Diuino. Ratio eſt, quia Eccleſia non ſolum ſtatuit illud tempus, ſed ſub grauibus præcipit illud obſeruari, ergo propriè præceptum imponit, &, cum de hoc Chriſtus Dominus nihil diſpoſuerit, tale præceptum erit omninò diſtinctum à præcepto Diuino; Adde, quod illa determinatio temporis non dirigitur ad ſtatuendum tempus à Chriſto Domino præſcriptum, ſed ad determinandum id, quod ipſa Eccleſia opportunius, & magis congruum arbitratur, quinimmò ante decretum annuæ communionis in Paſchate, vt refert *Cacheranus loc. cit. num. 55.*, Eccleſia præceperat communionem annua frequentiorem, nec tamen tunc arbitrandum eſt, intendiſſe communionem annua frequentiorem eſſe de præcepto Diuino, cæteroqui eſſet in ſuis declarationibus ſibi contraria. Sentiendum eſt igitur, non obligari fideles ex præcepto Diuino ſingulis annis communicare, ſed tantum ex Eccleſiaſtico, quod, ſi violetur, læditur idem ius Eccleſiaſticum, non Diuinum. Quantum verò temporis requiratur, vt dicatur præceptum Diuinum violari, non poteſt certò definiri; crederem tamen non potrahendum vltra quadriennium.

Margin, left: Differens communionem vltra annum peccat ſolum contra præceptũ Eccleſiaſticum.

Margin, right: 20 Præceptũ Eccleſiaſticum eſt diuerſum à Diuino.

ARTICVLVS III.

An, & pro quonam tempore obligentur fideles ad ſumptionem Euchariſtiæ ex præcepto Eccleſiaſtico.

SVMMARIVM.

Antiquitùs Eccleſia obligabat ad communicandam ter in anno. 1.
Modo vrget ſolum in Paſchate. 2.
Eſt neceſſario communio facienda in Paſchate. 3.
Qui non communicauit in Paſchate, ſed in Natali Domini præcedente non tenetur poſt Paſcha, quam primum communicare. 4.
Qui non communicauit in Paſchate, nec alio eiuſdem anni tempore, tenetur quam primum communicare. 5.
Quomodo computandum ſit tempus Paſchale pro communione. 6.
Obligat omnes fideles cum ad debitam ætatem peruenerint. 7.

Sumenda eſt regulariter Euchariſtia in propria Parochia de manibus Parochi, vel alterius ab ipſo delegati. 8.
Nec ſufficit, ſi ſumatur à proprio Confeſſario. 9.
Sacerdotes non tenentur communicare in propria Parochia. 10.
Etſi velint communicare Feria quinta in Cœna Domini, non tenentur hoc præſtare in propria Parochia. 11.
Sacerdos, qui per annum non celebrauit, nec poteſt celebrare in Paſchate, tenetur in Parochia communicare. 12.
Regulares non tenentur in Parochia in Paſchate communicare. 13.
Nec famuli degentes intra Monaſterium. 14.
Subditus vnius Pareciæ non poteſt in Paſchate communicare in Cathedrali. 15.
Communicans in Paſchate indignè non ſatisfacit præcepto. 16.
Communicans indignè, an euitet pœnas. 17.

1 Antiqua obligatio communicandi ter in anno.

ANtiquitùs ex decreto *Fabiani Papæ relato in cap. ſæculares de conſecratione diſt.* 12., ſancitum erat, vt fideles ter in anno communicarent, ideſt in Paſchate, Pentecoſte, & Natiuitate Domini, ſed modo per Innocentium III. in Concil. Lateranenſi relato *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pænit., & remiſs.*, reductum eſt ad annuam in Paſchate obligationem, quod poſtea confirmauit *Concil. Trident. ſeſs. 13. can. 9.*

2 Modo ſolum ſemel in Paſchate.

Circa hoc preceptum multa contingunt hic dubitari, & primò, an, ſi quis intra annum communicauerit extra tamen Paſchaſe intelligatur ſufficientèr ſatisfeciſſe huic præcepto. In hoc ſentio, non ſatisfeciſſe tali præcepto. Ratio ex eo deducitur, quia allegata Concilia non præciſè præcipiunt communionem ſingulis annis habendam, ſed determinatè in Paſchate; ſic Concil. Lateranenſe *ſuſcipiens reuerentèr ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, & Trident. loc. cit. teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum*, vbi nota illas particulas *ad minus* relatas, & coniunctas cum tempore Paſchali, & ly, *ſaltem in Paſchate*, quæ certè important obligationem pro illo tempore ſaltem, & ad minus, cum ſint reſtrictiuè ad illud, nec tali reſtrictioni officit communio præcedens, quia ly, *ad minus*, non tollitur per illam. Adde, quod fruſtrà DD. inſudarent in aſſignando tempore communionis Paſchalis pro ſatisfaciendo huic præcepto, ſi per communionem pro quocunque anni tempore habitam eidem ſatisfieret.

3 Requiritur tempus Paſchale.

Secundò contingit dubitari, an, ſi quis in Paſchate non communicauerit, teneatur poſtea ex vi eiuſdem præcepti Eccleſiaſtici, quam primum communicare. Videtur aſſerendum non teneri ex regula generali præceptorum poſitiuorum, quæ, ſi ſint alligata tempori, eo elapſo non amplius obligant, vt videre eſt in præcepto audiendi ſacrum in die feſto, & in præcepto ieiunandi in vigilijs determinatis; quod ſacrum, ſi non audiatur in tali die, & ieiunium non ſeruetur in tali peruigilio, non amplius obligat. Nihilominus in hoc ego cum diſtinctione procedendum exiſtimo; vel etenim iſte, qui non communicauit in Paſchate, antecedentèr, puta in Natali Crhiſti Domini immediatè præcedenti communicauit, vel nonniſi à Paſchate præcedenti communicauit. Iuxta primum membrum diſtinctionis dico, quod, ſi in Paſchate ſequenti poſt Natiuitatem Domini non communicauit, non teneatur, quam primum communicare, ſed poſſit differre non vſq; ad Paſqua ſequens, ſed vſque ad feſtum Natiuitatis Domini; Iuxta ſecundum membrum ſentio, teneri quam primum communicare poſt Paſcha.

4 Ad quid teneatur, qui nõ communicauit in Paſchate, cõmunicauit tamẽ in eodem anno.

Videtur in vniuerſum conſentire *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 3. §. 4. nu. 67.* Rationem ex eo deduco, quod in præcepto Eccleſiaſtico communionis duo præcepta virtualitèr diſtincta agnoſco, alterum eiuſdem in Paſchate, alterum in anno, quod colligo ex recenſitis Concil. Lateranenſi, & Tridentino; ex Lateranenſi per illa verba *ſemel ſaltem in anno*, additis alijs, *ad minus in Paſcha*, & licet priora verba videantur referri ſolum ad præceptum confeſſionis, ſubſequentia tamen referunt etiam ad communionem, cum ly, *ad minus*, non ſtet ſolum pro Paſchate, cæteroqui dicere debuiſſet *in Paſchate, non ad minus*, quod appellat quid aliud vltra Paſcha, cum illa particula ſit relatiua; & hoc videtur conformius menti Concilij, cuius intentum fuit, ne nimium communio differatur; Ex Concilio Tridentino clarius per illa verba *teneri ſingulis annis*, quæ important præceptum annuę communionis, nec limitatur hoc præceptum per ſubſequentia verba, *ſaltem in Paſchate*, quia hæc ſolum important tempus opportunius, & magis congruum, non autem limitant quodcunque onus ad illud tempus. Dixi, *quodcunque*, non ad excludendum tempus Paſchalis, ſed ſolum illud annuæ confeſſionis; Quibus ſuppoſitis ſic infero, ergo, quamuis elapſo Paſchatis tempore, non teneatur, quam primum communicare ex vi præcepti communionis Paſchalis propter rationem adductam pro contraria ſententia, tenebitur tamen ex vi alterius præcepti virtualitèr annexi de annua communione, ne hæc vltra annum contra diſpoſitionem, & mentem Conciliorum differatur. Hinc in particu-

5 Ad quid, ſi eodem anno nõ communicauit.

ticulari, dico, quod, ſi in Natali Chriſti Domini præexiſtente ad Paſcha communicauerit, & non in eodem Paſchate, teneatur tamen ſaltem in Natali ſequenti communicare, vt verificetur, quod ſemel tantum in anno communicauerit.

6 Quodnã tempus veniat nomine Paſchatis

Tertiò, contingit dubitari, an obligatio communicandi in Paſchate ex præcepto Eccleſiaſtico reſtringatur præcisè ad diem feſtum Paſchatis, an dilatetur ad aliquod tempus, & quodnam. (Exceptis locorum ſtatutis, & conſuetudinibus legitimè præſcriptis ſiſtendo in iure communi) ſentiendũ eſt, hoc tempus ad quindecim dies extendi incipiendos à Dominica Palmarum, & complendos in Dominica in Albis; hocque non ſolum colligitur ex lege non ſcripta, nempè ex conſuetudine ſic recepta, ſed etiam ex ſcripta per Bullam Eugenij IV. *Incip. fide digna*.

7 Quoſnã obliget hoc præceptum.

Quartò, quaſnam perſonas obliget hoc præceptum communionis Paſchalis? Sentiendum eſt, obligare omnes fideles, cum peruenerint ad annos præſcriptos diſcretionis, dummodò ſint capaces rationis, ſeu vſu rationis gaudeant. Ratio eſt, quia huiuſmodi præceptum eſt vniuerſale, omneſque Eccleſiæ ſubditos afficit, niſi, vel ratione ætatis excuſentur, vel carentiæ rationis; ſicque, vtſupra dicebamus, obligantur peccatores, excommunicati, ſciſmatici, qui, quamuis in eo ſtatu, in quo reperiuntur non poſſint dignè, & licitè accedere, tenentur tamen talem ſtatum deſerere, & ſic accedere, & præceptum, quod ipſos obligat ad communicandum, obligat etiam, vtſupra dicebamus, ad remouendos obices, quibus arcentur à communione.

8 Vbi, & à quo ſit ſumenda

Quintò, an teneantur in Paſchate communionem accipere in Parochia propria, & de manibus proprij Parochi? Vtique regularitèr loquendo ſentiendum eſt teneri de manibus eiuſdem ſumere, vel alterius Sacerdotis ab ipſo delegati; hocque videtur ſatis concludentèr euinci ex textu *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit., & remiſs.*, vbi ſtatuto præcepto de Paſchali communione ſubditur exceptio, *niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*; vbi DD. magis communitèr nomine proprij Sacerdotis intelligunt proprium Parochum, licet aliqui, inter quos *Herinez diſp. 6. quæſt. 4. num. 38.*, velint etiam venire proprium confeſſarium; ſed congruentius intelligi debent de Parocho etiam ſub conſideratione habita ab eodem Herinez, quandoquidem ipſe Parochus ex officio eſt Confeſſarius proprius, ſi non in actu, ſaltem in habitu, & iura in ſuis diſpoſitionibus potius præſumenda ſunt loqui de eo, qui talis eſt ex officio, quam de eo, qui non eſt talis, niſi ex voluntate pænitentis, maximè quoad ea, quæ ſunt de neceſſitate iuris, & reſpiciunt iuriſdictionem quodamodo coactiuam; Sicuti igitur ad iudicium, & conſilium proprij Parochi pertinet ſtatuere, an ad tempus ſit differenda, nec ne communio Paſchalis ex cauſa, ita ad eum pertinere debet diſpenſatio eiuſdem communionis Paſchalis in ſubſtantia; & congrua quidem ratione hoc ſtatuitur, cum valdè expediat, vt ſemel ſaltem in anno proprium recognoſcant Paſtorem, cuius munus proprium eſt paſcere oues, nec in hoc videtur eſſe amplius locus ambigendi, cum iam hoc conſuetudo plenè obtinuerit, & Parochi contra renitentes coactiuè agant non obſtante, quod alibi communicauerint. 9 Non à proprio confeſſario.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam ab hac regula plures ex priuilegio, vel alia cauſa excipiuntur; & primo Sacerdotes omnes, qui non tenentur, nec à Parocho in Paſchate Euchariſtiam ſumere, nec in Parochia celebrare, prout notant *Henriquez lib. 9. cap. 23. de Miſſæ ſacrificio num. 2., & lib. 3. de Miſſa cap. 8. num. 2., Emanuel Sà verbo Euchariſtia num. 11., Rodriquez in ſumma cap. 64. de commun.*, cum ipſi non ab alio ſumant, ſed per ſe ipſos. Sed, an ſaltem teneantur in Parochia, & de manibus Parochi ſumere feria quinta in Cæna Domini, ſi pro ea die velint communicare, an verò poſſint vbicunque, & à quocunque voluerint, ſumere? Sentio, non teneri, ſed poſſe à quocunque voluerint. Ratio eſt primò, quia pro illo die non tenentur communicare, ſed id præſtant ex deuotione, ergo, ſicuti liberi ſunt quoad ſubſtantiam, ita liberi ſunt quoad modum, locum &c. Secundò, quia onus communionis Paſchalis non reſtringitur ad illam diem, ergo omiſſa pro illa die communio ne poſſent pro alijs diebus celebrare, & ſic non ſumere à Parocho. Sed quid erit dicendum, ſi Sacerdos per annum, vel pro maiori anni parte non ſoleat celebrare ex legitima cauſa, vel canonico impedimento, nec etiam valeat, ſeu poſſit in Paſchate celebrare, an tunc tenebitur in Parochia, & de manibus Parochi, vel eius delegati communionem ſumere. Affirmatiuè reſpondendum cenſeo, quia in hac hypotheſi computatur, vt Laicus, nec eximitur ab onere communionis Paſchalis ex eo, quod ſumat à ſe ipſo, ergo, ſi debet ex præcepto Eccleſiaſtico in Paſchate communicare, debebit etiam ex vi eiuſdem communicari à proprio Parocho non excuſante dignitate Sacerdotali, cum eius munus non exerceat. Secundò ab hac regula eximuntur Regulares, ne dum Sacer-

10 Sacerdotes eximuntur ab hac regula.

11 Nec tenentur in Parochia, ſi velint communicare feria quinta in Cœna Domini.

12 Quid de Sacerdote, qui per annum non celebrauit.

cer-

cerdotes, ſed etiam Clerici, & Conuerſi, cum iſti nulli addicantur Parochiæ, ſed ſolum ſuperiorem proprium agnoſcant, vt Parochum.

13 Regulares non tenentur

Tertiò famuli degentes intra ſepta Monaſteriorum, & Regularibus inſeruientes, vt tradunt *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 23. num. 12.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 3. §. 4. num. 77.*, qui etiam dicit hanc conceſſionem haberi ex pluribus Summorum Pontificum priuilegijs, quæ tamen determinatè non aſſignat.

14 Nec eorũ famuli degentes intra Monaſteriũ.

Quartò excipiuntur illi, qui in aliena Parochia ad certum tempus commorantur, prout docent *Azorius lib. 1. cap. 6. quæſt. 8.*, *Sotus in quarto diſt. 18. quæſt. 4. art. 2.*; non etenim iſti tenentur adire proprium Parochum, ſed poſſunt in Parochia, in qua reperiuntur, communicare, hocque conceſſum aſſerunt viuę vocis articulo, ſeu declaratum ab Eugenio IV.; quinimmò aſſerit etiam *Cacheranus loc. cit.*, quod viatores, Aduenæ, & peregrini poſſint communicare in Parochia, in qua reperiuntur, &, ſi vagi fuerint, & errantes in Eccleſia Cathedrali. Sed, an vnuſquiſque Diœceſanus omiſſa propria Parochia poſſit in Paſchate communicare in Eccleſia Cathedrali? Affirmat *Bonacina de Sacramento Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. 7. punct. 2. propoſit. 2. nu. 11.*, propter eam rationem, quod Eccleſia Cathedralis ſit Eccleſia communis omnibus illius Diœceſis, cum in ea reſideat communis omnium Paſtor. Sed non libentèr acquieſcerem; cum etenim Paræciæ ſint diuiſæ, & Parochus Eccleſiæ Cathedralis non ſit Parochus omnium Eccleſiarum, ſeu Paræciarum talis Diœceſis, ſed præcisè ſuum munus exerceat in Paræcia ſibi aſſignata, tanquam priuatus Parochus, non poteſt ſuam iuriſdictionem exercere quoad ſubditos aliarum Paræciarum.

15 Quid de ſubdito vnius Paræciæ cõmunicante in Cathedrali.

Nec obſtant ea, quæ aſſerunt *Genuenſis in ſua praxi Neapolit. cap. 61. ad fin.*, *Poſeuinus cap. 7. nu. 57.*, *Molfeſius tract. 4. c. 8. num. 46.*, quod quilibet poſſit etiam inuito Parocho adire Epiſcopum pro ſuſcipiendis Sacramentis, cum ipſe ſit ſupremus Parochus. Non obſtant, inquam, quia aliud eſt, quod poſſint adire Epiſcopum pro Sacramentis, aliud, quod poſſint adire Parochum Cathedralis, cum ille ſit ſupremus, & vniuerſalis, iſte ſubordinatus, & limitatus ad determinatam Paræciam, nec poſſit dici proprius Sacerdos reſpectu fidelium alterius Paræciæ, niſi fortè ſit ſpecialitèr ab Epiſcopo deputatus, vt agat nomine eiuſdem Epiſcopi.

Sextò, an communicans in Paſchate communione indigna, ſacrilega, & in læthali, & cum læthali ſatisfaciat præcepto Paſchali communionis. Affirmant plures ſimul cum *Bonacina loc. cit. nu. 12.*, qui mouentur ea ratione, quod præceptum Eccleſiaſticum communionis Paſchalis reſpicit ſubſtantiam communionis, non modum ſumptionis, ſed qui communicat etiam indignè, & ſacrilegè adimplet ſubſtantiam præcepti, ergo ſatisfacit præcepto. Sed abſolutè ſentiendum eſt, non ſatisfacere. Hoc expreſsè definitum eſt ab Alexandro VII., qui in Congregatione Generalis Inquiſitionis die 24. Septembris 1665., damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 14., qua dicebatur, *qui facit confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*; ex qua propoſitione videtur efficacitèr poſſe deduci damnatio etiam iſtius. *Qui facit communionem indignam, & ſacrilegam ſatisfacit præcepto.*

16 Communicans indignè non ſatisfacit.

Neque dicas, non valere argumentum à confeſſione nulla ad communionem ſacrilegam, quandoquidem confeſſio nulla perindè eſt, ac ſi non ſit confeſſio; communio autem, licet ſacrilega, eſt in ſubſtantia communio, cum ſit ſumptio vera Corporis Chriſti Domini; Contra enim impugnaberis, quia quoad effectum ab Eccleſia intentum communio indigna, & ſacrilega perindè ſe habet, ac ſi eſſet nulla; non enim Eccleſia in tali præcepto habet pro fine valorem Sacramenti, cum hoc antecedentèr ad ſumptionem ſubſiſtat, nec ex indigna ſumptione inualidatur, ſed effectum eiuſdem Sacramenti, qui, ſi fuerit cum indigna, & ſacrilega ſumptione, non habetur, adeoque &c. Sed modo ceſſat omnis ſcrupulus attenta declaratione Innocentij XI., qui in alia ſimili Congregatione die 2. Martij 1679. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 15., qua dicebatur. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Neque aliquid negotij ingerunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur de modo ſumptionis non intento, nec imperato ab Eccleſia, quandoquidem modus, quaſi duplex eſt, alter extrinſecus, alter intrinſecus, qui influit propriè in effectum intentum; quando eſt intrinſecus, habet etiam rationem materiæ, qui propterea cadit ſub præcepto.

17 An ſaltẽ euitet pœnas.

Sed, an ſaltem hic, qui ſacrilegè communicat in Paſchate, quamuis non ſatisfaciat præcepto, euitet tamen ratione illius communionis cenſuras latas, ſeu comminatas aduerſus non communicantes in Paſchate? Pro quo aduerte pęnas contra non communicantes in Paſchate, non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ, nec ipſo iure incurri, ſed ſolum per ſententiam; Quo ſuppoſito dico, quod, ſi ſit notorius ille modus ſumptionis indignus, & ſacrilegus, vtique poſſit Iudex ferre ſententiam

in ſic

in ſic ſumentem; nam ſicut illam poteſt ferre in non ſumentem probata non ſumptione, ita poteſt ferre contra ſumentem ſacrilegè, iudicialitèr, ſeu notoriè conſtante de ſacrilega ſumptione; quandoquidem per hanc iuxtà mox dicta non ſatisfit præcepto; ſi verò non ſit notorius ille modus ſacrilegus, vtique ſentiendum eſt, eximi ab huiuſmodi pænis, quia, vt incurrantur huiuſmodi pænæ, requirunt Iudicis ſententiam, quæ ferri non poteſt ſine iuridica, vel notoria cognitione.

ARTICVLVS IV.

An ſit præceptum Diuinum, vel Eccleſiaſticum communicandi tantum ſub vna ſpecie, vel ſub vtraque.

SVMMARIVM.

Error Sectariorum volentium de iure Diuino eſſe communicandum ſub vtraque ſpecie, & eorum rationes. 1.
Non eſt de iure Diuino, quod communio laicalis ſit ſub vtraque ſpecie. 2.
Definitur in pluribus Concilijs. 3.
Etiam in ſacris paginis. 4.
Etiam ex praxi primitiuæ Eccleſiæ. 5.
Rationes pro negatione iuris Diuini. 6.
Soluuntur Sectariorum argumenta. 7.
Chriſtus Dominus in vltima Cœna non ſolum communicauit Apoſtolos, ſed eoſdem etiam inſtituit Sacerdotes. 8.
Eluduntur argumenta Sectariorum deducta ex veteribus PP. 9.
Congruè inductum eſt præceptum Eccleſiaſticum communicandi ſub ſpecie tantum panis. 10.
Euincitur ex Concil. Trident. 11.
Nihil vtilitatis adimitur per hoc, & multum reuerentiæ confertur. 12.
Incommoda, quæ ex contraria ſententia orirentur. 13.
Poteſt Pontifex diſpenſare, vt communio fiat ſub vtraque ſpecie. 14.
Varia priuilegia à Pontificibus conceſſa. 15.
Poteſt Pontifex diſpenſare, vt ſit communio ſub ſpecie tantum vini. 16.
In aliquibus caſibus non expedit diſpenſatio communionis ſub vtraque ſpecie. 17.
Duplex difficultas examinanda. 18.
Ex neceſſitate ex parte ſumentis non licet ſine diſpenſatione eidem conferri ſub ſpecie vini. 19.
Rationes pro hoc aſſerto. 20.
Ex neceſſitate ex parte Sacramenti licet. 21.
Et tunc potius eſt conferendum infirmo periclitanti, quam alteri. 22.
Facta facultate alicui communicandi ſub vtraque ſpecie, ſi in articulo mortis conſtitutus non poſſit ſumere ſub ſpeciebus panis, tenetur ſumere ſub ſpeciebus vini. 23.
Etiam ſtante tali impotentia ad implendum præceptum Eccleſiaſticum Paſchalis communionis. Ibid.
Intellige, ſi non adſit ſcandalum. 24.

NVnc nobis colluctatio eſt contra nonnullos Sectarios, qui firmitèr adhæſerunt errori, quod fuerit præceptum Diuinum de communicando ſub vtraque ſpecie. 1 *Error Sectariorũ, & eorum rationes.* Ex duplici potiſſimum capite iſti mouentur; primò, ex ſacris paginis Ioannis 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Rurſus. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam.* Apoſtoli prima ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat.* Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ideſt id, quod ego feci, præcipio, vt vos faciatis. Chriſtus autem Dominus tunc ſe ipſum tradidit Apoſtolis ſub vtraque ſpecie. Secundò ex eo, quod iniquè arbitrentur non contineri ſub ſpeciebus panis totum Chriſtum ſecundum Corpus, Animam, Sanguinem, & Diuinitatem; vndè aliqui ex his docent communicantem ſub altera tantum ſpecie non conſequi effectum huius Sacramenti; alij dicunt non fore inutilem communionem ſub vnica tantum ſpecie, aduerſari tamen iuri Diuino. Nihilominus ſit

Aſſertio I. Non eſt de iure, & præcepto Diuino, quod extra actionem miniſtri ſacrificantis communio fiat ſub vtraque ſpecie. 2 *Non eſt de iure Diuino.* Dixi, *extra actionem miniſtri ſacrificantis*, quia miniſter conficiens Miſſæ ſacrificium iuxtà ſuperius probata tenetur ſub vtraque ſpecie de iure Diuino ſumere. In hoc conſentiunt communitèr Catholici ſignantèr *Vaſquez diſp. 216. cap. 1., Bellarminus in controuerſijs lib. 4. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 20., Valentia diſp. 6. q. 8. punct. 5. §. 1., Suarez diſp. 71. ſect. 2., Albertus tract. de Corpore Chriſti, Alenſis 4. part. quæſt. 11. membr. vlt. art. 4. §. 3., D. Thomas tertia part. quæſt. 80. art. 12., D. Bonauentura in quarto diſt. 11. part. 2. art. 1. quæſt. 2., Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 3. in fine.*

Non eſt amplius in hoc ambigendum ſtante definitione *Concil. Trident. ſeſs. 21. cap. 1.* Ibi *Nullo Diuino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, neque vllo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat.* 3 *Definitiones Conciliorum.* Deindè eadem *ſeſs. 21. can. 1.*, anathematizat dicentes oppoſitum.

Hoc

Hoc idem definiuit vniuerſalis Eccleſia in Concil. Conſtantienſi ſub Ioanne XXIV., & Sigiſmundo Romanorum Imperatore anno ſalutis 1415., in quo aderant mille, & amplius Epiſcopi *ſeſſ.* 13. Hæ definitiones planè ſufficerent ad comprobandam hanc Eccleſiæ veritatem; Nihilominus ad elidendas Sectariorum verſutias eam placet confirmare, & ab obiectis vniuerſis vendicare.

4 Rationes, ex ſacris paginis. Probatur igitur alijs rationibus à ſacris paginis deductis, & præcipuè ex eo, quod Chriſtus Dominus quandoque promiſit vitam æternam vtramque ſpeciem ſumentibus, quandoque ſumentibus vnam dumtaxat; ſic Ioannis 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem*, & Matthæi 26., vbi de vtraque ſpecie eodem fere modo loquitur. *Accipite, & comedite*. *Accipite, & bibite ex eo omnes*, vbi clarè patet vitam æternam promiſiſſe vtramque ſpeciem ſumentibus, quod idem habet Apoſtolus prima ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat; & de Calice bibat*; ex quibus omnibus videtur vtramque ſpeciem copulatiuè ſumenti vitam æternam promiſiſſe. Item ſolam ſpeciem panis ſumenti eandem vitam æternam promiſiſſe colligitur ex eo, quod Chriſtus Dominus dixerit: *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Rurſus. *Panis, quem ego dabo caro mea eſt pro Mundi vita*. Rurſus. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Ecce quomodo Chriſtus Dominus vitam æternam promiſit æquè ſumenti vnam ſpeciem, ac ſumenti vtramque, ergo Chriſtus Dominus facultatem, ſeu libertatem Eccleſiæ conceſſit communicandi, vel ſub vtraque ſpecie, vel ſub vna tantum; ex quo ergo aduerſarij colligunt præceptum Diuinum communicandi ſub vtraque ſpecie?

5 Praxis primitiuę Eccleſiæ. Probatur item ex praxi in primordijs Eccleſiæ ab eadem ſeruata, quæ in eiſdem primordijs, quandoque ſub vna, quandoque ſub vtraque ſpecie communionem fidelibus elargita eſt; quod autem ſub vna tantum ſpecie panis communionem fecerit colligitur ex Act. Apoſt. 2. Ibi - *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & Orationibus*; item *ibid. cap.* 20. *Vna autem Sabbatorum cum conueniſſemus ad frangendum panem Paulus diſputabant*, quæ loca communitèr SS. PP. intelligunt de communione Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis iuxtà illud quod habetur prima ad Corinth. 10. *Panis, quem frangimus non ne participatio Corporis Domini eſt*; hoc autem eſſe non potuiſſet, ſi de iure Diuino communio deberet eſſe ſub vtraque ſpecie.

Probatur tertiò, quia vel ſumptio vtriuſque ſpeciei eſſet præcepta de iure Diuino ratione alicuius ſpecialis ſignificationis, vel ratione rei contentæ; ex neutro capite poteſt eſſe talis ſumptio præcepta; non ex primo, quia ſumptio præcisè ſumpta non eſt inſtituta ad explicitè ſignificandum ſacrificium cruentum in Cruce oblatum; ſicuti eſt inſtitutum ſacrificium, quod ex ſupradictis non conſiſtit in ſumptione, ſed præcisè in conſecratione; non ex ſecundo, quia ſub ſpecie præcisè panis totum id realitèr continetur, quod continetur ſub vtraque; nempè Corpus, Sanguis, & Anima, & Diuinitas; Neque obſtat, quod ſub ſpeciebus panis ex vi verborum conſtituatur formalitèr ſolum Corpus, & reliqua veniant ſolum per concomitantiam, ſeu connexionem, vt loquitur Tridentinum; Non obſtat, inquam, quia quoad effectum, qui intenditur in ſumptione Euchariſtiæ, parum, vel nihil conferre poteſt, quod tali, vel tali modo Chriſtus conſtituatur ſub ſpeciebus, dummodò totus, & totalitèr ſub illis contineatur; ipſe enim eſt, qui præſtat effectus, non modus, quo conſtituitur. 6 Ratio pro aſſerto.

Iam ſoluenda ſunt argumenta, quæ à Sectarijs obijciuntur, ſeu poſſent obijci. Ad illud, quod ſupra allatum eſt ex illo Ioannis 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem*, concepta oratione per particulam coniunctiuam, *Et*, ſicut ad illud in *eodem cap. contentum*. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem*, & ad illud Apoſtoli prima ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat*, dicendum eſt ex his textibus non argui neceſſitatem ex præcepto Diuino communicandi ſub vtraque ſpecie, ſed dumtaxat libertatem à Chriſto Domino relictam ſub eadem duplici ſpecie ſumendi Euchariſtiam, nam, licet in eiſdem vtraque ſpecies exprimatur; in alijs tamen textibus exprimitur ſola ſpecies panis, & eidem vita æterna promittitur; nam alibi legitur. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro Mundi vita*. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Si ergo ex primis textibus allegatis Sectarij arguunt neceſſitatem communicandi ſub vtraque ſpecie, cur ego ex ſecundis non poſſum arguere negationem talis neceſſitatis, & vitam æternam conſtituere in ſolo eſu Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis? Quamobrem aſſerendum eſt in primis textibus allegatis ad inferendam neceſſitatem communicandi ſub vtraque ſpecie, Chriſtum Dominum voluiſſe ſolummodò indicare in vtraque ſpecie contineri efficaciam confe- 7 Solutiones aduerſantiū.

rendi

rendi vitam æternam, adeovt, ſiue vtraque ſimul ſumatur, ſiue vna dumtaxat, ius ad vitam æternam acquiratur. Quod, ſi vtraque ſpecies copulatiuè per particulam coniunctiuam, *Et*, concipiatur, hoc non obſtat, quia non eſt inſolitum in ſacris ſcripturis, quod vſurpetur quandoque particula, *Et*, pro diſiunctione, vt videre eſt in ponderatione, quam habet *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento lib. 2. cap. 3. §. 6. num. 114.*, ſuper illa verba. Petri Act. 2. *Argentum, & aurum non eſt mihi*, vbi notat, quod particula, *Et*, facit ſenſum diſiunctiuum, hoc eſt argentum, vel aurum non eſt mihi, vel diſtributiuum, hoc eſt neque argentum, neque aurum eſt mihi, non autem copulatiuum argentum ſimul, & aurum non eſt mihi; cæteroqui Petrus per illa verba non benè oſtendiſſet, ſe non poſſe facere pecuniariam eleemoſinam, ad quam faciendam non eſt neceſſarium habere argentum, & aurum ſimul, ſed vnum, vel alterum.

8 In vltima Cœna Chriſtus inſtituit Apoſtolos Sacerdotes.

Ad illud, quod ſubditur Lucæ 22., vbi poſtquam Chriſtus dixit *Accipite* porrigens panem, *& comedite*, & tradens Calicem. *Accipite, & bibite*, ſubdidit. *Hoc facite in meam commemorationem*, dicendum eſt nō ſolum Chriſtum Dominum ſimplici communione Apoſtolos nutriuiſſe pretioſo ſuo Corpore, & Sanguine, ſed etiam eoſdem inſtituiſſe Sacerdotes tradita eiſdem poteſtate efficiendi ſacrificium, quod ex ſuperiùs dictis conſiſtit eſſentialitèr in conſecratione vtriuſque ſpeciei; ex quibus infertur, eſſe quidem ex propria inſtitutione neceſſariam confectionem Sacramenti ſub vtraque ſpecie in ordine ad ſacrificandum, non autem ad ſimplicitèr ſumendum panem ſacrificatum, ſeu conſecratum.

9 Antiqui PP. non ſtatuunt eſſe de iure Diuino.

Colligunt vlterius Sectarij plura veterum PP. teſtimonia ad inferendam neceſſitatem communicandi ſub vtraque ſpecie, quæ latè referunt *Bellarminus in controuerſ. lib. 4. de Sacramento Euchariſtia cap. 26.* & *Valentia diſp. 6. quæſt. 8. punct. 5 §. 9.* apud quos congruas, & concludentes compeгies explicationes eludentes veſanam Sectariorum mentem. Omnia hæc veterum SS.PP. teſtimonia ad duo capita collimant; nempè ad oſtendendum in primitiua Eccleſia morem fuiſſe communicandi ſub vtraque ſpecie, & ad euincendum præceptum de communione ſub vtraque. Teſtimonia, quæ reducuntur ad primum caput oſtendendi ſcilicet praxim primitiuæ Eccleſiæ, eadem admitto, ſed ex illa non infertur pręceptum maximè Diuinum, potiſſimum cum talis praxis non fuerit vniuerſalis, cum legamus ex Act. Apoſtol. Lucæ 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & ibidem c. 20. Vna autem Sabbatorum cum conueniſſemus ad frangendum panem*, quæ certè intelligenda ſunt de fractione panis Euchariſtici iuxtà illud Apoſtoli prima ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, non ne communicatio Corporis Domini eſt.* Teſtimonia, quæ reducuntur ad ſecundum caput intelligenda ſunt de præcepto relato ad Sacerdotes ſacrificantes, & communicantes modo Sacerdotàli, non ad ſimplicitèr communicantes communione laicali.

Aſſertio II. Quamuis in primitiua Eccleſia non fuerit pręceptum Eccleſiaſticum de communione ſub vna dumtaxat ſpecie, progreſſu tamen temporis hoc præceptum inductum eſt, & congruentiſſimis quidem rationibus, & motiuis inducentibus Eccleſiam ad hoc præcipiendum. 10 Præceptũ Eccleſiaſticum de communione ſub ſpecie tantum panis.

Expreſsè ſecundum omnes ſui partes hęc aſſertio colligitur ex *Concil. Trident. ſeſs. 21. cap. 2.* Ibi. *Quare agnoſcens Sancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ Religionis non frequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus, & iuſtis cauſis adducta hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Hic aduerte, Concilium Tridentinum de nouo hanc legem non imponere, ſed ſupponere iam impoſitam, dum dicit proceſſu temporis hanc legem impoſitam fuiſſe. Si autem quæratur, quandonam hoc præceptum fuerit impoſitum? Tunc dicam, quoad tempus talis decreti nihil certi conſtare. Hoc certum eſt, quod temporibus Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ præceptum communicandi tantum ſub ſpeciebus panis non viguiſſe, cum tunc, vt plurimum fieret communio ſub vtraque ſpecie; Deindè tempore Manicheorum, cum ipſi damnarent Euchariſtiam ſub ſpeciebus vini, aſſerentes vinum eſſe malam creaturam à malo principio prouenientem, Pontifices, ne dum non damnarunt ſumptionem ſub ſpeciebus eiuſdem vini, quin potius maximè commendarunt ad confringendas inſanias eorundem Manicheorum. Succeſſiuè extincto hoc errore, alioque ſuborto aſſerente totum Chriſtum non eſſe ſub ſingulis ſpeciebus, & proindè neceſſarium eſſe eundem ſumere ſub vtraque ſpecie, vt aſſerebat Berengarius, ideò in Eccleſia Dei ad hunc errorem eliminandum cœpit determinatè vigere vſus communicandi dumtaxat ſub ſpeciebus panis, vt notat

11 Definitio Concil. Trid.

Valdenſis tom. 2. de Sacrament. cap. 87. Quonam verò tempore hoc, quod conſuetudine incæptum erat, tranſierit in præceptum ſcriptum, mihi non innoteſcit. Hoc vnum ſcio fuiſſe *in Concil. Conſtantienſi ſeſs. 13.* definitum, & poſtea *in Trident. d. ſeſs. 21. cap. 2.* confirmatum.

Ratio aſſertionis ea eſt, quia Eccleſia potuit, & voluit hanc legem inducere, ergo ex eadem oritur obligatio ſub ſpecie ſolummodò panis communicandi. Antecedens quoad ly, *potuit*, deducitur *ex eodem Trident. d. ſeſs. 21. cap. 2.* Ibi *Declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret*; Neque variatur, aut mutatur ſubſtantia Sacramenti, quæ conſiſtit in re permanente ex eo, quod ſub vna, vel vtraque ſpecie conferatur. Quoad ly, *voluit*, patet ex huc vſque dictis, & colligitur, tum *ex Concil. Conſtantienſi dict. ſeſs. 13.*, tum *ex Concil. Trident. loc. mox citato*.

12 Nil vtilitatis, & multum reuerentiæ confertur. Dixi, *congruentiſſimis quidem rationibus*, quas breuitèr expono; Prima eſt, quia per hoc nihil commodi, & vtilitatis adimitur fidelibus, multum autem reuerentiæ, & deuotionis, & venerationis Sacramento confertur; quandoquidem quoad primum totum id, quod in vna ſpecie continetur, continetur in vtraque, & ſtante æquali diſpoſitione in recipiente tanta confertur gratia per vnam ſpeciem, quanta per vtramque, & quando etiam daremus, quod maior gratia conferretur in ſumptione vtriuſque ſpeciei, ac in vnius tantum; hoc tantum eſſet per accidens, quatenus ex maiori ſpecierum extenſione, & permanentia poſſet maior deuotio in ſuſcipiente excitari; vnde legitur de Diuo Phylippo Nereo, grandiorem Hoſtiam, & latiores vini ſpecies adhibuiſſet in ſacrificio Miſſæ, quia illis diutius perſeuerantibus maiorem ſpiritus feruorem ſentiebat. Deindè illa maior gratia poſſet maiori diligentia, & frequentia acquiri; quoad ſecundum quod ſcilicet multum reuerentiæ, & venerationis Sacramento conferatur, ex eo euincitur, quod neceſſe eſſet vinum conſecratum diu aſſeruari pro infirmorum communione cum periculo corruptionis, quod certè cederet in detrimentum venerationis tanto Sacramento debitæ. 13 Aliæ rationes diſpoſitionis. Item adeſſet periculum, ne in confluentia populi ad hoc Sacramentum ſumendum aliqua gutta effunderetur, quod etiam irreuerentiam aliquam, & quidem magnam ingereret, quæ certè rationes præponderant illi minoritati gratiæ, quæ per vnius tantum ſpeciei ſumptionem, (ſi tamen hoc verum eſſet) haberetur. Secunda eſt, quia hæc determinatio maximè fuit expediens ad abigendum Sectariorum errorem aſſerentium non totum Chriſtum ſub qualibet ſpecie contineri, qui certè error facilè irreperet in rudiorum mentes, niſi Eccleſia contrario facto per decretum ſcilicet ſumendi dumtaxat ſub ſpeciebus panis, ipſum eliminaſſet.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quas profero, & breuitèr diluo. Prima eſt, an poſſit Pontifex diſpenſare, vt à fidelibus ſumatur Euchariſtia ſub vtraque ſpecie, vel ſub ſpecie dumtaxat vini omiſſa ſumptione ſub ſpeciebus panis, &, an quandoque expediat ipſum diſpenſare, vt ſub vtraque ſpecie ſumatur. Hæc difficultas quoad primam partem excitatur propter nonnullos, qui aſſerebant, legem communicandi ſub ſpecie dumtaxat panis, eſſe quoquomodo Diuinam, quatenus prouenit ex poteſtate Dei relicta Eccleſiæ determinandi communionem habendam, vel ſub vtraque, vel ſub vnica tantum ſpecie, eo modo, quo dicitur materia, & forma ſacrorum ordinum eſſe de iure Diuino, quamuis determinatio ſit ab Eccleſia ex poteſtate eidem relicta à Chriſto Domino determinandi; vndè inferebant, quod, ſi quoquomodo eſt de iure Diuino, non ſubſit poteſtati Eccleſiæ in ea lege diſpenſandi. Nihilominus

Reſpondeo primò, adeſſe poteſtatem in Romano Pontifice diſpenſandi in lege communicandi communione laica in ſpecie tantum panis, & facultatem concedendi communicandi in vtraque. Conſentiunt *Suarez diſp. 31. ſect. 3. verſ. ex quibus principijs, Cachrranus tom. 4. Theologiæ aſſert. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 3. §. 6. num. 131.* Ratio ex eo deſumitur, quod poteſtas Eccleſiaſtica reſidet potiſſimum apud Romanum Pontificem, tanquam caput totius Eccleſiæ, qui propterea, ſicuti poteſt leges condere Eccleſiæ congruas, ita poteſt leges Eccleſiaſticas per diſpenſationem relaxare; nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, nempè legem communicandi ſub ſpecie panis eſſe quoquomodo Diuinam, cum proueniat ex poteſtate Dei commiſſa Eccleſiæ ad determinandum; non obſtant, inquam, quia cum Deus reliquerit poteſtatem, & libertatem Eccleſiæ determinandi, poteſt Eccleſia liberè vti tali facultate; ſicuti etenim poterat antecedentèr determinare ex libertate ſibi conceſſa ſumptionem, vel in vna tantum ſpecie, vel in vtraque, ita poſita determinatione in vna tantum ſpecie, poteſt poſtea determinare, vt in 14 Ex conceſſione Pontificis poteſt fieri ſub vtraque ſpecie.

vtra-

vtraque poſſit ſumi; non enim adempta eidem intelligitur poteſtas, quin poſſit alitèr diſpenſare; ſicut de facto in materia ordinum primitus determinauit, vt conſiſteret in manuum impoſitione, & poſtea ſtatuit, vt fieret in determinato ſigno apto ad indicandam poteſtatem, quæ in ſingulis ordinibus confertur.

15 Varia priuilegia à Pontificibus conceſſa.

Hinc legimus, quod Clemens VI. conceſſerit anno 1341. Regibus Galliæ facultatem communicandi ſub vtraque ſpecie teſte *Spondano in Actuario ad annum* 1347., qua tamen facultate, vt mihi dicitur, non vtuntur, niſi bis in vita, nempè in eorum vnctione, ſeu conſecratione, & in mortis articulo. Item legimus, Imperatorem in eius Coronatione Sanguinem Chriſti Domini ſumere, quod aliqui volunt competere ex antiquiſſima conſuetudine, alij ex Romani Pontificis expreſſa conceſſione. Sic legimus etiam Diaconum, & Subdiaconum inſeruientes Romano Pontifici ſolemnitèr celebranti ſumere aliquid de Sanguine Chriſti Domini. Communitèr etiam circumfertur à ſcribentibus in hac materia, conceſſum eſſe Monaſterio Cluniacenſi, & in Regio Conuentu D. Dionifij apud Pariſios, & in Oratorio Ducis Bauariæ, vt ſub vtraque ſpecie Euchariſtia ſumi poſſit; in primo ſolum pro diebus ſolemnioribus; in ſecundo ſingulis diebus Dominicis, & feſtis ex præcepto; in tertio ſingulis diebus; Ex quibus omnibus patet in Romano Pontifice reſidere poteſtatem diſpenſandi.

16 Etiam, vt ſufiat tantũ ſub ſpecie vini.

Reſpondeo ſecundò, adeſſe poteſtatem in Romano Pontifice diſpenſandi, vt ſumatur Euchariſtia dumtaxat ſub ſpeciebus vini de plenitudine poteſtatis, non tamen expedire, vt in hoc diſpenſetur, niſi exiſtente ſumma neceſſitate. Ratio quoad primam partem ex eo deducitur; quia in tali ſolius Sanguinis ſumptione ſaluatur tota ſubſtantia Sacramenti; in eiſdem etenim ſpeciebus vini conſecratis continetur totum id, quod continetur ſub ſpeciebus panis, Sanguis ſcilicet, Corpus, Anima, & Diuinitas Chriſti Domini; in diſpenſatione autem Sacramentorum *ex Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 2., poteſtas omnis reſidet in Eccleſia ſtatuendi *ſalua illorum ſubſtantia*; Neque dicas, hanc Concilij Tridentini diſpoſitionem habere dumtaxat locum, quando mutatio, vel diſpenſatio poteſt cedere, vel in vtilitatem ſumentium, vel in venerationem Sacramenti. Ibi. *Vt in Sacramentorum diſpenſatione ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, aut eorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret*; Quænam autem vtilitas ſuſcipientium, aut veneratio Sacramenti poteſt eſſe in ſuſceptione tantum ſub ſpeciebus vini? Certè poteſt potius ſubeſſe periculum effuſionis, in quo conſiſtit irreuerentia, quam veneratio Sacramenti, & vtilitas ſuſcipientis; Contra enim impugnaberis, quia hic agitur de plenitudine poteſtatis, ſecundum quam, ſicuti poteſt eſſe diſpenſatio ſumptionis ſub vtraque ſpecie, ita poteſt eſſe ſumptionis ſub ſpecie tantum vini, & illud periculum effuſionis æquè poteſt eſſe, quando ſub vtraque ſpecie ſumitur, ac quando ſumitur ſub ſpecie tantum vini, cum ex alio capite ſub hac tantum ſpecie vini ſumatur totum id, quod ſumeretur ſub vtraque ſpecie. Deindè poſſunt tales cauſæ interuenire, vt honeſta reddatur ſolius ſpeciei vini ſuſceptio. Dixi, *non tamen expedire, vt in hoc diſpenſetur, niſi exiſtente ſumma neceſſitate*; tum quia nunquam fuit vſus in Eccleſia, vt fieret diſpenſatio in ſola vini ſpecie; tum quia hoc poſſet aliquod ſcandalum ingerere.

Reſpondeo tertiò, in aliquibus caſibus, non expedire diſpenſationem ſumptionis 17

Non expedit.

ſub vtraque ſpecie. Hoc potiſſimum contingeret; quando reſpectu diſpenſandorum eſſet ſuſpicio, quod ſentirent, quod ſub alterutra ſpecie totus Chriſtus non contineretur, quia tunc eſſet fouere errorem. Hac ratione legitur, quod Paulus III. conceſſerit Boemis communionem ſub vtraq; ſpecie, dummodò profiterentur ſub vnaquaque ſpecie Chriſtum Dominum adæquatè contineri, nec alitèr, nec alio modo, quam conditionem cum noluerint recipere, factum eſt, vt huiuſmodi diſpenſatio locum non habuerit.

Secunda ratio dubitandi eſt, an ſine diſpenſatione liceat quandoque ſumere Sacramentum, vel ſub vtraque ſpecie, vel tantum ſub ſpecie vini. Certum eſt, extra neceſſitatem non licere. Neceſſitas autem, qua exiſtente poteſt dubitari, an liceat, duplex eſſe poteſt, altera, quæ ſe tenet ex parte ſumentis, altera, quæ ſe tenet ex parte Sacramenti. Sub prima neceſſitate comprehenditur illa ſumendi in articulo mortis ſacrum Viaticum, quod, cum nequeat ſumi ſub ſpeciebus panis, vel propter defectum Hoſtiæ conſecratæ, exiſtente dumtaxat ſpecie vini conſecrati, vel propter impotentiam deglutiendi ſub eadem ſpecie panis exiſtente potentia ſumendi, ſeu deglutiendi ſub ſpeciebus vini, in quo caſu quæritur, an poſſit ſumi ſub eiuſdem vini ſpeciebus. Sub ſecunda connumeratur illa, quando non exiſtente Sacerdote eo quia poſt conſecrationem, & ſumptionem panis non adhuc conſumptis ſpeciebus vini Sacerdos, qui conſecrauit, inopinato fato decederet; & periculum adeſſet, vt ſpecies vini corrumperentur, vel in manus

18 Duplex ratio dubitandi.

infidelium deuenirent, vel quando Sanguis Chriſti Domini effunderetur, & nullus eſſet Sacerdos, qui poſſet lambere, & periculum eſſet, ne conculcarentur, in quibus caſibus quæritur, an ſub eiſdem ſpeciebus poſſit ſumi.

19 Etiam in neceſſitate ex parte ſumẽtis non poteſt ei conferri ſub ſpecie vini.

Reſpondeo primò, quando neceſſitas ſe tenet præciſè ex parte ſumentis, non licere eidem Sacramentum conferre ſub ſpeciebus vini ſine diſpenſatione *Suarez diſp. 31. ſect. 3. verſ. ſed quæret tandem aliquis*, *Vaſquez diſp. 216. cap. 4. num. 47.*, *Cacheranus tom. 4. Theol. aſſert. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento c. 3. §. 6. n. 34.* Ratio ex eo deducitur, quod in generali regula, & lege obligante ad ſumptionem Euchariſtiæ ſolum ſub ſpeciebus panis non eſt facienda exceptio, niſi occurrente ſufficienti cauſa, ob quam ceſſet obligatio, ſed interueniente ſolum neceſſitate, ſeu vtilitate ſumentis non occurrit cauſa ſufficiens, ob quam ceſſet lex obligans, ergo &c. Minor probatur, quia hæc neceſſitas, ſeu vtilitas ſumentis potiſſimum conſiderari poteſt in articulo mortis, vel quatenus tunc non poſſit infirmus panis ſpeciem deglutire, poſſit tamen ſpeciem vini haurire, in quo caſu, cum vrgeat præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam per modum Viatici, hoc præualere debet præcepto Eccleſiaſtico ſumendi ſub ſpeciebus dumtaxat panis, vel quatenus infirmus exiſtens in peccato læthali, vt vult *Amicus diſp. 29. num. 103*, *& Gonetus diſp. 9. art. 3. num. 81.*, non poſſit alitèr, quam per Sanguinis ſumptionem ſe in gratiam conſtituere; ſed in neutro caſu eſt ſufficiens cauſa deobligans à lege ſumendi tantum ſub ſpeciebus panis;

20 Rationes pro hoc dicto.

Non ex primo, quia in primis videtur moralitèr impoſſibile, quod infirmus poſſit deglutire ſpecies vini, & non poſſit deglutire modiciſſimam Hoſtiam maximè vino, vel aqua infuſam; Deindè dato etiam, quod non poſſet modicam Hoſtiam deglutire, poſſet tamen vinum conſecratum haurire, adhuc non vrgeret præceptum Diuinum communicandi illo modo in articulo mortis, quod, cum ſit affirmatiuum, non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed occurrentibus moralibus circunſtantijs; vndè, ſicuti hoc Diuinum præceptum non vrget, quando haberi nequit Sacramentum, niſi Sacerdos non ieiunus, vel ſine ſacris veſtibus deberet conſecrare obſtante præcepto Eccleſiaſtico de non conſecrando, niſi ſeruatis his ritibus, ità nec vrget, quando ſumi nequiret Sacramentum, niſi ſub ſpeciebus vini, obſtante præcepto de non ſumendo communionem laicalem, niſi ſub ſpeciebus panis. Quamobrem in hac hypotheſi miniſter, ſi non communicaret infirmum excuſaretur ob grauiſſimam, & publicam cauſam, & infirmus ob defectum Sacramenti, vel ob impotentiam; Hoc etiam maximè congruit, ne detur occaſio, ne de facili aperiatur via laxandi per latam interpretationem hoc præceptum, & dilatandi facultatem ob caſus non ita ſimiles communicandi ſub ſpeciebus vini. Non ex ſecundo, quia ex noſtris principijs falſum omninò videtur, quod etiam per accidens ex ſumptione Euchariſtiæ poſſit prima gratia acquiri, vt latè probauimus; *tum in quæſtionibus de Sacramentis in genere, tum hic quæſt. 2. art. 4. verſ. dico ſecundo*. Hinc deduces, quod, ſi quis, dum ſacro aſſiſteret facta per celebrantem ſumptione ſub ſpeciebus panis ante ſumptionem Calicis inopinato conſtitueretur in articulo mortis, non poſſet Euchariſtiam ſumere per hauſtum partis vini in Calice celebrantis exiſtentis propter rationes mox adductas. Sed, an in tali hypotheſi, ſi Sacerdos celebrans non adhuc conſummaſſet ſpecies Hoſtiæ conſecratæ poſſet partem eiuſdem Hoſtiæ eidem periclitanti, ſeu conſtituto in articulo mortis tradere, non dubitarem, affirmare, quia tunc non obſtaret aliquod præceptum Eccleſiaſticum.

Reſpondeo ſecundò, exiſtente neceſſitate ſe tenente ex parte Sacramenti, qualis eſt illa vitandi periculum, ne ſpecies corrumperentur, vel in manus infidelium deuenirent, vel conculcarentur, ſi in terram decidiſſent, nec Sacerdos eſſet, qui lamberet, vtique liceret laico illas ſumere. 21 Ex neceſſitate Sacramenti licet.

In hoc conſentiunt *Suarez*, *Vaſquez*, *& Cacheranus locis quibus ſupra*. Ratio ex eo deducitur, quod præceptum vetans ſumi communionem laicalem ſub ſpeciebus vini inductum eſt potiſſimum ob reuerentiam Sacramento debitam; ergo, vbi viget maior reuerentia Sacramenti, ibi ceſſare debet vis talis præcepti; quando autem adeſſet periculum effuſionis, corruptionis, & iniuriæ eidem Sacramento inferendæ maior eſt reuerentia eiuſdem Sacramenti, quod ſumatur à laico, quam quod exponatur tali periculo; ergo potius eſt ſumendum, quam relinquendum expoſitum tali periculo; quamobrem, vt notat *Suarez d. diſp. 31. ſect. 3. in fine*, in hac hypotheſi ſeruare verba legis eſſet agere contra finem eiuſdem legis. Confirmatur, quia in hypotheſi talis periculi ceſſaret lex ieiunij, & confeſſionis præmittendæ, ergo etiam ceſſaret lex communicandi ſolummodò ſub ſpeciebus vini.

Tertia ratio dubitandi eſt, an exiſtente neceſſitate ſe tenente ex parte Sacramenti, puta ad euitandum periculum corruptionis, vel iniuriæ Sacramento inferendæ, & exiſtente infirmo in articulo mortis conſtituto,

ſtituto, qui alitèr non poſſet habere Viaticum, ex debito eidem infirmo ſit tribuendum Sacramentum illud ſub ſpeciebus vini, quam ab altero laico non ita periclitante ſumendum.

22 Potius pericli tanti, quã alteri. Reſpondeo, potius eſſe infirmo ſic periclitanti tribuendum, quam ab altero non periclitante ſumendum. In hoc conſentire videntur *Gonetus d. diſp. 9. art. 3. num. 81.*, *Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacrament. cap. 3. §. 6. num. 135.* Ratio ex eo deſumitur, quod in hac hypotheſi vrget præceptum ſumendi reſpectu periclitantis Viaticum in articulo mortis, & ex alio capite non obſtat præceptum Eccleſiaſticum ſumendi dumtaxat ſub ſpeciebus panis, quandoquidem ſic exigente maiore reuerentia debita Sacramento ceſſat tale præceptum Eccleſiaſticum; Neque dicas, quod hac ratione neceſſitas etiam, ſeu vtilitas ex parte ſumentis redderet licitam ſumptionem etiam ſub ſpeciebus vini, quod eſt contra id, quod dictum eſt in reſponſione prima ad ſecundam rationem dubitandi; Contra enim impugnaberis, quia non eſt præciſa neceſſitas ex parte ſumentis, ſed neceſſitas ex parte Sacramenti coniuncta cum neceſſitate etiam ex parte eiuſdem ſumentis; vndè poſita tali neceſſitate ex parte Sacramenti in concurſu neceſſitatis ex parte ſumentis ratione periculi cum alijs non ita periclitantibus, & non exiſtentibus in illa neceſſitate præferendus eſt ille, qui ità periclitatur vrgente præcepto Diuino communicandi in articulo mortis.

Quarta ratio dubitandi eſt, an conceſſa facultate communicandi ſub vtraque ſpecie vrgente præcepto, vel annuæ communionis, vel in articulo mortis, ſi non poſſit ſumi ſub vtraque ſpecie poſſit licitè ſub altera illarum, qua poſſit, quinimmò teneatur. *Cacheranus d. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 3. §. 6. num. 136.* nulla facta prius diſtinctione inter præceptum annuæ, ſeu Paſchalis communionis, & præceptum communicandi in articulo mortis aſſerit, quod, ſi vrgente præcepto, qualecunq; illud ſit, non poſſit communicare ſub vtraque ſpecie, ſed tantum ſub ſpecie panis, vtique ad adimplendum præceptum, teneatur ſumere ſub ſpecie panis; ſi verò non poſſit ſumere, niſi ſub ſpeciebus vini, non teneatur ſub illis ſumere, nec peccare contra præceptum, ſi non ſumat, loquendo de communione Paſchali. Rationem primæ partis ex eo deducit, quod priuilegium, ſeu conceſſio communicandi ſub vtraque ſpecie non obligat, & quoad ſumptionem ſub ſpeciebus vini ſit facultatiuum, non obligatorium, licet quoad ſumptionem ſub ſpeciebus panis vrgente præcepto ſit obligatorium, quæ obligatio non demitur ex illa facultate communicandi ſub altera ſpecie, ergo vrgente tali præcepto, ſi poſſit ſumere ſub ſpeciebus panis, tenetur ſumere. Rationem verò ſecundæ partis ex eo deſumit, quod ſumere ſub ſpeciebus vini eſt ex mero priuilegio, cui poteſt cedere; loquendo poſtea de exiſtente in articulo mortis, aſſerit teneri ſub ſpeciebus vini ſumere. Retenta doctrina Cacherani quoad primam partem probabilius arbitror quoad ſecundam, & tertiam etiam teneri ſumere ſub ſpeciebus vini, ſiue ad adimplendum præceptum Eccleſiaſticum Paſchalis communionis, ſiue Diuinum in articulo mortis; & quidem, ſi loquamur de cõmunione in articulo mortis præcepta à iure Diuino videtur res ſatis perſpicua, quia de iure Diuino communio eſt indefinite præcepta, & non potius in vna, quam in altera ſpecie, cum determinatio, vt fiat ſub ſpeciebus panis, ſit tantum inducta à iure Eccleſiaſtico; ex alia parte de iure Diuino eſt, quod communio in articulo mortis habeatur, ergo vrgente præcepto Diuino, & ſublata per diſpenſationem prohibitione Eccleſiæ non communicandi ſub ſpeciebus vini, non erit, cur quodamodo re reducta ad primæuum ſtatum, in quo erat libertas communicandi vel ſub vna, vel ſub altera ſpecie, vel ſub vtraque, non teneatur ſumere ſub ſpecie vini, ſi non poſſit ſub ſpecie panis, & hoc ad adimplendum præceptum Diuinum, quod, vtique adimpletur, vel per ſumptionem vnius, vel alterius ſpeciei; ſi verò loquamur de communione ex præcepto Eccleſiaſtico habenda in Paſchate, ex eo euincitur, quod nullo exiſtente impedimento, ſeu iure obſtante præceptum Eccleſiaſticum Paſchalis communionis eſt ſub graui adimplendum; ſed in hac hypotheſi diſpenſationis communicandi ſub vtraque ſpecie, nullum adeſt impedimentum, ſeu ius obſtans, quominus poſſit licitè ſumi ſub ſpeciebus vini, ergo vrgente eodem præcepto Eccleſiaſtico non erit, cur non teneatur ad illud adimplendum ſumere ſub ſpeciebus vini, ſi alitèr non poſſit; Neque obſtant, quæ pro aduerſa parte afferebantur, quod ſcilicet, cum facultas communicandi ſub ſpeciebus vini ſit ex priuilegio, non teneatur eodem vti; Non obſtant, inquam, quia in primis videndum eſt, an illud priuilegium ſit merè perſonale, an verò conceſſum Communitati, ſi etenim ſit Communitati conceſſum non eſt in eius poteſtate eidem renuntiare; ſi verò ſit perſonale, quamuis ſimplicitèr poſſit eidem cedere; non videtur tamen poſſe cedere, quando alio vinculo obſtringitur ad non cedendum ob adimplementum ſcilicet

23 Communio ſub ſolis ſpeciebus vini, an poſſit quandoq; fieri.

præ-

præcepti, quod tenetur adimplere, quando licitè poteſt. Accedit, quod, ſi non eſſet facta determinatio ab Eccleſia communicandi ſub ſpeciebus panis, & prohibitio communicandi ſub ſpeciebus vini, non eximeretur quis ab implemento præcepti Eccleſiaſtici Paſchalis communionis ſumendi ſub ſpeciebus vini, ſi non poſſet ſumere ſub ſpeciebus panis, ergo neque eximi cenſendus eſt, quando per diſpenſationem ſublata eſt prohibitio communicandi ſub ſpeciebus vini.

24 Si non adſit ſcãdalum. Verum tamen eſt, quod cum ferè nunquam fuerit in vſu communicare ſolum ſub ſpeciebus vini etiam poſita diſpenſatione communicandi ſub vtraque ſpecie, facilè eximerem excepto mortis periculo à tali onere, & hoc non ob rationes intrinſecas impedientes, ſed ob extrinſecas vitandi ſcandalum, & admirationem, & ne inducatur vſus inſolitus in Eccleſia Dei.

ARTICVLVS V.

An communio quotidiana, & frequens quandoque fuerit ſub præcepto, &, an modo, & quomodo conſulenda.

SVMMARIVM.

In primitiua Eccleſia aderat vſus quotidianæ communionis. 1.
Non tamen de hoc erat aliquod præceptum Diuinum. 2.
Nunquam fuit in Eccleſia præceptum vniuerſale quotidianæ communionis. 3.
Nec præceptum prohibens. 4.
Iuſtis conſulenda eſt frequentior Paſchali. 5.
Iuſtioribus, quandoque frequentiſſima, & quotidiana. 6.
Enumerantur caſus, in quibus poteſt commendari communio quotidiana. 7.
Item illi, in quibus frequentior. 8.
Soluuntur nonnulla oppoſita. 9.
Iudicium pertinet ad prudentem confeſſarium. 10.

1 Naſcente Eccleſia aderat vſus cõmunionis quotidianæ. NVlli dubium, quod in primordijs naſcentis Eccleſiæ viguerit conſuetudo quotidianæ communionis cum hoc conſtet ex D. Luca Act. 2. *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & in communicatione fractionis panis, & Orationibus.* Nomine autem fractionis panis in præcedentibus intelleximus fractionem, & diſtributionẽ panis Euchariſtici; ſicuti autem quotidiè perſeuerabant in Orationibus, & doctrina Apoſtolorum, ita quotidiè perſeueraſſe intelligendi ſunt in ſumptione panis Euchariſtici.

Quamuis autem quotidiana eſſet fidelium primitiuæ Eccleſiæ communio, non tamen tunc intelligitur fuiſſe præcepta aliquo iure Diuino, cum de hoc nullibi conſtet, & licet ſupra diximus, præceptum Diuinum obligare in articulo mortis, & aliquoties in vita, ex hoc potius arguitur, non extitiſſe præceptum Diuinum de quotidiana communione, ſed tantum indeterminata, & pro tempore ab Eccleſia determinando; Nec in hoc amplius eſt hæſitandum, cum emanarit iuſſu Innocentij XI. decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum ſub die 12. Februarij, quo præcipitur Epiſcopis, Parochis, & Confeſſarijs, vt arguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de iure Diuino. Reducitur igitur ſolum difficultas, an in primordijs Eccleſiæ fuerit aliquod præceptum Eccleſiaſticum de huiuſmodi quotidiana communione, & ſuppoſito, quod fuerit, an fuerit vniuerſale, an verò reſtrictum ad aliquem perſonarum ſtatum. 2 Non tamen de iure Diuino.

Mouet aliquam rationem dubitandi Canon decimus Apoſtolorum, in quo ſic legitur. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt, non autem perſeuerant in Oratione, nec Sanctam communionem percipiunt velut inquietudines Eccleſiæ commouent, & conuenit communione priuari*, ad quem Canonem videtur referri textus *in cap. Epiſcopus de conſecrat. diſtinct. 1., & cap. peracta diſt. 2.*, vbi ſic habetur. *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint, Eccleſiaſticis carere liminibus; ſic etenim, & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Nihilominus

Aſſertio I. Nunquam fuit in Eccleſia præceptum vniuerſale præcipiens quotidianam communionem, nec prohibens eandem. Arbitror quoad vtramque partem omnes ferè conuenire exceptis quoad primam partem *Alenſi quarta part. q. 11. memb. 2. art. 4. §. 1., Riccardo in 4. diſt. 12. art. 6. quæſt. 1., Vaſquez diſp. 214. cap. 3. num. 28., Valentia diſp. 6. quæſt. 8. punct. 4. verſ. nam initio*, qui voluerunt, quod in primordijs naſcentis Eccleſiæ fuerit tale præceptum moti præallegatis textibus. 3 Nec vnquã fuit de hac præceptũ vniuerſale Eccleſiæ.

Prima pars ex eo euincitur, quod nullibi ſit aſſignabilis textus iuris Canonici, qui ſit vniuerſalis reſpectu omnium, præcipiens huiuſmodi quotidianam ſumptionem, nec allegata iura aliquid euincunt; non Canon decimus, quia per illum, vt notat *Concilium Antiochenum can. 2.*, non præcipitur vniuerſalitèr vſus quotidianus Corporis Chriſti, ſed præcisè damnantur aliqui, qui Eccleſiam ingredientes cum alijs ex certa quadam ſuperſtitione à ſumenda communione abſtinebant. Deindè dato

dato etiam, quod ille Canon contineret præceptum, non erat vniuerſale, ſed illos ad ſummum afficiebat, qui ingreſſi cum alijs in Eccleſiam cum alijs non communicabant; vndè reſpectu non ingredientium non erat obligatorium; ſi autem fuiſſet vniuerſalis, ſicuti obligaſſet ad quotidiè communicandum, ita obligaſſet ad ingrediendam Eccleſiam, ſicuti modo præceptum Paſchalis communionis, quod, cum ad eandem obliget, obligat etiam ad ingreſſum eiuſdem Eccleſiæ ad eandem ſumendam, nam, quod obligat ad finem obligat etiam ad media, quæ requiruntur ad eundem finem aſſequendum. Tandem in eo Canone, vt colligitur ex illis verbis, *velut inquietudines Eccleſiæ commouent*, ſolum videntur illi reprobari, qui alijs deuotè ſumentibus, nec Orationi vacant, nec communioni, vndè alijs perturbationi ſunt, & ſcandalo; Nec item aliquid euincit textus *in cap. peracta diſtinct. 2.*; nam ibi non omnibus præcipiebatur eſus quotidianus panis conſecrati, ſed ſolum eſus eiuſdem Clericis, qui miniſtrabant Epiſcopo ſolemnitèr celebranti.

4 Nec præceptum prohibēs.

Secunda pars ex eo euincitur, quod nullibi reperitur Canon prohibens quotidianam communionem; quinimmò ſacroſanctum *Concilium Tridentinum ſeſs.22.c.6.* exhibet vehemens deſiderium, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes ſumerent cum pio affectu ſacram communionem, quod repugnat cum iure prohibente quotidianum eſum panis Euchariſtici; vndè etiam ſacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum in decreto ſupra enuntiato ſtatuit. *Nihil certè haberi de cuiuſque dignitate, & integritate, & conſequentèr de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poſſe conſtitui.* Exciperem tamen diem feriæ ſextæ in Paraſceue, in qua non licet ſacram ſinaxim conferre, niſi infirmis, ſed hoc non eſt ratione frequentis, & quotidiani vſus, ſed propter Eccleſiaſticas cæremonias, & ritus.

5 Iuſtis cōſulenda eſt frequentior Paſchali.

Aſſertio II. Præciſo præcepto ex conſilio commendanda eſt omnibus iuſtis communio frequentior annua, non ſic omnibus communio frequentiſſima, & quotidiana.

Prima pars deduci poteſt ex magna vtilitate, quæ habetur ex ſumptione huius Sacramenti; quo enim frequentior eſt ſumptio, eò maior eſt effectus Sacramenti, nec iura præſcribentia communionem Paſchalem ſtant reſtrictiuè ſimplicitèr, adeovt non liceat ſumere, niſi in Paſchate, ſed dumtaxat reſtrictiuè in eo ſenſu, vt non liceat vltra illud tempus ſumptionem protrahere. Nec obeſſe poteſt defectus diſpoſitionis, quia quodlibet hominum genus pluſquam ſemel in anno poteſt ſe diſtrahere à curis ſæcularibus, & ſe diſponere per congruos actus ad Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiendum.

6 Iuſtioribus quandoque quotidiana.

Secunda pars ex eo euincitur, quod ſparſim ſupradiximus, nempè Sacramentum Euchariſtiæ ſaltem de congruo, & ad effectum eiuſdem acquirendum exigere in ſumentibus pios affectus, & diſpoſitiones plures, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis; ſed plures ſunt hominum ſtatus, cum quibus, ſeu eorum aliquibus compati poſſunt huiuſmodi pij affectus, & diſpoſitiones ad frequentiſſimam, & quotidianam communionem; in alijs vix compati poſſunt huiuſmodi diſpoſitiones ad hebdomadariam, vel menſtruam, ergo reſpectu aliquorum commendari poteſt frequentiſſima, & quotidiana communio; non ſic reſpectu omnium.

7 Caſus, in quibus commendari poteſt quotidiana.

Sic in particulari ſunt Religioſæ perſonæ penitus addictæ Diuino cultui; aliæ, quamuis ſæculares cælibes in aſſiduis meditationibus, alijſque pijs operibus quotidiè, & aſſiduæ verſantes, quarum præcipuà cura ſtat in Deum colendo, animamque ad ipſum dirigendo. His certè valdè commendandum eſt, vt Deo, non dum ſpiritualitèr ſe vniant, ſed corporalitèr etiam ſe aſſocient per ſumptionem etiam quotidianam Corporis Chriſti Domini.

8 Item illi, in quibus frequentior.

Ex aduerſo ſunt alij hominum ſtatus, quorum cura verſatur in temporalibus negotijs, & obſequijs alteri præſtandis, cuiuſmodi ſunt negotiatores, & coniugati, in quibus vix videtur poſſe eſſe aſſiduus ille feruor ſpiritus, ille pius deuotionis affectus, illa diſpoſitio mentis, & corporis; nam vt plurimum negotiatores à negotiationibus diſtrahuntur, & coniugati ab obſequijs coniugalibus, quæ, quantumuis ſecundum ſe ſint licita, denegari tamen non poteſt, quin mentem per ſenſitiuos motus, & affectiones obtundant, & quoquo modo retrahant à ſpiritualibus.

9 Solutio oppoſitorum.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, quantumuis quoquo modo à ſpiritualibus, hæc exercitia retrahant, compatiantur tamen cum ſtatu gratiæ; Hoc autem ſtante denegari non poteſt, quin infallibilitèr Sacramentum, quotieſcunque ſumatur, conferat ex genere ſuo gratiæ augmentum, ergo his valdè expedit, vt quotidiè ſumatur, nec quiſquam debet, aut ſibi ſubſtrahere, aut alteri diſſuadere talem quotidianam ſumptionem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt colligo *ex D.Thoma tertia part. quæſt. 80. art. 10., & in quarto diſtinct. 12. qu. 3. art. 1. quæſtiunc. 2.* in ſumptione Euchariſtiæ duo conſiderari poſſunt, alterum ex parte Sacramenti, alterum

terum

Digitized by Google

terum ex parte ſumentis, primum eſt virtus, & vtilitas, quam præſtat ſumenti ex opere operato. Secundum eſt deuotio, & reuerentia, quam ſumens præſtat Sacramento; quamuis autem reſpectu ſumentis exiſtentis in ſtatu gratiæ ſine vllo obice præſtet Euchariſtia aliquem effectum gratiæ, creſcit tamen huiuſmodi effectus etiam ex opere, & maiori diſpoſitione ſumentis; vndè ſine poſitiua diſpoſitione effectus, qui præſtatur à Sacramento, exiguus eſt, effectus verò, qui creſcit ex diſpoſitione ſumentis, poteſt eſſe valdè conſiderabilis, ſi conſiderabilis ſit diſpoſitio. Quando igitur ſumitur abilla queatis temporalibus curis, & obſequijs, cum vix poſſit in frequentiori ſumptione magna, quinimmò ſolum modica, & tenuis diſpoſitio conſiderari, & in minus frequenti maior, & egregia, ratione iſtius in vna ſumptione poteſt eſſe, & oriri maior effectus gratiæ, quam in pluribus, cum exigua, & modica diſpoſitione, quod benè conſiderauit *D. Bonauentura in 4. diſtinct. 12. art. 2. quæſt. 2.*, dum dixit, maiorem efficaciam recipit homo in vna Miſſa, vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, ſi ſe non præparet diligentèr. Congruè igitur etiam in ordine ad effectus Sacramenti diuerſimodè commendatur ſumptio Euchariſtica; reſpectu ſcilicet aliquorum frequentiſſimè, ſeu quotidianè, reſpectu aliorum frequentius, reſpectu tandem aliorum frequentèr, ſeu frequentius annua.

10 Iudicium prudentis confeſſarij. Hic oritur difficultas, ad quem ſpectat diudicare, an frequentiſſima, an frequentior, an frequens communio ſit habenda. Dicendum eſt, radicalitèr ad ipſos ſumentes ſpectare conſiderando, an ex frequentia communionis creſcat, vel decreſcat in feruore, & reuerentia Sacramenti, an maius, vel minus ſentiat robur ſpiritus, maiorem vel minorem auerſionem a malo, & ſimilia; formalitèr verò ad prudentem confeſſariũ, & Patrem ſpiritualem, à quo in executione dependeat non ex proprio iudicio. Hoc conſulunt communitèr prudentes animarum directores, &, vbi aliud fundamentum non haberemus ad hoc conſulendum, ſufficeret decretum nuper emanatum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini interpretis ſub die 12. Februarij 1679. Imperante Innocentio XI., in quo frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus confeſſariorum ſecreta cordis explorantium iudicio relinquitur.

ARTICVLVS VI.

An ſit in Eccleſia Dei præceptum de audienda Miſſa, & quale illud ſit.

SVMMARIVM.

Adeſt in Eccleſia præceptum audiendi ſacrum. 1.
Eſt ex genere ſuo obligatorium ſub graui. 2.
Paruitas materiæ, & inconſideratio excuſat à grauitate. 3.
Non eſt præceptum Diuinum poſitiuum. 4.
Indefinitè, & radicalitèr poteſt dici naturale. 5.
Formalitèr, & ſpecificè eſt Eccleſiaſticum. 6.
Poteſt in hoc Pontifex diſpenſare. 7.

Vix remanet dubitandum adeſſe in Eccleſia Dei præceptum de ſacro audiendo, cum inter præcepta Eccleſiaſtica hoc tertio loco numeretur. Hoc ex pluribus, & crebris iuris Canonici textibus euincitur *ex c. Miſſas, & cap. omnes fideles de conſecrat. diſt. 1.*, & alijs ex occaſione infrà allegandis, quod adeo verum eſt, vt *Suarez diſp. 88. ſect. 1. verſ. dicendum eſt ergo*, afferat aperto ore hoc eſſe de fide, quamuis *Sotus in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 1. in fine*, dicat negantem hoc præceptum eſſe puniendum ſolum tanquam ſuſpectum aduerſus ſancta mandata. 1 Adeſt præceptũ ad hoc obligans.

Eſt ex genere ſuo hoc præceptum obligatorium ſub graui, adeovt, ſi quis voluntariè, & ſine cauſa excuſante illud violaret etiam bis, vel ſemel noxam læthalem contraheret, quidquid ex aduerſo dixerint *Angelus verb. Feriæ num. 42.*, *Roſella verb. Miſſa num. 18.*, *Turrecremata*, *alijque iuris Canonici interpretes in c. Miſſas de conſecrat. diſt. 1.*, volentes omiſſionem auditionis ſacri in die feſto non eſſe peccaminoſam læthalitèr, niſi ſit ex contemptu ſiue formali, ſiue virtuali; nomine autem contemptus virtualis intelligunt omiſſionem factam ſine vlla legitima cauſa ex quodam habitu. Dixi etiam *ſemel*, quia hoc eſt præceptum de re graui, & reſpicit ſingillatim ſingulos dies feſtos eo modo, quo præceptum reſpectu beneficiariorum, vel ſacris initiatorum de recitatione Diuini Officij, & ieiunij in diebus præſcriptis obligat ſub graui in ſingulos dies; vndè tot erunt peccata læthalia, quot erunt dies præcepti pro auditione ſacri, in quibus quis ſine rationabili cauſa omiſerit ſacrum audire. 2 Obligat ſub graui.

Dixi, *ex genere ſuo*; non etenim negauerim ad normam cæterorum iurium poſitiuo-

3 Quandoque excuſat à grauitate. tiuorum omiſſionem poſſe eſſe quandoque ſolummodò venialem ex duplici nimirum capite; vel ratione paruitatis materiæ, vel ratione inconſiderationis, & non plenæ deleberationis, vt ſi parum Miſſæ omittatur, vel ſi habens firmam intentionem ſacrum audiendi ob adimplendum præceptum actionem aliquam incipiat, &, poſtea adeo obliuiſcatur, vt prius, quam aduertat, tempus prætereat, extra quod non poſſit amplius audire. Qualis autem debeat eſſe omiſio partis Miſſæ, vt ratione paruitatis materiæ excuſet à culpa læthali, infrà ex profeſſo examinabitur.

4 Non eſt Diuinum poſitiuũ. Quale autem ſit hoc præceptum obligans ad auditionem ſacri, an ſcilicet Diuinum poſitiuum, an Diuinum naturale, an verò merè Eccleſiaſticum? Non eſſe Diuinum poſitiuum ſatis conſtat ex eo, quod nullibi in ſacris paginis de hoc reperiatur diſpoſitum; &, licet in eiſdem præcipiatur feſtorum ſanctificatio, non præcipitur tamen ſub hac, vel illa forma audiendi ſcilicet ſacrum, vel aliquem alium externum cultum Deo exhibendi; vndè auditio ſacri non eſt ex iure Diuino poſitiuo.

5 Eſt radicalitèr naturale. Maior difficultas videtur eſſe, an ſit ex iure Diuino naturali, nam, quod cultus externus Deo ſit adhibendus, videtur eſſe de iure naturæ, & propterea etiam ex tali iure videtur prouenire, quod debeant certi dies deputari ad huiuſmodi cultum; congruentius autem non exhiberi poteſt cultus externus Deo, quam per oblationem ſacrificij, quod fit, vel per actionem ſacrificatiuam a Sacerdote, vel per aſſiſtentiam à populo &c. Addi etiam poteſt, quod quoquo modo videatur etiam eſſe ex iure Diuino poſitiuo, cum Deus reuelante Spiritu Sancto in ſacris paginis velit cultu externo coli in ſua Eccleſia, & Chriſtus Dominus videtur determinatè hoc præcepiſſe, dum inſtituto hoc ſacrificio in vltima cœna expresſè dixit. *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi aduerte, per illa verba fuiſſe præcepta ea omnia, quæ tunc facta ſunt; tunc autem, & Chriſtus ſacrificauit, & Apoſtoli populum rapreſentantes adſtiterunt.

6 Formalitèr eſt Eccleſiaſticum. In hoc ſentiendum exiſtimo radicalitèr, indefinitè, & quodamodo in genere poſſe dici prouenire à iure Diuino naturali, & etiam poſitiuo, formalitèr verò determinatè, & ſpecificè eſſe de iure Eccleſiaſtico. Prima pars concludentèr euincitur ex rationibus mox conſideratis de cultu Deo exhibendo per ſacrificium, & ex præcepto Chriſti Domini relato ad factum in vltima cœna. *Hoc facite in meam commemorationem*; Secunda pars euincitur ex iuribus ſupra allegatis. Item ex eo, quod, ſicuti Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, & præcepit illud ſumi non determinatè, ſed indefinitè relinquens quoad tempora determinationem Eccleſiæ, ita ſacrificium Miſſæ inſtituit, & præcepit eidem aſſiſtentiam non determinando, ſed Eccleſiæ determinationem relinquendo, quæ propterea dies feſtos determinauit præcipiendo, vt fideles in eiſdem eidem aſſiſterent.

Ex his oritur difficultas, an Summus Pontifex poſſit in hoc præcepto diſpenſare? Ex eo, quod quoquo modo dicatur Diuinum, ſiue naturale, ſiue poſitiuum videtur dicendum non poſſe diſpenſare. 7 Pontifex poteſt in hoc diſpenſare. Nihilominus, cum quoad determinationem temporis ſit ex mera Eccleſiæ diſpoſitione, non video, cur non poſſit Pontifex in tali determinatione diſpenſare, cum ſit ſupra omnia, quæ ab Eccleſia, ſeu Eccleſiaſtico iure dependent. Expediens tamen non eſt, quod in hoc abſolutè, & ſimplicitèr diſpenſet non exiſtente legitima cauſa, cum potius cederet in deſtructionem, quam in ædificationem, & quoquo modo diſpenſatio cederet contra ius, & cultum Diuinum.

ARTICVLVS VII.

Quoſnam, & quando obliget hoc præceptum.

SVMMARIVM.

Infideles non tenentur hoc præcepto. 1.
Nec catechumeni. 2.
Obligat omnes fideles adultos. 3.
Adulti quoad hoc regularitèr veniunt, qui ſunt ſeptennes. 4.
Debent eſſe baptizati. 5.
Dummodò non ſint legitimè impediti. 6.
Impedimentum poteſt ex triplici capite oriri, & quali. 7.
Excuſantur excommunicati. 8.
Item interdicti interdicto ſiue perſonali, ſiue locali. 9.
Gaudens priuilegio audiendi ſacrum tempore interdicti tenetur illud audire diebus feſtis. 10.
Facto alicui priuilegio non ſolum audiendi ſacrum, ſed etiam ducendi ſecum duos ſocios, an iſti, ſi fuerint electi, teneatur ſacrum audire. 11.
Præceptum obligat pro omnibus diebus feſtis. 12.
An Epiſcopus poſſit inducere feſta. 13.
Princeps ſæculari nequit inducere. 14.
An votum Communitatis poſſit obligare ſucceſſores. 15.

1 Infideles non tenẽtur. INfideles non obligari hoc præcepto certum omninò eſt, cum non ligentur legibus Eccleſiæ, cui non ſubduntur, nec capaces ſunt effectus eiuſdem ſacrificij, quinimmò, nec cathecumeni propter eaſdem rationes, &, licet iſti admittantur vſque ad offertorium, vt patet ex *Concil. Cartaginenſi IV. can.* 84., & à reliquo excludantur, non tamen dici poſſunt obligari ex hoc præcepto aſſiſtendi vſque ad offertorium. Reducitur igitur titulus ad

2 Nec Cathecumeni. ſolos fideles baptizatos cuiuſcunque ſtatus, & conditionis illi ſint, de quibus, vt reſultat ex titulo duo quæruntur; primum, an omnes teneantur; ſecundum, pro quonam tempore, ſeu pro quibuſnam diebus teneantur.

3 Obligat omnes fideles adultos. Aſſertio I. Præceptum hoc ſecundum ſe obligat omnes fideles adultos baptizatos non legitimè impeditos cuiuſcunque conditionis, vel ſtatus.

Probatur, & explicatur quoad ſingulas partes. Dicitur, *omnes fideles*, ad excludendos infideles, qui non ſubduntur legibus Eccleſiæ, per ly, *omnes* comprehenduntur, tam maſculi, quam fæminæ. Dicitur *adultos*, nam pueri ante vſum rationis non ſunt capaces præcepti, nec poſſunt aſſiſtentiam præſtare cum conditionibus, & qualitatibus requiſitis. Sed hic immediatè oritur difficultas quandonam, ſeu quonam ætatis anno incipiant pueri, hoc præcepto obligari. Communitèr aſſe-

4 Quinam veniant quoad hoc nomine adulti. runt, hanc obligationem in eiſdem tunc incipere, cum iam poſſint talis rationis vſu gaudere, vt valeant inter bonum, & malum diſcernere; pro quo certum tempus nequit aſſignari, cum in aliquibus citius, in alijs tardius iuxta perfectiorem, vel minus perfectam deorganizationem incipiat; vnde hoc prudenti Parochorum, Parentum, & Confeſſariorum iudicio eſt remittendum. Regularitèr tamen aſſignatur ſeptennium completum, poſt quod immediatè tenentur, cum illo acquiſito ſupponatur acquiſitus ſufficiens rationis vſus.

5 Debent eſſe baptizati. Dicitur, *baptizatos*, non enim ſufficit quod credant, ſed vlterius requiritur, quod fuerint in Eccleſiam per regenerationem ſpiritualem, quæ inducitur per baptiſmum, ingreſſi, ante cuius ſuſceptionem non ligantur legibus Eccleſiæ, nec capaces ſunt fructuum eiuſdem ſacrificij.

6 Niſi ſint legitimè impediti. Dicitur, *non legitimè impeditos*; pro quo aduerte, impedimentum ex pluribus capitibus poſſe oriri; primò ex parte fidelium, quatenus habeant cauſas legitimè excuſantes a tali auditione, puta infirmitatem, impotentiam, ſalubriores, & fortiores occupationes &c. Secundò ratione, alicuius vinculi ſpiritualis, puta excommunicationis, qua afficiantur. Tertiò ratione loci, ſeu etiam perſonæ, quatenus adeſt interdictum, vel locale, vel perſonale. De impedimento primi generis latè agetur, dum de cauſis excuſantibus ab implemento talis præcepti, de illo ſecundi, & tertij generis procedit hæc quæſtio; & quidem excommunicatos excuſari ab auditione ſacri ex eo clarè euincitur, quod ratione excõmunicationis priuantur quacunque participatione ſacrorum, ſiue actiua, ſiue paſſiua; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod ratione præcepti teneantur fieri habiles ad audiendum ſacrum, quandoquidem præceptum, quod obligat ad finem, obligat etiam ad remouenda media, quæ impedire poſſunt finis conſecutionem; hac ratione nos docuimus ſupra *quæſt. 7. art. 2. verſ. ſuppoſito tali præcepto Diuino*, quod excommunicati hoc præcepto communionis ſumendæ ligentur, nam, cum hoc obliget ad finem, obligat etiam ad remouenda media impedientia eundem finem, vndè diximus, quod, ſi peccatores, & excommunicati pro temporibus à Deo, vel ab Eccleſia præſcriptis non remouerent obicem, quo impediuntur, ex ſua incuria, vel peruerſitate non eximerentur à noua noxa læthali ob transgreſſionem talis præcepti. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hæc ad ſummum procederent, quando eſſet in poteſtate excommunicati immediatè conſequi abſolutionem, & ex ſua incuria negligeret. Cæterum, quantum eſt ex vi excommunicationis præcisè, cum non poſſit audire, eximitur ab obligatione.

7 Quod, & quale debet eſſe hoc impedimẽtum.

8 Excommunicati excuſantur.

Interdictos verò, ſiue interdicto perſonali, ſiue locali excuſari ab auditione ſacri, donec interdictum fuerit ſolutum, eſt certo certius, cum præcipuus effectus eiuſdem ſit inducere impedimentum ad intereſſandum ſacris. Sed, an, ſi quis habeat Pontificium priuilegium, vt tempore interdicti poſſit ſacrum audire, teneatur illi pro diebus feſtis ad implendum præceptum Eccleſiaſticum intereſſe? Negare tenetur *Cacheranus* ex motiuo, quod ipſe adducit *tom. 4. Theol. aſſert. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacramento cap. 3. §. 6. num.* 136., dum loquens de priuilegiato ad ſumendam Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie aſſerit, quod, ſi non poſſit ſumere ſub ſpeciebus panis, non teneatur ſumere ſub ſpeciebus vini ad adimplendum præceptum Paſchalis communionis addita ratione, quod non teneatur, vti priuilegio, quo gaudet. Cum igitur etiam in hoc caſu poſſit ſolum intereſſe ſacro ex vi priuilegij, non videtur poſſe iuxta eiuſdem Cacherani ſententiam obligari ad vtendum tali priuilegio. Nos verò, qui contrarium ſuſtinuimus in priuilegiato ad communicandum ſub vtraque ſpecie, videmur

9 Item interdicti.

10 Gaudens priuilegio tenetur audire.

mur ex conſequenti teneri etiam aſſerere priuilegiatum in præſenti caſu interdicti obſtringi ad audiendum ſacrum in diebus feſtis, & in hoc conſentiunt *Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 3. de requiſitis ad Miſſ. celebrat. cap. 17. num. 4.*, *Nauarrus in manuali cap. 21. num. 3.*, *Sotus in quarto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, *Azorius lib. 7. cap. 2. quæſt. 3.* Ratio ex eo deducitur, quod quilibet tenetur adimplere præceptum quotieſcunque commodè, & licitè poteſt; ſed habens priuilegium audiendi ſacrum pro tempore interdicti licitè poteſt ſacrum audire, & commodè, ergo vrgente præcepto illud audiendi, tenetur audire. Confirmatur, quia ſublato obſtaculo, quo quis impeditur opus præceptum adimplere nulla eſt ratio, quæ ipſum eximat ab onere opus adimplendi, quamuis obſtaculum auferatur ex ſingulari beneficio, ſic ſi quis detineatur in carceribus, & ex ſpeciali Principis beneficio pro diebus feſtis relaxaretur, vt eiſdem elapſis iterum teneatur ad carceres redire certè pro illis diebus feſtis non eximeretur ab onere ſacrum audiendi, non ſuffragante, quod ex beneficio Principis pro illis diebus relaxetur, ergo etiam ſublato impedimento audiendi ſacrum per beneficium ex indulto Pontificis non eximetur ab onere ſacrum audiendi pro diebus feſtis. Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, nempè non teneri vti priuilegio, nam hoc eſſet potius eidem oneri, quam gratiæ. Non obſtant, inquam, nam, licet non teneatur ſecundum ſe vti priuilegio, tenetur tamen ratione præcepti tunc vrgentis, quod obligat ad ipſius adimplementum quotieſcunque licitè poteſt, & commodè adimpleri, nec priuilegium ipſum grauat, ſed præceptum, quod remoto obice ſecundum ſe grauat.

11 Sed, an, ſi habens ex Pontificio diplomata non ſolum priuilegium audiendi ſacrum, ſed etiam ſecum duos, vel tres familiares ducendi, teneantur, qui ſunt familiaritate eidem coniuncti eidem aſſociari, vt ſacrum audiant in diebus feſtis. Proponit hanc difficultatem *Azorius inſtitut. mor. tom. 1. lib. 7. cap 2. quæſt. 5.*, quam reſoluit aſſerens non teneri, qui familiaritate eidem ſunt coniuncti, hanc diligentiam adhibere, vt eidem ſe coniungant; ſi verò ab ipſo ſpecialitèr priuilegiato ſeligantur, vocentur, & deducantur, aſſerit teneri, ſi commodè poſſint, rem Diuinam audire, ſecus, ſi poſſint audire, ſed nonniſi cum magnò incommodo. Fatetur ſe pro hoc non habere auctorem, dicit tamen eſſe valdè probabile, quod, & nos credimus.

Quid ſentiendum de ſocijs electis.

Iam aggredimur ſecundam partem tituli inquirentes, quandonam, ſeu pro quibuſnam diebus, hoc præceptum obliget fideles. Pro quo ſit.

Aſſertio II. Præceptum audiendi ſacrum obligat pro omnibus diebus Dominicæ, & feſtis ab Eccleſia præceptis. In hoc conueniunt omnes.

Ex pluribus textibus iuris Canonici euincitur; & quidem, quod pro diebus Dominicæ obliget, habetur *ex cap. Miſſas de conſecrat. diſt. 1.*, *& ex Concil. Agathenſi cap. 21.*; pro diebus alijs feſtis colligitur *ex cap. ſi quis de conſecrat. diſt. 1.*, *& ex cap. 2. de Paroch.*, *& cap. omnes fideles*, *& cap. qui die de conſecrat. diſt. 1.*; in quibus, & ſimilibus textibus, licet dicatur ſolummodò illos dies ſeruandos eſſe tanquam feſtos, directè tamen ſequitur in illis ſacrum audiendum eſſe ſacrum ex generali regula habita in tertio præcepto Eccleſiæ, quod in ſingulis diebus feſtis ſit audiendum. Huiuſmodi feſta, pro quibus viget obligatio ſacrum audiendi, alia inducta ſunt ex præcepto Eccleſiaſtico, alia ex vniuerſali antiqua, & communitèr recepta conſuetudine, alia ex ſpecialibus Epiſcoporum decretis in particularibus Diœceſibus, vel popolorum votis. 12

12 Præceptũ obligat pro omnibus diebus feſtis.

Sed hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an Epiſcopus in propria Diœceſi poſſit ex ſe aliqua feſta inducere. Secunda eſt, an, ſi ex voto populi fuerit aliquod feſtum inductum, hoc obligat ſucceſſores, puta, ſi ex voto in aliqua Vrbe, vel Oppido emiſſum fuerit votum de ſeruando feſto D. Sebaſtiani ſucceſſores vouentium in tali Vrbe, vel Oppido teneantur illud ſeruare.

Ad primam nonnulli aſſerunt non poſſe Epiſcopum inducere aliquos dies feſtos, niſi accedente populi conſenſu, vt videtur colligi *ex cap. 1. de conſecrat. diſt. 3.*, *& cap. vlt. de Ferijs*, Suarez *diſp. 88 ſect. 4. verſ. dico ſecundo prope medium* ſentit poſſe inducere non per ſe ſolum, ſed ſolum cum conſilio capituli, & ad hoc allegat *Angelum*, *Roſellam*, *aliosque Summiſtas in verb. Feriæ*, aſſerit enim non eſſe conueniens, vt Epiſcopus iuxtà modernum morem, expectet conſilium, & conſenſum populi, quamuis æquum ſit, vt obſeruet, ne populis contradicentibus feſtiuitates multiplicet. 13

13 An, & quomodo Epiſcopus poſſit inducere feſta.

An verò Principes ſæculares poſſint feſta inducere? Dicendum eſt, abſolute nõ poſſe, vt notat *Silueſter verbo Dominica num. 2.*, quia agitur de re omninò ſpirituali, & ad cultum Dei pertinente; vndè, ſi quandoque legitur Imperatores, alioſque Principes indixiſſe aliqua feſta Sanctorum, hoc non erat, nec fuit cum obligatione in foro animæ, itavt opus eſſet pro talibus diebus 14

14 Princeps ſæcularis, nequit inducere.

ſacrum audire, ſed tantum quoad vacationem ab operibus ſeruilibus ſub pæna coercitionis externæ; vnde, ſi quis pro talibus diebus ſacro non intereſſet, nullam pænam contraheret.

15 Quid de voto Cõmunitatis.

Ad ſecundam dicendum eſt, votum illud non obligare ſucceſſores, niſi inductum fuerit per modum legis à populo cum conſenſu Epiſcopi latæ. In hoc conſentit *Suarez d. diſp.* 88. *ſect.* 4. *d. verſ. dico* 2. *propè finem*. Ratio primæ partis eſt, quia votum, qua tale, perſonale eſt, nec prætergreditur perſonas vouentium; ad obligandum etenim requiritur voluntas vouentium, cum tota vis voti conſiſtat in eadem voluntate; voluntas autem ſucceſſorum non intelligitur interuenire, nec vnus per votum poteſt alium, quantumuis à ſe dependentem obligare. Ratio ſecundæ partis eſt, quia conueniente Epiſcopo cum populo poteſt lex ſtatui obligans ad obſeruantiam feſti pro aliquo die, vt conſtat *ex cap.* 1. *de conſecratione diſt.* 3., *& ex cap. fin. de ferijs*, & tradunt *Roſella*, *Angelus*, *& alijs Summiſtæ in verb. Feriæ*; eo autem ipſo quo populus conſentiente Epiſcopo votum facit de ſeruando die aliquo pro feſto votum illud videtur contrahere rationem legis, quæ tranſit etiam in ſucceſſores, ergo &c.

ARTICVLVS VIII.

Qualem, & quantam Miſſam teneantur fideles audire ad hoc præceptum implendum.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi. 1.
Iura ſuadentia Miſſam maiorem in Eccleſia audiendam. 2.
Non eſt ex neceſſitate audienda Miſsa ſolemnis. 3.
Iura oppoſita nihil euincunt. 4.
Soluuntur etiam rationes oppoſitæ. 5.
Iura ſuadentia Miſsas eſse in Parochia audiendas. 6.
Non ſunt ex neceſſitate ibi audiendæ. 7.
Explicantur iura oppoſita. 8.
Non eſt de neceſſitate audienda Miſsa occurrens illa die. 9.
Non valet paritas de recitante Officium pro Officio, ac de audiente ſacrum vnum pro altero. 10.
Iura ſuadentia totam Miſsam eſse materiam præcepti Eccleſiaſtici. 11.
Qualibet pars Miſsæ omiſsa non deſtruit totum. 12.
Omiſſio partis Miſsæ non eſt ſemper æqualitèr peccaminoſa. 13.
Quænam omiſſio ſit lethalitèr peccaminoſa. 14.
Omiſſio vſque ad Euangelium excluſiuè non eſt lethalitèr peccaminoſa. 15.
Nec item poſt Euangelium, ſi audiatur ſecundum Euangelium D. Ioannis in fine Miſſæ. 16.
Omiſſio partis eſſentialis eſt grauitèr peccaminoſa. 17.

SVb prima parte tituli plura veniunt examinanda. Prima, an teneantur fideles Miſſam, quæ dicitur maior, in propria Parochia audire. Secundò, an teneantur intereſſe Miſſæ proprij Parochi, vel ſaltem celebratam in Eccleſia propriæ Parochiæ. Tertiò, an teneantur audire Miſſam de Sancto, vel Dominicæ, an verò ſufficiat audire votiuam, vel de requiem. 1 Rationes dubitãdi.

2 Iura ſuadentia Miſſam maiorem in Parochia audiendam.

Quoad primum mouet difficultatem textus *in cap. & hoc attendendum de conſecrat. diſt.* 1., vbi ſic legitur. *Et hoc attendendum, vt Miſſæ peculiares, quæ per dies ſolemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt propter eas populus à publicis Miſſarum ſolemnibus, (quæ hora tertià Canonicè fiunt) abſtrahatur; ſed Sacerdotes, qui in circuitu Vrbis, aut in eadem Vrbe ſunt, & populus in vnum ad Miſſarum publicam celebrationem conueniant*. Accedit, quod regularitèr in Miſſis maioribus in vnaquaque Parochia intra earundem Miſſarum ſolemnia publicantur dies feſti, ieiuniorum, excommunicationes, & ſimilia, quæ certè facilè ignorarent, & deficerent ex ignorantia in obſeruantia, niſi eiſdem Miſſis maioribus interuenirent.

3 Non eſt ex neceſſitate audienda.

Nihilominus ſentiendum eſt, ex vi huius præcepti non teneri fideles ad audiendam Miſſam ſolemnem, ſeu, quæ cum cantu fit in propria Parochia. In hoc conſentiunt *Nauarrus cap.* 21. *num.* 5., *Angelus verb. Miſſa num.* 59., *D. Antoninus ſecunda part. tit.* 9. *cap.* 10. §. 1., *Turrerremata in cap. Miſſas de conſecrat. diſt.* 1. Ratio ex eo deducitur primò, quia dato etiam, quod allegatus textus *in cap. & hoc aduertendum*, obligaret in vim præcepti vniuerſalis, modo tamen per contrariam conſuetudinem, vbique receptam ſcientibus Eccleſiæ Prælatis, & Parochis, & non contradicentibus eſt abolitus quoad obſeruantiam; conſuetudo etenim per communem vſum recepta habet vim legis abrogantis etiam ius commune. Secundò, quia allegatus textus *in d. cap. & hoc aduertendum*, non dirigitur ad fideles ipſos obligando, ſed ad Sacerdotes, ne Miſſas priuatas publicè recitent, & hoc ad effectum, ne diſtrahantur ab auditione Miſſæ ſolemnis, quæ fit in Eccleſia Parochiali; ex quo potius eruitur, quod fideles audiendo Miſſam priuatam ſatisfaciant præcepto, nam, ſi non ſatisfacerent

4 Explicãtur iura oppoſita.

faccrent, non facilè ab illa auditione ſacri ſolemnis diſtraherentur, cum ſcirent non ſatisfeciſſe præcepto; vndè debuiſſet potius declarare audientes priuatim Miſſam non ſatisfacere, quam prohibere Sacerdotibus, ne publicè celebrarent. Tertiò ille textus, ſicuti alij, ſi afferantur, non important præceptum eſſe impoſitum ſingulis fidelibus, vt illi interſint, ſed ſolum indicant expedire, vt conueniant, & Sacerdotes id curare debere, vt interſint, & abdicare ea, quæ quoquomodo impedire poſſint, ſeu abſtrahere ab intereſſentia.

5 Rationes oppoſitæ diſſoluũtur. Nec ea, quæ ſubduntur de publicatione dierum feſtorum, ieiuniorum, & ſimilium officere poſſunt, quandoquidem aliundè cognoſcere poſſunt fideles huiuſmodi feſta, ieiunia, & ſimilia in hebdomada occurrentia, nec illa ratio audiendi huiuſmodi obligationes tanta eſt, vt obliget ad audiendum ſacrum ſolemne cum per alia haberi poſſit notitia talis obligationis. Idem reſpondendum eſt ad illud, quod circumfertur, debere ſcilicet fideles Miſſæ ſolemni interuenire ob oblationes, quæ ex conſuetudine in eadem fiunt; nam, præterquamquod iſtæ non cadunt ſub obligatione, & præcepto, poſſunt alitèr ſuppleri.

6 Iura ſuadentia Miſſas eſſe audiendas in Parochia. Quoad ſecundum mouet difficultatem id, quod ex Siſto IV. circumfertur relatum *in cap. 2. de tregua, & pace in extrauag. communi*, vbi prohibetur mendicantibus, *ne doceant populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochijs in diebus feſtiuis, & Dominicis*, quod idem videtur ſtatui *in cap. de Parochijs*, dum ibi dicitur, *vt Dominicis, & feſtiuis diebus Presbiteri, antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi alienus Parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbitero, ibi velit Miſſam audire, quem, ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia abijciant*; ex quibus textibus clarè videtur deduci Miſſam audiendam eſſe proprij Presbiteri, nempè Parochi.

7 Non ſunt ibi ex neceſſitate audiendæ His tamen non obſtantibus ſentiendum eſt, poſſe fideles etiam ſacrum audire à non proprio Parocho, & audiendo ab alio ſatisfacere præcepto *Suarez dict. diſp. 88. verſ. ſed in primis, Silueſter verb. Miſſa 2. qu. 5., & verb. excommunicatio 2. num. 20., & alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur primò, quia prædicta iura ſunt contraria conſuetudine abrogata. Secundò, quia in primo textu Sixti IV., Pontifex ſolum intendit prohibere mendicantibus, ne palam retrahant fideles ab auditione ſacri in proprijs Parochijs prædicando, ad id non teneri, non autem poſitiuè decernere, quod teneantur in Parochia propria audire; in ſecundo verò *in cap. 2. de Parochijs*, ſolum reprehenduntur illi, qui in ſpretum proprij Presbiteri nolunt ab ipſo ſacrum audire, vndè dicitur, *qui proprio contempto Presbitero, ibi nolit Miſſam audire*; ex quo deducitur, quod non interueniente tali ſpretu poſſit alibi audire. Tertiò, quia *Concil. Trident. ſeſs. 22. in decret. obſeruant. de celebrat. Miſs.*, hoc non ponit ſub præcepto, ſed ſub ſimplici conſilio, & hortatione. Ibi - *Moneant etiam eundem populum, vt frequentèr ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & maioribus feſtis accedant*, vbi etiam nota, quod non monet de auditione ſacri, ſed ſolum de frequentia ad propriam Parochiam. 8 Solutiones oppoſitorũ.

9 Non eſt ex neceſſitate audienda Miſſa de die. Quoad tertium dubium mouet rationem dubitandi textus *in cap. 2. de celebrat. Miſs.*, vbi præcipitur, vt fideles Miſſam audiant de die. Nihilominus ſentiendum eſt, ſatisfacere præcepto, quantumuis pro illis diebus audiant, vel Miſſam votiuam, vel etiam aliam quamcunque etiam de requiem. Conſentiunt *Sotus in quarto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1., Caietanus in ſumma verb. Feſtorum violatio, D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10. §. 1., Nauarrus cap. 21. num. 7.* Ratio ex eo deducitur primò, quia hoc conſuetudine firmatum eſt, vt ſignantèr videre eſt hic Mediolani, vbi in die, qua celebratur Ritu Ambroſiano feſtum D. Matthiæ die 7. Februarij, Regulares celebrant Miſſam D. Romualdi Abbatis, cui interſunt ſine vlla exceptione omnes, ſeu ferè omnes Mediolanenſes, qui pro illo die tenentur ad obſeruantiam feſti, & tamen nullus afferit, eos non ſatisfacere præcepto. Secundò, quia iura omnia, quæ obligant fideles pro diebus feſtis ad audiendam Miſſam, loquuntur indefinitè de Miſſa, nec determinant pro Miſſa illius diei. Neque obſtant ea, quæ dicuntur *in dict. cap. 2. de celebrat. Miſs.*; nam dato etiam, quod ille textus in ſenſu ab aduerſarijs accepto vim aliquam habuiſſet, & haberet, modo tamen vim non facit, cum ſit contraria conſuetudine abolitus. Sed re vera ille textus ad hunc effectum non ordinatur, ſed dirigitur dumtaxat ad euertendum aliquorum errorem, qui ſibi ſuadebant non ſatisfacere præcepto Miſſæ, niſi audirent initium Euangelij D. Ioannis, & Miſſas peculiares de Sanctiſſima Trinitate, aut de Sancto Michaele, & ideò ibi ſancitum eſt, vt amplius hoc non fieret, niſi ſuo tempore.

10 Non valet paritas de officio. Neque dicas, non licere Officium Diuinum vni diei adſcriptum mutare, & Officium alterius diei recitare, ergo neque licitum erit ſacrum votiuum, aut de requiem audire omiſſo ſacro diei feſto addicto; contra enim impugnaberis, quia in primis non ita certum eſt, vt ſupponitur, quod reci-

recitans Officium pro Officio non ſatisfaciat præcepto; nam, licet per *Alexandrum VII. die 18. menſis Martij 1666. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis*, damnata fuerit illa propoſitio, quæ eſt in numero 34., qua dicebatur. *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto*, nam fuit tamen damnatum, quod recitans Officium æqualitèr extenſum pro Officio non ſatisfaciat præcepto, militante in primo caſu ſpeciali ratione breuitatis Officij Paſchalis pro Officio extenſo diei Palmarum; ſed quia recitans Officium, licet æqualitèr extenſum pro Officio ſine legitima cauſa quoquo modo peccat contra rubricas in hoc præſcriptas, ideò omiſſa hac reſponſione alitèr inſtantiæ occurro aſſerens, quod quamuis recitans Officium pro Officio grauitèr peccaret, & fortè etiam non ſatisfaceret præcepto, non propterea ex hoc poſſet euinci, quod fideles audientes Miſſam votiuam, vel de requiem pro Miſſa addicta diei feſto grauitèr peccarēt, & præcepto non ſatisfacerent. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia obſtrictus onere recitandi Diuinum Officium tenetur ex proprio munere ſcire leges præſcriptas pro congrua eius recitatione, eaſque ſeruare; populus autem obſtrictus onere audiendi ſacrum in diebus feſtis, tenetur præcisè illud audire, nec tenetur ſcire, nec inueſtigare, quodnam ſacrum ſit audiendum, &, quamuis ſciret pro tali die præſcriptum eſſe determinatum ſacrum, non propterea grauitèr peccaret aliud audiendo, quia ſolum tenetur ſacrum audire.

Sub ſecunda tituli parte plura etiam veniunt examinanda; & primò, an tota Miſſa ſit materia præcepti Eccleſiaſtici de auditione eiuſdem pro diebus feſtis. Secundò, an tota ita ſit materia talis præcepti, vt quælibet omiſſio partis eiuſdem ipſam vitiet. Tertiò, quota pars omiſſa inducat grauem noxam, & non implementum præcepti.

11 Iura ſuadentia totam Miſſam audiendam eſſe.

Quoad primum, duo extant manifeſti textus, ex quibus clarè euincitur totam Miſſam ex præcepto eſſe audiendam; alter *in cap. omnes fideles de conſecratione diſt. 1.* Ibi *Omnes fideles, qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perſeuerant in Oratione vſque dum Miſſa peragatur, conuenit communione priuari*; alter *in cap. Miſſas ead. diſt. Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*, quibus etiam additur textus *in cap. cum ad celebrandas ead. diſt.*, in quo præcipitur, ne fideles ante completam Miſſæ ſolemnitatem, & benedictionem Sacerdotis diſcedant.

Quoad ſecundum, cum dicatur *in d. cap. omnes fideles*, quod, qui non perſeuerant in Oratione, vſque dum Miſſa peragatur, conueniat communione priuari, quæ particula *vſque dum*, importat complementum, & *in d. cap. Miſſas*, dicatur *totas*, quæ particula importat principium Miſſæ vſque ad finem, cæteroqui non eſſet tota, cum deficeret aliqua pars, & *in d. cap. cum ad celebrandas*, dicatur *ante benedictionem Sacerdotis*, quæ eſt meta totius Miſſæ, vtique videtur inferri totam ita eſſe materiam præcepti, vt deficiente aliqua parte non videatur præceptum adimpletum, quandoquidem ſublata qualibet parte integrali deſinit eſſe totum *l. eum, qui ædes, ff. de vſucap. l. ſolum, ff. de rei vendic.* Nihilominus ſentiendum eſt, cum verſemur in iuribus poſitiuis continentibus materiam in partes diuiſam, etiam partes eſſe materiam talis præcepti, non tamen indiuiſibilitèr cum tòto, adeo vt deficiente parte deſinat totum, ſed ſuo modo, & ad normam ſui eſſe, in quo ſenſu verificatur, quod vnam partem non audiens Miſſæ non adimpleat præceptum quoad illam partem, quæ iuxtà normam iurium poſitiuorum metienda eſt ex paruitate, & grauitate ad decernendum, an culpam læthalem, vel venialem inducat, ea proportionali ratione, qua in cæteris præceptis iuris poſitiui metimur leuitatem, & grauitatem peccati à leuitate, & grauitate materiæ. 12 Quælibet pars non officit toti.

Quoad tertium conſiderandum eſt grauitatem, & leuitatem materiæ non ſolum poſſe ſumi ex quantitate maiori, vel minori eiuſdem, ſed etiam à dignitate maiori, vel minori, & propinquitate ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam eiuſdem; non enim, quod modicum eſt ratione quantitatis, poteſt eſſe modicum reſpectu dignitatis. Quamobrem ſub hac dubitatione duo veniunt inquirenda. Primum, quænam quantitas partis Miſſæ poſſit excuſare à grauitate culpæ, & quænam non excuſare. Secunda, an minor quantitas in extenſione, ſed quæ ſit maior in dignitate, & propinquitate ad ſubſtantiam ſacrificij inducat grauem culpam ob tranſgreſſionem præcepti.

13 Omiſſio partis Miſſæ nō eſt ſemper æqualitèr peccaminoſa

Reſpondeo primò, omiſſionem partis Miſſæ non ſemper eſſe æqualitèr peccaminoſam (loquendo pro nunc de omiſſione quoad extenſionem partis in quantitate,) ſed maiorem, vel minorem iuxtà maiorem, vel minorem quantitatem eiuſdem, & ſic quandoque eſſe læthalem, quandoque ſolummodò venialem. In hoc communitèr videntur conuenire DD. Ratio ex eo deducitur, quod ratio peccaminoſi in actionibus, quæ ſunt malæ, quia prohibitæ

bitæ deſumitur ab inordinatione à lege præcipiente, vel prohibente, ergo qualis erit talis inordinatio, talis erit ratio peccaminoſi in illa actione, maior, ſi inordinatio fuerit grauis, minor, ſi iſta fuerit leuis; ſed inordinatio verſans circa materiam modicæ, ſeu leuis quantitatis non poteſt eſſe, niſi leuis, & verſans circa materiam magnæ quantitatis non poteſt eſſe, niſi magna, ergo &c.

14 Quænam pars Miſſæ omiſsa ſit læthalitèr peccaminoſa

Difficultas iam videtur conſiſtere in explicando, quantæ materiæ omiſſio poſſit eſſe, & dici grauis, & quanta poſſit dici leuis ad effectum dignoſcendi grauitatem, vel leuitatem peccati. Nonnulli aſſerunt ſiſti in leuitate materiæ, ſi omittatur auditio introitus vſque ad Epiſtolam excluſiuè. Ità *D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10. §. 1., Tabiena verb. Miſſa n. 10., Silueſter eodem verb. Miſſa 2. qu. 1., Sandoual tract. de Officio Epiſc. part. 6. c. 14.,* qui per conſequens tenentur aſſerere excedi in tali leuitate, ſi omittatur etiam auditio Epiſtolæ. Alij, inter quos *Coninchus de Sacramentis qu. 83. art. 6. dub. vnico n. 285.* exiſtimant contineri intra limites leuis materiæ, ſi omittatur auditio vſque ad Euangelium excluſiuè. Alij, inter quos *Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 7., Cardinalis de Lugo de Eucharistia diſp. 22. ſect. 1. num. 3.,* ſentiunt omiſſionem etiam vſque ad Euangelium incluſiuè, non eſſe materiam grauem adducta etiam ratione, quia non eſt neceſſe duplex Euangelium audire, ſed ſufficere audire illud D. Ioannis, quod legitur in fine Miſſæ. Alij, inter quos *Nauarrus in cap. quando de conſecratione diſt. 1. not. 10.,* agnoſcunt etiam leuitatem in omiſſione vſque ad offertorium excluſiuè, dummodò poſtea legat, ſeu ſibi legi faciat Euangelium. Alij, tandem docent, quod, ſi quis omitteret auditionem ab initio vſque ad Epiſtolam excluſiuè, & poſtea audito reliquo Miſſæ, & ſtatim poſt communionem Sacerdotis recederet, non excederet limites leuitatis materiæ, nec peccaret læthalitèr. Quid iam in tanta ſententiarum varietate eſt ſentiendum?

15 Omiſsio vſque ad Euangelium non eſt grauitèr peccaminoſa

Probabilius arbitror, eſſe materiam leuem, quantum ad effectum excuſandi à noxa læthali, omiſſionem vſque ad Euangelium excluſiuè, ſi reliquum Miſſæ audiatur vſque ad benedictionem incluſiue, & item omiſſionem vſque ad Euangelium incluſiuè, ſi reliquum audiatur vſque ad finem Miſſę audito etiam Euangelio Sancti Ioannis. Hanc opinionem approbat etiam tanquam probabilem, & practicè ſuſtinibilem *Suarez dict. diſp. 88. ſect. 2. verſ. addit verò Nauarrus.* Ratio primæ partis ea eſt, quia, ſiue ſumatur Miſſa ſecundum quantitatem materialem ratione extenſionis, ſiue ſecundum quantitatem formalem ratione ſignificationis, ſeu rei ſignificatæ, omiſſio vſque ad Euangelium excluſiuè non eſt grauis, cum ratione primi vix attingat quartam partem eiuſdem Miſſæ, & ratione ſecundi non attingat, quæ ſunt principaliora quoad ſignificationem in hoc ſacrificio; incipiendo etenim ab Euangelio incipit audire myſticam ſignificationem prædicationis Chriſti, & proſequitur vſque ad rapreſentationem completam Paſſionis, & mortis Chriſti Domini, & eorum, quæ ſubſecuta fuerunt, ergo non inducit grauem culpam, neque ratione extenſionis materialis, neque ratione ſignificationis formalis.

16 Nec item poſt Euangelium primum, ſi audiatur ſecundum.

Ratio ſecundæ partis eſt eadem; nam, licet non audiat primum Euangelium, audit ſecundum D. Ioannis, nec neceſſe eſt duo Euangelia audire præcipuè *cum in c. cum ad celebrandas de conſecrat. diſt. 1.,* non compellantur fideles ad audiendum vltimum Euangelium D. Ioannis; ibi etenim ſolum præcipitur, ne diſcedant ante benedictionem Sacerdotis; nec obſtat, quod non audirent Euangelium illius diei, nec, quod ordo perueteretur quoad ſignificationem, cum prius eſſet in illa auditione rapræſentata Paſſio, & mors Chriſti Domini, quam eiuſdem prædicatio, quæ importatur per recitationem Euangelij; Non obſtat, inquam; non primum, quia non eſt neceſſarium audire Euangelium proprij ſacri, ſicuti, vt ſupra dicebamus, non eſt neceſſe audire ſacrum illius diei; non ſecundum, quia peruerſio ordinis non inducit culpam læthalem, ſicuti diximus in quæſtionibus de ſacris ordinibus, dum de oneribus Subdiaconatus, eandem non inducit peruerſio eiuſdem ordinis in recitatione Diuini Officij, quamuis omnes, & ſingulæ horæ ſint ordinatæ ad rapræſentanda ſingula myſteria Paſſionis Dominicæ.

Ex his etiam infertur, quod, ſi quis à principio Miſſam audiret vſque ad communionem Sacerdotis, &, poſtea recederet, non contraheret noxam læthalem ob eaſdem rationes, quia non grauitèr deficeret, nec in extenſione materiali, nec in formali ratione ſignificationis, vt per ſe patet.

17 Omiſsio partis eſſentialis eſt grauis

Reſpondeo ſecundò, omiſſionem partis Miſſæ, quæ, licet exigua ſit ratione extenſionis materialis, pertinet tamen ad eſſentiam, ſeu ſubſtantiam ſacrificij eſſe peccaminoſam læthalitèr, nec compati cum implemento pręcepti; ſic, ſi quis recederet tempore conſecrationis, & eadem peracta rediret, vel etiam recederet tempore communionis Sacerdotalis, eademque peracta rediret, probabilius à graui noxa non excuſaretur. In hoc conſentiunt

Mar-

Marchantius reſol. paſtor. tract. 4. c. 6. q. 4., *Suarez d. diſp.* 88. *ſect.* 2. *verſ. vltimo denique*. Ratio primæ partis quoad omiſſionem conſecrationis deducitur ex noſtris principijs *in quæſt. de ſacrificio Miſſæ*, vbi latè probauimus, eſſentiam eiuſdem ſacrificij in ſola conſecratione conſiſtere, vndè, qui non aſſiſtit conſecrationi, non aſſiſtit eſſentiæ eiuſdem, & propterea non poteſt dici aſſiſtere ſacrificio, & DD., qui contrarium videntur aſſerere, fundantur in eo præcisè, quod ſit ſub dubio, an eſſentia ſacrificij in conſecratione, an verò in ſumptione conſiſtat, quod dubium apud nos non viget, qui in ſola conſecratione eſſentiam eiuſdem agnoſcimus, & quamuis etiam daremus in ſumptione conſiſtere, adhuc negare non poſſemus, quod conſecratio ipſa ad ſubſtantiam ſacrificij pertineat, & ſic, qui non aſſiſteret conſecrationi, deficeret in parte ſubſtantiali, quod non poteſt eſſe, niſi grauitèr peccaminoſum. Ratio ſecundæ partis ex hoc eodem deducitur, quia, quamuis ſumptio non ſit de eſſentia ſacrificij, eſt tamen de ſubſtantia eiuſdem, ideoque deficeret in ijs, quæ pertinent ad ſubſtantiam præcepti.

Hæc tamen ita intelligenda ſunt, vt procedant tantum quoad ipſam conſecrationem, & ſumptionem formalem; ſi enim per modicum temporis omitteret intereſse alicui parti modicæ ex ijs, quæ interiacent inter conſecrationem, & ſumptionem, non damnarem ſic omittentem grauis culpæ, quia hæc non ſunt de ſubſtantia ſacrificij, & res moralitèr metienda eſt.

ARTICVLVS IX.

An, & quomodo ſupplendus ſit defectus omiſſionis partis Miſſæ.

SVMMARIVM.

Si omiſſio fuerit leuis in extenſione materiali, non eſt ex neceſſitate ſupplenda. 1.
Etiam ſi illa omiſſio fuerit voluntaria. 2.
Si fuerit quoad eſſentialia eſt ſupplenda. 3.
Si fuerit notabilis, & grauitèr peccaminoſa eſt ſupplenda. 4.
Quomodo hoc intelligendum ſit. 5.
Qui omittit voluntariè partem notabilem, & non ſuppleuit, cum poſſet, non contraxit duplex peccatum. 6.
Sententia aſſerens, quando ſupplenda eſt pars omiſſa, quod audiatur in alia Miſſa pars omiſſa in prima. 7.
Sententia Suarez aſſerentis totam aliam Miſſam audiendam eſſe. 8.
Rationes quibus innititur Suarez. 9.
Si partes omiſſæ pertineant ad ſubſtantiam, vel cum eadem coniungantur, alia Miſſa audienda eſt. 10.
Si partes omiſſæ fuerint accidentales, ſufficit, ſi audiantur in alia Miſſa. 11.
Soluitur inſtantia oppoſita. 12.

Retentis ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo de grauitate, & leuitate materiæ, tam ratione extenſionis materialis, quam ratione maioris, vel minoris dignitatis, & propinquitatis ad eſſentiam, vel ſubſtantiam ſacrificij conſiderandum eſt, an omiſſio prouenerit ex cauſa culpabili, vel ex cauſa inculpabili, & omninò inuoluntaria, & poſtea inquirendum, quomodocunque illa omiſſio prouenerit, ad euitandum peccatum an poſſit, & debeat ſuppleri, & quomodo.

Dicendum primò, ſi illa omiſſio fuerit leuis in extenſione materiali, & non voluntaria non intelligitur peccaminoſa, nec ex neceſſitate ſupplenda *Suarez d. diſp.* 88. *ſect.* 2. *verſ. ſed quæres*. Ratio eſt, quia ex vna parte, cum ille defectus ſit leuis, præceptum eſt ſubſtantialitèr adimpletum, ex alia cum defectus ille ſit inuoluntarius, non eſt peccaminoſus, ergo nulla eſt ratio, quæ obligat ad ſupplendum illum defectum. Hoc eueniret in caſu, quo quis accederet ad Eccleſiam cum animo integram Miſſam audiendi, & caſu inueniret Miſſam incohatam vſque ad Euangelium; item in caſu, quo quis audiſſet Miſſam vſq; ad completam ſumptionem Sacerdotis, & poſtea ſuperueniente graui aliqua cauſa recederet. 1 Omiſſio leuis non eſt ſupplenda.

Dicendum ſecundò, ſi omiſſio illa leuis fuerit voluntaria, quatenus quis accedens ad Eccleſiam cerneret Sacerdotem è ſacrario egredientem, vt Miſſam celebraret, & ipſe confabulans ſiſteret in atrio vſque ad complementum Epiſtolæ, & poſtea ingrederetur Eccleſiam, & ibi moraretur vſque ad finem eiuſdem Miſſæ, certè eſſet peccaminoſa venialitèr, non tamen omittens teneretur defectum illum ſupplere. Ratio primæ partis eſt, quia præceptum de ſacro audiendo reſpicit totam Miſſam, & omnes, & ſingulas eius partes, ergo in quacunque parte quis voluntariè deficiet, grauitèr quidem, ſi pars omiſſa ſit notabilis, leuitèr, ſi pars illa ſit modica peccabit; & hinc eluduntur illi, qui aſſerunt, quod, ſi omittatur modica pars puta confeſſio Sacerdotis nulla ſit culpa addita etiam ratione, quod illa confeſſio non ſit pars Miſſæ; eluduntur, inquam, quia gratis omninò dicitur, quod non ſit pars Miſſæ, quia totum id, quod ab initio introitus vſque ad finem comprehenditur venit ſub nomine, & ritu Miſſæ, & præceptum extenditur ad omnes, & ſingulas partes. Ratio ſecundę partis 2 Etiam ſi fuerit voluntaria.

partis eſt, quia, ſi eſſet neceſſarium ſupplementum, maximè in ordine ad vitandum peccatum veniale contractum in illa voluntaria omiſſione, ſed hoc dici non poteſt, quia iam illud veniale eſt contractum, nec deſineret per illud ſupplementum, cum auditio ſubſequens non tollat noxam præcedentem.

3 Si fuerit quoad eſſentialia eſt ſupplenda.

Dicendum tertiò, ſi omiſſio fuerit modica in extenſione materiali, fuerit tamen magna quoad eſſentialia, & ſubſtantialia ſacrificij, vtique erit ſupplenda. In hanc concluſionem aſſentiri tenentur, quotquot ſuſtinent per illam omiſſionem peccari læthalitèr. Ratio eſt manifeſta, quia deficiente auditione in eſſentia, vel parte ſubſtantiali ſacrificij, dici non poteſt, quod deficiens adſtiterit eidem ſacrificio quoad eſſentiam, vel reſpectiuè quoad ſubſtantiam, ergo, ne conſtituatur reus transgreſſionis præcepti, defectum illum tenetur ſupplere. Neque obſtare poteſt, ſi dicatur, quod iam culpa læthalis contracta ſit per illam omiſſionem, quæ propterea tolli non poteſt per ſubſequens ſupplementum, ſicuti dicebamus ſupra de voluntariè omittente partem modicam in extenſione materiali, qui, cum defecerit iam in illa parte, non tenetur illam ſupplere, quia hoc ſupplementum non tolleret illam culpam venialem iam contractam. Non, inquam, obſtare poteſt, quia videndum eſt, an illam partem eſſentialem, vel ſubſtantialem, licet modicam in extenſione materiali omiſerit voluntariè cum culpa, animo ſcilicet aliam non audiendi; vel inuoluntariè, & ſine aliqua culpa; nam, ſi omiſerit inuoluntariè, & ſine culpa, quamuis non ſatisfecerit præcepto, nullam tamen noxam contraxit, quæ non poteſt eſſe ſine voluntario, & ſic per ſubſequens ſupplementum ſatisfaceret præcepto; ſi verò omiſerit voluntariè, & culposè cum animo, ſcilicet non ſupplendi defectum illum ſubſtantialem, vtique culpam læthalem contraxit, quæ non tollitur per ſubſequens ſupplementum, licet per hoc ponatur implementum præcepti; vndè in hac hypotheſi culpa conſiſteret in illa præciſa voluntate, & animo non ſatisfaciendi, non in præcepto non adimpleto. Quomodo autem hic defectus ſit ſupplendus, infrà videbimus.

4 Si fuerit notabilis eſt ſupplenda.

Dicendum quartò, ſi omiſſio illa fuerit notabilis in quantitate extenſiua, & proindè peccaminoſa læthalitèr ex genere ſuo, hoc eſt quantum eſt ex ſe, vtique obligat ad ſupplementum. Dixi, *ex genere ſuo, & quantum eſt ex ſe*, nam ex inuoluntarietate reſpectu omittentis poteſt non eſſe talis, hocque eueniret in caſu, quo quis accedens ad Eccleſiam Miſſam auditurus inueniret eandem iam cæptam perueniſſe vſque ad offertorium, nec ſperaret aliam futuram; tunc etenim non peccaret, niſi in mora culpabili fuerit accedendi, non tamen eximeretur ab onere ſupplendi defectum illũ, ſi alia Miſſa ſupereſſet; non etenim tunc intelligeretur adimpletum præceptum, nec cauſa adeſſet excuſationis, cum eſſet alia Miſſa, quam poſſet audire. Suppoſito igitur, quod quantitas omiſſa ſit peccaminoſa læthalitèr, & ratione inuoluntarietatis non deſineret eſſe talis, & quod omittens culposè omiſerit animo nõ audiendi aliam Miſſam, probatur iam, quod teneatur ſupplere illum defectum. Præceptum audiendi ſacrum per illam omiſſionem voluntariam cum animo non ſupplendi in alia Miſſa non intelligitur adimpletum, ſed perſeuerat, donec elapſum ſit totum tempus, pro quo poteſt adimpleri, ergo tenetur ſupplere illum defectum. Sed, an in hac hypotheſi omittens duplex peccatum læthale committeret, alterum, quo voluntariè omiſit partem illam notabilem cum animo poſitiuo illum non ſupplendi; alterum, quo adhuc vrgente præcepto, & exiſtente opportunitate aliam Miſſam audiendi, & per conſequens ſupplendi, & adimplendi præceptum, illam non audiret, nec ſuppleret. Videntur prima fronte aſſerendum, duplex peccatum committere; nam denegari non poteſt, quin in propoſito illo interiori de non audiendo alio ſacro conſiſtat propriè peccatum, & cum eodem non obſtante adhuc remaneat obligatio, quantum fieri poteſt, ſupplendi illum defectum, ſi hæc non impleatur, aliud peccatum videtur inducere. Nihilominus, cum verſemur in præcepto non negatiuo, quod obligat ſemper, & ad ſemper, ſed poſitiuo, abſolutè crederem, non niſi vnicum peccatum contrahi, cum illa praua intentio referatur ad negationem ſupplementi, & per ipſum non ſupplementum ſolum conſummetur.

5 Quomodo hoc intelligendũ ſit.

6 Qui omiſit voluntariè partem grauem, & non ſuppleuit cũ poſſet, nõ contraxit duplicem culpam.

Pro ſecunda parte tituli de modo, quo ſuppleri debeat ille defectus, quando ex neceſſitate ſupplendus eſt, difficultas conſiſtit in eo, an neceſſe ſit integrè aliam Miſſam audire, an ſufficiat audire illam partem, quæ fuit omiſſa; adeovt, ſi fuerit omiſſa a principio vſque ad offertorium, ſufficiat audire aliam Miſſam vſque ad offertorium, ſi fuerit omiſſa præcisè quoad conſecrationem, ſufficiat in altera aſſiſtere præcisè eidem conſecrationi, ſi præcisè quoad ſumptionem, ſufficiat aſſiſtere ſumptioni &c., & item, cum dictum fuerit excuſari à graui culpa, qui omitteret vſque ad Euangelium excluſiuè, ſi reliquum audiat vſque ad benedictionem incluſiuè; & etiamſi omitteret vſque ad primum

Euangelium incluſiuè, ſi tamen reliquam audiret vſque ad vltimum Euangelium incluſiuè, oritur difficultas, an ad euitandum peccatum læthale ſufficiat, (ſi omiſerit vſque ad Euangelium incluſiuè in caſu, quo non audierit vltimum Euangelium,) quod præcisè audiat in alia Miſſa Euangelium omiſſis partibus præcedentibus ad ipſum.

7 Sententia aſſerens ſufficere, ſi audiatur pars omiſſa.

Communior ſententia ſtatuit, non eſſe neceſſe, vt alia Miſſa integrè audiatur, ſed ſufficere, ſi in alia audiatur illa pars, quæ fuit omiſſa *Maior in quarto diſtinct. 12., & diſtinct. 45. qu. 2., Sotus item in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 1., Nauarrus in ſumma cap. 21. num. 2., & in cap. quando de conſecratione diſtinct. 1. notab. 10. n. 18.*, & alij magis communitèr præcipuè recentiores. Fundamentum huius communis opinionis in eo ſitum eſt, quod iura præcipiunt ſolummodò, vt tota Miſſa audiatur, non tamen, vt tota ab vno, & ab eodem Sacerdote, nec quod continentèr.

8 Sententia aſſerens totã aliam Miſſam audiendã eſſe.

Suarez d. diſp. 88. ſect. 2. verſ. ſed tunc inquiri poteſt, quamuis aſſerat, quod ob auctoritatem præcitatorum DD. non poſſit recenſita communis opinio practicè condemnari, nihilominus ipſe ſtatuit, integram Miſſam eſſe ab alio Sacerdote audiendam, quod multis rationibus conatur euincere; & primò ex textu *in cap. Miſſas de conſecratione diſtinct. 1.*, conſiderato illo verbo, *totas Miſſas*, quod importat partes vnitas, & debito ordine coniunctas; totum etenim non poteſt eſſe ſine partibus coniunctis; quando autem duæ partes Miſſæ audiuntur a duobus Sacerdotibus, vna ab vno, altera ab altero, non vniuntur ad conſtituendum vnum, & totum ſacrificium. Secundò, quia, ſi Sacerdos conſecrato Corpore ab Altari recederet, & ſacris ſe veſtibus exueret, & poſt diuturnum tempus ad Altare rediens reaſſumptis eiſdem veſtibus conſecraret Sanguinem, non efficeret vnum ſacrificium, quamuis vtramque partem compleret propter disiunctionem moralem illarum partium, ergo neque audiens per interruptionem illarum partium a diuerſis Sacerdotibus totam Miſſam audiret, adeoque nec præcepto ſatisfaceret. Tertiò, quia data communi opinione ſupra recenſita poſſet quis pro eodem tempore audire duas partes, & fortè plures à diuerſis Sacerdotibus celebrantibus in diuerſis Altaribus, & ſatisfacere præcepto, quod contingeret, ſi vnus Sacerdos in vno Altari Miſſam incoharet, & alter in altero iam perueniſſet ad conſecrationem, & ipſe exiſtens in Eccleſia vtrique aſſiſteret; primæ ſcilicet vſque ad conſecrationem, ſecundæ vſque ad finem; poſſet enim dici, quod hic integram,

9 Rationes pro hac ſententia

ſeu totam Miſſam audierit, cum vtrique parti fuerit ſufficientèr præſens, & potuerit congruam habere attentionem nihil obſtante, quod id ſimul præſtat, nam, ſicuti, vt infrà videbimus poteſt quis ſimul Diuinum Officium recitare, & Miſſam audire, ità non videtur obſtare, quod duas partes Miſſæ ſimul audiat, ſed, quod quis audiens ſimul duas, vel plures partes Miſſæ ſatisfaciat præcepto, non poteſt dici obſtante declaratione Innocentij XI., qui in Generali Congregatione Sanctæ Romanę, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita die 2. Martij 1675., damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 54., qua dicebatur. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ, qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit*, ergo neque poteſt dici, quod ſatisfaciat, qui duas partes Miſſæ à duobus Sacerdotibus audit pro diuerſo tempore. Hæc Suarez. Quid iam concludendum?

Ego in hoc conſiderandum arbitror, an pars, vel partes, quæ fuerunt omiſſæ pertineant ad eſſentiam, vel ad ſubſtantiam ſacrificij, vel ſaltem ſint eidem propinquæ, & valdè coniunctæ, vt ſunt conſecratio, & ſumptio, & ea, quæ continentur à Canone vſque ad ſumptionem, an verò illa pars, ſeu partes omiſſæ pertineant ſolummodò ad ornatum, & accidentalia eiuſdem Miſſæ, puta introitus, Epiſtola, Euangelium, offertorium, & ea, quæ ſubſequuntur poſt ſumptionem. Quibus perpenſis.

Dico primò, ſi pars, vel partes omiſſæ pertineant ad eſſentiam, vel ſubſtantiam ſacrificij, vel immediatè coniungantur cum eſſentia, vel ſubſtantia, probabilius, arbitror non ſufficienter ſuppleri per auditionem illius, ſeu illarum partium in altera Miſſa, ſed aliam Miſſam integram eſſe audiendam. In hoc conſentit *Suarez loc. cit.*, non ſolum ex generali ratione per ipſum conſiderata quoad omnes partes notabiles, ſed ſignantèr quoad has partes pertinentes ad eſſentiam, vel ſubſtantiam. Rationem ex eo potiſſimum deduco, quod ſine aliqua, vel aliquibus ex his partibus, non eſt ſacrificium, vel non eſt ſubſtantialitèr completum, vel non habens illas partes concomitantes quas Eccleſia ſeriò, & ſub graui intendit debere habere coniunctas, cum pertineant ad ornatum, & perfectionem immediatam eiuſdem, &, quamuis poſtea ponantur, non poſſunt confluere ad vnum totum integrandum, ſeu conſtituendum, cum totum non poſſit ſaluari in partibus diuiſis, & disiunctis. Accedit, quod aſſiſtentes ſacrificio Miſſæ, ſunt & ipſi offerentes, licet minus principalitèr, vt ſupra diximus, ſicuti autem per plures

10 Si partes omiſſæ pertineãt ad ſubſtãtiam alia Miſſa audienda eſt

offe-

offerentes principales per diuerſas partes non conſtituitur totum integrum ſacrificium, ita nec per offerentes minus principales conſtituitur oblatio minus principalis totius vnius ſacrificij, &, ſicuti plures partes ſacrificij oblatæ a pluribus Sacerdotibus per diſtincta tempora non conſtituunt tanquam partes vnum ſacrificium, ita plures partes auditæ a pluribus Sacerdotibus non conſtituunt auditionem vnius totius ſacrificij.

11 Secus, ſi partes omiſſæ fuerint accidentales.

Dico ſecundo, ſi pars, vel partes omiſſæ pertineant ſolummodò ad accidentalia ſacrificij iuxta modum expoſitum in præcedenti conſideratione facilius admitti poteſt, quod audiendo præciſe partem omiſſam excuſetur a culpa læthali. In hoc etiam videtur conſentire *Suarez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod, cum huiuſmodi partes ſtatutæ ſint ſolummodò ex diſpoſitione Eccleſiæ; nec item proximè accedant ad eſſentiam, vel ſubſtantiam ſacrificij, earundem vnitas in auditione non ita ſtrictè videtur neceſſaria, ſicuti eſt neceſſaria in partibus eſſentialibus, & ſubſtantialibus, cum ſit vnitas ſolummodò cuiuſdam ſolemnitatis, quæ *ex Gloſa in cap. quorundam diſtinct. 23.* poteſt conſtitui ex duobus imperfectis, quod exemplificat ſignanter in Miſſa. Neque dicas, totam Miſſam etiam quoad partes ſubſtantiales dici Sacramentum ſolemnitatis, quod ex duobus imperfectis poteſt conſtitui, vt expreſsè colligitur *ex cap. nihil 7. queſt. 1.*, vbi ne dum in auditione, ſed etiam in confectione ſacri dicitur ex duobus confici vnum perfectum, quod potiſſimum intelligitur de duabus partibus ſubſtantialibus a duobus Sacerdotibus confectis, ex quo eruitur, vel quod, ſi in partibus accidentalibus poſſit in auditione haberi vnum totum perfectum ſufficiens ad adimplementum præcepti, poſſit etiam haberi in partibus eſſentialibus, quod eſt contra id, quod ſupra diximus, vel quod, ſi in partibus

12 Soluitur inſtantia oppoſita.

ſubſtantialibus non poſſit hoc vnum perfectum, & totum haberi, neque poſſit haberi in partibus accidentalibus, cum quoad vtraſq; dicatur Sacramentum ſolemnitatis; contra enim impugnaberis, quia in allegato textu *in cap. nihil 7. quæſt. 1.*, ſolum dicitur, quod, ſi Sacerdos, qui ſacrificium incæpit, inopinato fato correptus non poſſit illud perficere, debeat alter eius defectum ſupplere, quod eſt propter neceſſitatem ſummam ſacrificij complendi, quod nequit adaptari caſui noſtro, in quo ſupponimus, quod partes vtriuſque ſacrificij ſint completæ, quatenus primus, cuius ſacrificij partes omiſit, completum fecerit ſacrificium, & item ſecundus hoc idem præſtiterit; vndè non eſt illa ſumma neceſſitas ſacrificij complendi. Quamobrem ceſſante illa neceſſitate ſacrificij complendi, ſi audiens ab vno partem Miſſæ, & ab altero alteram non videtur audire totum ſacrificium conflatum ex partibus ipſum integrantibus, ipſumque conſtituentibus, nec ex eo, quod ex ſumma neceſſitate complendi ſacrificium admittatur, quod vno deficiente alter ſuppleat, ſequitur, quod hoc ſit admittendum extra talem neceſſitatem.

Neque vrgeas, vim inſtantiæ in eo conſiſtere, quod, ſicuti quoad ſubſtantialia ſacrificij poteſt vnum, & idem ſacrificium perfici à duobus, & ſic ex duabus partibus ſeiunctis conflari, ita poſſit quoad auditionem conſtitui ex duabus partibus etiam ſubſtantialibus duorum Sacerdotum; contra enim adhuc impugnaberis, quia aliud eſt, quod ſacrificium in primo ſuo eſſe incompletum poſſit ab alio compleri, aliud, quod ex partibus duorum iam in ſuo eſſe completorum poſſit vnum totum conflari, & compleri; primum eſt ex neceſſitate ſacrificij, quod ex genere ſuo exigit compleri; ſecundum extra neceſſitatem eiuſdem. Primum potuit in illo caſu præciſè complementi ſacrificij ſtatui, & iure merito ſtatutum eſt, cum pertineat ad ſubſtantiam, & reuerentiam eidem debitam, ne mutilum remaneat; ſecundum nec poſitiuè ſtatutum eſt, nec congruit conuenientiæ eiuſdem ſacrificij.

ARTICVLVS X.

An Latinus audiens Miſſam Sacerdotis Græci ſuo ritu celebrantis in partibus Latinorum ſatisfaciat præcepto.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes non ſatisfacere. 1.
Probabilius ſatisfacit. 2.
Ratione à paritate deducta euincitur. 3.
Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum. 4.

Difficultas potiſſimum in eo ſita eſt, quod in Concilio Florentino in decreto vnionis prohibitum eſt Sacerdotibus Latinis potiſſimum in ſuis partibus celebrantibus celebrare ritu Græcorum, ſicuti Græcis ritu Latinorum, quod etiam ſtrictius prohibuit *Pius V. in motu proprio edito anno 1566. Incipiente Prouidentia Romani Pontificis*, vbi poſt reuocatas omnes facultates, ſeu licentias conceſſas, aut Latinis ritu Græcorum, aut Græcis ritu Latinorum præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis propriæ ac perpetuæ ſuſpenſionis à Diuinis pænis, ne — 1 Rationes ſuadente non ſatisfacere

Presbyteri Græci quouis prætextu, nec Latini aliter Miſſas celebrare præſumant; ex quibus videtur recte deduci, quod nec fideles Latini poſſint in ſuis partibus audire Miſſas ritu Græcorum, nec Græci in ſuis ritu Latinorum; prohibito enim modo celebrandi videtur prohibitus etiam modus audiendi.

Accedit, quod intereſſentes ſacrificio Miſſæ dicuntur etiam offerentes minus principales; ſicuti igitur principales offerentes Latini prohibentur ſub graui offerre ritu Græcorum, ita & offerentes minus principales vetari cenſendi ſunt eodem ritu Græcorum offerre.

Accedit vlterius, quod, ſi quæ eſſet ratio dicendi, quod Latini audientes in ſuis partibus Miſſis ritu Græcorum ſatisfacerent præcepto, ea eſſet, quod illa ſit vera, & realis Miſſa, prout definitur *in eodem Concilio Florentino in decreto vnionis*. Ibi: *Definimus in Azimo, ſiue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere*; ſed hæc ratio nil penitus euincit, nam non ſufficit præcisè audire Miſſam, ſed audienda eſt iuxta modum ab Eccleſia præſcriptum; quandoquidem etiam audit Miſſam, qui audit in priuato Oratorio, & non eſt ex comprehenſis in priuilegio, & tamen non ſatisfacit præcepto, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſicuti igitur non ſatisfacit, qui non ſeruat locum, ita nec ſatisfacit, qui non ſeruat ritum. Nihilominus ſit

2 Probabilius ſatisfaciunt. Aſſertio. Probabilius eſt Fidelem Latinum audientem ſacrum etiam in proprijs partibus à Sacerdote Græco celebrante ritu Græcorum ſatisfacere præcepto.

Ratio ex eo deducitur primò, quod iuxta prædicta Miſſa Græcorum eſt vera, & realis Miſſa, & ex alio capite nullo iure vetatur, quin Latini valde eidem aſſiſtere valeant, & ſatisfacere præcepto, ergo Latinus eidem aſſiſtens verè, & propriè ſatisfacit præcepto. Antecedens quoad primam partem eſt in confeſſo apud omnes, & expreſsè definitur à præcitato *Concilio Florentino in decreto vnionis*; quoad ſecundam ſic euincitur, quia, ſi quod præceptum aſſignari poteſt maximè illud, quod vetat Latinis Sacerdotibus, ne in ſuis partibus celebrent more, & ritu Græcorum, ſed hoc non extenditur ad audientes, qui ſolum obſtringuntur ad audiendam Miſſam in die feſto non potius hanc, quam illam, &, licet Sacerdotes ſpeciali quodam iure obſtringantur ad ſpecialem, & determinatam Miſſam in diebus feſtis, ſi tamen aliam celebrent, audientes ſatisfaciunt, ita quamuis teneantur Latini celebrare ritu Latinorum, ſi tamen ipſi, vel Græcus celebrent ritu Græcorum; audientes Latini ſatisfaciunt, quia præceptum celebrandi ritu Latino dirigitur ad celebrantes, non ad audientes. Adde, quod, ſicuti Græci non vetantur in partibus Latinorum celebrare ritu Græcorum, ita nec vetantur Latini aſſiſtere, & aſſiſtendo ſatisfacere.

Ratio deducitur ſecundò ex eo, quod ſubiecti Eccleſiæ Mediolanenſi, in qua ſeruatur ritus diuerſus à Romano audientes ſacrum ritu Romanorum, & ſubiecti Eccleſiæ Romanæ audientes ritu Eccleſiæ Mediolanenſis ſatisfaciunt præcepto de audiendo ſacro in die feſto, ergo etiam Latini audientes ſacrum celebratum ritu Græcorum ſatisfaciunt eidem præcepto. Conſequentia probatur, quia in vtroque caſu eſt diuerſitas rituum, & licet videatur maior diuerſitas inter ritum Græcum, & Latinum, quam ſit inter Romanum, & Ambroſianum, maior tamen, & minor diuerſitas non variat ſubſtantiam adimplementi præcepti, cum ſubſtantia ſacrificij ſeruetur. 3 Ratione à praxi deducta euincitur

Hinc facile reſpondemus ad obiecta. 4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad primum patet ex prima probatione aſſertionis non officere, quandoquidem præceptum dirigitur ad celebrantes, non ad audientes, qui, quomodocunque audiant Miſſam, ſatisfaciunt. Ad ſecundum idem reſpondendum eſt; licet enim intereſſentes Miſſæ dicantur etiam offerentes minus principales, ad ipſos tamen non dirigitur præceptum; ſicuti ad ipſos non dirigitur præceptum pro determinatis diebus feſtiuis celebrandi talem, vel talem Miſſam, vnde quamcunque audierint, ſatisfaciunt. Ad tertium, dicendum eſt, quod auditio in priuato Sacello ſit ſpeciali iure prohibitum reſpectu eorum, qui non comprehenduntur in priuilegio ſpecialiter pro aliquibus conceſſo priuatiuè quoad alios; item illud præceptum dirigitur ad ipſos audientes; quæ non militant reſpectu audientium Miſſam ritu Græcorum, vt per ſe patet.

ARTICVLVS XI.

De onere audiendi ſacrum relatiuè quoad locum.

SVMMARIVM.

Articuli circa titulum examinandi. 1.
In Eccleſia interdicta pro quibuſnam diebus poſſint publicè ſacra celebrari. 2.
In diebus ſolemnioribus tenentur Laici aſſiſtere. 3.
Audiens Miſſam in Eccleſia interdicta, vbi ſecreto celebratur, probabilius non ſatisfacit. 4.
Audiens ſacrum in loco interdicto, ſi fuerit Laicus, grauitèr peccat. 5.
Non eſt neceſſe, quod videat, & audiat Sacerdotem. 6.
Audiens è Sacriſtia, in qua patet Oſtium directè ad Eccleſiam ſatisfacit. 7.
Secus, ſi Oſtium non directè reſpiciat Eccleſiam. 8.
Exiſtens intra ſepta Eccleſiæ, quamuis in loco remoto ſatisfacit. 9.
Exiſtens in atrio extra Eccleſiam, in quam ingredi non poſſit propter multitudinem ſatisfacit. 10.
Exiſtens in feneſtra Domus ſeparata ab Eccleſia non ſatisfacit. 11.

1 Varij articuli examinandi.

SVb hoc titulo plura veniunt examinanda. Primum relatiuè quoad Eccleſiam, & omnes, & ſingulas eius partes. Secundum in ordine ad loca extra Eccleſiam, contigua tamen, vel eidem propinqua. Tertium in ordine ad priuata Oratoria, in quibus ex indulto Pontificis poſſunt Miſſæ celebrari. Quartum in ordine ad loca etiam profana ex ſuppoſitione, quod in eiſdem celebretur. De primo, & ſecundo agetur in præſenti articulo; De duobus poſtremis in ſubſequentibus.

Sub examine primi dubij excitati plura etiam veniunt; & primò, an in Eccleſia interdicta licitum ſit Miſſam audire, & pro quocunque tempore ibi celebretur; Secundò, ſi audiatur ſacrum in eadem Eccleſia prò diebus feſtis, qui ſint vltra conceſſos, ſatisfiat præcepto. Tertiò, an ſi audiatur vltra dies ad hoc permiſſos committatur culpa læthalis, an tantum venialis. Quartò præſcindendo ab Eccleſia interdicta, & loquendo in ordine ad partes Eccleſiæ, an, ſi quis exiſtens in Sacriſtia ſatisfaciat præcepto, ſi ex eadem audiat Miſſam, quæ in Eccleſia celebratur. Quintò, an, ſi in loco remoto, & valdè recepto exiſtente tamen iuxta ſepta Eccleſiæ, quis ſacrum audiat ſatisfaciat præcepto, & alia huiuſmodi.

Quoad primum, hoc certum eſt, quod in Eccleſia interdicta nequeant publicè, & ſolemnitèr Diuina Officia, & Miſſæ celebrari, quinimmò nec ante Bonifacium Octauum poterat ſecreto, niſi ſemel in Hebdomada ad renouandum Sacramentum; Ipſe tamen *Bonifacius in cap. alma Mater de ſententia excommunicatione in 6.* indulſit, vt in Eccleſia interdicta Miſſæ, & Diuina Officia ſecreto, & ianuis clauſis celebrentur, & Clerici omnes, & Sacerdotes interſint, non tamen Laici, niſi in certis ſolemnitatibus, quæ ibi præſcribuntur, & ſunt feſtiuitates Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Glorioſæ. Quibus Martinus V., & Eugenius IV. addiderunt feſtum Corporis Chriſti, & eius octauam, & feſtum, & octauam Conceptionis in Eccleſijs, in quibus dicitur Officium, quod incipit *egredimini*. An autem nomine feſtiuitatum Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes veniat ſolummodò primus dies talium feſtiuitatum, an verò duo ſequentes ad ſingulas earum? Probabilius arbitror, venire omnes tres dies ſingularum ex illis feſtiuitatibus, quia Pontifex loquitur in terminis feſtiuitatum, non præcisè dierum; tres autem illi dies pertinent ad feſtiuitates illorum myſteriorum. Extra hos dies non licitum eſt Laicis intereſſe Miſſis ſecretis, quæ ibi celebrantur; nam *idem Bonifacius in dicto cap. alma Mater*, facta conceſſione quoad recenſitas feſtiuitates expreſsè præcipit, vt antiqua iura in ſuo robore permaneant quoad reliqua, & adamuſim obſeruentur. Quamuis autem Laici extra illas ſolemnitates nequeant in loco interdicto ſacris intereſſe, aſſerit tamen *Præpoſitus in tertio quæſt. 4. dub. 3. n. 31.* poſſe Sacerdotem celebraturum aſſumere miniſtrum Laicum, qui inſeruiat ipſi celebranti; ſed, cum idem Bonifacius ſtatuerit, vt Clerici omnes, & Sacerdotes, quando Diuina Officia ſecreto celebrantur, poſſint aſſiſtere, non video, quomodo poſſint contra præſcriptum Eccleſiæ huiuſmodi Laicos ad inſeruiendum aſſumere, cum Clerici ex proprio munere poſſint deſeruire. Quamobrem non admitterem ſententiam Præpoſiti, niſi in caſu, quo Clerici deficerent, nam tunc, cum intelligatur Sacerdotibus conceſſum celebrare, intelligitur & conceſſum id, ſine quo non poſſent celebrare ſaltem iuxta modum ab eadem Eccleſia præſcriptum, vt ſcilicet adſit miniſter.

2 In Eccleſia interdicta pro quibus diebus poſſint ſacra publicè fieri

Sed, an pro diebus illis ſolemnioribus, pro quibus conceſſum eſt Laicis poſſe aſſiſtere, teneantur ad adimplendum præceptum audiendi ſacrum in diebus illis aſſiſtere? Dictum eſt ſupra, quod, ſi quis ex

3 In diebus ſolemnibus tenentur Laici aſſiſtere.

in-

indulto Pontificis poſsit tempore interdicti ſacris intereſſe, teneatur pro diebus feſtis ex vi præcepti audiendi ſacrum intereſſe; ex quibus validum argumentum ad rem præſentem poteſt ſic efformari, ergo exiſtente libera facultate pro illis diebus reſpectu Laicorum audiendi ſacrum vrgente alio præcepto ipſum audiendi tenebuntur audire; nam ſublato impedimento præceptum remanet in ſuo robore.

4 Audiens Miſſam in loco interdicto, vbi ſecreto celebratur, non ſatisfacit.

Quoad ſecundum, vt locum poſsit habere quæſitum, ſuppono, quod aliqua Eccleſia ſolummodò in aliqua Vrbe, vel Oppido ſit interdicta reliquis Eccleſijs liberis remanentibus; nam, ſi eſſet interdictum locale vniuerſale, ceſſaret ex impedimento onus audiendi ſacrum; factaque hac ſuppoſitione inquiro, an, ſi Laicus in Eccleſia interdicta, vbi ſecreto Miſſa celebratur, pro diebus feſtis Miſſam audiret, ſatisfaceret præcepto. Non ceſſare in hoc onus audiendi ſacrum pro diebus feſtis clare liquet ex eo, quod non eſt obſtrictus audire in Eccleſia interdicta, cum poſſit commodè in alijs non interdictis audire; ſed, an audiendo in Eccleſia interdicta ſatisfaciat illi præcepto, id eſt, quod modo quæritur. Probabilius arbitror, non ſatisfacere. Ratio eſt, quia in tali Eccleſia vetantur audire, &, ſicut, quia in Oratorijs priuatis ſolum conceditur comprehenſis in priuilegio, & non alijs audire, alij audiendo ibi ſacrum non ſatisfaciunt præcepto, ita quia Laicis non conceditur, quin potius poſitiuè prohibetur audire in Eccleſia interdicta, audiendo in eadem non intelliguntur ſatisfacere.

5 Audiens in loco interdicto grauiter peccat.

Quoad tertium *Diana part. 5. tract. 10. reſol. 68.* videtur ſentire, quod, ſi Laicus ſecluſo contemptu, & ſcandalo in Eccleſia interdicta interſit ſacro non conſtituatur reus culpæ læthalis, ſed ſolum venialis; quinimmò *Auila part. 5. diſp. 5. dubio 2.*, aſſerit eſſe probabile, nec venialiter peccare addita etiam ratione; quia præceptum non dirigitur ad Laicum, ne in tali loco audiat, ſed ad Clericos, ne illum admittant. Sed probabilius arbitror, læthaliter peccare, niſi ex ignorantia, vel inaduertentia excuſetur. In hoc conſentit *Conincbus diſp. 17. dub. 3. num. 68.* Ratio ex eo deducitur, quia in re graui violaret præceptum Eccleſiæ; nec obſtat id, quod ex Auila affertur; nam in primis præceptum dirigitur ad ipſos Laicos, quod colligitur ex eo, quod ad ipſos dirigitur conceſſio, vt in enumeratis feſtiuitatibus poſſint intereſſe, ergo extra illas præceptum eoſdem afficit, ne audiant. Deindè dato etiam, quod directè præceptum excludendi dirigatur ad Clericos, ex hoc non tollitur, quin ipſi prohibeantur intereſſe; quinimmò ideò eſt præceptum excludendi, quia ipſi intelliguntur excluſi.

6 Non eſt neceſſe, quod audiens audiat, & videat.

Quoad quartum præmittendum eſt, ad ſatisfaciendum præcepto ſufficere voluntariam, & moralem præſentiam in loco, in quo Miſſa celebratur, nec eſſe neceſſe, vt expreſsè, & ſtrictè verba celebrantis audiantur, nec quod ipſe celebrans videatur, nam, licet *in cap. Miſſas, & cap. omnes fideles de conſecr. diſt. 1.*, præcipiatur fidelibus audire totas Miſſas, per ly tamen *audire*, non venit ſtricta, & rigoroſa auditio, cæteroqui ſurdi præcepto Eccleſiæ non ſatisfacerent, ſicuti, nec cæci, qui Sacerdotem non vident, nec illi, qui à longe in Eccleſia exiſtentes propter multitudinem adſtantium, nec verba audire, nec Sacerdotem videre poſſent; quod tamen eſt contra communem ſcribentium conſenſum. Videndum eſt igitur, an reſpectu exiſtentis in Sacriſtia tanta ſit inter ipſum, & Sacerdotem interruptio, vt ſecundum communem prudentum exiſtimationem non cenſeatur eſſe præſentia moralis, quæ interruptio non conſideranda eſt præcisè ratione diſtantiæ; nam poſſet contingere, quod intra ſepta Eccleſiæ ſit maior diſtantia inter aliquem ibi exiſtentem, & inter Sacerdotem celebrantem, ac ſit inter exiſtentem in Sacriſtia, & Sacerdotem celebrantem, & tamen per illum ſatisfiat præcepto, ſed ſumenda eſt etiam ratione parietis interiacentis inter Sacriſtiam, & Eccleſiam, in qua ſacrum celebratur. Quibus præſuppoſitis dico, quod, ſi è Sacriſtia pateat Oſtium directè reſpiciens Eccleſiam, ex quo videri, vel audiri poſſit

7 Audiens à Sacriſtia, in qua patet oſtiũ directum ad Eccleſiam ſatisfacit.

Sacerdos celebrans, per auditionem ſacri ab eadem Sacriſtia vtique ſatisfiat præcepto, ſecus, ſi ab eadem Sacriſtia non pateat Oſtium immediatè, & directè tendens in Eccleſiam, ſed à latere non immediatè ducens in Eccleſiam, ſed medio atrio, vel alia æde. Ratio primæ partis eſt, quia ratione continuationis ratione Oſtij patentis immediatè verſus Eccleſiam Sacriſtia habetur pro parte eiuſdem Eccleſiæ, &, ſi ab eodem Oſtio videri poſſit, vel audiri Miſſa, non ſolum intelligitur præſentia corporalis, ſed etiam moralis ſecundum communem exiſtimationem, ergo ab eadem Sacriſtia ſic audiens ſatisfacere præcepto cenſendus eſt. Limitarem in caſu, quo Altare, in quo Miſſa celebraretur, ex aduerſo latere extaret, ex quo, nec videri poſſet, nec audiri Miſſa ab eadem Sacriſtia, quia tunc haberetur moraliter, vt locus merè ſegregatus. Neque dicas ex ſupradictis, ad adimplementum præcepti non eſt neceſſe, quod Sacerdos celebrans audiatur, vel videatur, cum etiam à ſurdis, & cæcis præceptum adimpleatur, qui tamen

nec

nec audiunt, nec vident, & longè etiam adſtantes propter multitudinem ibi exiſtentium etiam ſatisfaciant, quamuis, nec audiant, nec videant, ergo etiam in caſu noſtro, vel aſſerendum eſt, quod interiacente muro Sacriſtiæ exiſtentes in eadem non ſatisfaciant etiam ſi non videant, vel audiant, vel quod, ſi ſatisfaciant, dum videre poſſunt, vel audire ſatisfaciant etiam non videndo, & non audiendo. Contra
8 Secus, ſi non pateat oſtiũ directum — enim impugnaberis, quia dum extant in Eccleſia, etiam ſi non videant, neque audiant, intelliguntur ex ſe habere præſentiam ſufficientem moralem nullo intercedente obſtaculo, niſi ex proprio defectu corporali; exiſtens verò in Sacriſtia habeat obſtaculum parietis interiacentis, vndè ad conſtituendam præſentiam ſufficientẽ, & moralem requiritur, vt ſaltem ab altero ſenſu poſſit percipi. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quod exiſtente Altari, in quo Miſſa celebratur ex aduerſo latere Sacriſtiæ, adeo vt, nec audiri, nec videri poſſit, non cenſeatur ſufficiens præſentia moralis, quinimmò, nec corporalis ratione parietis interiacentis, & ex aduerſo latere exiſtentis.

Quoad quintum dicendum eſt, non eſſe
9 Exiſtens intra ſepta Eccleſiæ, licet in loco remoto ſatisfacit. — hæſitandum, quin exiſtens in loco remoto, & valdè recepto intra ſepta Eccleſiæ ſatisfaciat præcepto, cum re vera intelligatur moralitèr præſens. Sed quid erit dicendum, ſi Eccleſia ſit magna, & quis ſit in extrema parte eiuſdem, & Miſſa celebretur in ſumma parte eiuſdem, adeovt, nec Sacerdos celebrans videatur, nec audiatur? Sentiendum eſt, quod ſatisfaciat, quia ſepta eiuſdem Eccleſiæ ſufficientèr determinant præſentiam, dummodò habeat debitam attentionem.

Sub examine ſecundi dubij duo potiſſimum veniunt diſcutienda; Primum eſt, an, ſi quis extet extra Eccleſiam puta in atrio eiuſdem, vel cœmeterio, dum Miſſa in eadem Eccleſia celebratur, intelligatur ſufficientèr eſſe præſens, & ſatisfacere præcepto. Secundum eſt, an, ſi extet in feneſtra Domus ſeiunctæ ab Eccleſia, & reſpiciente Eccleſiam, adeovt ex eadem videre poſſit Altare, in quo Miſſa celebratur, audiens à tali loco intelligatur præcepto ſatisfacere.

Dicendum eſt ad primum, ſi præ multi-
10 Exiſtens in atrio extra Eccleſiam ſatisfacit. — tudine adſtantium ingredi nequeat Eccleſiam, & proindè remaneat in atrio, ſeu cœmeterio, vtique ſufficientèr intelligi ſatisfacere præcepto *Gordonus tom. 2. lib. 6. quæſt. 7. cap. 2. § 3. num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia per vnionem, quam habet cum alijs adſtantibus moralitèr numeratur inter illos, qui in Canone circumſtantes dicuntur, & cum illis quodamodo vnum cœtum audientium conſtituit; nec obſtat, quod ſit extra ſepta Eccleſiæ, quia propter illam vnionem, quam habet cum alijs adſtantibus, intelligitur eſſe cum illis, ſi non phyſicè, ſaltem moralitèr in Eccleſia, cum conſtituat cum illis quid vnum.

Dicendum ad ſecundum exiſtentem in — 11 Quid ſentiendũ de exiſtẽte in feneſtra domus.
feneſtra Domus ſeiunctæ ab Eccleſia, intra quam feneſtram, & Eccleſiam mediet via, quantumuis videat Altare, in quo Miſſa celebratur, non ſatisfacere præcepto *Filliutius tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 209., Diana part. 4. tract. 4. reſol. 154.* Ratio ex eo deducitur, quod nec phyſicè, nec moralitèr eſſet præſens Eccleſiæ, & Sacerdoti celebranti. Non phyſicè, quia corporalitèr non eſt in Eccleſia. Non moralitèr, quia Domus ſeiuncta, & via interiacens ponunt quamcunque interruptionem, nec ſecundum communem hominum exiſtimationem habetur, vt exiſtens in Eccleſia.

ARTICVLVS XII.

An ſatisfiat præcepto per auditionem Miſſæ in Oratorio priuato; vbi de priuilegijs, quæ in hoc conceduntur.

SVMMARIVM.

Oratoria alia publica, alia priuata. 1.
Poſt Concil. Trident. non poſſunt per Epiſcopos concedi facultates Oratoriorum priuatorum. 2.
Conditiones, quæ ſolent per Pontifices apponi in huiuſmodi conceſſionibus. 3.
Rationes dubitandi circa hæc Oratoria. 4.
Vnica tantum Miſſa eſt ibi celebranda. 5.
An Regulares celebrata vna Miſſa in huiuſmodi Oratorijs poſſint celebrare variæ opiniones. 6.
In ſententia affirmante, quod poſſint ibi celebrare, ſententia aſſerens, quod audientes non ſatisfacerent. 7.
Sententia affirmans ſatisfacere. 8.
Probabilius non ſatisfacerent. 9.
Satisfit rationibus contrariæ ſententiæ. 10.
Si ibi celebraretur Miſſa in diebus prohibitis etiam comprehenſi in priuilegio non ſatisfacerent. 11.
Conceſſo priuilegio Domino, & famulis eidem inſeruientibus abſente Domino famuli audientes ſacrum non ſatisfaciunt. 12.
Si Dominus audito ſacro in Eccleſia ex deuotione iterum audiat in Oratorio, vbi aliud ſacrum non fuerit illa die celebratum, famuli audientes illud ſacrum ſatisfaciunt. 13.
Si fuerit aliud ſacrum in illo Oratorio celebratum quid ſentiendum. 14.

Quinam

Quinam veniant nomine famulorum neceſſariorum. 15.
Miniſter ſacri, quamuis non priuilegiatus, audiens illud ſatisfacit. 16.
Quinam veniant nomine eorum, qui dicuntur de familia. 17.
Conceſſo priuilegio cum clauſula: In tui, & familiæ tuæ præſentia *abſente Domino, familia probabilius non ſatisfacit.* 18.

1 Oratoriũ duplex. ORatoria ſunt in duplici differẽtia, alia publica; alia priuata. Prima ſunt, quæ auctoritate ordinarij erecta ſunt, & deſeruiunt indifferenter pro omnibus, de quibus hic non loquimur. Secunda ſunt illa, quæ in priuatis domibus eriguntur, nec publico deſeruiunt, nec habent Oſtium patens in via publica; nec in ijs poteſt Miſſa celebrari, niſi accedente Romani Pontificis indulto, & ſolum iuxta normam conceſſionis, nec alitèr, nec alio modo. De ijs erit latè ſermo in præſenti articulo, & ſignantèr in ordine ad auditionem Miſſæ in eiſdem. Pro quo

Præmitto primò, quod, quamuis ante Tridentinum poſſent Epiſcopi concedere facultatem celebrandi in locis non ſacris, & in priuatis domibus, vt colligitur ex *cap. Miſſarum de conſecratione diſtinct.* 1., nihilominus poſt idem Tridentinum non videtur amplius eiſdem hoc ius competere, cum *ſeſſ. 22. de obſeruandis, & vitandis in celebrat. Miſſarum* videatur eiſdem ſublatum. Verba Concilij ſunt iſta. *Præcipit Sancta Synodus Epiſcopis, ne patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad Diuinum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem ordinarijs deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi non obſtantibus priuilegijs, aut exemptionibus quibuſcumque*, &, quamuis nonnulli aſſe-

2 Epiſcopi non poſſunt concedere. tant, per hoc decretum Tridentini non intelligi ſublatum ius Epiſcopis concedendi hanc facultatem, quando Oratorium domus priuatæ eſt ad Diuinum cultum tantum deputatum, nec eſt ſtatim ad profanos vſus conuertendum, dummodò prius deſignetur, & viſitationi eorundem Epiſcoporum ſubiaceat, inter quos eſt *Gutierez lib. 1. Can. qq. cap. 30. num. 28., Zerola in praxi Epiſcop. part. 1. verbo Miſſa concluſ. 4., Suarez de Sacrament. diſp. 21. ſect. 3. verſ. ſecundo obſeruandum, Ægidius Coninchus de Sacrament. qu. 83. art. 2. dub. 1. n. 225., Barboſa de officio Epiſcop. allegat. 23. num. 7. parte ſecunda*, deducto fundamento *ex verb. eiuſdem Concilij*; Nihilominus etiam ex vi eiuſdem Concilij ſtatuunt *Nauarrus lib. 1. tit. de Conſtitut. conſ. 1. quæſt. 37. num. 76., & conſ. 16. de priuileg., Azorius part. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 3., Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 9. num. 10.*, non poſſe amplius Epiſcopos hanc facultatem concedere celebrandi in Oratorijs priuatis, quia verba relata ex eodem Concilio referuntur ad Oratoria publica eorundem auctoritate erecta, quod colligitur ex contextu verborum; nam in primis coniungit Concilium Eccleſias, & huiuſmodi Oratoria ad Diuinum cultum dedicata, abrogata prius facultate concedendi, vt in priuatis domibus poſſit Miſſa celebrari, quod ſignum euidens eſt, quod hæc verba referantur ad Oratoria publica. Deindè, dum eadem Oratoria ſubdit Epiſcoporum viſitationi, manifeſtè indicat loqui de publicis, nam priuata non ſubiacent viſitationi Epiſcoporum, niſi prima vice quoad recognitionem decentiæ loci, & ornamentorum. Deindè quæcunque dubietas in hoc modo ſublata eſt per literas Cardinalis Lancelloti ad Epiſcopos datas nomine Pauli V. 10. Martij 1615., in quibus ſublata eſt Epiſcopis hæc facultas, & Sedi Apoſtolicæ reſeruata, quarum literarum meminerunt *Riccius in praxi for. Eccl. deciſ. 538., Franciſcus Scortia de ſacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 13., Gauantus comment. in rub. Miſſalis part. 1. tit. 20. litt. M., Homobonus de exam. Eccl. quæſt. 14. tract. 8. c. 5. part. 2., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſitis ad Miſſam celebrandam cap. 9. num. 7.*

Præmitto ſecundò, Pontifices in conceſſionibus facultatum celebrandi in Oratorijs domuum priuatarum plures apponere moderationes maiores, vel minores, vt conſtat ex varijs diplomatibus, quæ ab eiſdem Pontificibus emanàrunt, ſeu emanant; ſed quia non vacat omnia inquirere, me reſtringam ad ea diplomata, eaſque moderationes, quæ regularitèr conceduntur, & apponuntur, quæ, ſeu quas refert *Quaranta verb. Miſſa verſ. quanta circumſpectione*. Prima moderatio eſt, quod huiuſmodi Oratoria debeant eſſe decentèr extructa, & ornata, ac ab omnibus domeſticis actibus libera ab ordinario loci viſitanda, & approbanda. Secunda, vt Miſſa in eiſdem celebrari poſſit per quemcunque Sacerdotem ſæcularem, ſeu de ſuperiorum ſuorum licentia Regularem. Tertia, vt dicta conceſſio intelligatur ſine præiudicio iurium Parochialium. Quarta, vt in eiſdem celebrari nequeat diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Aſſumptionis Deiparæ Virginis, quibus *Diana part. 9. tract. 1. reſol. 12.*, addit diem Epiphaniæ, Annuntiationis Deiparæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum; ſed in hoc conſulenda ſunt

3. Conditiones, quæ ſolent apponi per Pontifices.

ſunt ſingula diplomata, & eorum exceptiones. Vltra hæc addi conſueuit. *Vt alij præter famulos illius perſonæ, cuius contemplatione dicta licentia impertitur neceſſarios, ibidem Miſſæ intereſſentes diebus feſtis de præcepto ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minimè liberi cenſeantur*. Hæc colligo *ex Quaranta loc. cit.*; ſed quia in aliquibus diplomatibus vidi reſtringi hanc facultatem audiendi ſacrum quoad perſonas, in alijs ampliari, ideò conſulenda ſunt diplomata, & iuxtà eorum tenorem diudicandum, vel reſtrictiuè, vel ampliatiuè.

Siſtendo pro nunc in tenore moderationum à Quaranta allatarum plura hìc veniunt ſcitu digniſſima examinanda, & diſcutienda præcipuè in ordine ad perſonas, quæ audiendo ſacrum in dictis priuatis Oratorijs ſatisfaciunt, vel non ſatisfaciunt, quod eſt meta præſentis tituli. Primũ eſt, an in eiſdem Oratorijs ſuppoſita conceſſione Romani Pontificis vnica tantum Miſſa pro ſingulis diebus valeat celebrari, & ſuppoſito, quod ad vnam tantum facultas reſtringatur, an Regulares celebrata prima Miſſa per Sacerdotem laicum ex vi ſuorum priuilegiorum poſſint ibi ſacrificium conficere. Secundum ex

4 Rationes dubitãdi circa hæc Oratoria

ſuppoſitione, quod Regulares ibi poſſint celebrare non obſtante prima celebratione, an audientes Miſſam eorundem Regularium ſatisfaciant præcepto. Tertium, an ſi celebraretur in prædictis Oratorijs in diebus vetitis; & Dominus cum alijs comprehenſis in priuilegio pro talibus diebus Miſſam ibi celebratam audiret, ſatisfaceret præcepto. Quartum, an, ſi in diplomate concederetur Domino, & eius famulis neceſſarijs poſſe audire ſacrum in ſuis Sacellis, & abſente Domino famuli in eiſdem ſacrum audirent, ſatisfacerent præcepto. Quintum ex ſuppoſitione, quod famuli non poſſent in illis priuatis Oratorijs ſacrum audire, niſi præſente Domino, an ſi Dominus alibi interfuiſſet ſacro, poſſet in ſuis Oratorijs iterum Miſſam, quæ ibi celebratur, audire ad effectum, vt famuli eidem deſeruientes audiendo ibi ſacrum præcepto ſatisfacerent. Sextum, quinam famuli dicantur neceſſarij Domino, vt comprehendantur in priuilegio audiendi ſacrum in talibus Sacellis. Septimum, an, ſi non exiſtentibus in familia Domini, qui ſacro deſeruirent, & adhiberetur miniſter extra familiam, hic ibi audiendo, & miniſtrando ſatisfaceret præcepto. Octauum, an, ſi priuilegium eſſet ampliatiuè conceſſum pro Domino, & tota eius familia, qui nam eſſent computandi de familia Domini, vt gaudeant huiuſmodi priuilegio, & alia huiuſmodi.

5 Vnica tantum Miſſa eſt ibi celebranda.

Ad primum ſentiendum eſt, regularitèr ibi vnicam tantum Miſſam celebrandam eſſe pro commoditate Domini, & comprehenſorum in priuilegio. Hoc expreſsè colligitur ex tenore conceſſionis, quæ regularitèr ad vnam reſtringitur; & vbi in diplomate expreſsè non reſtringeretur ad vnam, nec expreſsè extenderetur ad plures, ſed præcisè diceretur, vt poſſet Dominus ibi celebrare facere, hæc indefinita conceſſio eſſet pro vnica tantum accipienda. Ratio eſt, quia conceſſiones, quando aliud in eiſdem non exprimitur, intelligendæ ſunt iuxtà ſtilum, quo vt plurimum conceduntur; ſtilus etenim eſt interpres intentionis concedentis, & quæ ſunt de ſtilo, ſi non apponantur, intelliguntur appoſita; de ſtilo autem eſt, vt huiuſmodi conceſſiones ad vnicam tantum reſtringantur. Adde, quod priuilegia ſunt ſtrictè interpretanda, vt minus, quam fieri poſſit, lædatur ius commune.

Sed, an Regulares celebrata iam in prædictis Sacellis vna Miſſa poſſint ibi ex vi ſuorum priuilegiorum celebrare. Videtur abſolutè affirmandum, quandoquidem Honorius III. conceſſit Dominicanis, & Minoribus, vt vbicunque fuerint, poſſint ſuper Altare celebrare extra Eccleſiam, & locum ſacrum, hæcque conceſſio inſerta eſt in corpore iuris *in cap. in his de priuileg.* Item Sixtus IV., & Alexander VI. conceſſerunt eiſdem Minoribus, vt poſſint celebrare vbique etiam in cameris ſæcularium, & in platæis Ciuitatum, dummodò non ſint loca inhoneſta. Item Vrbanus IV. facultatem dedit Carmelitis celebrandi in quouis loco hòneſto coràm Prælatis, & Magnatibus, à quibus de hoc rogabantur, & Sixtus IV. extendit gratiam in eorum Mare magno, vt poſſint celebrare vbique, & coram quibuſuis perſonis. Item Paulus III. conceſſit Patribus Societatis Ieſu, vt poſſint non ſolum in Oratorijs cum Altare portatili celebrare, ſed in quocumque alio honeſto, & congruenti loco cum debita reuerentia, & honore, hæcque conceſſio facta eſt ſub die 15. Kalendas Nouembris 1549., quod priuilegium, licet videatur à Concilio Tridentino ſublatum *in ſeſſ. 22.* ſub decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ; tamen, licet eſſet ſublatum, videtur reſtitutum eidem Societati à Gregorio XIII. ſub die primo Octobris 1579. Pontificatus ſui anno octauo non obſtante Concil. Trident. per breue, quod incipit. *Vſus Altaris Viatici*, vt ſcilicet inter miſſiones poſſint eodem priuilegio, vti in locis decentibus. Difficultas in hoc ſolummodò eſt, quod videntur prædicta omnia priuilegia per *Concil. Trident. dicta ſeſſ. 22. in decreto de obſeruat., & vitan. in cele-*

6 An Regulares celebrata vna Miſſa poſſint aliam ibi celebrare remiſſiuè

celebrat. Miſs., reuocata cum clauſula derogatoria. *Non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque*. Hoc tamen non obſtante aliqui perſiſtunt, in huiuſmodi priuatis Oratorijs poſſe celebrare, quamuis non liberè aſſerant poſſe (niſi intercedentibus grauibus cauſis in alijs locis extra Eccleſiam) hoc præſtare propter non vſum. In hoc conſentiunt nulla facta diſtinctione inter priuata Oratoria, & alia loca profana extra Eccleſiam *Diana quarta part. tract. 4., Miſcel. reſol. 106., Cherubinus tom. 1. in ſchol. 2. Bullæ 4. Clem. 4., Petrus de Ledeſma de Euchariſtia c. 20. concl. 2. dub. 4., Rodericus tom. 1. quæſt. 28. art. 3., Della Crux in Epit. lib. 2. cap. 5. dub. 7.*, quod etiam probabile exiſtimat *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 9. num. 12.* Rationes plurimas ad hoc afferunt. Prima eſt, quia non eſt præſumendum, quod Concil. Trident. in illo ſuo decreto voluerit derogare iuri communi ſine expreſſa illius derogatione; ſed priuilegium conceſſum Dominicanis, & Minoribus ab Honorio III. habet vim iuris communis, cum ſit inſertum in corpore eiuſdem *in dict. cap. in his de priuileg.*, ergo &c. Secunda, quia Sacra Congregatio anno 1591. die 9. Decembris declarauit Concil. Trident. non derogaſſe *cap. fin. de priuileg. in 6.*, ergo nec intelligitur derogaſſe *dicto cap. in his de priuileg.*, cum videatur par ratio, & vtrumque ſit in corpore iuris inſertum. Tertia, quia ſatis communiter circunfertur à DD. decretum Sacræ Congregationis *ad Trident. cap. 9.*, quo declarauit facultatem celebrandi in priuatarum domuum Oratorijs ab Apoſtolica Sede emanatam, Epiſcopum impedire non poſſe. Quarta, quia Trident. non reuocat abſolute huiuſmodi priuilegia, ſed tantum concedit Epiſcopis, vt ſub cenſuris, & alijs opportunis iuris remedijs in foro exteriori compellant Regulares, ne dictis priuilegijs vtantur, ergo non contradicentibus Epiſcopis non eſt, cur Religioſi non poſſint huiuſmodi priuilegijs vti. Quinta, quia dato etiam, quod huiuſmodi priuilegia fuerint per Trident. reuocata, fuerunt tamen reſtituta per Gregorium XIII. PP. Societatis Ieſu, vt ſupra, ſub die tertia menſis Maij 1575. per breue, quod incipit. *Decet Romanum Pontificem*, & hoc etiam ſine licentia Epiſcopi requiſita à Tridentino, cui in hoc derogatur per eundem Pontificem, cum ſola approbatione Patris Generalis, vel Prouincialis, quod etiam idem Gregorius XIII. confirmauit eidem Societati ſub die primo Octobris 1579. per breue incipiens *Vſus Altaris Viatici*. In hoc tu cogita.

Dixi, *quamuis non liberè aſſerant poſſe in alijs locis extra Eccleſiam hoc præſtare propter non vſum*, quia extra priuata huiuſmodi Oratoria vſus talis priuilegij non viget, niſi in caſibus miſſionum, adeoque obſtante non vſu non videtur hoc congruè poſſe fieri.

7 Ad ſecundum videtur prima fronte dicendum, quod, ſi Regularis celebrata per alium Sacerdotem prius Miſſa in eodem priuato Sacello celebraret, audientes talem Miſſam in die feſto non ſatisfacerent præcepto; tum quia hoc eſt priuilegium eiuſdem Regularis, non audientium, qui prohibentur in tali Sacello audire; tum quia prohibitio eſt quoad locum, in quo Concilium, & alia iura prohibentia nolunt alios à priuilegiatis poſſe ſacrum audire ſatisfaciendo præcepto, quinimmò nec priuilegiatos celebrata prima Miſſa, ſuppoſito, quod priuilegium reſtringatur ad vnam tantum Miſſam.

Sententia aſſerẽs, quod audientes non ſatisfacerẽt.

8 Ex aduerſo hæc militant argumenta. Primò, quia, ſi Regularis ex priuilegio proprij ordinis conceſſo celebraret in aliquo loco decenti extra Eccleſiam in Altare portatili, vt expreſsè conceſſum eſt PP. Societatis Ieſu à Gregorio XIII., & noſtris celebrandi in cubiculo Infirmi, vt legitur in eiſdem priuilegijs *tit. Infirmi*, vtique audientes talem Miſſam præcepto ſatisfacerent, ergo etiam, ſi Regularis celebrata per alterum prius Miſſa celebraret in priuato Sacello, audientes eidem præcepto ſatisfacerent; non etenim priuilegium, quod habet celebrandi vbique in loco decenti, minuitur ex eo, quod celebret in priuato Sacello. Secundò, quia Regularis celebrans in priuatis Oratorijs non vtitur conceſſione facta celebrandi in talibus Oratorijs, ſed independenter ab illis ex proprijs priuilegijs celebrandi vbique in loco decenti; audiens autem Miſſam Regularis celebrantis ex vi propriorum priuilegiorum ſatisfacit præcepto; facultas etenim conceſſa Regularibus per eorum priuilegia non eſt reſtricta quoad auditionem ad determinatas perſonas. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

Sẽtentia aſſerens ſatisfacere.

9 Probabilius arbitror, non ſatisfacere, quia locus ille conceſſus eſt in fauorem Dominorum, ſeu eorum, quorum contemplatione indultum emanauit cum excluſione aliorum quorumcunque quoad ſatisfactionem præcepti; nec priuilegium Regularium poteſt alijs ſuffragari, quia afficit Regulares, non alios ab ipſis, qui excluduntur expreſſe. Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem priuilegium celebrandi in alijs locis non eſt cum excluſione audientium, nec ratione ſui, nec ratione loci; priuilegium autem cele-

Probabilius non ſatisfacerent.

celebrandi in priuatis Oratorijs, licet non ſit excluſiuum reſpectu Regularium quoad celebrationem, eſt tamen excluſiuum Laicorum non comprehenſorum in dicto priuilegio quoad auditionem, & adimple-

10 Soluũtur rationes contrarię

mentum præcepti; vndè Pontifex concedens facultatem celebrandi in priuatis Oratorijs cum excluſione quoad auditionem aliorum à priuilegiatis, non tollit priuilegium Regularium ibidem celebrandi, ratione tamen loci non excludit alios quoad auditionem, qui nullo gaudent priuilegio; nec mirum videri debet, quod Pontifex, qui in alijs locis, vbi ex priuilegio Regularis celebraret, admittat auditionem aliorum, tanquam ſufficientem ad implementum præcepti, non tamen admittat auditionem quoad non priuilegiatos in Oratorijs priuatis, quia permiſſio in alijs locis ſupponitur eſſe in ordine ad commoditatem, & vtilitatem audientium; permiſſio tamen in priuatis Oratorijs eſt tantum ad commoditatem comprehenſorum in priuilegio, nec aliter, nec alio modo, cum ſit expreſsè excluſiuum aliorum; & congruis quidem, & conuincentibus rationibus intelliguntur Pontifices moueri quoad reſtrictionem iſtam in Oratorijs priuatis, non autem in alijs locis; primò, quia in alijs locis rarò, vel vix contingere poteſt, cum vſus talis facultatis non adhiberi ſoleat, niſi vrgente aliqua neceſſitate, vel publica, vel graui priuata; in Oratorijs verò priuatis frequentèr hoc contingeret dato, quod audiendo in eiſdem Miſſam Regularium ſatisfieret præcepto, cùm Domini eorundem priuatorum Oratoriorum pro libito conuocarent Regulares, & paſſim non priuilegiati illuc conuenirent: Secundò; quia conceſſio Pontificum celebrandi in alijs locis non ſolum intelligitur eſſe in fauorem Regularium, ſed etiam aliorum, cum potiſſimum Gregorius XIII. in enuntiato ſuo diplomatè conceſſo PP. Societatis dicat; *vt inter miſſiones, quæ à ſuperioribus fiunt Presbyteri ſocietatis &c.*; in miſſionibus autem Miſſæ extra Eccleſiam potiſſimum celebrantur ob confluentiam populorum; conceſſio autem celebrandi in Oratorijs priuatis eſt dumtaxat in fauorem patronorum cum excluſione aliorum.

11 Si celebraretur Miſſa in diebus prohibitis etiam priuilegiati non ſatisfacerent.

Ad tertium aſſerendum eſt, quod, ſi celebraretur Miſſa in diebus exceptis Natiuitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes &c. in diplomate in eiſdem priuatis Oratorijs nec comprehenſi in priuilegio ſatisfacerent præcepto *Garzias*, apud *Dianam part. 9. tract. 1. reſol. 12.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat.* Ratio deducitur ex ipſa exceptione, quam præſtant Pontifices; ex eo etenim, quod prohibeant pro talibus diebus exceptis Miſſas celebrari in talibus priuatis Oratorijs, prohibent etiam audiri quoad effectum validæ ſatisfactionis. Deindè, ſi nulla facta eſſet conceſſio, nullumque indultum per Pontificem, Patroni aſſiſtentes non ſatisfacerent præcepto, ergo neque ſatisfaciunt aſſiſtentes pro illis diebus exceptis, cum pro illis non intelligatur facta conceſſio. Alias rationes addit *Marchinus loc. cit.*, quem vos poteſtis conſulere.

Ad quartum dicendum eſt, quod, ſi conceſſio facta ſit Domino Oratorij priuati, & famulis ipſi tunc neceſſarijs, abſente Domino famuli audiẽtes ſacrum in eodem Oratorio in diebus feſtis, non ſatisfaciant præcepto. Ratio ex eo deducitur, quia hoc priuilegium non conceditur directè eiſdem famulis, ſed tantum indirectè contemplatione Domini, cui ſupponuntur neceſſarij, ergo non exiſtente Domino, cui famulentur, non intelliguntur pręcepto ſatisfacere, ſi ibi audiant. 12 Famuli audientes ſacrum abſente Domini non ſatisfaciunt

Sed hic ſuboritur difficultas, (& per hoc ſoluitur quintum dubium,) an, ſi Dominus alibi puta in Eccleſia ſacrum audierit, & præcepto ſatisfecerit, poſſit, vt famuli ſatisfaciant præcepto, iterum ipſe audire ex deuotione in proprio priuato Sacello, &, an re vera tunc famuli ſatisfaciant. Hoc in duplici caſu, poteſt contingere; primò, quando ipſe Dominus in Eccleſia Miſſam audiuit, & adhuc non celebrata eſt Miſſa in proprio priuato Oratorio. Secundò, quando ipſe audiuit, & iam Miſſa in proprio Sacello celebrata eſt. Iuxtà primum caſum ſentio, quod famuli neceſſarij aſſiſtentes Domino audienti iterum ex deuotione Miſſam in priuato proprio Oratorio, & ſimul illam audientes ſatisfaciant præcepto *Diana part. 9. tract. 1. reſol. 17.* Ratio ex eo deducitur, quod facultas conceſſa Dominis audiendi ſacrum in proprio Sacello priuato non eſt ſolum ad audiendum illud pro ſatisfactione præcepti, ſed etiam ad audiendum ex deuotione, ergo audiente iterum Domino in proprio Sacello famuli eidem inſeruientes, & ſimul audientes ſatisfaciunt præcepto; non enim conceſſum eſt famulis ſolum ſatisfacere præcepto, quando inſeruiunt Dominis audientibus ad ſatisfaciendum præcepto, ſed quoties ei inſeruiunt audienti, ſiue audiat ex præcepto, ſiue ex deuotione; Neque dicas, quod conceſſio facta eſt famulis contemplatione dominorum, ergo Dominis non audientibus ad ſatisfaciendum præcepto, ſed ex mera deuotione, nec ipſi famuli intelliguntur præcepto ſatisfacere, quia auditio famulorum commenſuranda eſt cum auditione Dominorum; contra enim impugnaberis,

13 Quid ſentiendum, ſi Dominus audito ſacro in Eccleſia aliud audiat in Sacello.

quia, licet conceſſio in ordine ad famulos ſit contemplatione Dominorum, quotieſcunque tamen cum Dominis audiunt, ſatisfaciunt; non enim eſt ſolummodò conceſſio, quando Domini ſatisfaciunt, ſed quando Domini audiunt, & famuli aſſiſtunt, vt eiſdem Dominis deſeruiant, nec iura conſiderant, an Domini audiant, vel ex vno, vel ex altero fine, ſed tantum, quod Domini audiant, & famuli cum eiſdem aſſiſtant. Deindè illa aſſiſtentia Dominorum indiferens eſt, vt coniungatur, vel cum implemento præcepti, vel cum titulo præciſo deuotionis, adeo vt, ſi alitèr non adimpleuerint, adimpleant, ſi verò aliter adimpleuerint, propriæ deuotioni ſatisfaciant, ergo aſſiſtentia famulorum cum eiſdem Dominis æquè poteſt deſeruire adimplemento præcepti, ſi non impleuerint, vel deuotioni, ſi impleuerint.

14 Si fuerit ibi aliud ſacrum celebratū quid ſentiendum.

Iuxtà ſecundum caſum videndum eſt, an facultas celebrandi in tali Oratorio ſit reſtricta ad vnicam tantum Miſſam, vel ampliata ad duas, vel plures; nam, ſi reſtricta eſt ad vnam, videtur certum, quod Domini non poſſint amplius audire ad effectum, vt famuli ſatisfaciant præcepto, cum facultas pro illa die ibi celebrandi ſit conſummata; ſi verò illa facultas ſit ampliata ad plures, certum etiam videtur, quod Dominus iterum audiendo in tali Sacello, famuli eidem deſeruientes, & cum ipſo audientes ſatisfaciant, quandoquidem audiunt ſeruatis omnibus conditionibus, quæ in diplomate continentur.

15 Quinam veniant nomine famulorū neceſſariorum.

Ad ſextum dicendum eſt, difficultatem potiſſimum pendere ab intelligentia illorum verborum. *Vt alij præter famulos illius perſonæ, cuius contemplatione dicta licentia impertitur, ſeruitio neceſſarios &c.*, an, ſcilicet intelligenda ſint ſolummodò de famulis neceſſarijs pro illo tempore, quo Domini aſſiſtunt Miſſæ; an verò etiam de neceſſarijs pro omni eius famulatu, ſiue in aſſiſtentia ad Miſſam, ſiue in alijs omnibus muneribus extra eandem. Probabilius arbitror intelligenda eſſe de famulis addictis ipſorum Dominorum obſequijs, & ſtipendio ab eiſdem conductis. Ratio ex eo deducitur, quod Pontifices in diplomatibus conceptis in allegatis terminis non reſtringunt conceſſionem ad famulos præcisè neceſſarios pro tempore auditionis ſacri, ſed indefinitè dicunt famulos eorum ſeruitio neceſſarios; ſi enim voluiſſent reſtringere ad famulos pro illo tempore ſolummodò neceſſarios, dixiſſent, *pro tunc* neceſſarios; nec diſpoſitio limitatur per ly, *neceſſarios*, quia illa particula addita eſt ad excludendos eos, qui honoris gratia dicuntur famuli, nec ſunt propriè addicti eorum ſeruituti.

Ad ſeptimum dicendum eſt, quod non exiſtentibus per diploma priuilegiatis, qui poſſint, & velint miniſtrare ſacro, poſſit aſſumi alter non priuilegiatus, vt miniſter, qui audiendo, & miniſtrando ſatisfaceret præcepto *Diana lib. 9. tract. 1. reſol. 17.* Ratio ex eo deducitur, quia conceſſo principali intelligitur conceſſum, & acceſſorium, quod ex diſpoſitione iuris, vel ex natura ſua neceſſarium eſt ad ipſum principale conſequendum; ſed ad celebrandam Miſſam ex diſpoſitione iuris neceſſarius eſt miniſter, ergo conceſſa celebratione in tali loco intelligitur, & conceſſus miniſter, & ſic, ſicuti Sacerdos ibi celebrans ſatisfacit præcepto, ita & miniſter exiſtens eidem ſatisfacere cenſendus eſt. Sed quid erit dicendum, ſi inter priuilegiatos ad audiendum ſacrum in tali loco adeſſet aliquis, qui poſſet, & vellet ſacro miniſtrare, an adhuc poſſet eligi, vt miniſter alter, qui non eſſet priuilegiatus, &, an hic ſatisfaceret præcepto, ſi miniſtraret. Abſolutè crederem, & poſſe elegi non priuilegiatum, & hunc miniſtrando ſatisfacere. In hoc conſentit *Diana loco quo ſupra*. Ratio ex eo deducitur primò, quia hic cum Sacerdote celebrante conſtituit vnum adæquatum miniſtrum ſacrificij Miſſæ; vndè, ſicuti Sacerdos electus ad ibi celebrandum ſatisfacit, non eſt, cur non ſatisfaciat miniſter electus ad miniſtrandum. Secundò, quia, ſicuti poteſt eligi hic, vel ille Sacerdos ad Miſſam celebrandam; ita poteſt hic, vel ille miniſter eligi ad inſeruiendum. Tertiò, quia miniſter inſeruiens ſacro ſortitur priuilegium, & conditionem celebrantis.

16 Miniſter, licet non ſit priuilegiatus ſatisfacit.

Ad octauum dicendum eſt, nomine eorum, qui veniunt de familia Domini, quando in diplomate dicitur *In tui, & familiæ tuæ præſentia*, venire omnes eos, qui ſunt ſtipendio conducti à Domino ad eiuſdem obſequia, & non ſolum, qui cum eodem Domino habitant in eadem Domo, ſed etiam illi, qui extra Domum habitant, aluntur tamen expenſis eiuſdem Domini *Diana part. 9. tract. 1. reſol. 17.*, vbi allegat *Bardi, & alios*; non tamen veniunt, qui in Domo Domini habitant, ſed non expenſis eiuſdem Domini, ſed proprijs *Diana qui ſupra*. Sed, an Mater, quæ habitat in eodem Palatio, & non eſt commenſalis cum Domino, ſolita tamen eſt comitari filiam ad Miſſam gaudeat priuilegio audiendi ſacrum in priuato Oratorio affirmat *Molfeſius* apud *Dianam d. part. 9. tract. 1. reſol. 6.*

17 Quinam veniant nomine familiæ.

Sed hic ſuboritur difficultas, an quando in diplomate dicitur. *In tui, & familia*

tuæ

tua præſentia, familia abſente Domino poſſit ſacrum audire in priuato Sacello, & ſatisfacere præcepto? Attento tenore verborum, qui concipitur per particulam coniunctiuam, *Et*, videtur abſolutè aſſerendum non ſatisfacere, quia quoties plura copulatiuè ponuntur omnium complementum requiritur, nec ſufficit partis impletio *l. ſi quis, ita ff. de verb. oblig. l. ſi hæredi ff. de condit. inſtit.*, quod præcipuè verificatur in præſenti hypotheſi, in qua conceſſio facta familiæ intelligitur facta contemplatione Domini. Contrarium tamen ſuſtinet *Diana d. part. 9. tract. 1. reſol. 2.*, vbi allegat *Nouarium, & alios*, aſſerens particulam copulatiuam reſolui in diſiunctiuam, *vel*, & ſic etiam abſente Domino, familiam audientem ſacrum in illo priuato Sacello ſatisfacere præcepto, & in hoc etiam conueniunt *Quintanaduenſ. in Theologia morali tom. 1. tract. 7. ſingul. 32. num. 7., Pelizarius in man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. ſect. 2. num. 149., Auerſa de Sacram. Euchariſtia quæſt. 11. ſect. 14. §. 7., Caſtrus Palaus tom. 4. tract. 25. diſp. vnica punct. 6. num. 9.* Sed ego non recedendum arbitror ab opinione *P. Bardi part. 2. tract. 2. cap. 3. ſect. 8. num. 69., & ſeqq.* aſſerentis non ſatisfacere. Ad hoc faciunt ea,

18 Abſente Domino familia, probabilius non ſatisfacit

quæ diximus ſupra *in hoc eodem art. verſ. ſed hic ſuboritur difficultas in reſolutione quinti dubij*, in quorum confirmationem hæc addo cum eodem Patre Bardi. Quando poteſtas confertur duobus, vel pluribus per particulam coniunctiuam, *Et*, videndum eſt, an illa æquè primo competat illis duobus, ſeu pluribus ſine dependentia vnius ab altero, an verò competat illis per coniunctionem, ſeu dependentiam vnius ab altero; iuxtà primum ſenſum copulatiua poteſt reſolui in diſiunctiuam, ſecundò modo, nequaquam; in præſenti autem hypotheſi ex ſe patet, poteſtatem audiendi ſacrum in priuato Sacello reſpectu familiæ eſſe intuitu, & contemplatione Domini, ſine quo non eſſet collata, adeoque non exiſtente Domino non videtur poteſtas ineſſe in eiuſdem familia.

ARTICVLVS XIII.

An in priuato Sacello, poſſit communio conferri priuilegiatis, & alijs.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens poſſe Regulares miniſtrare etiam Epiſcopis contradicentibus. 1.

Monitum, vt hoc non fiat contradicentibus Epiſcopis. 2.

Probabile eſt, quod Regulares hoc poſſint præſtare. 3.

Non expedit tamen, vt hoc præſtent contradicentibus Epiſcopis. 4.

Sacerdotes ſæculares ſine licentia Epiſcopi non poſſunt hoc præſtare. 5.

Sufficit tamen licentia interpretatiua, & præſumpta. 6.

Titulus, vel poteſt procedere in ordine ad Regulares, vel in ordine ad ſæculares Sacerdotes, & quidem, ſi loquamur de Regularibus *Quintanaduenas in Theologia morali tom. 1. tract. 7. ſing. 33. nu. 8., Portellius part. 3. reſp. cap. 39., Diana part. 4. tract. 4. reſol. 14., Rodriquez tom. 1. q. 61. art. 3., Suarez de Religione tom. 4. lib. 9. cap. 3.* aſſerunt, poſſe Euchariſtiam in huiuſmodi Sacellis miniſtrare etiam Epiſcopis contradicentibus, eo quia habent priuilegium Pauli IV. anno 1557. ad dandam Euchariſtiam ſæcularibus extra proprios Conuentus. Neque, aſſerunt aliqui ex his Doctoribus, obſtare poteſt clauſula in ſimilibus diplomatibus apponi ſolita per Pontifices, *ſine præiuditio tamen iurium Parochialium*, quia nullum præiuditium his iuribus affertur, cum nequeant Euchariſtiam miniſtrare, nec in feſto Paſchatis, nec in articulo mortis, in quo ſolum vigent iura Parochialia.

1 Sentētia aſſerens Regulares poſſe miniſtrare.

Monent tamen *Diana loc. cit., & Lezana in ſumma tom. 3. verb. Euchariſtia num. 11.* conſultius fore, ſi Regulares contradicentibus Epiſcopis non miniſtrarent, cum hoc etiam conſulat Sixtus IV. quoad vſum ampliſſimi priuilegij conceſſi Ordini Prædicatorum ad adminiſtrandam Euchariſtiam ſæcularibus, vt habetur in Bulla, quæ incipit, *Sedis Apoſtolicæ*, & hoc ad euitandum dubium, quod controuertitur, an per Concilium Tridentinum ſublatum ſit Regularibus priuilegium celebrandi in Oratorijs ædium priuatarum.

2 Monitū Dianæ, & Lezanæ.

Ego in hoc conſidero, an difficultas oriatur præciſè ex eo, quod prohibeatur Regularibus celebrare in priuatis Oratorijs, ex quo etiam inferatur prohibitio, reſpectu eorundem miniſtrare Euchariſtiam, an verò ex eo, quod ſpeciali aliquo decreto ſit reſpectu omnium prohibitio miniſtrandi eandem in eiſdem priuatis Oratorijs, quantumuis admitteretur in eiſdem poteſtas celebrandi, vel ex eo, quod communi iure prohibeantur extra proprios Conuentus communicare; & quidem, ſi oriatur præciſè ex primo capite, dato etiam, quod eſſet prohibitio reſpectu Regularium ibi celebrandi, non rectè ex hoc inferretur prohibitio ibidem communicandi, vt fusè probat *Portellius part. 3. reſponſ. mor. caſ. 39.*, quia celebrare

3 Probabile eſt, quod poſſint.

Miſſam

Miſſam, & miniſtrare Euchariſtiam ſunt diuerſa, & à diuerſis non fit illatio; ſi ex ſecundo capite, non video aliquod ius ſingulare, quod reſpectu omnium prohibeat ſpeciatim, & ſpeciali aliqua ratione communicare in priuatis Sacellis, & quando etiam aliquod ius ſingulare ad hoc adduceretur, arbitrarer non afficere Regulares, niſi ſpeciatim eorum priuilegijs in hoc derogaret; ſi ex tertio capite, iuri illi communi derogatum eſt per ſpecialia priuilegia conceſſa Regularibus, & præcipuè à *Paulo IV. anno 1557. Minoribus, & à Sixto IV. Fratribus Ordinis Prædicatorum.*

4 Non tamen expedit, vt hoc fiat.

Mitius tamen procedendo conſulerem, & ego, quod Epiſcopis expreſsè prohibentibus, & contradicentibus Regulares non adminiſtrarent, non ex defectu facultatis, qua certè gaudent; ſed ad euitandas lites, & contentiones; Epiſcopis non tamen expreſsè contradicentibus poſſent liberè adminiſtrare; & in hoc videtur conformitas *ad Concilium Tridentinum dicta ſeſs. 22. in decreto de obſeruandis in celebratione Miſs.* quod, ſicuti in multorum ſententia prohibet ſolum Regularibus celebrare in Oratorijs priuatis, quando Epiſcopi contradicunt, ita videtur ſolum prohibere eiſdem adminiſtrationem Euchariſtiæ, quando Epiſcopi expreſsè contradicunt.

5 Sacerdotes ſæculares non poſſunt ſine licentia.

Si verò loquimur de Sacerdotibus ſæcularibus, arbitror, ab eiſdem nō poſſe in Oratorijs priuatis recipi Euchariſtiam ſine facultate Epiſcopi, vel Parochi. In hoc arbitror omnes conuenire. Ratio multiplex pro hoc adducitur; primò, quia fruſtra inſudarent Doctores in inquirendo, an Sacerdotes ſæculares poſſint virtute Bullæ Cruciatæ in Oratorijs priuatis miniſtrare Euchariſtiam; in qua inquiſitione partem affirmatiuam ſuſtinent *Vaſquez*, apud *Dianam part. 9. tract. 1. reſol. 9., Caſtrus Palaus tom. 4. tract. 21. diſp. vnica punct. 18. num. 4., & tract. 25. diſp. vnica punct. 6. num. 15.*; negatiuam verò *Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 2. cap. 6. ſect. 3. num. 3., Cardinalis de Lugo de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 18. ſect. 2., Nugnus in tertiam partem quæſt. 82. art. 3.*, ſi quilibet ſimplex Sacerdos poſſet in prædictis Oratorijs Euchariſtiam miniſtrare. Secundò, quia inane eſſet priuilegium Regularium miniſtrandi eandem in eiſdem priuatis Sacellis, ſi quilibet ſimplex Sacerdos poſſet miniſtrare. Ratio fundamentalis horum omnium ea eſt; quia non eſt permiſſum ſimplicibus Sacerdotibus Euchariſtiam miniſtrare, niſi ex facultate eorum, ad quos ex officio pertinet miniſtrare.

Sed hic oritur difficultas, an ad hoc, vt ſimplex Sacerdos ſæcularis, poſſit in priuatis Oratorijs Euchariſtiam miniſtrare, ſufficiat implicita, interpretatiua, & præſumpta facultas Epiſcopi; an verò requiratur explicita, ſeu formalis. Arbitrarer, ſufficere interpretatiuam, & præſumptam, quinimmò, quod poſitiuè non reſiſtat, ſeu quod ſciens taceat, nec contradicat. Ratio in eo fundatur, quod Epiſcopi, & Parochi non ſunt in hoc valdè ſolliciti ad contradicendum. 6 Sufficit licentia interpretatiua.

ARTICVLVS XIV.

De auditione ſacri in Oratorijs Regularium.

SVMMARIVM.

Priuilegia conceſſa Generalibus, & Prouincialibus. 1.
Non fuerunt reuocata, & ſi reuocata, fuerunt inſtaurata. 2.
Poſſunt in his etiam Sacerdotes ſæculares celebrare. 3.
Intelligitur de Oratorijs in Grangijs, & in domibus ruralibus. 4.
Nec Epiſcopi poſſunt reſiſtere. 5.
Soluitur obiectum deductum ex verbis Gregorij XIII. 6.
Sæculares audientes ſacrum in huiuſmodi Oratorijs ſatisfaciunt. 7.
Diuerſitas huiuſmodi Oratoriorum ab Oratorijs domuum priuatarum. 8.

POſſe Generales, & Prouinciales in ſuis domibus deputare priuata Oratoria, in quibus abſque alia ordinarij, vel ſummi Pontificis licentia poſſint celebrare non ſolum omnes illius Ordinis Religioſi, ſed etiam Presbiteri ſæculares, dummodò ad Diuinum cultum tātùm ſint deputata, tradunt *diuerſa de Sacrament. Euchariſtiæ q. 11. ſect. 14., Hieronymus Garzias in ſumma Theologia moral. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 39., Lezana tom. 1. cap. 21. num. 14., Suarez tom. 3. in tertiam partem diſp. 81. ſect. 3., Cardinalis de Lugo de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 20. num. 51., Baſſaus in Flor. Theol. mor. verb. Miſſa 4. nu. 1., Azdrius tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 9., Fagundez præcept. 1. lib. 3. cap. 13. nu. 17., Marchinus de Sacram. Ord. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 13., Reginaldus lib. 29. n. 178., Miranda in man. tom. 1. quæſt. 40. art. 9., Tamburinus qu. 6. art. 4., Peirinus tom. 1. ſuorum priuilegiorum Conſtitut. Pirrhi §. 7. num. 27., & alij innumeri.* Hoc expreſse conceſſit Gregorius XIII. Societati Ieſu per breue, quod incipit *Romanum Pontificem*, & refertur in noſtris priuilegijs *tit. Miſſa §. 1.*; & ſimile indulſit Pius IV. Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranenſis, de

1 Priuilegia Generalibus & Prouincialibus conceſſa.

de quo mentionem faciunt Peirinus, Peregrinus, & alij; Nec poteſt dici, quod hæc priuilegia ſint derogata per *Concilium Tridentinum dicta ſeſs. 22. in decreto de obſeru., & vit. in celebratione Miſſarum*, quia, vt notant *Lezana tom. 3. verb. Altare num. 14., Diana part. 6. tract. 8. reſol. 39., Hieronymus Garzias in ſumma Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 39.* Concilium non loquitur de Oratorijs Religioſorum, ſed de illis priuatarum domuum, tum quia, quamuis intelligerentur priuilegia antecedentèr per Romanos Pontifices conceſſa per idem Tridentinum reuocata; fuerunt tamen innouata per poſteriora conceſſa, tum à Gregorio XIII., tum à Pio IV. cum ampla facultate Generalibus, & Prouincialibus. His priuilegijs planè vtitur noſtra Congregatio, quæ communicat in omnibus priuilegijs Societatis Ieſu, & alij ordines mendicantes, & non mendicantes per mutuam communicationem; & in his priuilegijs expreſsè dicitur *abſque alia ordinarij licentia*.

2 Non fuerunt reuocata.

3 Quod verò in his Oratorijs à Generalibus, vel Prouincialibus deputatis, poſſint nedum Religioſi illius ordinis celebrare, ſed etiam Presbiteri ſæculares latè probant *Suarez d. diſp. 81. ſect. 3. in fin., Reginaldus d. lib. 29. num. 178.*, vbi conſiderant, quod priuilegia conceſſa Regularibus ſint in duplici differentia, alia, quæ diriguntur ad perſonas, alia, quæ diriguntur ad loca; prima non egrediuntur a perſonis, ad quas fuerunt directa; alia retento loco extenduntur ad quaſcunque perſonas habiles. Hoc exemplificant in duobus priuilegijs directè conceſſis eidem Societati Ieſu, & per communicationem participata ab alijs ordinibus communicantibus. Primum eſt conceſſum a Gregorio XIII. ſub die prima Octobris 1579. Pontificatus ſui anno 8, quod incipit. *Vſus Altaris Viatici*, vbi expreſsè dicitur. *Vſum Altaris Viatici Societati veſtræ à fælicis recordat. Paulo Papa III. conceſſum, deindè à Concil. Trident. vniuerſim ſublatū vobis eatenus reſtituimus*; hoc, vt patet, dirigitur ad perſonas eiuſdem Societatis, & ad communicantes cum ipſis in priuilegijs, quo propterea vti non poſſunt Presbiteri ſæculares cum ipſis non communicantes. Alterum eſt, quod eſt conceſſum eidem Societati per eundem Gregorium XIII. per breue, quod incipit. *Decet Romanum Pontificem*, expeditum die tertia Maij 1575., vbi dicitur, *quod in Oratorijs, & Capellis, quæ ipſius Societatis Prouinciales per ſe in domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societates reſidebunt approbauerint, & ad Diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Miſſa, & alia Diuina Officia celebrari poſſint*; hoc, cum dirigatur ad locum, tale eſt, vt eo gaudere poſſint quilibet alij Sacerdotes, vt ſtatuunt idem *Suarez, Reginaldus, & alij communitèr*.

Poſſunt in illis celebrare etiam Sacerdotes ſæculares

Sed, an huiuſmodi priuilegia reſtringantur ſolummodò ad Oratoria intra ſepta Monaſteriorum, Conuentuum, & Collegiorum à Generalibus, vel Prouincialibus deputanda, an verò extendi poſſint ad erigenda, vel deputanda extra clauſtra in Grangijs, & domibus ruralibus vtilitatis, & recreationis cauſa acquiſitis. Affirmant *Lezana in ſumma tom. 1. cap. 21. num. 15., Rodriquez tom. 2. qq. Regular. quæſt. 75 art. 1., & 2., Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. Minimorum in Conſtitut. Pirrhi num. 29., Ioannis della Crux de ſtatu Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 7 concl. 2., Leo de cenſ. reſol. 6. num. 854., Henriquez in qq. pract. ſect. 22. quæſt. 26., Quintanaduenas tom. 1. Theol. mor. tract. 7 ſing. 34. num. 5., Garzias in ſumma Theol. mor. tract. 3. difficult. 8 dub. 2. punct. 3. num. 34, Pellizarius in man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 134., Diana part. 9. tract. 1. reſol. 33. per totum, Aloyſius de Sancto Ioanne qu. 8. art. 9., Miranda tom. 1. quæſt. 42. art. 1., & 2.*, extendi etiam ad iſta, cum ſint membra, & partes Eccleſiarum dictorum Monaſteriorum, Conuentuum, & Collegiorum; nec intelligenda ſunt hæc priuilegia reuocata per dictum *Concil. Trid. ſeſs. 22. in decreto de obſeru., & vit. in celebratione Miſſarum*, per illa verba, *in priuatis domibus*, quandoquidem huiuſmodi loca, ſeu Grangiæ non ſunt priuatæ domus priuatarum perſonarum, aut ſæcularium, ſed Monaſteriorum, & Communitatum Religioſorum, & licet ſint extra Eccleſiam quoad ſitum materialem, non ſunt tamen extra eandem quoad dominium, & quoad vſum, ad quem deſtinantur. 4

Intellige etiam de Oratorijs in Villis.

Ex his deducitur Epiſcopos, non poſſe in hoc eiſdem Regularibus repugnare ex vi illius decreti Concilij Tridentini, eo quia ſolum Tridentinum præcipit, ne patiantur Epiſcopi in priuatis domibus celebrari, cuiuſmodi non ſunt Oratoria Religioſorum auctoritate Generalium, & Prouincialium deputata ad Diuinum cultum in Grangijs, & eorum prædijs ruralibus; vndè *Lezana in ſumma tom. 3. in verb. Altare num. 14.*, aſſerit etiam repugnante Epiſcopo poſſe huiuſmodi Oratoria erigi, & deputari. 5

Nec Epiſcopi poſſunt reſiſtere.

Solum aliqua difficultas videtur verſari in illis verbis Gregorij XIII. in Breui. Incipiente. *Decet Romanum Pontificem* appoſitis, *In domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis reſidebunt*; In Grangijs autem, & domibus prædiorum ruſti- 6

Soluitur obiectum

ruſticorum non dicuntur propriè aliqui reſidere, cum ibi pro maiori anni parte non reſideant, ſed dumtaxat pro aliquo tempore negotiorum, vel recreationis cauſa habitent. Sed ad hoc facilè reſpondere poſſumus, ſufficientèr, quantum ad præſentem effectum attinet, dici reſidere ex eo, quod ibi quandoque habitant, tanquam in domo propria, & eorum muneribus deputata; vndè *in cap. fin. de cenſibus* dicitur. *Ne quis pro eo, quod in Oratorijs, quæ in Grangijs veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrent &c.*, & ibi in Gloſa dicitur, *& ibi non conſueuerunt Monaci dici Monaci, ſed Conuerſi cauſa colendi agros ſuos*, & tamen eximuntur ab oneribus.

7 Sæculares ibi audiētes ſacrū ſatiſfaciunt.

His ſuppoſitis deuenimus ad metam propoſitæ diſquiſitionis, an audientes ſacrum in huiuſmodi Regularium Oratorijs ſitis in eorum Grangijs, ſeu prædijs ruralibus ſatiſfaciant præcepto audiendi ſacrū in diebus feſtis. *Bordonus in conſil. Regul. tom. 2. reſol. 90. num. 9.*, notat, quod Regulares non poſſint in illis Oratorijs admittere ad Miſſam extraneos, quia inſtituta ſunt tantum ad vſum Fratrum, & eorum familiæ, & colonorum; admittit tamen, quod vnus, vel alter benefactor, & amicus poſſit recipi, cum nulli præiudicium afferatur. Sed ſtante priuilegio conceſſo *ab Alexandro VI. Ciſtercientibus* relato *à Rodriquez tom. 2. quæſt. 75. art. 2., & Pelizario in man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. nu. 134.*, communius aſſerunt, alios etiam poſſe admitti. Recito in primis verba *Garziæ in ſumma Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dubio 2. punct. 3. num. 34.* Ibi- *Aduierto à cerca los Oratorios de las Granjas, que Alexandro VI. Concedio à los Ciſtercienſes que puedan celebrar alli los Officios, y adminiſtrar los Sacramentos de la Pœnitentia, y Euchariſtia a los Vaſſallos, familiares, y criados del Conuento ſin licencia del ordinario; que ſe intenda por criados, y familiares, ſi ſolos que viuen dentro las puertas del Conuento ò otros tambien; eſplicalo Luis de S. Iuan. quæſt. 8. art. 9. dub. 2., Miranda tom. 1. quæſt. 42. art. 1., & 2. reſueluen que tambien los que eſtan fuera ex Granjas, ò caſas de Religion.*, quod latius explicans *Pelizarius in man. Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 2. n. 134.* extendit ad omnes ſæculares aſſerens hos poſſe liberè audire Miſſam in Capellis Regularium ruſticis.

Plures placet rationes adducere in confirmationem huius extenſionis. Prima ſit deducta ex principijs ſupra explicatis. Quia priuilegium conceſſum Generalibus, & Prouincialibus deputandi locum pro Oratorijs dirigitur ad locum, non ſolum Sacerdotes illius ordinis poſſunt ibi celebrare, ſed etiam Presbyteri ſæculares, vt ſupra probauimus ex Suarez, & Reginaldo, ergo etiam, quia dirigitur ad locum quoad audientes ſine vlla limitatione, non ſolum Fratres eiuſdem ordinis poſſunt ibi liberè audire, ſed etiam alij quicunque. Quæ etenim maior ratio, quod extendatur ad ſæculares quoad celebrationem, & ad eoſdem non extendatur quoad auditionem?

Secunda, quia Gregorius XIII. eodem verborum contextu concedit Prouincialibus facultatem erigendi, & deputandi huiuſmodi Oratoria in Collegijs, Monaſterijs, Domibus, ac in Grangijs, & alijs locis. Ibi- *In Oratorijs, & Capellis, quæ ipſius Societatis Prouinciales per ſe in Domibus, Collegijs, & alijs locis &c.*, ſed in Oratorijs à Prouincialibus deputatis in Collegijs, & Domibus omnes indiferentèr, & liberè audiunt ſacrum, nec vllus eſt, qui dubitet, quin præcepto ſatiſfaciant, ergo etiam in Oratorijs exiſtentibus in Villis eadem auctoritate deputatis omnes liberè poſſunt audire, & præcepto ſatiſfacere. Hinc in Oratorijs noſtrarum Congregationum, quæ pro exteris Scholaribus aperiuntur, omnes nedum Scholares, ſed etiam alij ſine diſcrepantia ad audiendum ſacrum admittuntur, nec vllus dubitet, quin ſatiſfecerint.

Tertia, quia diuerſa omninò eſt ratio de Oratorijs ex ſpeciali indulto Romani Pontificis priuatarum domuum, ac de Oratorijs Religioſorum erectis etiam in Grangijs, & domibus prædiorum ruralium; tum quia illa ſunt ex ſpeciali diſpenſatione cum reſtrictione ad determinatas perſonas, iſta ex generali priuilegio ſine vlla prorſus limitatione, nec quoad celebrantes, nec quoad audientes; tum quia illis intelligitur derogatum per Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruand., & vitan. in celebrat. Miſſarum*, non ſic iſtis, vt notant *Rodriquez tom. 2. qq. Regul. quæſt. 75. art. 1., & 2., & Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. Minim. in Conſtit. Pirrhi num. 29.*; tum quia illa non gaudent aliqua immunitate; iſta verò gaudent, vt notant *Garzias in ſumma Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 34., Bordonus in conſil. Regul. tom. 2. reſol. 90. num. 6., Henriquez in qq. pract. ſect. 22. quæſt. 26., Rodriquez tom. 2. q. 75. art. 2., Diana part. 9. tract. 1. reſol. 18.*, &, licet aliqui ex his DD. diſcrepent in decernendo, vt tali immunitate gaudeant, an requiratur, vt ſint benedicta, nec ne, hoc aliquid negotij mihi faceſcere non videtur, cum ſupponam regularitèr benedici; vndè, quod alij à comprehenſis in priuilegio non ſatiſfaciat præcepto audientes ſacrum in Oratorijs priuatarum domuum,

8 Diuerſitas huiuſmodi Oratoriorū ab Oratorijs Domuum priuatarum.

muum, ex hoc non euincitur, quod audientes in Oratorjs Regularium ſitis in ipſorum Grangijs, & prædijs ruſticis non ſatisfaciant, cum à diuerſis non fiat illatio.

ARTICVLVS XV.

Explicantur obitèr nonnulla ad Regularium Oratoria ſita in eorum Grangijs pertinentia.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi. 1.
Conſiderabilia circa eoſdem. 2.
Refertur priuilegium amplum conceſſum Canonicis Regularibus Lateranenſibus. 3.
Concilium Tridentinum non loquitur de Eccleſijs Regularium relatiuè ad Epiſcopos. 4.
Specialis textus eximens Oratoria huiuſmodi à poteſtate Epiſcopi. 5.
Declaratio exemptionis Eccleſiarum Regularium à poteſtate Epiſcopi. 6.
Oratoria, nec erecta, nec benedicta auctoritate Epiſcopi non ſunt publica. 7.
Exemptio non prouenit ex eo, quod ſit publica, vel priuata, ſed ex priuilegio Pontificum. 8.
Tres ſpecies Grangiarum numerantur. 9.
Grangiæ iuxtà primam ſpeciem non ſubduntur Epiſcopi iuriſdictioni. 10.
Oſtium patens, & Campana è turri pendens non inducunt ſubiectionem. 11.
Gaudent immunitate Eccleſiaſtica. 12.

1 Articuli examinandi circa titulum. DVo præcipuè ſub hoc titulo mens eſt explicandi, quæ, quamuis ad præſens inſtitutum non videantur pertinere, plurimum tamen conferre poſſunt ad plura explicanda, quæ quoquo modo ad hanc materiam ſpectare poſſunt. Primum erit, an Ordinarij ius habeant viſitandi huiuſmodi Regularium oratoria ruri conſtructa. Secundum, an re vera hæc gaudeant Eccleſiaſtica immunitate, quod eſt id, quod ex occaſione tangebamus in calce præcedentis articuli.

2 Conſideranda circa eundem. Circa primum DD. in hac materia ſcribentes plura conſiderant; & primò, an illa Oratoria ſint auctoritate Epiſcopi erecta, & ab eodem benedicta, an verò, & deputata, & benedicta à Prælato Regulari, qui habet ad hoc facultatem ex conceſſione Iulij II., & ex Leone X., prout refert *Sorbus in compend. priuilegiorum Fratrum Minorum in verbo Benedicere &c.*; Secundò, an huiuſmodi Oratoria contineantur intra ſepta domuum eorundem Regularium, an verò ſint extra illa, & ſeparata ab eiſdem domibus. Tertiò, quatenus fuerint intra ſepta, an habeant Oſtia patentia in via publica, & Campanas à turre pendentes, an verò, nec Oſtia patentia, nec Campanas pendentes.

Nulla facta diſtinctione inter prædicta Nicolaus IV. conceſſit exemptionem totalem Ordini Minorum decernens, ordinem prædictum, & Fratres eiuſdem immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiacere, ac Eccleſias, & Oratoria, Domus, loca in ius, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, quod idem confirmauit Bonifacius VIII. ſub ampliſſimis terminis. Idem ampliſſimè conceſſit Fratribus Prædicatoribus Martinus V. eximens eorum Domus, Monaſteria, Hoſpitalia, Oratoria quæcunque, quæ fuerint ſub cura, & regimine eorundem à quacunque poteſtate, iuriſdictione, ſubiectione quorumlibet Ordinariorum, vt refert *idem Sorbus ſub tit. exemptio*. Simile, & amplum magis priuilegium conceſſit Sixtus IV. Canonicis Regularibus Lateranenſibus, quorum priuilegijs gaudet Congregatio noſtra Clericorum Regularium Sancti Pauli vulgo Barnabitarum; cuius indulti verba placet hic referre. *Congregationem ipſam, illiuſque Monaſteria, Eccleſias, & loca qualibet, & illorum Canonicos, ſeu perſonas præſentes, & futuras à quorumcunque prædictæ Sedis Legatorum, ac eius Nuntiorum, Patriarcharum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum quorumcunque Iudicum Ordinariorum, aut Extraordinariorum iuriſdictione, auctoritate, poteſtate, dominio, viſitatione, cura, & charitatiui ſubſidij ſubuentione penitùs, & omninò eximimus, & totalitèr liberamus, eamque in ius, & proprietatem B. Petri, & Sedis eiuſdem, & ſub eorum ſpirituali protectione, atque noſtra ſuſcipimus, ita quod de cætero cum Monaſterijs, membris, Eccleſijs, locis, perſonis, & iuribus ſuis quibuſcunque eidem ſedi immediatè ſubiecta exiſtat, & omninò eſſe cenſeatur; Quodque Legati, aut Nuntij præfati, ſeu locorum Diœceſani, aut alij Ordinarij quicunque, aut aliæ quæuis perſonæ quantacunque ampla præfulgeant dignitate, ſeu præeminentia in Congregationem, Canonicos, perſonas, Monaſteria, Eccleſias, membra, & loca prædicta vtpotè prorſus exempta, excommunicationis, & interdicti ſententias, ſeu alias cenſuras, ſiue pænas ſpecialitèr, vel generalitèr eorum auctoritate ordinaria promulgare, nec vllam in Monaſteria, Eccleſias, perſonas, & loca huiuſmodi præeminentiam, ſuperioritatem, & iuriſdictionem quomodolibet exercere poſſint &c.* Hæc colligo ex compendio priuilegiorum Congregationis Clericorum Regularium *ſub tit. exemptio §. 7.* 3 Priuilegium cōceſſum Canonicis Lateranēſibus

Nec obeſſe poteſt *Concil. Trident. ſeſſ. 7.* de

de reformatione cap. 8., vbi expreſsè dicitur. *Locorum ordinarij Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas ſingulis annis viſitare teneantur*; ſi, ergo ex hac Conciliari diſpoſitione tenentur, & per conſequens à fortiori poſſunt Eccleſias ipſas exemptas quomodolibet viſitare, cuiuſmodi ſunt illæ Regularium, non eſt, cur non poſſint viſitare Oratoria eorundem, quæ ſunt extra ſepta earundem Eccleſiarum. Non, inquam, obeſſe poteſt,

4 Non obſtat Concil. Trid. quia in tali Concilij diſpoſitione duo veniunt conſideranda, & ly, *locorum Ordinarij*, & ly, *Eccleſias quomodolibet exemptas*; Nomine Ordinarij locorum, vt benè notat *Rodriquez tom. 1. qq. Reg. quæſt. 36. art. 3.*, non veniunt ſolum Epiſcopi, ſed alij etiam inferiores habentes ordinariam iuriſdictionem, prout intelligit pluribus in locis idem Concilium; vndè Prælati inferiores habentes hanc iuriſdictionem in aliquas Eccleſias ſæculares priuatiuè quoad Epiſcopos tenentur illas viſitare ſingulis annis, & Prælati Regulares habentes ſimilem iuriſdictionem in ſuas tenentur item illas viſitare; Nomine autem Eccleſiarum exemptarum in hoc loco non veniunt illæ Regularium reſpectiuè ad Epiſcopos, aut alios Prælatos inferiores ſæculares, ſed tantum ſæculares, quæ ratione priuilegij, vt exemptæ non poſſent ab Ordinarijs viſitari, & ſic vigore huius decreti Conciliaris auctoritate Apoſtolica ſubduntur huiuſmodi Ordinariorum viſitationi. Cæterum, quod Eccleſiæ Regularium non ſubdantur huiuſmodi Ordinariorum ſçcularium viſitationi colligitur *ex eodem Concil. Trident. ſeſs. 25. de Regul., & Monialibus cap. 20.*, vbi præſcribitur forma talium viſitationum per Prælatos Regulares exercendarum. Quamobrem Concil. Trident. in præfato decreto duo præſtat; primò pręcipit omnibus Ordinarijs ſiue ſint ſæculares, ſiue Regulares, vt ſingulis annis ſuas viſitent reſpectiuè Eccleſias; Secundò, vt Ordinarij ſæculares viſitent auctoritate Apoſtolica etiam Eccleſias ſæculares priuilegiatas, & exemptas, quod congruè decreuit Concilium, ne huiuſmodi Eccleſiæ exemptæ à viſitatione ob incuriam miniſtrorum ruinis ſubiaceat, vndè ſubdit ibidem, *teneantur opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur*, quæ non militant in Eccleſijs Regularium, quarum cura imminet Prælatis, & viſitatoribus Regularibus, qui non ſolum ex vi propriarum Conſtitutionum, ſed etiam ex diſpoſitione hac Conciliari ſingulis annis viſitare tenentur.

Deindè dato etiam, nunquam tamen conceſſo, quod Epiſcopi ex vi huius Conciliaris diſpoſitionis poſſent Eccleſias exemptas Regularium viſitare, non tamen ex hoc ſequeretur id, quod infertur, nempè quod poſſent etiam viſitare eorum Oratoria ruri conſtructa obſtante textu *in cap. fin. de cenſibus*, vbi Gregorius IX. inhibet, *ne quis pro eo, quod in Oratorijs Regularium, quæ in Grangijs habent, interdum aliqui Regulares celebrant, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur ab eiſdem exigere, vel extorquere præſumat*, ex quo infert *Gloſa ibidem*, quod ideò non poſſint exigi procurationes, quia in illis non poteſt fieri viſitatio; procurationes etenim debentur ratione viſitationis, *& ita cum nulla fiat viſitatio, nulla propter hoc, quod ibi aliquando celebrant Monaci, debet præſtari procuratio*. 5 Specialis textus eximens huiuſmodi Oratoria ab Epiſcopis.

Cæterum, quod viſitationi Ordinariorum ſæcularium non ſubdantur Eccleſiæ Regularium expreſsè definitum reperitur ex declaratione Sacræ Congregationis relata *à Rodriquez quæſt. 36. cap. 4., & à Quaranta in ſumma Bullarij verb. Priuilegia Regul.*, quæ cantat in hęc verba. *Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiuſuis decreti eiuſdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monaſterijs, domibus, & Eccleſijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, viſitandi Sacriſtias, paramenta, vaſa ſacra, Altaria, & cætera huiuſmodi &c.* 6 Exemptio Eccleſiarum Regularium.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, viderentur ſufficere ad excludendum quodcunque ius Epiſcoporum viſitandi Regularium Oratoria ruri maximè conſtructa; ſed quia plerique excipiendo, & limitando procedunt ſecundum varias conſiderationes, vel conſtructionis, & benedictionis eorundem auctoritate Epiſcopi, vel ſine illis ſola auctoritate, & benedictione Prælatorum Regularium, vel eſſe publici, vel priuati eorundem, vel exiſtentiæ Campanarum è turri pendentium, vel non exiſtentiæ illarum, ideò placet per ſingulas partes articulum hunc diſcutere.

Et quidem, ſi loquamur de Oratorijs Regularium nulla Epiſcoporum auctoritate erectis, vel benedictis ſatis apertè conſtat eadem eorundem iuriſdictioni non ſubiacere, & per conſequens, nec viſitationi. Ratio ex eo deducitur, quod nullum ius competat ordinarijs viſitandi Oratoria priuata, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed ad ſummum publica; quando autem non ſunt erecta auctoritate Epiſcopi, nec ab eo benedicta, non ſunt publica, vt habetur *in cap. quidem 18. quæſt. 2. cap. nemo de conſecratione diſtinct. 1. auth., vt nullus fab. Orat.*; Neque dicas, dici publica ſufficientèr quoad hunc effectum ex eo, quod in eiſdem 7 Non erecta, nec benedicta auctoritate Epiſcopi non ſunt publica.

poſſit

poſſit à quocunque Miſſa audiri, & ſatisfieri præcepto per ea, quæ ſupra dicta ſunt; Contra enim impugnaberis, quia in primis vis huius inſtantiæ ceſſaret, ſi diceremus, admitti quoad auditionem ſatisfactoriam ſacri in huiuſmodi Oratorijs, non quoſcunque indefinitè, ſed dumtaxat ſubditos familiares, colonos, & dependentes, quantumuis habitent extra clauſtra Grangiarum, & domuum domeſticarum, vbi ſita ſunt huiuſmodi Oratoria, prout ſtatuunt *Garzias in ſumma Theologiæ mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 34.*, *Aloyſius de Sancto Ioanne quæſt. 8. art. 9. dub. 2.*, *Miranda tom. 1. quæſt. 42. art. primo, & ſecundo*; vndè ad ſummum dici poſſunt eſſe publica in ordine ad Religionem, priuata ratione excluſionis extraneorum, qui comprehenſi non ſint in priuilegio. Quod autem in priuilegio comprehenſi ſint familiares, ſubditi, & coloni Monaſterij, ſeu Conuentus non facit, quod Oratoria ſint publica, cum hoc ſit non ex natura eorundem, ſed ex ſingulari priuilegio Alexandri VI. conceſſi Ciſtercienſibus. Deindè dato etiam, quod omnes in huiuſmodi Sacellis audire poſſent ſacrum, & ſatisfacere præcepto, non propterea euaderent publica quoad hunc effectum ſubiectionis Epiſcopo, ſicuti, nec euadunt tales Eccleſiæ Regularium, & Oratoria ſita in eiſdem, ſeu intra ſepta eorundem, vt videre eſt in Oratorijs pro Congregationibus extraneorum, quæ fiunt in eiſdem Monaſterijs; namque, vt ſint talia, requiritur, quod ſint auctoritate Epiſcopi erecta ab eodem benedicta, & habeant alia requiſita &c. Tandem non tribuimus hanc exemptionem Oratorijs Regularium habita conſideratione, quod ſint publica, vel priuata, ſed ex ſpecialibus ſummorum Pontificum priuilegijs, per quæ eximuntur ſimpliciter à iuriſdictione, dominio, ſubiectione, & viſitatione ordinariorum.

8 Exemptio prouenit ex priuilegijs Pontificum.

Sed, vt clariùs, & diſtinctiùs hac in re procedamus, debemus præmittere tres quodamodo eſſe ſpecies Grangiarum, de quibus latam facit mentionem *Proſper Fagnanus in quodam libello inſcripto de Grangijs, & earum Oratorijs diſceptatio, edito Romæ, typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ anno 1671.* ad textum *in cap. auctoritate de cenſibus*. Aliæ, quæ propriè dicuntur tales, & de quibus loquuntur textus *in cap. vlt. de cenſibus, cap. patentibus de priuileg. extrauag. vnica de decimis inter communes*; atque iſtæ nihil aliud ſunt, quam domus rurales, & prædia ruſtica ſub proprietate, & dominio alicuius Monaſterij, in quibus non conſueuerunt morari Monaci, ſed Conuerſi tantum pro agris colendis, nec in eis eſt aliqua Eccleſia, aut publicum Oratorium auctoritate Epiſcopi conſtructum, ſed ſolummodò auctoritate Generalium, aut Prouincialium erectum, vbi quandoque Regulares celebrant, dum recreationis gratia, vel ob negotia illuc ſe transferunt, nec pro huiuſmodi Oratorio deſignata eſt aliqua dos, nec Rector inſtitutus. Aliæ ſunt Grangiæ impropriè, & largè ſumptæ, quæ in rigore aliud non ſunt, niſi Conuentus, aut Domus Regulares dependentes ab aliquo Monaſterio principali, & tales ſunt Prioratus dependentes à Monaſterijs, & de his fit mentio *in cap. fin. de Capell. Monachorum*. Aliæ, tandem ſunt, quæ conſiſtebant in paruis Conuentibus Regularium, in quibus ob reddituum tenuitatem ſuſtentari non poterant Religioſi in numero ſufficienti ad obſeruantiam Regularis diſciplinæ, quos Innocentius X. in Conſtitutione incip. *Inſtaurandæ* ſuppreſſit, & quodamodo ſæcularizauit. Quamuis autem ſecunda, & tertia ſpecies Grangiarum de Iure communi antiquo non ſubeſſet correctioni, iuriſdictioni Epiſcoporum, ex prædicta tamen Conſtitutione Innocentiana *Inſtaurandæ*, & decreto eiuſdem incipiente, *vt in paruis*, modo eiſdem Epiſcopis ſubijciuntur, tan quam Sedis Apoſtolicæ delegatis. De ijs, ergo non eſt hic ſermo, ſed tantum de prima ſpecie, quam lato diſcurſu idem Proſper Fagnanus eximit à quacunque Ordinariorum iuriſdictione, correctione, & viſitatione per latè ibi expreſſa iura, vindicat ab obiectis aduerſantibus, & validis firmat rationibus, qui propterea omninò videndus eſt.

9 Tres ſpecies Grãgiarum.

10 Grangiæ iuxtà primã ſpeciẽ non ſubduntur Epiſcopis

Retentis ijs, quæ latè habet Fagnanus tanquam firmiſſimis, & concludentibus, difficultas ſolummodò vigere poteſt, ſi huiuſmodi Oratoria habeant Oſtia patentia in via publica, ſi habeant Campanam pendentem à turri, ſi ibi indefinitè celebrentur Miſſæ, ſi admittantur exteri ad ipſas audiendas; tunc etenim videntur habere rationem Oratorij publici, & eſſe extra terminos eorum, quæ latè congerit idem Fagnanus. Sed neutiquam vrgere poteſt hæc difficultas, quandoquidem, vt Oratorium dicatur publicum, requiritur principalitèr, vt ſit auctoritate Epiſcopi erectum, ab eodem, vel eius auctoritate benedictum, dotatum, &, quod eidem deſignatus ſit Rector, vt probat idem *Fagnanus loc. cit.*, quæ omnia deſunt in huiuſmodi Oratorijs. Cæterum, quod habeat Oſtium patens in via publica eſt tantum quædam coniectura publicitatis, quæ eludi poteſt per alias potentiores; ſi tamen non habeat Oſtium patens immediatum in via, ſed in curtili domuum, ceſſaret

11 Oſtium patens, & Campana non officiunt.

etiam hæc coniectura. Idem dicendum eſt de Campana è turri pendente, quæ certè nonniſi coniecturam affert eliminabilem per alias, & poteſt hæc Campana ad alios effectus eſſe apposita, quam ad conuocandum populum. Quod ibi celebrentur Miſſæ, & admittantur exteri ad audiendum ſacrum, eſt ex ſingulari priuilegio, quod non tribuit ius Epiſcopo viſitandi, nec exercendi aliquem actum iuriſdictionis. Conſulerem tamen, vt ibi non admitterentur Laici omninò independentes à Monaſterio, ſed dumtaxat coloni, familiares, & dependentes iuxtà conceſſionem Alexandri Sexti Ciſtercienſibus, in quo caſu, quamuis huiuſmodi Oratoria eſſent publica in ordine ad Religionem, eſſent tamen priuata in ordine ad extraneos, qui compenſi non ſunt in priuilegio, vt ſupra dicebamus.

12 Gaudent immunitate Eccleſiaſtica. Circa ſecundam partem tituli, probabilius arbitror, gaudere immunitate Eccleſiaſtica, vt præter DD. citatos in calce præcedentis articuli tradunt *Peregrinus c. 4. num. 58. ibidem, §. & tandem, & alij plures*. Sed vtrum, vt gaudeant tali immunitate, requiratur, vt ſint benedicta, diſſident DD., vt innuebam in calce præcedentis articuli; ſed cum ego arbitrer huiuſmodi Oratoria benedici regularitèr à ſuis Prælatis Regularibus, qui quoad hoc facultatem habent, in hoc non eſſe immorandum cenſeo.

ARTICVLVS XVI.

De onere audiendi ſacrum relatiuè quoad tempus.

SVMMARIVM.

Tempus celebrandi computatur ab aurora ad meridiem. 1.
Huius præceptum obligat ſub læthali. 2.
Modicitas temporis excuſat. 3.
Qualis, & quanta debeat eſſe hæc modicitas, vt excuſet. 4.
Ratione neceſſitatis, & vtilitatis magnæ poteſt anticipatè celebrari, & quando. 5.
Item ratione dignitatis, & quando. 6.
Item ratione myſticæ ſolemnitatis. 7.
Sententia aſſerens eſſe culpam læthalem in nocte Natiuitatis Domini celebrare ſucceſſiuè tres Miſſas. 8.
Sententia nullum agnoſcens peccatum. 9.
Præfertur prima ſententia. 10.
In die Natiuitatis Domini non ſunt ex neceſſitate audiendæ tres Miſſæ. 11.
Regulares gaudent in hoc priuilegijs, & quibus. 12.
Cautè vtendum eſt huiuſmodi priuilegijs. 13.
Audientes Regularium Miſſas ex priuilegio ante auroram, vel poſt meridiem celebratas ſatisfaciunt. 14.
Item audientes Miſſas Sacerdotum ſæcularium. 15.

IAm ex ſupradictis conſtat, fideles ex præcepto Eccleſiaſtico teneri audire ſacrum omnibus diebus feſtis. Quamuis autem huiuſmodi dies feſti incipiant à media nocte diei præcedentis, & terminent ad mediam noctem ſequentem, pro celebratione tamen Miſſarum in talibus diebus præſcriptum eſt determinatum tempus intra eoſdem, nempè ab aurora ad meridiem, prout videtur colligi ex *Concilio Toletano anno 1583. act. 3. cap. 24.* Ibi - *nullus ante auroram, aut poſt meridiem celebret*, & hoc idem præſcribitur in rubrica Miſſalis, item *in cap. neceſſe eſt, & cap. nocte ſancta de conſecrat. diſt. 1.*, cuius præſcriptionis rationem aſſignat *Gloſa in dicto cap. nocte ſancta*, quia Sacramentum Euchariſtiæ, quod in ea conficitur, ſpectat ad tempus gratiæ per diem ſignificatum iuxtà illud *ad Romanos 3. nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* 1 Tempus celebrandi eſt ab aurora ad meridiem.

Sed, an hæc iura obligent ſub læthali ad ſeruandum hoc tempus, & ſub eodem excludant quamcunque anticipatam, vel præpoſteram celebrationem? Sentiendum obligare ſub læthali, niſi conſuetudo alitèr obtinuerit; admittere tamen aliquam modicam latitudinem, vel ante, vel poſt ad excuſandum ab eodem. Prima pars eſt *Nauarri in man. cap. 25.*, *Fumi in Armil. verb. Miſſa.* Secunda eſt aliorum ſatis communitèr. Prima pars ex eo euincitur, quod per illam temporis peruerſionem violatur præceptum Eccleſiaſticum in re graui, & aduerſatur ſignificationi, propter quam aſſignatum eſt illud determinatum tempus. Dixi, *niſi conſuetudo alitèr obtinuerit*; nam, cum verſemur in præcepto iuris poſitiui, conſuetudo legitimè præſcripta poteſt eidem derogare. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, ſicuti in præceptis iuris poſitiui paruitas materiæ excuſat à graui culpa, ita, & modicitas temporis. 2 Obligat ſub graui.

Si autem quæratur, quanta debeat eſſe hæc anticipatio, vel poſtpoſitio ad eximendum à culpa læthali diſſidium non modicum eſt inter DD. Relictis aliorum placitis tres plauſibiliores inuenio ſententias. Prima eſt *Azorij inſtit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 25. quæſt. 6.* anticipationem, vel poſtpoſitionem per tertiam horæ partem non excuſare à peccato graui. Secunda eſt *Bonacinæ de Sacramentis diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 9. num. 6.*, volentis, requiri ad incurrendam illam grauem culpam anticipationem, 3 Modicitas temporis excuſat.

nem, & poſtpoſitionem trium horæ quadrantum, & etiam vnius horæ integræ.
4 Quanta debeat eſſe hæc modicitas ad excuſandum. Tertia eſt *Henriquez de Miſſa lib. 9. cap. 24. nu. 5., Fagundez de Eccleſ. præceptis part. 1. lib. 3. cap. 17. n. 6.*, quam ſequitur etiam *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 7. propoſ. 2. num. 14.*, atque hæc docet, anticipationem, & poſtpoſitionem per mediam horæ partem non excuſare a graui culpa, vndè iuxtà hanc ſententiam licitum erit celebrare per quadrans cum dimidio, & per ſimile tempus poſt meridiem, non vlterius. Hanc opinionem tanquam æquiorem admitto, licet parum diſcrepet à prima, nam ſecunda nimis lata eſt; ſi enim quis celebraret hora ante auroram ipſam terminaret media hora ante eandem auroram, & ſic non ſignificaret ſacrificium diei gratiæ. Ratio huius tertiæ opinionis eſſe poteſt, quia ſpacium illud infrà dimidium horæ videtur modica pars, adeoque ſufficiens ad eximendum à noxa læthali. Sed difficultas eſt in explicando, quid veniat nomine auroræ. Dicendum eſt, primam ſolis radiationem, antequam ſolare corpus in noſtro orizonte appareat.

Hæc procedunt ſecundum communem, & generalem regulam præciſo quocunque priuilegio, & caſu particulari. Excipiuntur tamen ab hac communi regula plures caſus, vel ratione vtilitatis magnæ, ſeu neceſſitatis, vel ratione dignitatis, vel ratione myſticæ ſolemnitatis, vel ratione priuilegiorum.

5 Excuſatur ratione neceſſitatis, & vtilitatis. Ratione magnæ vtilitatis, vel neceſſitatis excipitur Parochus, quando non extante particula conſecrata, & periclitante infirmo ad mortem non poſſet eidem aliter ſubueniri; tunc etenim poſſet ante auroram celebrare ad conficiendum pro infirmo Sacramentum *Nauarrus in manuali cap. 25. num. 85., Henriquez lib. 9 de Miſſa cap. 24. num. 5., Fagundez de Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. cap. 17. nu. 15* Ratio eſt, quia in concurſu neceſſitatis communicandi infirmum morte periclitantem cum præcepto non celebrandi, niſi temporibus debitis, præualere debet ſalus infirmi. Neque dicas concurrente neceſſitate conferendi Euchariſtiam per modum Viatici infirmo conſtituto in mortis periculo cum præcepto non ſacrificandi, niſi ſeruato ieiuno naturali, hoc præualet illi neceſſitati per ea, quæ tradidimus *ſupra quæſt. 3. art. 7.*, ergo etiam concurrente tali neceſſitate communicandi infirmum cum præcepto non celebrandi, niſi præfinitis temporibus, hoc debet illi præualere; Contra enim impugnaberis, quia, quantumuis vtrumque præceptum non ſacrificandi, niſi ieiune, & nonniſi ſtatutis horis ſit iuris poſitiui Eccleſiaſtici; primum tamen ſtrictius obligat, quam ſecundum; quod tum à priori, tum à poſteriori deducitur; à priori, quia ieiunium naturale eſt diſpoſitio quædam intrinſeca requiſita ex parte ſacrificantis, quæ immediatè reſpicit reuerentiam debitam ſacrificio, & Sacramento ex parte eiuſdem; tempus autem eſt ſolum extrinſeca circunſtantia, nec notabilitèr conferens ad Sacramenti reuerentiam; à poſteriori, quia maxima cum facilitate diſpenſatur quoad tempus ſeruatis reliquis, & vix, ſeu rarò, & nonniſi maxima cum difficultate quoad ieiunium, vndè plurima emanarunt indulta quoad tempus; nullum ferè quoad ieiunium.

Ratione dignitatis conceditur Epiſcopis iter habituris, poſſe celebrare, vel coram ſe celebrare facere vna hora ante auroram, & poſt meridiem per *Gloſam in cap. vlt. de priuileg. in ſexto, Nauarrus in manuali c. 25. nu. 85., Silueſter verb. Miſſa 1. § 6., & 7.* Cardinalibus etiam conceditur extra cauſam itineris habendi *Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 24. num. 5., & ſeqq., Fagundez de Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. c. 17. n. 16., & alij plures.* Sed, an hoc ſit quoque concedendum Generalibus Religionum, non dubitarem affirmare non ſolum, quia habent quodamodo Epiſcopalem iuriſdictionem, ſed etiam, quia ipſi principalius gaudent priuilegijs Religionibus conceſſis, de quibus latè infrà. 6 Item ratione dignitatis.

Rationem *myſticæ ſolemnitatis*, quod dixerim propter feſtum Natiuitatis Domini, in quo licitum eſt media nocte ſacrum celebrare iure, & conſuetudine fere vbique recepta, & habetur *in cap. nocte ſancta de conſecrat. diſt. 1.* Sed, an liceat illa nocte tres Miſſas ante auroram celebrare, an verò ſolummodò ſit facultas vnam celebrandi? In hoc valdè diſcrepant DD. Celebrata prima Miſſa in illa nocte reliquas duas immediatè, & ſucceſſiuè celebrare aſſerunt eſſe culpam læthalem *Nauarrus in manuali cap. 25. num. 85., Silueſter verb. Miſſa 1. §. 6., Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 14., Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 25 quæſt. 1., Ludouicus Miranda in manual. Prælat. quæſt. 40. art. 8. concl. 3., Fagundez de Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. cap. 17. n. 2.*, qui meo videri mouentur generali ratione, qua vetitum eſt Miſſas celebrare, niſi ſtatutis horis, à quo iure vetante ſolum excipitur prima Miſſa, vndè etiam in rubricis Miſſalis dicitur. *Miſſa media noctis*, de altera *Miſſa in aurora &c.*, & ſic prima excepta reliquæ remanent ſub regula. 7 Item ratione myſticæ ſolemnitatis. 8 Sentẽtia aſſerens eſſe graue peccatum in nocte Natiuitatis Domini celebrare tres Miſſas.

Nullam culpam in celebratione ſucceſſiua trium Miſſarum ante auroram agnoſcunt *Suarez de Sacrament. diſp. 80. ſect. 4.*

verſ.

9 *verſ. tertio inquiri poteſt*, *Rodriquez in ſumma part. 1. cap. 249. num. 9.*, *Reginaldus lib. 29. nu. 173.*, *Gauantus in comment. rubricæ Miſſalis part. 4. tit. 3. num. 6.*; qui ea ratione mouentur, quod nullum in hoc ſit ius prohibens, quinimmò conſiderant, quod *in dicto cap. nocte ſancta de conſecrat. diſt. 1.*, in quo permittitur illa nocte ſacrificare, non dicatur *Miſſam*, ſed *Miſſas* in numero plurali, quod indicat omnes tres Miſſas poſſe eadem nocte celebrari. Sed, ſi benè aduertiſſent huiuſmodi DD. ad ius generale prohibens in vniuerſum Miſſas celebrari, niſi ſtatutis horis, à quo iure ſolum excipitur Miſſa illius noctis, in qua *in communicantes*, & in prima

Sentētia nullum agnoſcēs peccatum

10 Oratione dicitur: *hanc ſacratiſſimam noctem*, quod non dicitur in alijs duabus, non ità facilè in hanc opinionem abijſſent, cum exceptio firmet regulam in non exceptis; Nec releuat, quod ſubdebatur *ex cap. nocte ſancta*; nam ly, *Miſſas* non refertur ad plures, quæ ab eodem Sacerdote poſſent celebrari, ſed ad Miſſas, quæ in diuerſis Eccleſijs ea nocte celebrantur, vna in ſingulis. Sed modo non eſt in hoc dubitandum, cum ſacra Rituum Congregatio die 20. Aprilis 1664. decreuerit poſt Miſſam cantatam non licere alias duas celebrare, nec populum communicare.

Præfertur prima ſententia.

Ex occaſione hic inquirendum remanet, an, cum in illo feſto Natiuitatis Domini tres Miſſæ celebrantur, teneantur ex præcepto fideles omnes tres audire, an verò ſufficientèr ſatisfaciant præcepto vnam dumtaxat audiendo. Reſpondendum eſt vnam dumtaxat audiendo præcepto ſatisfacere. Conſentiunt in hoc communitèr ſignantèr *Nauarrus in manuali cap. 21.*, *Suarez diſp. 88. ſect. 4.*, *Nugnus quæſt. 83. art. 6. in poſter. part.*, *Naldus verb. Miſſa num. 10.*, *Siluester verb. Miſſa 2. num. 1. verſ. 7.*, *D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10. §. 1.*, *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Sacerd. cap. 14. quæſt. 135.*, *Doctores in cap. conſuluiſti de celebrat. Miſſ.*

11 Ratio eſt, quia præceptum audiendi ſacrum non obligat, niſi ad vnum, nec aliud ſpecialitèr præcipitur pro die feſto Natiuitatis Domini; neque implicitè argui poteſt præceptum de tribus illa die audiendis ex eo, quod Parocho præcipiatur tres celebrare; non inquam, hoc argui poteſt, quia in primis non ita verum eſt, vt ſupponitur, quod adſit reſpectu Parochi præceptum tres Miſſas pro illa feſtiuitate celebrandi, cum contrarium doceant *Nauarrus tit. de celebrat. Miſſarum conſ. 8. in reſponſ. ad primam dubitationem*, *Naldus verb. Miſſa num. 10.*, *Bartholomæus ab Angelo Dialog. 5. §. 212.*, *& alij magis communitèr*; nam textus *in dicto cap. nocte ſancta de conſecrat. diſt. 1.*, eſt facultatiuus, & conſultiuus, non præceptiuus. Deindè dato etiam, quod præceptum de ter celebrando vrgeret Parochum, non propterea rectè infertur, quod etiam vrgeat Parochianos ad tres audiendas, cum vrgeat ſpecialis ratio pro Parocho; quæ non vrget pro Parochianis, cum ille teneatur fouere pietatem Gregis, nec fraudare eos, qui cupiunt omnes audire, & omittendo de facili ſcandalum ingereret.

In die Natalis Domini non ſunt ex præcepto audiendæ tres Miſſæ.

Ex occaſione iterum hic inquirendum venit, ad quid ſignificandum inductæ ſint illæ tres Miſſæ in die ſolemnitatis Domini? Reſpondendum eſt, id inductum ad indicandas tres Chriſti Natiuitates. Æternam, qua à Patre procedit, vt Genitus. Temporalem, qua à Virgine naſci dignatus eſt. Myſticam, qua per gratiam naſcitur in anima iuſtorum, prout notat *Diuus Thoma tertia part. qu. 83. art. 2.*

Significant tres Chriſti Natiuitate.

Ratione priuilegiorum quoad huiuſmodi anticipationem, & poſtpoſitionem multa Regularibus conceſſa ſunt per Romanos Pontifices indulta, quæ referuntur per Collectores eorundem in priuilegijs ſingulorum ordinum; In compendio priuilegiorum Congregationis noſtræ Barnabitarum legitur, quod noſtri celebrare poſſint Miſſas per horam ante auroram, & vltra horam poſt meridiem itineris, vel alterius legitimi impedimenti cauſa de licentia ſuperioris Generalis ex indulto Gregorij XIII. Societati Ieſu, vt refertur in compendio priuilegiorum Congregationis Sanctæ Mariæ Fulienſis *tit. Miſſa*, §. 3. Scio alia adeſſe ampliora priuilegia quoad anticipationem, nam Alexander VI. conceſſit PP. Congregationis Valleſolet, vt poſſint celebrare duabus horis poſt mediam noctem per breue, quod incipit *Sanè merita*, & Martinus V. eidem Congregationi Valleſolet, Gregorius XIII. Caſinenſibus, Innocentius VIII. Auguſtinianis, & Leo X. Minoribus, vt ſtatim poſt mediam noctem poſſint celebrare, prout referunt *Caſaraub verb. Miſſa 2.*, *Capucinus in annot. ad idem verbum Miſſa 3.*, *Suarez tom. 3. in tertia part. diſp. 8. ſect. 4.*, *Bauni in Theol. mor. tract. 10. de Sacrament. quæſt. 13.*; & quoad poſtpoſitionem Innocentius VIII. conceſſit Dominicanis in Hiſpania facultatem celebrandi vna hora poſt meridiem, & Eugenius IV. Caſſinenſibus, vt poſſint celebrare vſque ad horam nonam incluſiuè, quæ extenditur vſque ad tertiam poſt meridiem, vt refert *Rodericus tom. 1. Bullar. in oracul.* Innocentij VIII.

12 Regulares gaudent priuilegijs & quibus

Cautè tamen monerem, vtendum eſſe huiuſmodi priuilegijs, & nonniſi vrgente aliqua graui magna cauſa, & remota occaſione ſcandali, potiſſimum cum ageretur 13

13 Cautè vtendum eſt eiſdē.

retur de notabili anticipatione, vt eſt illa duarum horarum poſt mediam noctem, vel illa de celebratione immediatè poſt mediam noctem.

Iam deuenimus ad metam præſentis articuli, an, ſicuti vetitum eſt Sacerdotibus excluſis priuilegijs celebrare, niſi horis ſtatutis, ita vetitum ſit fidelibus audire ſacrum, niſi illis horis ſtatutis, adeovt, ſi extra illas audiant, non ſatisfaciant præcepto. Hæc difficultas ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari, vel quatenus quis audiat ſacrum extra horam debitam a Regulari celebrante mutatam, vel poſt illam horam ex priuilegio, vel quatenus audiat à Sacerdote celebrante ante, vel poſt illud ſtatutum tempus ſine priuilegio, & culpabilitèr. Iuxtà primum ſenſum, (qui tantum habere poteſt locum in ſuppoſitione, de qua infrà, quod audiens Miſſam celebratam ante, vel poſt tempus ſtatutum ſine priuilegio non ſatisfaceret, nam, ſi audiens Miſſam non priuilegiatam in hoc ſatisfaceret, à fortiori ſatisfaceret audiens Miſſam in hoc priuilegiatam) video rationes pro vtraque parte militare. Pro negatiua hæc mili-

14 Audientes Regularium Miſſas ante auroram ſatisfaciunt.

tat, quia priuilegium conceſſum celebrandi ante tempus ſtatutum, vel poſt illud eſt præcisè fauore celebrantium, non audientium, ergo audientes non ſatisfacerent, cum perindè ſe haberent, ac ſi audirent ſacrum ſimpliciter ante, vel poſt ſtatutum tempus, cùm priuilegium quoad ipſos non militet. Pro affirmatiua hæc militat, quod audiens ſacrum, quod celebratur in nocte Natiuitatis Domini ſatisfacit præcepto illius diei, ergo etiam audiens ſacrum, quod ex priuilegio celebratur ante tempus ſtatutum eidem præcepto ſatisfacere cenſendus eſt; nam æquè illa Miſſa, quæ celebratur in illa nocte eſt ex permiſſione, & priuilegio, ac ſit illa, quæ alijs diebus celebratur à priuilegiato. Hanc affirmatiuam ſententiam tanquam probabiliorem amplector, quia prohibitio quoad tempus eſt tantum relata ad Sacerdotes, ne ſcilicet extra illud celebrent, ergo ſublata per priuilegium illa prohibitione non erit, cur ipſi non poſſint celebrare, & alij audire, nec obſtant ea, quæ pro negatiua ſententia afferebantur, quia, cum prohibitio ſit ſolummodò relata ad Sacerdotes, eadem ſublata per priuilegium audientes remanent in ſuo iure audiendi, cum in tantum non poſſent audire, in quantum Sacerdotes non poſſent celebrare, & ſic ſublata prohibitione reſpectu iſtorum tollitur quodcumque impedimentum obſtans validæ auditioni.

Iuxta ſecundum ſenſum ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod, quamuis obligatio ſit audiendi ſacrum pro die feſto, hæc tamen obligatio non incipit, niſi à tempore, quo Miſſæ poſſunt ex præſcripto Eccleſiæ celebrari, hoc eſt ab aurora ad meridiem, ſicuti præceptum abſtinendi ab operibus ſeruilibus incipit à media ad mediam noctem; ſicuti autem quis non adimpleret præceptum abſtinendi ab huiuſmodi operibus, qui die præcedente ad feſtum ab illis abſtineret, niſi abſtineat in ipſo die feſto, ita nec adimpleret præceptum audiendi ſacrum, qui ante tempus præfinitum ad celebrandum audiret, niſi audiret intra tempus præfinitum; Neque obeſſe poſſunt, quæ ſupra dicebantur, quod ſcilicet prohibitio non afficiat audientes, ſed tantum Sacerdotes celebrantes; Non, 15

inquam, obeſſe poſſunt, quia præceptum non celebrandi ante, vel poſt illud tempus importat etiam implicitè præceptum non audiendi ante, vel poſt illud. His tamen non obſtantibus tenendum eſt, quod, quamuis quis audiret ſacrum culpabilitèr celebratum ob non ſeruatum tempus ſatisfaceret præcepto propter rationem ſuperius adductam, quod prohibitio afficiat dumtaxat Sacerdotes celebrantes, &, licet Sacerdos inordinatè celebrans quoad tempus peccaret, non propterea ſequitur, quod audiens peccet, & non ſatisfaciat præcepto, nam reſpectu iſtius eſt obligatio tantum audiendi ſacrum in die feſto, quod vtique in ea hypotheſi adimpleret, & tranſgreſſio celebrandi, vel ante, vel poſt præſcriptum tempus imputabilis eſt Sacerdoti, reſpectu cuius eſt præſcriptum determinatum tempus, non audienti, reſpectu cuius eſt aſſignata tota dies feſtiua.

Item audientes Miſſas Sacerdotum ſæcularium

Ex his facilè erit reſpondere ad rationem dubitandi; dicendum etenim eſt audientibus ſtatutum eſſe diem feſtum ſimplicitèr ad audiendum ſacrum, nec reſpectu ipſorum incipere ſolummodò obligationem ab aurora ad meridiem, ſed à media nocte, licet auditio impediatur defectu Sacerdotis tunc celebrantis, vndè non valet argumentum deductum à præcepto abſtinendi ab operibus ſeruilibus, cuius obligatio incipit à media nocte, vndè, ſi ante illud tempus abſtineatur à talibus operibus, & non à media nocte, certè non ſatisfit præcepto, quia illa abſtinentia non cadit ſub præcepto, ſeu ſub tempore præcepti; ſi verò Miſſa audiatur poſt mediam noctem, vel poſt meridiem, ſatisfit præcepto, quia illa auditio cadit ſub tempore eiuſdem præcepti, cum præceptum obliget ad audiendum ſacrum in die feſto ſimplicitèr, non limitatè ad aliquam horam.

ARTICVLVS XVII.

Qualis debeat eſſe aſſiſtentia Miſſæ ad ſatisfaciendum præcepto.

SVMMARIVM.

Aſſiſtentia triplex, & qualis. 1.
Merè corporalis non ſufficit. 2.
Nec merè mentalis. 3.
Vtraque ſimul requiritur. 4.
Attentio ad verba, & facta ſufficit. 5.
Ad ſenſum verborum eſt magis idonea, non tamen neceſſaria. 6.
Relata ad Dei cultum eſt optima, non tamen neceſſaria. 7.
Non eſt neceſſe, quod hæc attentio ſit actualis in tota Miſſa. 8.
Sufficit, quod ſit actualis in principio, & virtualis in proſecutione. 9.

1 Aſſiſtentia triplex, & qualis. HÆc aſſiſtentia alia poteſt eſſe merè corporalis, alia merè mentalis, alia corporalis ſimul, & mentalis. Prima eſt, qua quis corpore præſens eſt, mente tamen abſens. Ad hanc non eſt neceſſe, vt ita quis ſit præſens, vt actu audiat, vel videat Miſſam; cæteroqui, qui ſurdus eſſet, vel cæcus, vel qui præ multitudine adſtantium ita abeſſet, vt nec videre poſſet, nec audire, non ſatisfaceret præcepto, quod eſt contra communem ſenſum, ſed ſufficit, vt ſe conſtituat in loco, vt quantum in ſe eſt, audire poſſit, & videre, ſeu percipere aliquo modo Sacerdotis miniſterium. Secunda eſt, qua quis corpore alibi exiſtens, mente tamen in Eccleſia reuolueret omnia myſteria, quæ in ſacrificio Miſſæ rapræſentantur. Tertia eſt, qua quis non ſolum corpore ſe conſtituit in loco, vt audire poſſit, & percipere Sacerdotis miniſterium, ſed etiam mente addictus eſt ſacrificio, quod peragitur. Hæc mentis addictio, in qua conſiſtit aſſiſtentia mentalis, vel poteſt referri ad intentionem, vel ad attentionem; ad primam, quatenus aſſiſtens debeat habere intentionem ſatisfaciendi præcepto; ad ſecundam, quatenus mens verſetur circa ea, quæ in ſacrificio fiunt. De prima mentis addictione relata ad intentionem agetur in ſequenti articulo. Nunc de ſecunda relata ad attentionem, de qua inquiremus, qualis eſſe debeat, vt per ipſam ſatisfiat præcepto.

2 Merè corporalis non ſufficit. Aſſertio I. Aſſiſtentia, nec merè corporalis, nec merè mentalis ſeorſim ſumpta ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto, ſed vtraque ſimul requiritur. In hanc ſatis communitèr conueniunt Doctores, eſt tamen quoad primam partem contra *Silueſtrum verb. Miſſa 2. qu. 6.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod auditio ſacri præcipitur per Eccleſiam, vt eſt actus humanus; ſed talis non eſſet, ſi fieret per meram aſſiſtentiam corporalem, ergo per hanc verè non ſatisfieret præcepto. Minor non videtur pati difficultatem, quia actus humanus eſt actus hominis liber, & voluntarius; mera autem aſſiſtentia corporalis non eſt actus hominis, cum ſit communis etiam irrationabilibus; Deindè non ſolum, vt actus humanus præcipitur, ſed etiam, vt actus Religioſus, & ad cultum Dei pertinens, ergo requirit attentionem &c. Neque dicas cum *Silueſtro loc. cit.*, attentionem, cum ſit actus merè internus, non poſſe ab Eccleſia præcipi; cum ſub eius poteſtate non cadant actus mere interni; contra enim impugnaberis, quia, licet Eccleſia non poſſit præcipere actus merè, & ſimplicitèr internos, poteſt tamen præcipere actus internos morales, humanos, & Religioſos, qui exigunt tanquam formam attentionem. Adde, quod, ſi ſufficeret aſſiſtentia mere corporalis exiſtens in Eccleſia, & pro toto tempore Miſſæ dormiens ſatisfaceret præcepto, quod nemo dicet.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia, ſi ſufficeret aſſiſtentia mere mentalis exiſtens extra Eccleſiam, & domi manens, dum Miſſa celebratur, ſi reuolueret mente omnia Myſteria, quæ in eadem rapræſentantur ſatisfaceret præcepto, quod eſt inauditum, ergo aſſiſtentia merè mentalis non ſufficit. Accedit, quod in hoc verificatur, quod actus mere interni caderent ſub Eccleſiæ præcepto, quandoquidem illa aſſiſtentia eſſet mere interna, & per actus mere internos, & mentales exercita. Accedit ſecundo, quod alijs præceptis iuris poſitiui non ſatisfit per actus merè internos; ſic non ſatisfit præcepto communionis Paſchalis per meram communionem ſpiritualem, nec præcepto Eccleſiaſtico Orationis per meram mentalem, ergo neque &c. 3 Nec merè mentalis.

Ratio tertiæ partis eſt eadem, quæ ſupra poſita eſt in probatione primæ partis, nam auditio, quæ præcipitur, eſt actus Religionis, qui quatenus cadit ſub Eccleſiæ præcepto, debet eſſe externus, quatenus eſt humanus, debet eſſe coniunctus cum actu internæ attentionis, quatenus Religioſus, debet inuoluere attentionem Religioſam, & ad Dei cultum pertinentem. 4 Vtraque ſimul requiritur.

Aſſertio II. Hæc attentio, vel poteſt eſſe ad verba, & ea, quæ fiunt à Sacerdote, vel ad ſenſum verborum, & eorum, quæ ab eodem fiunt, vel ad Deum; quomodo. 5 Attentio ad verba ſufficit.

modocunque ex his modis attentio adhibeatur, eſt ſufficiens ad adimplendum præceptum; ſed prima eſt minima; Secunda eſt magis accedens ad finem, & perfectior, non tamen neceſſaria; Tertia eſt perfectiſſima, non tamen neceſſaria. In hoc deductiuè conſentit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 83. art. 13.*, qui, quamuis ibi loquatur de attentione requiſita ad Orationem, rectè tamen applicari poteſt ad auditionem ſacri; Expreſsè, & in terminis proprijs auditionis ſacri hoc ſentit *Suarez in tertiam partem tom. 4. diſp. 83. ſect. 3. verſ. alijs verò.*

Ratio primæ partis eſt, quia ex dictis in præcedente aſſertione aliqua interior attentio neceſſaria eſt; non etenim ſufficit merè corporalis attentio; nec alia excogitari poteſt, quæ ſit minor iſta; ex alia parte, vt ſit neceſſaria, debet eſſe poſſibilis reſpectu omnium, cum impoſſibilia etiam moralitèr non poſſint ſub præcepto cadere; iſta autem eſt poſſibilis reſpectu omnium, non ſic ſecunda, & tertia, cum non omnes percipere poſſint ſenſum verborum, & myſteriorum, quæ in ſacrificio Miſſæ repræſentantur, nec omnes apti ſunt, quotieſcunque præceptum audiendi ſacrum viget, eleuare mentem ad Deum; Neque dicas, quod ſurdi, & cæci audiendo ſacrum ſatisfaciant, nec tamen attendunt ad verba, nec ad actiones, quæ in Miſſa dicuntur, & fiunt; Contra enim impugnaberis, quia ſufficit, vt ſe conſtituant in ſtatu, quo audirent, & viderent, ſi poſſent, & quod, quamuis diſtinctè non percipiant omnia, aſſiſtant tamen, vt ad rem ſacram.

6 Attentio ad ſenſũ verborũ non eſt neceſſaria.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia denegari non poteſt, quin illa attentio, qua non ſolum verba, & actiones nude ſumptæ percipiuntur, ſed etiam ſenſus, & ſignificatio eorundem ſit perfectior, & longè excellentior illa, qua percipiuntur ſolum verba, & geſta materialitèr, ergo, ſi iſta eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto, à fortiori & illa, quinimmò ſuperabundans, non tamen neceſſaria, cum prima ſufficiat, & hæc ab omnibus haberi non poſſit.

7 Relata ad Deum eſt optima non tamen neceſſaria.

Ratio tertiæ partis eſt, quia finis attentionis ad verba, & ad ſenſum verborum, eſt eleuare mentem ad Deum colendum, ergo, ſi attentio in auditione ſacri verſetur in Deum colendum, & veneranda eius myſteria, habebitur, quidquid requiritur ad attentionem requiſitam, quia habito fine propter quem, habentur omnia, quæ requiruntur tanquam diſpoſitiua ad illum finem iuxtà illud phyloſophicum *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Non tamen hæc attentio eſt neceſſaria, quia, cum hæc ſit ſumma, & non ſemper de facili reſpectu vniuſcuiuſque haberi poſſit, Eccleſia pia Mater non intelligitur illam requirere.

8 Non eſt neceſſe, quod hec attentio ſit actualis in tota Miſſa.

Aſſertio III. Hæc attentio, qualiſcunque illa ſit ex tribus aſſignatis, non eſt neceſſe, quod ſit actualis ad totam Miſsam, ſed ſufficit, quod ſit actualis in principio, & virtualis in proſecutione. In hanc conſentit *Suarez in tertiam partem tom. 4. diſp. 88. ſect. 3. verſ. atque hinc facilè intelligitur.*

Ratio primæ partis eſt, quia præcepta Eccleſiæ maximè, quæ exigunt aliquem temporis tractum, ſumenda ſunt, quatenus moralitèr, & humano modo poſſunt adimpleri; non etenim Eccleſia imponit onera fidelibus importabilia; ſed attentio actualis ad totam Miſſam, & ad ſingulas eius partes non eſt moraliter poſſibilis, nec humano modo, cum mens hominum ſit ex genere ſuo vaga, &, cum ſit alligata ſenſibus, facile trahitur ab exterioribus obiectis, ergo illa actualis attentio ad totam Miſſam, & ad ſingulas eius partes non cadit ſub præcepto, adeoque non eſt neceſſaria ad adimplementum eiuſdem. Hinc benè notant *D. Ambroſius lib. de fuga ſaculi c. 1., & D. Baſilius lib. de vita perfecta cap. 2.*, non eſſe in hominis poteſtate mentem per longum tempus in contemplatione alicuius myſterij detinere.

9 Sufficit, quod ſit virtualis in proſecutione.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſtante illa morali impoſſibilitate actualis attentionis ad ſingula, quæ fiunt in ſacrificio Miſſæ, illa attentio ſtatuenda eſt, quæ moralitèr haberi poſſit; ſed hæc eſt illa virtualis in proſecutione ſuppoſita actuali in principio, quæ conſiſtit in eo, vt a principio quis accedat animo, & intentione attendendi aliquo modo ex præmiſſis; quod, ſi contingat voluntariè diſtrahi, illa prima intentio attendendi virtualitèr intelligitur perſeuerare, cum non intelligatur retractata. Dixi, *inuoluntariè*, quatenus non aduertit, ſe non attendere ad ſacrum, quamuis voluntariè de alijs rebus cogitet tamen ſine reflexione, quod id præſtat tempore ſacri, vt notant *Medina, Cod. de Oratione qu. de poteſtate Eccleſiaſtica circa actus internos, & Gabriel lect. 62., & 86. in Canonem.*

ARTICVLVS XVIII.

An poſſit compati attentio ſufficiens ad auditionem ſacri cum alijs actionibus, & quibus.

SVMMARIVM.

Actiones, de quibus poteſt eſſe controuerſia. 1.

Recitatio horarum Canonicarum compatitur cum valida auditione ſacri. 2.

Obligatus vtrique oneri, vtrique ſatisfacit. 3.

Obligatus ex voto, vel ex pœnitentia ad audiendum ſacrum in die feſto ſecundum aliques audiens vnum ſacrum ſatisfacit vtrique oneri. 4.

Probabilius non ſatiſfacit. 5.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 6.

Confeſſio ſacramentalis, an compatiatur cum auditione ſacri, diuerſæ ſententiæ. 7.

Refertur Bonacinæ retractatio. 8.

Probabilius non compatiuntur. 9.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 10.

Internæ mentis occupationes circa ſpiritualia ordinata ad Dei venerationem compatiuntur cum auditione ſacri. 11.

Non ſic circa naturalia non ordinata ad Dei cultum. 12.

Externæ occupationes omninò diſtractiuæ à ſenſibili auditione non compatiuntur. 13.

Non omninò diſtractiuæ compatiuntur. 14.

PLura circa hanc materiam examinauimus in quęſt. de ſacris Ordinibus, dum de oneribus annexis ordini Subdiaconatus; vndè vix aliquid ſuperaddĕdum remaneret; ſed quia *Nauarrus in cap. quando de conſecr. diſt. 1. notab. 10. num. 13., & Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, aſſerunt, minorem exigi ex neceſſitate attentionem in Miſſa, quam in Officio Diuino recitando, eo quia recitatio Diuini Offitij eſt actio magis rationalis, quam illa moralis præſentia, quæ præſtatur in Miſſa; ideò placet nonnulla hic addere, quæ ſignantèr circa hanc materiam auditionis ſacri difficultates valeant explanare.

1 Actiones de quibus poteſt eſſe controuerſia

Actiones, circa quas hic titulus verſari poteſt, conſiſtere poſſunt, vel in aliquo exteriori opere, quod tunc exerceatur, vel in interna aliqua mentis occupatione; &, ſi in exteriori aliqua operatione, vel hæc poteſt eſſe ordinata ad Deum, & eius cultum, cuiuſmodi ſunt recitatio precum vocalis, & horarum Canonicarum, & confeſſio ſacramentalis peccatorum, vel non ordinata ex genere ſuo ad Deum, nec ad eius cultum, quin potius eidem cultui aduerſans, cuiuſmodi eſt confabulatio, & pertractatio negotiorum, & ſimilia; vel quoquo modo indiferens, cuiuſmodi eſt exercitium alicuius operis manualis, cum quo videtur poſſe compati, vel attentio ad Miſſam, vel ad quid aliud diuerſum. De his omnibus hic agemus.

2 Recitatio horarum Canonicarū compatitur cum auditione ſacri.

Circa recitationem etiam vocalem precum, & horarum Canonicarum non dubitarem, quin per coniunctionem iſtius cum auditione ſacri haberi poſſit ſufficiens attentio ad adimplendum præceptum eiuſdem auditionis. *Maior in 4. diſt. 12. q. 8., Medina Cod. de confeſs. qu. de pœnitentia temp. Miſs. impleta, Caietanus tom. 3. opuſc. opuſ. de valore Orationis, & in ſumma verb. Feſtorum violatio, Adrianus materia de ſatisfactione quæſt. 7., Nauarrus in ſumma cap. 21. num. 89., & in cap. quando de conſecrat. diſt. 1. not. 19. num. 184., Suarez diſp. 88. ſect. 3. in fine.* Ratio ex eo deducitur, quod, vtiupra dicebamus, attentio requiſita ad auditionem ſacri, & ad ſatisfactionem præcepti poteſt eſſe, vel ad verba, & actiones externas, vel ad ſenſum verborum, & myſteriorum, vel ad Deum colendum, ſed hæc poteſt compati cum recitatione precum, & horarum Canonicarum, nam, pręterquamquod hæ etiam ordinantur ad Deum colendum, ſtare poſſunt cum attentione, & ad verba, & ad actiones, quæ in Miſſa fiunt. Deindè Miſſa eſt ex genere ſuo repræſentatio mortis, & paſſionis Chriſti Domini, cuius myſteria continent etiam Pſalmi, qui recitantur in horis Canonicis.

3 Obligatus vtriq; oneri ſatisfacit vtrique.

Sed, an tunc ſatiſfiat vtrique oneri, & auditionis ſacri, & recitationis horarum Canonicarum, ſi vtrumque cadat ſub præcepto. Probabilius arbitror, vtrique oneri ſatisfacere. In hoc magis communitèr conſentiunt *Caietanus in quæſt. de valore Orationis, Nauarrus c. 21. num. 89., Azorius lib. 7. cap. 5. quæſt. 3.* Ratio eſt, quia nihil obſtat, quominus per duplicem illam actionem ſimul exercitam vtrique oneri præcepto ſatisfiat; non idem tempus; nàm ſicuti per vnicam actionem ſatisfieri poteſt duplici præcepto, vt per idem ieiunium habitum in die Quadrageſimæ, in qua concurrat dies quatuor temporum, vel peruigilium alicuius feſti, quod ſit de præcepto, ſatisfit, & oneri Quadrageſimalis ieiunij, & oneri ſacrorum temporum, vel peruigilij, ita per duplicem actionem exercitam pro eodem tempore ſatisfiat duplici præcepto relato ad vtramque actionem; non defectus attentionis, quia ex ſupra probatis, attentio ad vtrumque ſufficiens poteſt ſimul compati; non aliquod præceptum poſitiuum, quia de hoc nullibi conſtat.

Sed quid erit dicendum, ſi quis obligetur,

tur, vel ex voto, vel ex pænitentia ſibi in confeſſione impoſita ad audiendum ſacrum pro aliqua die, in qua occurrat feſtum ex præcepto, an tunc per auditionem vnius dumtaxat ſacri ſatisfiet? Ex mente vouentis, vel confeſſarij imponentis talem pænam dubium eſt dirimendum; ſi etenim conſtet vouentem, vel confeſſarium imponentem huiuſmodi pænam voluiſſe nouum opus imponere diſtinctum ab obligatione audiendi ſacrum ex præcepto Eccleſiaſtico, certum eſt, quod per auditionem vnius ſacri non ſatisfieret præcepto, quia votum, & pænitentia caderet ſuper aliud ſacrum ab illo, quod reſpicit præceptum. Si verò nec ex mente vouentis, nec ex illa confeſſarij appareret, an votum, & pænitentia referatur ad auditionem diſtinctam ab illa, quam reſpicit præceptum; tunc communius ſuſtinet per auditionem vnius ſacri ſatisfacere vtrique oneri, quia, ſicuti occurrente pro eadem die duplici præcepto ieiunandi, vel quia in eodem occurrit dies quatuor temporum, & peruigilium alicuius Apoſtoli, vel quia occurrit præceptum Eccleſiaſticum pro tali die ſimul cum voto, vel pænitentia, per idem ieiunium illius diei ſatisfit plenè vtrique oneri, ità occurrente præcepto Eccleſiaſtico de audiendo ſacro ſimul cum voto, vel pænitentia per auditionem vnius ſatisfiet vtrique oneri. Sed non libentèr acquieſcerem huic communi ſententiæ, (ſi tamen communis eſt,) & hoc non ſolum ex præſumpta mente vouentis, & confeſſarij imponentis talem pænam, cum non ſit præſumendum, quod vouens voluerit ſolum ſe obligare ad opus, ad quod aliundè tenetur, & confeſſarius ſolum iniungere onus, quod iam cadit ſub obligatione, & præcepto; ſed etiam, quia votum debet eſſe de opere ſupererogationis, non de re, quæ iam cadit ſub præcepto *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2., & in 4. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 1., D. Antoninus part. 2. tit. 11. cap. 2., Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 2. art. 1. in diſcuſſione voti 5., Maior in 4. diſt. 38. quæſt. 1., Silueſter verb. votum 1. quæſt. 5.; Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2., Nauarrus in manual. cap. 12. num. 25., Durandus in 4. diſt. 38. quæſt. 1. num. 6., Sotus lib. 7. de iuſtit. quæſt. 1. art. 3., Tabiena verb. votum 1. §. ſecundo notandum, Riccardus in 4. diſt. 38. art. 3. quæſt. 2., D. Bonauentura in 4. diſt. 38. art. 1. quæſt. 2.*; vndè vouens, ſi verè vouet, debet referre ſuam intentionem ad aliud opus ab opere præcepto. Item pænitentia; cum procedat à iudicio emendatiuo, & ſit pænalis propter culpam, & ſit ordinata ad remouendum ab eadem culpa, debet inferre aliquod onus, ad quod

4 Sẽtentia aſſerens obligatũ ex voto, vel pænitentia ad audiendũ ſacrum in die feſto per vnum ſacrum ſatisfacere.

5 Probabilius non ſatisfacit.

pænitens aliundè non teneatur, cæteroqui eſſet potius debitum, quam pæna, & ſicuti Iudices forenſes imponentes Reo pænam pecuniarum alteri ſoluendam, ſi reus erga alterum ſit aliundè debitor ex alia cauſa obligante ex iuſtitia, non intelliguntur imponere ſolutionem præcisè debiti præcedentis, ſed aliam ſummam tanquam pænam, ita &c.

Neque obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur de ieiunio ſub duplici lege pro eadem die imperato, vel ex voto, vel ex pænitentia, quia hoc poteſt multiplicitèr contingere, vel quatenus vtraque lex de ieiunio reſpicit vnam certam, & determinatam diem, vel plures dies, ſiue determinatas, ſiue indeterminatas; ſi vtraque lex reſpicit vnam diem determinatam, certum eſt, quod per ieiunium illius diei ſatisfiat vtrique præcepto, quia ieiunium eſt alligatum illi determinatę diei, extra quam non eſt præceptum, nec poteſt replicari pro alia die, quia pro illa nulla lex obligat; ſi verò reſpiciat plures dies, certum eſt, quod ſeruato ieiunio pro vna die, non ſoluatur vtrumque præceptum, quia pro altera die aliud præceptum vrget; ſi verò loquamur de voto, ſeu de pænitentia; tunc conſiderandum eſt, an vouens, vel imponens pænitentiam reſtrixerint votum, & pænitentiam ad determinatum diem, vel indefinitè ſtatuerint opus promiſſum, vel iniunctum; Rurſus, ſi reſtrixerint ad determinatam diem, videndum eſt, an opus illud promiſſum, vel iniunctum præuiderint pro illa die eſſe ex præcepto debitum, vel non præuiderint; item, an opus illud poſſit pro eadem die repeti, vt ſi vouerit pro illa die audire ſacrum, in qua plura poſſunt audire, vel non, quatenus pro eadem die promiſerit ieiunium, quod pro eadem die non poteſt reiterari. Si reſtrixerint opus promiſſum, vel iniunctum ad diem determinatam non præuiſo, quod pro eadem die illud opus cadat ſub alio præcepto, & non poſſit repeti; arbitrarer votum, quantum eſt ex affectu vouentis tenere, & vouentem adimplendo illud opus pro illa die, & ſatisfacere voto, & præcepto. Ratio eſt, quia in ſua origine illud votum, quatenus reſpicit affectum vouentis, eſt opus de meliori bono, & ſupererogationis, cum ipſe tunc non præuiderit eſſe aliundè debitum; quod deindè dignoſcatur illud opus eſſe aliunde debitum, non tollit, quin ipſe vouens ſe obligarit eidem, quantum eſt de ſe, tanquam operi non debito; & cum ex alia parte illud opus, & ex voto, & ex præcepto ſit affixum determinatè illi diei, non eſt, cur per illud opus, quod non poteſt repeti, non ſatisfiat, & voto, &

6 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententię

 præ-

præcepto; ſi verò ſe reſtrixerit ad determinatam diem, & præuiderit opus promiſſum eſſe pro eadem die ex præcepto debitum, nec poſſe repeti, tunc illud votum in ratione voti iuxtà præmiſſa non poteſt ſubſiſtere, & dato etiam, quòd ſubſiſteret, eidem ſatisfieret per adimplementum illius operis, quantumuis illud adimplementum eſſet aliundè debitum; ſi verò ſe reſtrixerit ad determinatam diem præuiſo, quod pro eadem die opus illud ſit præceptum, & opus illud ſit repetibile pro eadem; tunc ſentiendum arbitror, & votum tenere, & per adimplementum ſemel operis non ſatisfacere præcepto ſimul, & voto. Ratio eſt, quia votum, quantum eſt de ſe, debet cadere ſuper opere non præcepto, & cum ex alio capite opus illud præceptum poſſit pro tali die pluries adimpleri, non eſt, cur votum illud non debeat referri ad adimplementum diſtinctum ab illo, quod præſtatur ratione præcepti. Hæc, quæ dicta ſunt de voto ſecundum omnes diſtinctiones, ſeruata proportione intelligenda ſunt de pænitentia impoſita à confeſſario. Si verò vouens, vel confeſſarius imponens pænitentiam indefinitè ſtatuerint opus non determinando diem, certum eſt, quod adimplens illud opus pro die præcepta, per illud adimplementum non ſatisfaciat, nec voto, nec pænitentiæ, quia vouens non præſumitur vouiſſe opus præceptum, nec confeſſarius impoſuiſſe opus iam præceptum pro pænitentia, & cum illud opus poſſit pro diuerſis diebus adimpleri, non eſt, cur adimpletum vna die vigore præcepti, non debeat alia die adimpleri ratione voti, vel pænitentiæ.

7 Confeſſio ſacramẽtalis, an compatiatur cũ auditione ſacri.

Circa confeſſionem ſacramentalem habitam pro tempore ſacri, an ſcilicet illa poſſit compati cum adimplemento præcepti audiendi ſacrum. *Bonacina de Sacram. Euchariſt. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 11. n. 26.* aſſerit *Suarez in tertiam partem tom. 4. diſp. 88. ſect. 6. verſ. ſeptimum caput*, *Azorium prima part. lib. 7. cap. 7. quæſt. 8.*, docere ſic confitentem peccata ſua tempore Miſſæ non ſatisfacere præcepto, ſi commodè poſſit confeſſionem in aliud tempus differre, nec adſit neceſſitas præcepti confeſſionis, volens quodamodo inferre, quod ex eorum mente, ſi non poſſit in aliud tempus differre, & vrgeat præceptum confeſſionis, ſatisfaciat confitendo, dum ſacrum celebratur, eidem præcepto. Sed hoc non tradunt Suarez, & Azorius, ſed excuſant ſolummodo à peccato eum, qui confeſſionem haberet pro tempore ſacri, quando neceſſitate præcepti compelleretur confeſſionem eandem habere, nec poſſet in aliud tempus differre; quæ duo nempè excuſari à peccato, & ſatisfacere præcepto valdè diuerſa ſunt, vt ex ſe patet; poteſt enim quis excuſari à peccato ratione impotentiæ non adimplendo, qui tamen dici non poteſt adimpleuiſſe.

Ipſe *Bonacina loc. cit.* inſinuat, ſe alias docuiſſe ſic confitentem pro tempore Miſſę ſatisfacere præcepto addita ratione, quod interſit corporalitèr, vt ſupponitur, & mentalitèr, quatenus mentem applicat in honorem Dei, &, ſicuti beneficiarius, qui tenetur ad horas Canonicas ipſas recitans tempore Miſſæ ſatisfacit vtrique præcepto, ita qui confitetur tempore eiuſdem, eidem Miſſæ præcepto ſatisfacit, cum attentio ad confeſſionem ſit compatibilis cum attentione requiſita ad Miſſam; modo tamen *ibidem verſ. hanc doctrinam alias*, retractat, & ſtatuit non ſatisfacere eà ductus ratione, quod præcipiatur aſſiſtentia Miſſæ per modum Orationis; qui autem peccata tunc confitetur, non videtur aſſiſtere per modum Orationis.

8 Bonacinę retractatio refertur.

Ego autem aſſentiens retractationi Bonacinæ abſolutè ſentio ex genere ſuo non ſatisfacere pręcepto audiendi ſacrum eum, qui pro tempore eiuſdem peccata ſua ſacramentalitèr expiaret. Eſt directè contra *Reginaldum lib. 19. num. 14. in fin.*, volentem ſic confitentem ſatisfacere, quia illa ſacramentalis confeſſio tendit in Diuinæ Maieſtatis recognitionem, tanquam in finem. Probatur, quia actualis illa confeſſio eſt omninò diſcors, & diſparata ab attentione requiſita ad ſatisfactionem pręcepti audiendi ſacrum, ergò non poteſt compati cum adimplemento eiuſdem præcepti. Antecedens probatur, quia illa confeſſio eſt omninò abſtractiua ſenſuum ab ijs, quæ fiunt in ſacrificio Miſſæ, & non ſolum ſenſuum, ſed etiam mentis; dum etenim confeſſioni quis incumbit non poteſt animum, mentemque habere conuerſum, ſeu conuerſam ad Miſſam; Neque obſtare poteſt, quod per ſacramentalem confeſſionem cõuertatur ad Diuinæ Maieſtatis recognitionem tanquam ad finem, vt aſſerebat Reginaldus, quia, quando illa Diuinæ Maieſtatis recognitio non eſt per medium vllo modo ordinatum ad modum, quo præcipitur aſſecutio talis finis, quinimmò quando illud medium auertit ab omnimoda attentione, non eſt valida, nec ſufficiens ad aſſequendum finem, prout per præceptum intenditur, quod non eſt præcisè ad recognitionem Diuinæ Maieſtatis, ſed ad recognitionem eiuſdem in auditione ſacri, cæteroqui quæcunque mentis eleuatio in Deum, cum ſit recognitio eius ſupremæ Maieſtatis eſſet ſufficiens ad implementum huiuſmodi præcepti; Neque vrgeas non ſufficere quidem quamcumque mentis eleuationem, & reco-

9 Probabilius non compatiuntur.

recognitionem Diuinæ Maieſtatis, quando non eſt coniuncta cum aſſiſtentia corporali, ſecus, quando eſt coniuncta cum eadem, vt euenit in caſu præſenti; Contra enim impugnaberis, quia illa corporalis aſſiſtentia in caſu confeſſionis, de quo agimus, omninò materialitèr ſe habet, ac perindè eſt, ac ſi non eſſet, cum ſit omninò remota ab eo, quod fit in ſacrificio Miſſæ; &, ſicuti, ſi quis, dum Miſſa celebratur, circuiret totam Eccleſiam varijs ſitibus conſtantem, vt in ſingulis Altaribus preces effunderet, quamuis dici poſſet corporalitèr præſens, non intelligeretur præcepto ſatisfacere, quia illa præſentia eſſet merè materialis, & remota ab opere, quod geritur, ita &c.

10 *Soluuntur rationes oppoſitæ.*

Hinc facilè erit reſpondere ad id, quod à nonnullis circunfertur, quod ſcilicet, ſi quis, dum Miſſam audit, ità contemplationibus eleuetur in Deum, vt ab omni myſteriorum Miſſæ conſideratione, & totus à ſenſibili auditione abſtrahatur, nihilominus ſatisfaciat præcepto, ergo etiamſi per actualem confeſſionem abſtrahatur à tali conſideratione, & auditione ſenſibili, intelligendus eſt ſimplicitèr ſatisfacere. Facilè, inquam, erit reſpondere, quia ille, qui talitèr eleuatur in Deum, quantum eſt de ſe, ſe conſtituit in loco, & modo apto ad audiendum; quod, ſi deindè contingat, quod abſtrahatur à myſteriorum Miſſæ conſideratione, & à ſenſibili auditione, hoc non poteſt officere, eo quia eſt modus eleuatior aſſiſtendi, & medium proportionatum ad finem intentum; &, ſicuti, ſi quis cum intentione ſacrum audiendi ſe conſtituat in loco proportionato, & inuoluntariè diſtrahatur etiam cogitationibus temporalibus, nihilominus intelligitur ſatisfacere, ità à fortiori ſatisfaciet, qui conſtitutus in loco, vt quantum ex ſe poſſit aſſiſtere, abſtrahitur Diuinis contemplationibus; Non ità tamen res ſe habet in eo, qui peccata confitetur tempore ſacri, quia, quantum eſt de ſe, non ſe conſtituit in loco, quo poſſit audire, quin potius ſe auertit per actionem omninò diſparatam, licet ex ſe ſalutarem.

11 *Internæ mentis occupationes circa Dei cultum compatiuntur cum auditione ſacri.*

Circa internas mentis occupationes, vel iſtæ erunt circa obiecta ſpiritualia, & ſupernaturalia ad Dei cultum ordinata, vel ad merè naturalia, nec ſecundum ſe ordinata ad Dei recognitionem, & venerationem, puta ad phyloſophicas contemplationes, vel ad legales quæſtiones, & ſimilia. Rurſus, ſi ſint circa naturalia, vel ſunt, dum Miſſa celebratur, voluntaria, vel inuoluntaria reſpectu audientis. Si ſint circa ſpiritualia ordinata ſecundum ſe à Dei cultum, & audiens ſit in loco, quo, quantum eſt de ſe, poſſit audire, non eſt hæſitandum, quin ſatisfaciat, quia eſt cum corporali apta aſſiſtentia, & attentione in Deum directa. Si ſint circa naturalia ſecundum ſe non ordinata ad Dei cultum, & fuerint tales, vt omninò diſtrahant à ſenſibili auditione, & voluntariæ ſint, vtique ab iſtis abſtractus non ſatisfacit præcepto. Conſentiunt in hoc *Suarez d. diſp. 88. ſect. 3. verſ. ex his autem colligunt*, vbi alios plures allegat, &, licet ibi Suarez loquatur de actionibus exterioribus obſiſtentibus debitæ attentioni Miſſæ, trahi tamen poteſt etiam ad actiones internas, ſi tales ſint, vt impediant attentionem. Ratio ex eo deducitur, quod, cum illa occupatione interna nec compati poteſt attentio ad verba, & facta, quæ geruntur, nec ad ſenſum verborum, nec ad Deum colendum, vt per ſe patet, ergo nec eſt attentio ſufficiens ad adimplementum præcepti. Hinc eſt, quod DD. plures æquiparant quoad hunc effectum attentè ſtudentem dormienti. Ideò hanc noſtram ſententiam ſuſtinent *Angelus verb. Feriæ num. 43.*, *Roſella verbo Dominica num. 7.*, *Caietanus in ſumma in verbo Feſtorum violatio*, *Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, *& lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 5.*, *Nauarrus in manuali cap. 13.*, *Ludouicus Lopez in ſuo inſtruct. Confeſs. cap. 52.*, *Azorius inſtit. mor. part. 1. lib. 7. cap. 5. qu. 2. verſ. quod ergo vocatur in dub. in fin.*, contra nonnullos, & præcipuè *Silueſtrum verb. Miſſa 2. qu. 9.*, *& alios*, qui, quamuis ſtatuant, quod per actiones exteriores repugnantes debitæ attentioni non ſatisfiat præcepto, concludunt tamen per internas mentis cogitationes, qualeſcunque illę ſint, non impediri præcepti adimplementum. Sed falſo huiuſmodi DD. innituntur principio; ſentiunt etenim actus internos non poſſe cadere ſub Eccleſiæ præcepto, quod falſum ſupra probauimus, quando iſti connectuntur cum actione externa ad conſtituendam illam in ratione actionis moralis, & humanæ. Cæterum non minus actiones externæ, quam internæ aptæ ſunt ad diſtrahendum a ſenſibili auditione.

12 *Non ſic circa naturalia non ordinata ad Dei cultũ*

Hæc tamen, quæ diximus, intelligenda ſunt, quando huiuſmodi internæ actiones ſunt vehementes, & ita obſtringunt mentem ad earum obiecta, vt ſimplicitèr diſtrahant ab alijs, ſi etenim ſupponamus, quod leuitèr alligent, nec impediant, quo minus animus applicari valeat ſaltem ad verba, & ea, quæ in Miſſa fiunt, non negauerim, has poſſe compati cum attentione ſufficiente ad Miſſam, & cum ſatisfactione præcepti, non enim eſt aliqua repugnantia, quod animus ad duo ſimul applicetur, maximè quando applicatio ad

vnum

vnum, non eſt valdè intenſa, & vehemens.

13 Externæ occupationes quænam impediāt validam auditionem.

Circa externas actiones, ſeu occupationes conſiderandum eſt, an tales ſint, vt penitus diſtrahant à ſenſibili auditione, & etiam ab attentione ad verba, & facta, an verò tales, vt admittant ſecum ſaltem attentionem ad verba, & ad facta, & quidem, ſi fuerint primi generis, indubitatum eſt, quod exercentes tales actiones tempore Miſſæ non ſatisfaciant præcepto; ſic ſi quis pro toto tempore Miſſæ confabularetur, & negotia pertractaret, certè onus ſuum non adimpleret. Nec in hoc audiendus eſt *Medina Cod. de confeſſione quæſt. de pænit. temp. Miſſ. impleta*, qui aſſerit, ſic confabulantem, & negotia cum Mercatoribus pertractantem implere præceptum, quia implet ſubſtantiam eius, quamuis agat contra finem eiuſdem præcepti. Non, inquam, audiendus eſt, quia attentio non eſt finis præcepti, ſed ſubſtantia, cum non requiratur ſola aſſiſtentia corporalis, ſed debeat eſſe moralis, & humana, qualis eſſe non poteſt ſine attentione. In hoc conſentiunt plures, qui, quamuis aſſerant per internas occupationes non tolli, quominus quis præcepto ſatisfaciat, dicunt tamen per externas tolli executionem eiuſdem præcepti; atque hi ſunt *Durandus in 4. diſt. 15. quæſt. 12. n. 6., & ibi Paludanus quæſt. 5 art. 2. concluſ. 4., D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 4. §. 7., & 8., Angelus verb. Hora n. 28., Aſtenſis in ſumma lib. 6. tit. 1. n. 6 qu. 3.*

14 Quænam non impediant.

Si verò huiuſmodi occupationes, ſeu actiones externæ non ſint, nec continuæ, nec adeò intenſæ, & vehementes, vt non impediant omninò attentionem ad Miſſam, vt ſi colloquia non fuerint continua, ſed per paruam Miſſæ partem, & eadem non fuerint de re ſeria exigente magnam attentionem, ſed relinquant ſufficientem, vt auditio illa ſit actio humana, tunc non negarem, per huiuſmodi auditionem adimpleri præceptum, quia tunc eſſet aſſiſtentia corporalis, & moralis ſufficiens, quod potiſſimùm verum habet ſtante doctrina *Soti in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1., & Nauarri in ſumma cap. 13. num. 17., & c. 21.* aſſerentium minorem attentionem requiri in auditione ſacri, ac in recitatione horarum Canonicarum, quia Oratio eſt actio magis rationalis, quam illa moralis præſentia requiſita ad Miſſam.

ARTICVLVS XIX.

An obligatus pro eadem die ad audiendas tres Miſſas, alteram ex præcepto Eccleſiæ, alteram ex voto, alteram ex Pœnitentia, ſatisfaciat cuicunque oneri audiendo tres ſimul celebratas in diuerſis Altaribus.

SVMMARIVM.

Senſus tituli exponitur. 1.
Sententia nonnullorum aſſerentium ſatisfacere. 2.
Ex eo, quod Innocentius XI. damnauerit propoſitionem aſſerentem non ſatisfieri præcepto, ſi duæ, vel quatuor partes Miſſarum à diuerſis Sacerdotibus ſimul celebratarum audiantur, non benè arguitur, quod nequeant tres Miſſæ à diuerſis Sacerdotibus pro eodem tempore celebratis audiri, & ſatisfieri tribus præceptis. 3.
Neque ex eo, quod non poſſit eſſe ſufficiens aſſiſtentia corporalis. 4.
Neque ex defectu debitæ attentionis. 5.
Neque ex eo, quod pro eodem tempore audiantur. 6.

Non controuertimus hic, an per vnicam tantum Miſſam ſatisfiat triplici illi oneri, prout controuertunt plures, quorum aliqui ſentiunt verè ſatisfieri; nam hic ſupponimus, quod ſit obligatio tres audiendi, quinimmò in præcedentibus docuimus ex præſumpta vouentis, & imponentis pænitentiam voluntate oriri obligationem ad diſtinctas audiendas. Solum controuerſia hic eſt, an ſuppoſita obligatione ad tres diſtinctas audiendas, ſi caſus obuenerit, quod pro eodem tempore tres Miſſæ in diuerſis Altaribus intra eandem Eccleſiam celebrentur, & obligatus triplici illo onere eiſdem aſſiſtat, adimpleat onus quoad triplicem illam obligationem. 1 Exponitur ſenſus tituli.

Maior in quarto diſt. 12. quæſt. 8. dub. 1., Fauſtus de Euchariſtia lib. 3. qu. 389. (quod etiam aſſeruiſſe videtur *Diana part. 5. tract. 14 reſol. 52. verſ. nota tamen, & part. 2. tract. 14. reſol. 18., & part. 8. tract. 3. reſol. 89.*, quamuis poſtea *part. 11. tract. 1. reſol. 3.*, dixerit ſententiam negatiuam eſſe probabiliorem, & conſulendam) aſſerunt triplici illi oneri ſatisfacere, cum arbitrentur eſſe ſufficientem aſſiſtentiam corporalem, & attentionem ſufficienter poſſe eſſe ad omnes. 2 Opinio aſſerens ſatisfacere.

Ex eo, quod Innocentius XI. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita die 2.

Martij

Martij 1675., damnarit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 54., qua dicebatur. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ, qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit*, videtur congruè inferri, nec ſatisfacere, qui tres Miſſas à tribus Sacerdotibus ſimul audit quoad illam triplicem obligationem; ſicuti enim ſe habent partes ad partes, ita totum ad totum, vndè, ſicuti, qui duas partes ſimul audit, non ſatisfacit eidem præcepto, ita qui plures Miſſas ſimul audit, non videtur ſatisfacere multiplici præcepto. Sed ex hoc præcisè capite arbitrarer, non tolli, quominus omnibus ſatisfaciat, quandoquidem diſpar omninò eſt ratio de duabus partibus ſimul auditis in ordine ad auditionem integri ſacrificij, ac de duobus, vel tribus Miſſis ſimul auditis in ordine ad triplex onus audiendi tres Miſſas; nam quoad primas conſiderandum eſt, quod textus *in cap. Miſſas de conſecrat. diſt. 1.*, præcipit audiri totas Miſſas, quod importat partes vnitas, & debito ordine coniunctas; totum enim non poteſt eſſe ſine partibus coniunctis; quando autem duæ partes Miſſæ audiuntur à duobus Sacerdotibus, vna ab vno, altera ab altero, non vniuntur ad conſtituendum totum vnum ſacrificium; quoad tres verò Miſſas ſimul auditas, tria integra ſacrificia, omnia quoad ſuas partes debito ordine coniunctas cõſtituuntur, & ſic ſemper verificabitur, quod quoad hoc tria integra audiantur.

3 Ex damnatione Innocentij XI. nõ benè arguitur nõ ſatisfieri.

Difficultas ſolummodò in hoc ſtat, an aliquid obſtare poſſit adimplemento triplicis illius oneris, vel ratione aſſiſtentiæ corporalis, vel ratione debitæ attentionis, vel ratione eiuſdem temporis. Quamobrem dico primò, ratione aſſiſtentiæ corporalis nihil omninò deeſſe, quominus ſatisfaciat tali præcepto, quandoquidem eſſet corporalitèr præſens omnibus illis ſacrificijs tunc celebratis, vndè, ſicuti, ſi in Choro recitarentur Horæ Canonicæ, & ſimul in Altari celebraretur Miſſa aſſiſtens in Eccleſia diceretur corporalitèr præſens, & Miſſæ, & Horis Canonicis, ita, ſi in triplici Altari celebrarentur tres Miſſæ, & ipſe adeſſet in Eccleſia, diceretur corporalitèr præſens triplici illi Miſſæ.

4 Nec ex defectu aſſiſtentiæ corporalis.

Dicendum ſecundò, ratione debitæ attentionis nihil obeſſe, quin ſatisfaciat triplici illi oneri, quandoquidem attentio requiſita ad adimplementum præcepti, iuxtà ſupra expoſita ſufficit, quod ſit, vel ad verba, & facta, vel ad ſenſum verborum, & actionum, vel ad Deum colendum; non eſt autem aliqua repugnantia, quin ad verba poſſit attendere, & mentem habere ad Deum colendum in ordine ad omnes, nam, ſicuti ex ſuperius dictis poteſt quis habere ſimul ſufficientem attentionem ad audiendum ſacrum, & ad Horas Canonicas recitandas, ità non eſt, cur eandem habere non poſſit ad duplicem, vel triplicem Miſſam audiendam? Certè maiorem habent aptitudinem, & ad ſignificationem, & ad finem duæ Miſſæ inter ſe, quam Miſſa, & Officium Diuinum.

5 Nec ex defectu debitæ attentionis.

Neque in hoc obeſſe poteſt axioma phyloſophicum, quod *pluribus intentus minor ſit ad ſingula ſenſus*; neque legale, quod, *qui binos lepores vna inſectabitur hora, vnum quandoque, quandoque amittit vtrumque*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis in Phyloſophico axiomatè dicitur ſolum, quod minor ſit ad ſingula ſenſus, non autem, quod nullus ſit ſenſus ad ſingula; in auditione autem ſacri non requiritur omnimodus ſenſus, ſed ſolum aliquis, vt ſupra dictum eſt. Deindè ſenſus vtriuſq; axiomatis ad ſummum verificatur, quando illa duo ſunt omninò diſparata, nullamque inter ſe habentia habitudinem; hic autem illa tria ſacrificia maximam habent inter ſe habitudinem.

Dicendum tertiò, neque ratione eiuſdem temporis aliquid obeſſe, quominus ſatisfiat triplici illi oneri. Ratio ex eo deducitur, quia tempus ſecundum ſe eſt indiferens ad recipiendas plures actiones, ità indiferens eſt, vt vnus triplici actioni aſſiſtat, &, ſicuti pro eodem indiuiduo tempore poteſt adimpleri præceptum audiendi ſacrum, & recitandi Horas Canonicas, ità non eſt, cur pro eodem non poſſit adimpleri triplex præceptum audiendi tria ſacra, potiſſimum, cum vt ſupra dicebamus ex Soto, & Nauarro, minor attentio requiratur ad ſacrum audiendum, quam ad Horas Canonicas recitandas, cum oratio ſit actio magis rationalis, quam ſit mera præſentia moralis, & humana.

6 Neque ratione eiuſdem temporis

Dices, quod, quamuis ſecundum ſe tempus ſit indiferens ad omnes illas actiones, non ſit tamen indiferens ex præſumpta voluntate vouentis, vel imponentis pænitentiam pro culpa, quandoquidem præſumendum eſt, quod vouens ſtatuerit diutius tempus ad vacandum Deo, ac præſcribat præceptum Eccleſiaſticum, adeoque auditionem Miſſæ pro tempore diſtincto, &, quod Confeſſarius voluerit aliquod onus imponere pro culpa præter illud, quod eſt impoſitum ab Eccleſia; quodnam autem maius onus eſſet, ſi pro eodem tempore vtrique ſatisfaceret? Sed contra, quia, vbi actio iniuncta ſecundum ſe totam adimpletur, non eſt ſecundum ſe curandum de tempore, quia ipſa actio, non tempus cadit ſub onere, ſeu ſub præcepto,

cepto, & per accidens omninò eſt, quod fiat pro eodem, ſeu pro diſtincto tempore.

ARTICVLVS XX.

De intentione requiſita ad ſatisfaciendum præcepto auditionis ſacri.

SVMMARIVM.

Non eſt idem intentio cum attentione. 1.
Sufficit intentio interpretatiua, & qualis hæc debeat eſſe. 2.
Ad obedientiam ſufficit voluntaria operis executio. 3.
Aſſiſtens contra voluntatem propriam, & coactè non ſatisfacit. 4.
Audiens ſacrum in die feſto ignorans eſſe diem feſtum, probabilius ſatisfacit præcepto. 5.
Accedens ad audiendum ſacrum cum intentione libidinoſa videndi fœminam, & ſimul audiendi ſacrum ſatisfaceret præcepto, ſed grauitèr peccaret. 6.
Audiens cum poſitiua intentione non ſatisfaciendi non ſatisfacit. 7.
Retractans talem intentionem pro tempore, quo poteſt aliud ſacrum audire ſecundum aliquos ſatisfacit. 8.
Reuera non ſatisfacit. 9.
Argumentum contra Suarez. 10.
Reſponſio Suarez, eiuſque impugnatio. 11.

1 Diſtinctio intentionis ab attentione.

Confundunt aliqui intentionem cum attentione; ſed immeritò; nam intentio eſt propoſitum voluntatis, attentio eſt mentis applicatio; illa eſt actus, quo quis ſtatuit ſacrum audire ritè, & legitimè, vt debet, iſta eſt tendentia mentis, vel in verba, & actiones, quæ fiunt, vel ad ſenſum eorundem. Prima requiritur, nec tamen ſufficit ad adimplendum præceptum, cum non ſufficiat velle audire. Secunda neceſſaria eſt, vt ſubſtantia, & complementum actionis, licet prærequirat primam ſaltem interpretatiuè.

Id, quod ſub præſenti titulo examinandum venit; primum eſt, an ſufficiat voluntas interpretatiua, & in quo hæc poſſit conſiſtere. Secundum, an voluntas coacta cum actuali aſſiſtentia ſufficiat. Tertium, an aſſiſtentia ad Miſſam cum animo per illam non ſatisfaciendi præcepto ſatisfiat, ſi poſtea ille animus retractetur.

2 Sufficit intentio interpretatiua, & qualis.

Aſſertio I. Ad ſatisfaciendum præcepto ſufficit intentio interpretatiua conſiſtens in actuali voluntaria, & debita aſſiſtentia, quantumuis non ſit expreſſus animus ſatisfaciendi eidem præcepto. In hoc conſentire videtur *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 104. art. 3. ad ſecundum, Henriquez cap. 25. num. 6., Silueſter verb. Hora n. 14., Filliutius tract. 5. cap. 7. quæſt. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quod, qui voluntariè audit, & debito modo aſſiſtit ſacro, intelligitur implicitè habere voluntatem audiendi, quæ voluntas ſatis in ipſo actu inſinuatur, ergo intelligitur ſufficienter præcepto ſatisfacere, ſed hæc eſt voluntas interpretatiua, ergo voluntas interpretatiua ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto. Neque dicas, ſatisfactio præcepti, qua talis eſt, eſt formalis actus obedientiæ, ſed formalis actus obedientiæ exigit voluntatem ſatisfaciendi, ſeu obediendi propriam, & formalem, ergo &c. Contra enim impugnaberis, quia dato, 3 quod ſatisfactio ſit actus obedientiæ, obedientia reſultat ex ipſa voluntaria executione operis præcepti, quæ, licet non ſit cum formali, & expreſſa intentione obediendi, inuoluit tamen eandem implicitè, quod ſatis eſt ad conſtituendum actum in ratione obedientiæ; nec verum eſt, quod ad conſtituendum actum obedientiæ requiratur actualis reflexio, & expreſſa aduertentia de ſatisfaciendo, cum ſufficiat voluntarium operis adimplementum, dummodò non ſit cum voluntate contraria poſitiua non ſatisfaciendi.

3 Sufficit voluntaria operi executio.

4 Aſſiſtens contra voluntatem propriam non ſatisfacit.

Aſſertio II. Coactus ad aſſiſtendum, & contra voluntatem propriam aſſiſtens ſacro non ſatisfacit præcepto *D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10., Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3. verſ. circa poſteriorem partem*. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi perſeueret in eadem voluntate contraria, dum actu audit; ſi enim coactus ad ingrediendam Eccleſiam, vt Miſſam audiat, dum actu audit componit animum ſuum ad audiendum, & voluntariè audit, vtique præcepto ſatisfacit, quandoquidem in illa voluntaria auditione implicitè per factum ipſum retractat voluntatem non audiendi.

Ratio ex eo deducitur, quod auditio, vt ſit valida, & ſatisfactoria præcepti debet eſſe voluntaria, cum ſit actus obedientiæ, qui nequit eſſe ſine voluntate ſaltem implicita obediendi, & ſatisfaciendi, ſed, quando quis coactus, & contra propriam voluntatem aſſiſtit, illa aſſiſtentia non eſt voluntaria, nec actus obedientiæ, ergo per illam non ſatisfit præcepto. Hoc contingeret in famulis, & alumnis, qui per Dominos, & Pedagogos per vim compellerentur, & contra propriam voluntatem aſſiſtere ſacro in die feſto, qui certe ſi, dum audiunt, perſeuerarent in eadem voluntate non audiendi non ſatisfacerent.

Aſſertio III. Audiens Miſſam in die feſto ignorans eſſe diem feſtum, probabilius per

illam

5 *Audiens ſacrũ die feſto ignorans eſſe feſtũ ſatisfacit.*

illam auditionem intelligitur ſatisfeciſſe præcepto, quantumuis cognito ante meridiem eſſe diem feſtum aliam non audiret, cum poſſet. In hoc conſentiunt *D. Thomas ſecunda ſecundæ qu. 104. art. 3. ad ſecundum, Henriquez cap. 25. nu. 6., Bonacina de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 4. q. vlt. punct. 11. num. 22., Suarez d. diſp. 88. ſect. 3.*

Ratio ex eo deducitur, quod in hoc ſupponitur voluntas interpretatiua per illam voluntariam auditionem, cum non habeat voluntatem contrariam, quinimmò ſupponitur in illa auditione implicitè intendiſſe præſtare id, quod omni meliori modo poteſt, & debet, & ſi cognouiſſet, ſuam intentionem ad id ordinaſſet, in quo conſiſtit voluntas interpretatiua, ergo per illam auditionem intelligitur ſatisfeciſſe. Accedit, quod omnis, qui non excludit, cenſetur virtualitèr includere intentionem implendi præceptum in ea voluntate, qua vult efficere opus præceptum. Hæc omnia maiorem vim haberent in ſententia Suarez, & aliorum aſſerentium, quod, ſi quis in auditione ſacri haberet voluntatem poſitiuam non ſatisfaciendi præcepto, & poſtea tempore opportuno, hoc eſt intra tempus præcepti illam retractaret, & vellet auditione præcedentis Miſſæ ſatisfacere, vtique ſatisfaceret; ſi etenim hæc ſubſiſterent præcedente voluntate contraria in ipſa auditione præcedenti, à fortiori deberent ſubſiſtere præexiſtente ſolum illa voluntate præciſiua. Sed, an quæ dicunt Suarez, & alij, vera ſint, infrà examinabimus.

6 *Quid ſentiendum de accedente ad ſacrum cum intentione libidinoſa vidẽdi fęminam*

Aſſertio IV. Accedens ad audiendum ſacrum cum intentione libidinoſa videndi fœminam, ſatisfacit quidem præcepto, ſi ſimul habeat intentionem illam audiendi, & ſufficientem adhibeat attentionem, grauitèr tamen peccat in illa libidinoſa intentione. *Suarez d. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3. verſic. circa poſteriorem partem in fin., Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 7. cap. 6. quaſt. 1., Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 14. num. 1., Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 3. de requiſit. ad Miſs. celebration. cap. 12. num. 13.*

Ratio eſt, quia ſic audiens efficit, quidquid requiritur ad ſatisfactionem præcepti, habet enim aſſiſtentiam corporalem, & ſufficientem attentionem cum implicita ſaltem voluntate ſatisfaciendi eidem præcepto; nec obſtat illa libidinoſa intentio, quia hæc non tollit ſubſtantiam actus, quamuis illum inficiat; quotieſcunque autem ſaluatur ſubſtantia actus, præceptum intelligitur per illam adimpletum, quia, vt benè notat *D. Thomas prima ſecundæ quaſt. 100. art. 9., & 10.*, leges præcipiunt ſubſtantiam actus, non modum eius, niſi modus ſit de intrinſeca ratione actus; ſed illa intentio libidinoſa non eſt contra ſubſtantiam actus, ſed ſolum contra illud præceptum. *Non concupiſces*, ergo &c. Quod, ſi ſupponas, quod ille ità detineatur in illa libidinoſa inſpectione, vt vix ſacro attendat, tunc non renuerem concedere, non ſatisfacere propter defectum debitæ attentionis, qui ingreditur ſubſtantiam actus.

Aſſertio V. Si quis in die feſto ſacrum audiret cum poſitiua, & actuali intentionem per illud non ſatisfaciendi præcepto, vtique non ſatisfaceret. Conſentiunt *Nauarrus cap. 13. num. 15., 27., & 28., & cap. 16. num. 73., & ſeqq., Rodriquez in ſumma part. 1. cap. 144. num. 3., Azorius part. 1. lib. 7. cap. 2. quaſt. 6., Marchinus tract. 3. de ſacrif. Miſſa part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat., Suarez d. diſp. 88. ſect. 3.* 7

Intendẽs poſitiuè non ſatisfacere, non ſatisfacit.

Ratio ex eo deducitur primò, quod actiones non operantur vltra intentionem operantium potiſſimum in moralibus, ergo, ſi intentio audientium non ſit ad adimplendum præceptum, immò contraria, non poterit operari complementum præcepti. Confirmatur primò, quia non poteſt eſſe actus obedientiæ cum voluntate expreſſa non obediendi, ſed auditio ſacri, prout præcipitur ab Eccleſia, debet eſſe actus obedientiæ, ergo, ſi ſit cum voluntate expreſſa non obediendi, ſeu non ſatisfaciendi præcepto, non poterit auditio ſacri eſſe ſatisfactoria præcepti. Confirmatur ſecundò, quia ſunt actus omninò repugnantes dicere *Nolo ſatisfacere, & Satisfacio*, ergo ſtante voluntate actuali, & poſitiua non ſatisfaciendi non poteſt eſſe ſatisfactio.

Sed hic immediatè oritur difficultas, an, ſi audito ſacro cum illa voluntate contraria non ſatisfaciendi, aliud ſacrum non audiretur, ſed tempore opportuno, quo poſſet aliud audire, retractaret illam priorem contrariam intentionem, ſatisfieret ſufficientèr præcepto? *Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 13., Suarez dict. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3., & tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 26. num. 7.*, ſentiunt ſufficere, ſi in tempore opportuno retractetur illa prior intentio contraria, eo quia illi priori auditioni nil aliud deeſt ad congruam ſatisfactionem, niſi defectus voluntatis ſatisfaciendi, ergo accedente poſtea voluntate ſatisfaciendi in tempore apto non erit, cur non ſit ſatisfactoria. 8

Sentẽtia docens per retractationẽ talis intentionis ſatisfacere.

Sed non poſſum acquieſcere huic aſſerto; nam in primis *Suarez loc. cit.*, aſſerit inualidam eſſe in ſua origine illam ſatisfactionem, ergo, nec tractu temporis poteſt conualeſcere per textum *in l. quod ab initio, ff. de reg. iur. l. ſi tibi decem, §. ſi*

pactus, ff. de pact. Quod, ſi dicas, auditionem quoad ſubſtantiam poſitam eſſe, & ſolum deficere modum auditionis; quando autem ſubſtantia in origine ſubſiſtit, & ſolum deficit modus, tractu temporis poteſt conualeſcere; ſtatim impugnaberis, quia, licet illa auditio ſubſiſtat materialitèr, non ſubſiſtit tamen formalitèr, vt debita ratione præcepti, adeoque, vt ſubſiſtat in tali ratione, debuit eſſe ſine animo contrario tali rationi; nec ſufficit, quod, poſtea accedat talis animus, quia eodem excluſo per contrarium actum, quando actio poſita eſt, perindè eſt in tali ratione, ac ſi actio non eſſet poſita, vndè ex neceſſitate debet iterum poni cum illo animo reuocato, vt fiat valida ſatisfactio. Hoc pluribus exemplis poteſt illuſtrari, & primò in eo, qui, cum ſit debitor alterius, eidem titulo liberalitatis, & meræ donationis ſine animo ſatisfaciendi debito conferret æqualem ſummam, certè hic debito non ſatisfaceret, quantumuis, poſtea reuocauerit illum animum non ſatisfaciendi per illam ſummam collatam, vt eſt in confeſſo apud omnes. Secundò in beneficiario, qui ob non recitatas Horas Canonicas, tenetur fructus beneficij reſtituere; hic certè, ſi antecedentèr animo liberali æqualem ſummam contulerit in eleæmoſinam pauperum, non poſſet ad ſatisfaciendum oneri applicare illam eleæmoſinam collatam, ſed tenetur reſtituere, quod debet, prout definiuit *Alexander VII. die* 18. *Martij* 1666. in Generali Congregatione Sanctæ Romanę Inquiſitionis, dum damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 33., qua dicebatur. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum Canonicarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleæmoſinas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit.*

9 Propriè non ſatisfacit.

10 Argumētū contra Suarez.

Deindè impugnatur etiam aſſertum Suarez, quia, ſi qui audiuit ſacrum cum animo poſitiuo non ſatisfaciendi, retractet eundem animum non tempore opportuno, intra quod aliud ſacrum non poſſit audire, non ſatisfacit per illam retractationem præcepto, vt fatetur ipſe Suarez, ergo, neque ſatisfaciet, ſi retractet tempore, quo poſſit aliud ſacrum audire, ſi de facto non audiat. Conſequentia probatur, quia non poſita noua auditione parum referre poſſe videtur, quod retractatio ſit intra tempus, quo poſſit aliam audire, ac extra illud tempus, cum poſſe audire non influat in auditionem præcedentem, nec efficiat, quod poſtea audiat.

Neque dicas, quod ex eo, quod retractet illam contrariam intentionem pro tempore, quo aliud ſacrum in ea die poteſt audire, coniungitur intentio debita ad ſatisfaciendum cum actuali auditione, quod non poteſt contingere, quando intentio retractatiua eſt extra tempus, quo poſſit aliud ſacrum audire pro ſatisfactione, quandoquidem in primò caſu totum illud tempus currit ad audiendum, & intra illud eſt actualis auditio cum debita intentione; in ſecundo autem, cum iam negatio debitæ auditionis ſit conſummata, intentio, quæ poneretur, cum ſit extra tempus, nihil conferret, ſicut non conferret, ſi audiretur aliud ſacrum extra tempus, pro quo præceptum non vrgeret; contra enim impugnaberis, quia audita iam prima Miſſa cum intentione poſitiua per illam non ſatisfaciendi præcepto, iam nihil ea confert quoad implementum præcepti, cum perindè ſit in ordine ad hunc effectum, ac ſi non eſſet poſita; vndè ſubſequens intentio non poteſt cum illa coniungi ad reualidandum actum, vtpotè in origine inualidum in ea ratione. Hoc etiam multis exemplis poteſt illuſtrari. Primò in eo, qui Baptiſmum contulit ſine intentione, immò cum poſitiuo animo non baptizandi; hic certè, ſi reuocaret illam priorem contrariam intentionem non reualidaret Baptiſmum antecedentèr inualidè collatum, niſi nouum Baptiſmum conferret. Secundò in eo, qui ſacrificaret cum poſitiua, & contraria intentione applicandi pro eo, pro quo deberet, cum ab illo ſtipendium acceperit; hic namque, ſi peracta conſecratione reuocaret illum priorem actum, non redderet pro illo validam applicationem, vt ſupra tradidimus *quaſt.* 3. *art.* 5. Tertiò in eo, qui, cum ſit debitor erga alium de certa ſumma cum onere illam perſoluendi intra determinatum tempus, hic namque, ſi intra illud tempus æqualem ſummam titulo liberæ donationis, & ſine animo per illam ſatisfaciendi pro debito contulerit, non poteſt reuocato illo animo velle, vt illa ſumma donata cedat in extinctionem debiti, quia iam illa ſumma ceſſit eidem creditori ex alio titulo, ergo hoc idem dicendum eſt in præſenti hypotheſi.

11 Reſponſio Suarez, eiuſq; impugnatio.

AR.

ARTICVLVS XXI.

De cauſis excuſantibus ab auditione ſacri in die feſto.

SVMMARIVM.

Tituli, ex quibus poteſt eſſe controuerſia, an excuſent. 1.
Innodatus excommunicatione, vel interdicto excuſatur. 2.
Si negligat abſolutionem ab huiuſmodi cenſuris ſententia aſſerens conſtitui reum culpæ, ſi ſacrum non audiat. 3.
Sententia aſſerens non fieri reum talis culpæ violati præcepti. 4.
Sententia Auctoris ſub diſtinctione. 5.
Ignorantia facti inuincibilis excuſat. 6.
Ignorantia totalis huius præcepti vix poteſt præſumi. 7.
Si tamen adeſſet, excuſaret. 8.
Ignorans ignorantia inuincibili præceptum aliquod in particulari obligare, & non audiens excuſatur. 9.
Detentus in vinculis, vel domi ſub ſequeſtro excuſatur. 10.
Si detentus domi ſub ſequeſtro habeat Oratorium, tenetur in illo ſacrum audire. 11.
Idem dic, ſi pro diebus feſtis habeat libertatem. 12.
Nauigantes, qui nequeunt ad littus appellere, excuſantur. 13.
Non eſt neceſſe, tunc audire Miſſam, quam ſiccam vocant. 14.
Infirmus excuſatur. 15.
Quænam infirmitas excuſet. 16.
Graue periculum bonorum vitæ, famæ, & fortunæ excuſat. 17.
Etiam moralis impotentia excuſat, & quænam. 18.
Diſcedens à loco, in quo celebratur feſtum, peruenturus ante meridiem ad alium, in quo non celebratur, tenetur ſecundum Suarez audire ſacrum in loco diſceſſus. 19.
Secundum alios non tenetur. 20.
Aſſiſtentia infirmo, an, & quando excuſet. 21.
Fuga occaſionis alterius ruinæ ſpiritualis excuſat. 22.
Ob audiendam concionem non licet omittere ſacrum. 23.
Quinam excuſentur ratione Officij. 24.
An, & quando ſerui ratione obedientiæ excuſentur. 25.
Excuſantur vxores ob zelotipiam impeditæ à maritis. 26.
Quinam excuſentur ratione conſuetudinis. 27.

VArij ſunt tituli, ex quibus oriri poteſt legitima excuſatio ab onere hoc præceptum adimplendi; licet enim præcepta Eccleſiaſtica ſint omni cura, & ſollecitudine ſeruanda, & eorum executio ſit rebus noſtris temporarijs præferenda, nihilominus ex pia, ſuaui, & benigna eiuſdem Eccleſiæ diſpoſitione contemperantur ſecundum labilem hominum conditionem, vt non videantur obligare cum magno diſcrimine, & admittant plures cauſas excuſantes ab implemento. 1 *Tituli, ex quibus poteſt prouenire excuſatio.*

Tituli igitur, ex quibus poteſt hæc excuſatio prouenire, reduci poſſunt ad iſtos. Primò ad impotentiam ſpiritualem. Secundò ad ignorantiam, ſiue iuris, ſiue facti. Tertiò ad impotentiam corporalem. Quartò ad moralem. Quintò ad titulum charitatis, ſeu maioris pietatis. Sextò ad rationem Officij, ſeu obedientiæ. Septimum ad conſuetudinem ex rationabili cauſa. Octauum ad defectum miniſtri.

Sub primo titulo comprehenditur cenſura excommunicationis, & interdicti, ſiue ſpecialis, ſiue generalis, adeovt innodatus huiuſmodi cenſuris, ſi non audiat ſacrum, à quacunque labe propter talem non auditionem eximatur, de quo dubitari nequit, cum eidem prohibitum ſit Diuinis Officijs etiam in diebus feſtis intereſſe, & hoc verum eſt, quamuis ob ſuam culpam cenſuram illam contraxerit, nam, licet peccauerit in eo, quod cauſam errando dederit; poſtquam tamen contraxit, excuſatur, ſi non audiat, cum factus ſit impotens ad audiendum. 2 *Excommunicatio, ſeu interdictum excuſat.*

Sed hic oritur difficultas, an, ſi negligat abſolutionem ab huiuſmodi cenſura obtinere, conſtituatur reus culpæ non ſolum ob neglectum, ſed etiam ob defectum auditionis pro tempore, quo negligit: Videtur dicendum vtique culpam contrahere omiſſionis ſacri pro tempore, quo negligit obtinere abſolutionem, cum poſſet; primò, quia per ipſum ſtat, quod non audiat, cum cæteroqui vrgeat præceptum audiendi, ergo defectus auditionis ipſi imputabilis eſt ad culpam; Secundò, quia quotieſcunque impedimentum eſt voluntarium, non excuſat ab implemento præcepti, cum teneatur illud remouere; ſed in hac hypotheſi impedimentum cenſuræ eſt omninò voluntarium, cum poſſit illud diſſoluere impetrando abſolutionem, ergo non excuſat. Tertiò, quia, ſi vrgente præcepto annuæ Confeſſionis, vel Communionis Paſchalis innodatus cenſura, à qua poſſit abſolutionem obtinere, eamque negligat, non definit eſſe reus violationis præcepti confitendi, & communicandi in anno, & in Paſchate, prout nos tradidimus ſupra *quæſt. 7. art. 2. verſ. ſuppoſito* 3 *Negligẽs obtinere abſolutionem ſecundũ aliquos eſt reus culpæ.*

tali præcepto Diuino, ergo etiamſi vrgente præcepto auditionis ſacri pro diebus feſtis quis negligat obtinere abſolutionem à cenſura, qua innodatur, conſtituetur reus tranſgreſſionis talis præcepti.

4 Secundû alios non eſt reus. Contrarium tamen ſuſtinent *Nauarrus in ſumma cap. 21. num. 3., & Suarez in tertia part. tom. 3. diſp.* 88. *ſect. 6. verſ. prima igitur excuſatio*, aſſerens à pluribus viris doctis hanc opinionem approbari, & eſſe in ſe ipſa valde probabilem, hancque pluribus rationibus conatur euincere; primò quia non tenetur quis tam remotè, & à longè ſe diſponere ad Miſſam audiendam, ergo ex vi præcepti audiendi ſacrum non tenetur ad procurandam abſolutionem à cenſura. Secundò, quia, ſi infirmus ſit negligens in recuperanda ſalute, & acquirendis viribus, vt poſſit Miſſam audire, non eſt reus tranſgreſſionis præcepti, ſi durante infirmitate non audiat, ergo neque conſtituitur reus eiuſdem tranſgreſſionis, qui infirmus ſanitate ſpirituali ob cenſuram contractam negligens eſt ad ſalutem ſpiritualem recuperandam, ſi eadem perſeuerante ſacrum non audiat. Tertiò, quia, ſi quis præuidens ſe reddendum impotentem ad audiendum ſacrum, ſi contrahat cenſuram, dat cauſam eidem cenſuræ, non peccat contra præceptum audiendi ſacrum, ergo neque peccabit contra hoc præceptum, qui iam contracta eadem cenſura non ſubtrahit eandem cenſuram quærendo abſolutionem ab eadem.

5 Sentētia auctoris ſub diſtinctione. Ego in hoc cum diſtinctione procedendum exiſtimo; vel etenim per ipſum innodatum ſtat præcisè, quominus abſoluatur, & de facili poſſit obtinere abſolutionem, & ex incuria negligit habere; vel non ſtat per ipſum præcisè, & nonniſi cum magna difficultate poſſit obtinere, quatenus prius debeat parti ſatisfacere, & ab eadem remiſſionem habere, vel quatenus ingens aliquod opus debeat prius ſuperare. Iuxtà primum ſenſum arbitror, conſtitui reum tranſgreſſionis præcepti, ſi abſolutionem non impetret, & ſacrum non audiat, & in hoc præcisè ſenſû puto procedere primam ſententiam. Iuxtà ſecundum ſenſum ſentio, excuſari à culpa tranſgreſſionis præcepti, & in hoc procedere ſolummodò auctores pro ſecunda ſententia allegatos. Ratio primæ partis eſt vltra allatas iuxtà hunc ſenſum intellectas pro prima ſententia, quia voluntariè omninò tranſgreditur præceptum voluntarietate ſaltem in cauſa, cum in ſuo arbitrio ſit, & in facultate remouere impedimentum obſtans, &, ſicuti non excuſaretur à tranſgreſſione præcepti, qui exiſtens in culpa præcisè læthali non communicaret in Paſchate, cum illud peccatum per ſolam Sacramentalem confeſſionem poſſet remouere, ità non excuſaretur ab eodem, qui exiſtens in excommunicatione de facili remouibili non audiret ſacrum in die feſto. Confirmatur, quia, licet pia Mater Eccleſia in ſuis præceptis non obliget cum magno diſcrimine, & incommodo, non intelligitur tamen deobligare, quando opus præceptum exerceri poteſt cum facilitate, & nonniſi cum leui incommodo, ergo, cum cenſura ſit facilè amouibilis, præceptum Eccleſię ad ſacrum audiendum in diebus feſtis obligat ad illud remouendum, vt opus præceptum valeat exerceri. Ratio ſecundæ partis vltra adductas pro ſecunda ſententia ex eo deſumitur, quod pręceptum Eccleſiaſticum non intelligitur obligare ad diſpoſitiones ita remotas, & quæ non ſunt in totali poteſtate, nec poſſunt remoueri ſine magna difficultate.

Sub ſecundo titulo conſiderandum eſt, an ignorantia ſit facti, quatenus quis ignorat aliquem diem eſſe feſtum; & cadere ſub præcepto, vel iuris; & hoc etiam poteſt duplicitèr euenire; primò, quatenus ſit de toto hoc præcepto, prout quis ignoret eſſe præceptum de feſtis colendis, & audiendo ſacro in eiſdem; Secundò, quatenus ſit de præcepto in particulari pro aliquo determinato die extantibus talibus, vel talibus circumſtantijs; & tunc credatur præceptum in illis non obligare, cum re vera obliget. Porrò hæc ignorantia, ſiue ſit iuris, ſiue ſit facti, vel poteſt eſſe inuincibilis, & inculpabilis, vel vincibilis, vel culpabilis. Quibus poſitis, dico primò, non audientem ſacrum in die feſto ex ignorantia facti inuincibili excuſari a culpa. In hoc conſentiunt *Silueſter verb. Miſſa, D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10., Suarez in tertia part. tom. 3. diſp.* 88. *ſect. 6. verſ. ſolet etiam hic interrogari.* Ratio eſt, quia tranſgreſſio præcepti non eſt imputabilis ad culpam, niſi ſit voluntaria, ſed voluntarium non compatitur cûm ignorantia facti inuincibili, ſiquidem voluntarium non poteſt eſſe, niſi præcedente cognitione directiua, ergo &c. Dixi, *inuincibili*; nam, ſi eſſet affectata, vincibilis, craſſa, & ſupina propter rationem præcedentis negligentiæ volitá minimè excuſaret *l. 1. §. 1. ff. de act. empt. cap. 1. de poſtul. Prælat. l. nec ſupina, ff. de iur., & fact. ignor.* Hæc ignorantia poteſt facilè euenire, adeoque præſumi. Ad hanc reduci poteſt naturalis obliuio, vel inconſiratio. 6 Non audiens ſacrum ex ignorantia facti inuincibili excuſatur.

Dico ſecundò, non audientem ſacrum ex ignorantia totali huius præcepti vix poteſt in foro externo excuſari, quia hæc non præſumitur, poteſt tamen excuſari in foro interno, ſi verè intercedat. Conſentiunt 7 Ignorantia totalis huius pręcepti vix poteſt præſumi.

tiunt in hoc communitèr, & ſignantèr *Suarez d. diſp.* 88. *ſect. 6. verſ. ſolet etiam hic interrogari*. Ratio primæ partis eſt, quia hoc præceptum eſt promulgatum in Eccleſia Dei, vt lippis etiam, & tonſoribus conſtet; ignorantia autem iuris communis vbique vulgati nunquam præſumitur per textum *in cap. ignorantia de reg. iur. in 6.*, *Gailus 2. obſeruat. 48. nu. 22.*, *Gabriel ſub tit. de reg. iur. concl. 7. num. 1.*, & alij communitèr. Dixi, *vix*, non enim negauerim, hanc ignorantiam poſſe contingere, vt in homine valdè ſtupido, aut in ſiluis enutrito, & in pueris, in quibus incipit ſolummodò vigere vſus rationis. Secunda pars ex eo deducitur, quod in foro interno, in quo nudè veritas attenditur, poteſt re vera exiſtere talis ignorantia, qua ſtante non eſt, cur tranſgreſſio poſſit ad culpam imputari, cum non poſſit eſſe culpa, vbi voluntarium non eſt, nec poſſit eſſe voluntarium, vbi non eſt cognitio.

8 Si tamen adeſſet excuſaret

9 Ignorans inuincibilitèr præceptũ in particulari excuſatur

Dico tertiò, non audientem ex ignorantia circa hoc præceptum in particulari, quatenus in aliquo determinato die feſto concurrentibus talibus, vel talibus circumſtantijs ignoretur, an præceptum, tunc obliget, vel non obliget, excuſari à culpa tranſgreſſionis, ſi illa ignorantia ſit inuincibilis, non verò, ſi ignorantia ſit vincibilis, culpabilis, craſſa, & ſupina. Conſentit etiam in hoc *Suarez loc. cit.*, *Caietanus in ſumma verb. Feſtorum violatio*, *Nauarrus cap. 23. num. 42.* Ratio primæ partis eſt, quia non cognita obligatione tranſgreſſio non poteſt eſſe culpabilis, quia non eſt voluntarietas. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, quia ignorantia craſſa, ſupina, & affectata non excuſat.

10 Detentus in vinculis, vel ſub ſequeſtro excuſatur

Sub tertio titulo plures caſus continentur, in quibus poteſt eſſe legitima excuſatio ab audiendo ſacro in die feſto. Primus eſt, ſi quis in vinculis, vel in carcere detineatur, vel ſequeſtro exire prohibeatur à domo ſub graui pœna, quia tunc eſt, vel impotentia phyſica, vel talis, vt graue damnum inferat. Sed hic duplex oritur difficultas, an, ſi talitèr impeditus, ſeu domi detentus, vt domo exire nequeat, habeat tamen in propria domo priuatum Oratorium, in quo ex indulto Pontificis poſſit Miſſa celebrari, teneatur in eodem Miſſam audire ad implendum præceptum. Secunda, an, ſi detentus in carcere, vel in vinculis ex indulto pro diebus feſtis eximatur à vinculis, vel carcere teneatur pro illis diebus feſtis audire. Ad primum affirmandum exiſtimo, teneri, niſi ex alio titulo impediatur *Nugnus quaſt. 85. art. 6. verſ. fin. verſ. dico ſecundo*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſſ. celebrat. cap. 17. num. 18.*, quidquid ex aduerſo dixerit *Suarez d. diſp. 88. ſect. 6.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempè, quod, ſi quis tempore interdicti habeat priuilegium audiendi ſacrum, teneatur pro diebus feſtis illo vti, & ſacrum audire, ergo etiam, ſi quis domi detentus habeat priuilegium Sacelli, in quo poſſit celebrari ſacrum, tenebitur eodem priuilegio vti, & in ipſis feſtis diebus ſacro aſſiſtere. Conſequentia tenet, quia currit in vtroque caſu eadem ratio; ſicuti enim in primo caſu tenetur, quia ſublato per priuilegium impedimento interdicti vrget præceptum audiendi, ità ſublato impedimento per priuilegium audiendi in proprio Sacello vrget præceptum audiendi, & propterea tenebitur. Dixi, *niſi ex alio titulo impediatur*, quatenus nonniſi cum maxima difficultate, vel nonniſi cum maximo ſtipendio habere poſſit Sacerdotem, qui celebret. Ratio ſecundæ partis ex eodem fonte emanat, quia ſcilicet ceſſante impedimento per exemptionem à vinculis, & à carcere pro diebus feſtis ipſo iure vrget præceptum.

11 Detentus domi, ſi habeat Oratoriũ, tenetur in illo ſacrum audire.

12 Idem dic, ſi pro diebus feſtis fiat liber.

13 Nauigantes quomodo excuſantur.

Ad hoc caput impotentiæ corporalis reducitur impedimentum, quo nauigantes ad littus nequeunt appellere. Sed, an in hac hypotheſi teneantur Miſſam, quam ſiccam vocant, ſi ibi celebretur, audire, &, ſi non audiant, conſtituantur rei tranſgreſſionis præcepti? Pro intelligentia ſciendum eſt, quod, vt referunt DD. aliqui, inter quos *Azorius inſtitut. moral. part. 1. lib. 7. cap. 7. quaſt. 6.*, hoc alicubi in more poſitum eſſe, vt in longis nauigationibus celebretur Miſſa, quæ præcisè conſiſtit in recitatione Epiſtolæ, Euangelij, & aliarum precum, non tamen in eadem fiat conſecratio, nec vllum ſacrificium offeratur, hæcque appellatur Miſſa ſicca, de qua quæritur, an cadat in præcepto auditionis ſacri, ſi eo die occurrat feſtum. Negatiuè reſpondendum eſt, prout reſpondet *Azorius loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod illa non ſit propriè Miſſa, cum deficiat in partibus eſſentialibus, & ſubſtantialibus; præceptum autem eſt de Miſſa audienda; vndè, ſicuti communitèr tradunt DD., quod, ſi in feria ſexta Paraſceue, in qua Miſſa dumtaxat ſicca celebratur, accidat dies feſtus, non teneantur fideles ex præcepto illi intereſſe, ita etiam cenſendum eſt, quod, ſi Miſſa ſicca celebretur in Mari occurrente die feſto non teneantur nauigantes illam audire. Plurimum etiam ad hoc conferre poſſunt ea, quæ diximus *in hac eadem quæſtione art. 9.*, quod ſcilicet, ſi quis defecerit in Miſſa pro die feſto in ijs, quæ pertinent ad eſſentiam ſacrificij, teneatur ille,

14 Miſſa ſicca non eſt tunc ex neceſſitate audienda.

ille, qui defecit, non ſolum ſupplere per auditionem in alio ſacro non præcisè illam partem omiſſam, ſed teneatur totam aliam Miſſam, vt etiam tradit *Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 88. ſect. 2. verſ. ſed tunc inquiri poteſt*, per rationes ibi adductas, ergo, quia non ſubſiſtit auditio ſacri quoad implementum præcepti, quando deficiunt partes eſſentiales eiuſdem.

15 Infirmus excuſatur.

Secundus caſus, ſi quis infirmitate detineatur, & in hoc omnes conſentiunt. Sed difficultas ſolummodò conſiſtit in explicando, quænam infirmitas ſit ſufficiens ad eximendum ab onere huius præcepti. In vniuerſum dicendum eſt, non ſolum quamcunque infirmitatem, quæ ſecundum ſe compellit lectum cuſtodire, & domũ, ſed etiam, quę ex iudicio Medicorum poteſt inducere periculum grauioris mali, ſi domo exeatur ob ſacrum audiendum, excuſare à præcepto auditionis eiuſdem. Hinc deducitur, non ſolum, qui febri actu laborant, excuſari, ſed etiam, qui incipiunt conualeſcere propter periculum reincidendi, vel notabilitèr diferendi conualeſcentiam, vel ob aeris inclementiam ex vicinitate morbi contrahendi malos influxus. In hoc tamen cautè procedendum eſt, ne proprius affectus nimis laxam tribuat indulgentiam, & ne nimis exacta ſollicitudo in maius damnum inducat. Hoc tamen verum eſt, quod, ſi infirmitas non ſit talis, vt impediat à grauioribus negotijs obeundis, nec impediat ab onere ſacrum audiendi.

16 Quænam infirmitas excuſet.

17 Graue periculũ bonorum vitæ, famæ, & fortunæ excuſat.

Tertius caſus eſt, quando timetur graue periculum, vel in bonis corporis, vel famæ, & honoris, vel in bonis fortunæ. Ad bona primi generis, in quibus ob periculum quis excuſatur, eſt vita; vndè, ſi is in eundo, vel redeundo probabilitèr timeat hoſtium inſidias, & inuaſiones, vel aeris peſtiferi influxus, vel ex alia ſimili cauſa periculum, vel in vita, vel in membris corporis poteſt iuſtè abſtinere à ſacro audiendo. Ad bona ſecundi generis pertinet honor, & fama, circa quæ, ſi immineat periculum detrimenti, eximitur periclitans ab onere hoc præceptum adimplendi; ſic, ſi quis rationabilitèr timeat iacturam aliquam ſe paſſurum, vel per iniuriam, vel per aliquam cõtumeliam ſibi inferendam, poteſt abſtinere. Item, ſi non poteſt accedere non decentèr veſtitus, & ſine decenti comitatu iuxtà proprium ſtatum, non enim poteſt compelli cum dedecore in publico apparere. Item ex hoc capite excuſatur fœmina nobilis, quæ ſine veſtibus proprio ſtatui conuenientibus non poteſt exire. Item excuſatur fœmina, quæ honeſta communitèr reputatur, ſi grauida ſit effecta, nec poſſit defectum ſuum occultare, niſi domi ſe contineat. In hoc tamen vltimo caſu, & duobus præcedentibus aduertendum eſt, quod, ſi poſſit ſummo mane, vel ſecretò audiri Miſſa, vtique ſit audienda, nec poſſint excuſari à culpa non audientes. Ad bona tertij generis reducuntur omnia bona temporalia externa, in quibus, ſi immineat periculum grauis damni, habetur ſufficiens cauſa excuſationis à præcepto, ſi alitèr, quam abſtinendo ab auditione ſacri vitari non poſſit. Conueniunt in hoc communitèr. Ratio eſt, quia hoc præceptum iuxtà communem DD. interpretationem, & iuxtà cõmunem etiam conſuetudinem cũ hac moderatione latum eſt, & receptum. Hinc primò, ſi quis rationabilitèr timeret furtum, ſi domum derelictam teneretur deſerere, non contraheret noxam, ſi Miſſam non audiret. Secundò, ſi quis habiturus iter per viam regularitèr à latronibus obſitam, & teneretur deſerere comites, ſi Miſſam audiret, ob quod ſubiaceret periculo expoliationis, vtique poſſet Miſſam relinquere, vt comitibus ſe coniungeret. Tertiò, ſi quis oues ſuas teneretur ſine cuſtodia relinquere, vel res ſimiles, vtique excuſaretur ob periculum deprędationis, & direptionis. Alios ſimiles caſus tu cogita. Item ex hoc capite excuſari poſſunt, qui detinerentur vrgentibus negotijs, quæ moram pati non poſſent. Intellige, niſi poſſent Miſſam præueniendo audire, vel præpropere negotia agere.

Sub quartò titulo impotentiæ moralis comprehenditur quæcunque magna difficultas, qua quis detineretur à ſacri auditione; hæc autem difficultas non conſiſtit in indiuiſibili, neque vno tantum, ſed pluribus modis poteſt contingere, pro qua propterea nequit certa regula aſſignari, ſed ſecundum varias contingentias prudentum iudicio erit diudicandum. Vnum vel alterum referam caſum, in quo hęc moralis impotentia excuſat, ex quibus poterunt deciſiones efformari in ſimilibus. Primus ſit, quando locus, in quo celebranda eſt Miſſa, valdè diſtaret à loco, in quo quis reperitur, & ibi nulla Miſſa adeſſet, & iter eſſet arduum. Secundus eſt, quando perſona nobilis, & ſenectute confecta poſſet quidem accedere ad Miſſam, ſed cum magno labore, niſi rheda veheretur, & eadem rheda careret. 18

18 Etiam moralis impotentia excuſat.

Hic ex occaſione oritur difficultas, an, ſi quis è loco diſcederet, in quo celebratur feſtum ex præcepto tranſiturus ad locum, in quo non celebratur, teneretur prius in loco, à quo diſcedit ſacrum audire, antequam diſcedat. Diuiſos in hoc inuenio DD., & inter ſe altercantes, *Suarez tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 15. verſ. finem; Na-*

uarrus

19 *uarrus in ſumma cap. 13. num. 5., & alij*, ſuſtinent teneri. Mouentur ea ratione, quia hic reperitur in loco pro tempore, quo viget, ſeu incipit obligatio ſacrum audiendi, ergo tenetur illam adimplere; neque obſtare poteſt, ſi dicatur, quod obligatio non reſtringitur ad modicum illud tempus, quod præcedit diſceſſum, ſed extendatur vſque ad meridiem, intra quam poteſt audire, nec poteſt compelli ad audiendam ſummo mane; ante meridiem autem iam eſt in loco, vbi obligatio non viget. Non, inquam, obſtare poteſt, quia, licet ſecundum ſe obligatio non reſtringatur ad illud ſummum mane, poteſt tamen reſtringi ex accidente; ſic ſi quis ſciret in loco, in quo reperitur, non adeſſe, niſi vnam Miſſam celebrandam immediatè poſt auroram, vtique illam teneretur audire, nec excuſaretur ex eo, quod præceptum ſecundum ſe dilatetur vſque ad meridiem; ità etiam in caſu, de quo loquimur, licet ſecundum ſe poſſet differre auditionem vſque ad meridiem, quia tamen certò ſciret, non eſſe in loco, ad quem pergit, ſe auditurum, tenebitur pro tempore, ante quod diſcedit, audire, cum pro illo vrgeat obligatio. *Sanchez* verò *tom. 1. de matrim. lib. 3. diſp. 18. num. 21.*, *Leſſius de iuſt. lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 56.*, ſuſtinent non teneri fundamento à contrario ſenſu deducto, quod, ſcilicet poſſit differre ex vi præcepti vſque ad meridiem, nec obligetur ad illud primum tempus; ante meridiem autem peruenit ad locum, vbi nulla viget obligatio. In hoc ſentiendum arbitror, quod, quamuis vtraque opinio ſuſtineri poſſit, vt probabilis, ſit potius conſulenda prima, quam ſecunda eo, quia magis pia eſt, & rationes pro ea ſint firmiores.

Diſcedẽs à loco, in quo celebratur feſtum peruenturus ad locum, in quo non celebratur ante meridiẽ, tenetur ſecundũ Suarez audire ſacrum in loco diſceſſus.

20 Secũdum alios non tenetur.

21 Sub quinto titulo comprehenditur primò aſſiſtentia infirmo, quando defectus eiuſdem futurus eſſet noxius, & exoſus eidem infirmo. In hoc conſentiunt communitèr, & ſignantèr *Caietanus verb. feſta*, *Nauarrus cap. 21. num. 3., & ſeqq.*, *Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, *Suarez dict. diſp. 88. ſect. 6. verſ. quartum caput*. Intellige, quando vtrumque adimpleri non poteſt ſine graui detrimento infirmi; ſi etenim non timetur graue detrimentum, neceſſitas charitatis non vrgeret. Ratio eſt, quia titulus charitatis, quæ maximè in hoc caſu vrget ad ſubueniendum infirmo, talis, & tantus eſt, vt in detrimentum illius non videatur præceptum Eccleſiæ vrgere; nec vim aliquam facit, quod præceptum debeat præualere conſilio, aſſiſtentia autem infirmo eſt dumtaxat ex cõſilio; auditio verò ſacri eſt ex præcepto. Non, inquam, vim aliquam facit, quia in hac hypotheſi non eſt, quod conſilium præualeat præcepto, ſed quod præceptum in talibus circunſtantijs charitatis exercendæ in infirmum cæteroqui detrimentum ſubiturum, non obliget, ſeu ceſſet, verſamur etenim in præcepto iuris poſitiui Eccleſiaſtici, quod non intelligitur vrgere quando eſt periculum grauis detrimenti ſui, vel proximi. Secundò fuga occaſionis alteri ruinam ſpiritualem conferendi; 22 hoc eueniret in caſu, quo fœmina ſciret ſe vehementèr, & impudicè amari, & exeundo domo ad Miſſam certò cognoſceret ex ſui aſpectu ſe excitaturam vehementiores in Amaſio ſtimulos carnis; & in hoc caſu certè poſſet ab audiendo ſacro abſtinere, nam, licet non teneatur ad hoc, quia non eſt ſcandalum datum, ſed acceptum; nihilominus ob periculum euidens alienæ ruinę poteſt licitè eidem ſubuenire occaſionem auferendo, vt notant *Sotus in quarto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.*, *Suarez d. tom. 3. diſp. 88. ſect. 6. verſ. quartum caput propè finem*.

Aſſiſtẽtia infirmo, an, & quando excuſet.

Fuga occaſionis alterius ruinæ ſpiritualis excuſat.

Hic diſputant DD., an ex titulo pietatis, quando vtrumq; adimplere non poteſt, 23 nempè audire ſacrum, & concionem poſſit potius concionem quis audire, quam aſſiſtere ſacro, an verò teneatur ſacro aſſiſtere, & concionem omittere *Angelus*, apud *Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. ſeptimum caput excuſationis*, excuſat eum, qui propter concionem audiendam omittit auditionem ſacri. Sed ipſum improbat ipſe *Suarez loc. cit.* ea ratione, quod opus præcepti non eſt omittendum propter opera voluntaria, quantumuis poſſint eſſe maioris vtilitatis, ſic non poteſt quis omittere ſacrum in die feſto, vt clauſus in proprio cubiculo vacet contemplationi Diuinorum Myſteriorum. Sed aduerſus Suarez improbantem plura obijci poſſunt, quæ ipſe ſtatuit; & primò, quod aſſiſtentia infirmo non eſt opus præcepti, ſed conſilij, & tamen ipſe ſtatuit, quod ob aſſiſtentiam infirmo liceat ſacrum non audire. Secundò, quod ad maiorem vtilitatem etiam in temporalibus poſſit quis ſacrum omittere, ergo à fortiori poterit omittere ad maiorem ſpiritualem percipiendam, quam ſperat ex auditione ſacræ concionis. Sed retenta Suarez ſententia ad hæc obiecta reſpondere poſſumus, hæc procedere, quando vrget neceſſitas tunc adimplendi huiuſmodi opera, quæ nec poſſint proferri, nec differri, &, ſi tunc non fierent, damna, vel ſibi, vel alijs prouenirent, in quo caſu videtur ceſſare obligatio præcepti; in caſu autem auditionis ſacræ concionis non videtur tunc eſſe tanta neceſſitas, vt fructus, qui haberi poteſt in adimplemento præcepti, poſſit æquiualere illi, qui ſperari

Ob audiendum concionẽ non excuſatur ab audiẽdo ſacro.

poſſet

poſſet ex auditione ſacræ concionis, & hic aliundè haberi poſſit, & compenſari.

24 Quinam excuſentur ratione officij. Sub ſexto titulo ratione officij, & obedientiæ comprehenduntur Magiſtratus, Senatores, & reliqui primarij viri, qui grauia Reipublicæ negotia obire tenentur, nec eadem in aliud tempus poſſint diferre. *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 7. cap. 7. ſub quæſt. 1. verſ. primo igitur loco, Silueſter verb. Miſſa num. 1., Nauarrus in man. cap. 23. num. 3.* Hoc tamen intellige cum moderatione, ſi ſacrum præuenire nequeant, vel poſtponere. Secundò milites cuſtodientes mænia Ciuitatis, Paſtores, qui per alium munus ſuum ſupplere non poſſunt, Vectores mercium, & Curſores, qui non poſſint, niſi cum magno incommodo ad audiendam Miſſam detineri, Matres, & nutrices, quæ nequeunt domi infantes deſerere, & non expediat eos ad Eccleſiam deferre. In hoc conſentiunt *Azorius loc. cit.,* & *Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. quintum caput excuſationis,* & his ſimiles.

25 An, & quando ſerui ratione obedientiæ excuſentur. Ratione obedientiæ excuſantur primò ſerui, & famuli, dum à Dominis præcipiuntur opus aliquod neceſſarium obire, cum quo non poſſit compati auditio ſacri. Si verò opus illud præceptum à Dominis, non ſit tunc neceſſarium, ſed poſſit in aliud tempus diferri, tunc tenentur regularitèr loquendo potius obtemperare præcepto Eccleſiæ audiendo ſacrum, quam Dominis præcipientibus exequendo opus præceptum, nam irrationabilitèr Domini eſſent inuiti, & ipſi grauitèr peccarent præcipiendo opus illud pro tunc exequendum. Dixi, *regularitèr loquendo,* nam, quantumuis illud opus non eſſet tunc neceſſarium, ſi famuli præuiderent ex non obtemperantia Dominis ſibi graue detrimentum obuenturum, poſſent licitè opus illud ab eiſdem præceptum exequi; nec tunc dicerentur præferre mandatum Dominorum præcepto Eccleſiæ, ſed potius diceretur præceptum Eccleſiæ in illis circumſtantijs non obligare, cum eadem, vt pia Mater non intelligatur velle compellere cum tanto detrimento. Quod, ſi non timeatur graue detrimentum, ſed modica aliqua rixa, tunc Eccleſiæ potius eſſet obtemperandum, quam Dominis, cum hæc de facili euaneſcat, & in hoc conſentiunt *Sanchez,* & *Azorius loc. cit.*; Quod, ſi ſupponantur Domini opus illud non neceſſarium præcipere in contemptum Eccleſiæ, & famulos hoc non ignorare, tunc abſolutè ſentiendum eſt, famulos eoſdem non teneri eiſdem obtemperare, ſed teneri ſacrum audire, quia ſecus cooperarentur operi, quod eſſet ab intrinſeco malum, quod numquam licet.

Secundò excuſantur vxores, quæ à maritis propter vehementem zelotipiam, quam de illis conceperunt, iubentur domo non egredi, quando ex tali egreſſu timerentur graues diſſenſiones, diſſidia, & iurgia cum magna familiæ perturbatione *Nauarrus in man. cap. 23. num. 3., & ſeqq., Azorius loc. cit., Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. quartum caput ſumi poteſt,* quamuis contrarium doceat *D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10. §. 2.,* qui tamen intelligendus eſt, quando non eſt periculum grauis incommodi. 26 Excuſantur vxores impeditæ à marito ob zelotipiam.

Sub ſeptimo titulo ratione conſuetudinis excuſantur plerumque fœminæ, quæ viduæ poſt obitum viri cauſa luctus, & triſtitiæ ex conſuetudine recepta per aliquod temporis domi ſe continent, quam conſuetudinem ferè omnes approbant *Roſella in verb. Miſſa num. 18., D. Antoninus ſecunda part. tit. 9. cap. 10. §. 2., Nauarrus in man. cap. 21. num. 4., Silueſter verbo Miſſa quæſt. 9., Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 122. art. 4., & in ſumma verb. Feſta, Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. ſextum caput excuſationis.* Diſcrepant ſolum in præfiniendo tempore, ad quod licitè poteſt extendi hæc conſuetudo, dum alij reſtringunt ad vnum menſem, alij extendunt ad duos; alij etiam ad annum. *Suarez loc. cit.,* aſſerit non poſſe vnam pro omnibus regulam aſſignari, nam in fœminis nobilioribus ſolet eſſe conſuetudo, vt domi longiori tempore ſe contineant, aſſerit tamen, quod, ſi conſuetudo introducta ſit, & ab Eccleſiæ Prælatis tolerata, vt fœminæ per annum domo non exeant, poſſint vtique licitè detineri. Cauendum tamen eſt, ne domo ob alia negotia exeant; nam, ſi exirent, non poſſent excuſari à tranſgreſſione præcepti, ſi non exirent etiam ob audiendum ſacrum. 27 Ratione conſuetudinis quinam excuſentur. Viduæ poſt obitum mariti per aliquod dies.

Item excuſantur fœminæ, quæ poſt partum per aliquos dies, etiam ſi conualuerint, ab ingreſſu Eccleſiæ ſe abſtinent, ſi tamen in hoc vigeat conſuetudo, & hoc non fiat ex ſuperſtitioſo quoddam ritu, prout notarunt *Caietanus in verbo Feſta, & Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. ſextum caput excuſationis.* Sed, an fœminæ excuſandæ ſint propter menſtrua, ſi pro illo tempore ſacro non interſint? Probabilius eſt, non excuſari, cum de hoc non adſit conſuetudo; tum quia in hoc nulla elucet cauſa ſufficiens eximendi ab onere præcepti Eccleſiaſtici; Neque obeſſe poteſt textus, qui circunfertur *ex cap. vlt. diſt. 5.,* deſumpto ex D. Gregorio, quo dicitur: *Mulier, quæ ex conſuetudine menſtrua patitur probiberi Eccleſiam intrare non debet, nec à Communionis myſterio; ſi autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt,* Item fœminæ poſt partum. Non tamen propter menſtrua

ergo

ergo etiam laudanda erit, ſi Eccleſiam ex eadem veneratione intrare non præſumeret, ergo ex hoc capite, ſi laudanda eſt, non erit conſtituenda rea tranſgreſsionis, ſi ſacro non interſit. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus excipit ſolum quoad Communionem, quæ libera eſt, nec cadit ſub præcepto, non autem de Communione Paſchali, quæ eſt de præcepto; cum autem onus audiendi ſacrum in die feſto ſit ex præcepto, propterea illa exceptio textus non poteſt ſuper illud cadere. Limitandum tamen eſt dictum noſtrum in duobus caſibus. Primò, quando ex illis menſtruis timeretur exterior aliqua indecentia, ſeu irreuerentia loci ſacri. Secundò, quando afferrent debilitatem talem, vt æquiualeret ægritudini.

Item perſonæ nobiles ad parandas veſtes lugubres ob mortẽ propinqui.

Item ex hoc capite conſuetudinis excuſantur parentes proximiores perſonarum alicuius conditionis, qui ex morte earundem domi detinentur, donec lugubres veſtes apparentur, cum quibus iuxtà proprij ſtatus decentiam domo exire valeant.

Item excuſant aliqui virgines nubiles nobiles, quæ ex conſuetudine in publicum non prodeunt, & ideò ſacro non interſunt. Hoc non reprobant *Caietanus*, *Nauarrus*, *& Silueſter*, ſuppoſita conſuetudine; aſſerunt tamen hanc conſuetudinem fore improbandam, cum huiuſmodi virgines, quæ hoc titulo Miſſam omittunt, feneſtras frequentent, & domo exeant ad ludos, & alia publica ſpectacula.

Non tamen virgines nubiles, & nobiles.

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad huiuſmodi cauſas excuſantes, alia addi poteſt, quæ eſt defectus Sacerdotis celebrantis, vel quia ſimplicitèr non adſit, vel, ſi adſit ſit notoriè excommunicatus, & nominatim denuntiatus, tunc enim habetur, ac ſi non eſſet. Sed, ſi adeſſet Sacerdos, qui eſſet publicus concubinarius, & celebraret, an tenerentur fideles ibi degentes illius ſacro intereſſe ad adimplendum præceptum. Ex *cap. nullus diſt. 12.*, *& cap. ſeq. eadem diſtinct.*, expreſsè prohibetur, ne quis audiat Miſſam Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitantèr habere. Sed hæc iura, & ſimilia, ſi quæ afferantur, non videntur amplius habere locum poſt Concilium Conſtantienſe, in quo illa fuerunt correcta, & moderata, vt non obligent, donec Sacerdos fuerit nominatim denuntiatus excommunicatus, & præciſus; vt benè conſiderarunt *Nauarrus de pœnit. d. 6. cap. 1. §. laboret n. 22.*, *& in ſumma cap. 25. num. 79.*, *Gabriel in 4. diſt. 13. qu. 1.*, *Caietanus ſecunda ſecundæ qu. 12. art. 2.*, *Suarez d. diſp. 88. ſect. 6. verſ. vltimum caput.*

QUÆSTIO IX.

De Ritibus ſeruandis in offerendo Miſſæ Sacrificium.

Qvamuis Sacrificium Miſsæ eſſentialitèr in ſola conſecratione ſubſiſtat, & ſubſtantialitèr in conſecratione, & ſumptione Sacerdotali; ex diſpoſitione tamen Eccleſiaſtica ad honeſtè, dignè, & decentèr illud conficiendum, plura præſcribuntur, quæ ad eius ornatum maximè pertinent, & ad dignoſcendam ipſius dignitatem, & excellentiam conducunt. Alia ſunt præcedentia, alia concomitantia, alia ſubſequentia. Alia pertinent ad locum, alia ad vaſa, & inſtrumenta, quibus confici debet, alia ad veſtes, quibus ornari debet Sacerdos, alia ad verba, alia ad cæremonias, de quibus omnibus ſub hac quæſtione ſingillatim eſt peragendum.

ARTICVLVS I.

De Altari requiſito ad ſacrificium, eiuſque ornatu.

SVMMARIVM.

Ad ſacrificium requiritur Altare ex præcepto Eccleſiaſtico. 1.
Non ex neceſſitate ſacrificij. 2.
Nec ex neceſſitate præcepti Diuini. 3.
Aſſignatur præceptum Eccleſiæ. 4.
Debet eſſe lapideum. 5.
Rationes, ob quas debet eſſe lapideum. 6.
Debet eſſe conſecratum. 7.
Conſecratio ex officio debet fieri per Epiſcopum. 8.
Ex commiſſione Papæ poteſt fieri per Sacerdotem. 9.
Epiſcopus conſecrans debet eſſe Diœceſanus, vel alius de commiſſione ipſius. 10.
Exponitur modus conſecrationis. 11.
An requiratur repoſitio ſacrarum reliquiarum. 12.
Conſecratio amittitur fractione, & motione, & quomodo. 13.
Altaria portabilia non amittunt conſecrationem, niſi per fractionem. 14.

Debent eſſe cooperta linteis mundis. 15.
Lintea debent eſſe tria. 16.
Requiritur etiam corporale, quod debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, vel ab habente poteſtatem. 17.
Quale debeat eſſe corporale. 18.
Requiritur etiam palla, & qualis. 19.
Requiruntur etiam lumina ardentia. 20.
Ex conſuetudine recepta debent eſſe ſaltem duo, licet de rigore poſſit vnum ſufficere. 21.
Et eſſe ex cera. 22.
Ex conſuetudine recepta requiritur etiam Crux. 23.
Non tamen neceſſariò in Altari, vbi ſolemnitèr expoſitum eſt SS. Sacramentum. 24.
Requiritur etiam Miſſalis liber. 25.
Requiritur etiam pallium, & quale hoc debeat eſſe. 26.

NOn loquimur hic generalitèr de loco, in quo faciendum ſit ſacrificium, cum de ipſo latè egerimus in præcedenti quæſtione, ſed reſtringimur præciſè ad Altare, in quo immediatè fieri debet immolatio. De hoc plura veniunt ſub hoc titulo examinanda. Primò, an hoc ſit neceſſarium ad ſacrificium, & qua neceſſitate. Secundò, quale debeat eſſe. Tertiò, quænam requirantur ad eius ornatum, vt in ipſo licitè valeat fieri ſacrificium. Sed antequam ad concluſiones deueniam, hoc noto, Altare duplex eſſe, alterum fixum, alterum portatile. Primum dicitur tale, quia à loco non mouetur. Secundum, quia à loco, in quo fixum non eſt, mutatur.

1 Et præcepto Eccleſiæ requiritur Altare.

Aſſertio I. Ad conficiendum ſacrificium eſt neceſſarium Altare non neceſſitate ſacrificij, neque præcepti Diuini, niſi ad ſummum radicalitèr, ſed præcepti Eccleſiaſtici, quod originem habuit in primordijs Eccleſiæ, & ſemper inuiolabilitèr fuit ſeruatum.

2 Non eſt ex neceſſitate ſacrificij.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod, ſi fieret hoc ſacrificium extra Altare ſeruatis omnibus eſſentialibus ad ipſum requiſitis, validum foret, cum Altare non ad eſſentiam pertineat, ſed dumtaxat ad externum cultum, ergo non eſt de neceſſitate ſacrificij; &, licet legamus in omnibus ferè ſacrificijs adhibitum fuiſſe Altare, vt legitur de Abraham, Iſaac, alijſque Patriarchis, non propterea deducitur idem ex neceſſitate ſacrificij eſſe neceſſarium, nec ad eſſentiam eiuſdem pertinere. Quod, ſi dicas, Sacerdotium, & ſacrificium ſibi eſſe correlatiua; Sacerdotium autem habet connexionem cum Altari, quod colligitur *ex D. Irenæo lib. 4. c. 20.*, vbi probat Apoſtolos verè fuiſſe Sacerdotes, quia Altari deſeruiebant; fruſtrà autem poneretur illa cauſalis, *quia Altari deſeruiebant*, ſi Altare non haberet connexionem cum Sacerdotio; ſtatim impugnaberis, quia *D. Irenæus loc. cit.*, ſumit locum, in quo actio fit regularitèr, pro ipſa actione; vndè ly, *Altari deſeruiebant*, ſumitur, ac ſi diceretur Deo in Altari per ſacrificium deſeruiebant, non quia ipſum Altare eſſet aliquid eſſentialitèr connexum cum ſacrificio, ſed quia erat locus, in quo conſueuerunt Apoſtoli ſacrificare.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia Chriſtus Dominus, nec hoc ſacrificium inſtituit in Altari, nec præcepit in Altari fieri; nec ex eo, quod in ſacris paginis fiat mentio crebrò Altaris, vt in illo Matthæi 5. *Si offers munus tuum ad Altare*, & in illo ad Hæbr. 13. *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſeruiunt*, & in illo primę ad Corinth. 9. *Qui Altari deſeruiunt, de Altari viuere debent*, arguendum eſt, eſſe præceptum Diuinum, vt ſacrificium fiat in Altari, quandoquidem omnes illi textus indicant ſolum, quæ fieri conſueuerunt, non important præceptum, vt fiant. Verum tamen eſt, quod, cum maximè congruat dignitati huius ſacrificij, quod omnium veterum ſacrificiorum perfectiones excedit, exigit, vt in loco maximè decenti fiat; vndè Chriſtus Dominus poteſtatem Eccleſiæ reliquit decernendi ea omnia, quæ ad ipſius ornatum, decentiam, & honeſtatem poſſent pertinere, adeoque etiam locum, quæ Eccleſia in ſuis primordijs graſſante infidelium tirannorum perſecutione, cum vix habere poſſet loca, in quibus ſacrificaret, in criptis, & cauernis, prout poterat, rem Diuinam faciebat; poſtea conceſſa eidem Eccleſiæ pace per Conſtantinum ſtatuit, vt nonniſi in Altari, & vtique lapideo fieret, ſeruato tamen antiquiſſimo ligneo, in quo Apoſtoli, & Pontifices offerre conſueuerant, ſancita tamen lege, ne quis in eo ſacrificium offerret excepto Romano Pontifice.

3 Nec ex neceſſitate præcepti Diuini.

Ratio tertiæ partis non ſolum ex antiqua conſuetudine, quæ vim legis habet deducitur, ſed etiam ex pluribus textibus iuris Canonici, & præcipuè *ex cap. Altaria de conſecrat. diſt. 1.*, alijſque concordantibus, in quibus præſcribitur materia, & forma, quibus conſtare debent huiuſmodi Altaria, de quibus iam ſubdo.

4 Aſſignatur præceptum Eccleſiæ.

Aſſertio II. Altare, in quo fieri debet ſacrificium Miſſæ, debet eſſe lapideum, conſecratum, ſiue illud ſit fixum, ſiue portatile. In hoc omnes conueniunt. Intellige tamen, debere eſſe lapideum in ea parte, quæ ſupponitur Altari; poteſt enim contingere, quod Altare, ſeu tota illa menſa, in qua Miſſæ miniſterium fit, in partibus

5 Debet eſſe lapideum, & in qua parte.

late.

lateralibus, & inferioribus ſit vel ligneum, vel ex luto, in quo caſu ſufficit, quod ſupponatur pars lapidea, in qua materia conſecranda eſt apponenda nihilo repugnante, quod partes laterales, vel inferiores ſint ex ligno, vel luto.

6 Rationes, ob quas debet eſſe lapideũ. Quod autem debeat eſſe lapideum expreſsè habetur *ex Concil. Epamenſi cap. 26., & 27. poſt Epiſt. 2. Euariſti, & ex Concil. Hipponenſi cap. 6.*, & refertur *in cap. Altaria de conſecrat. diſt. 1.*; ex quo habetur materia huiuſmodi Altarium. De hoc loquitur D. Ioannes Chryſoſtomus *Homil. 20.* in poſteriorem ad Corinth. dicens. *Lapis quidem eſt materia, quoniam Corpus accipit Chriſti*. Si autem quæratur ratio, ob quam decretum eſt, debere eſſe ex lapide duplicem aſſignat *D. Thomas in tertia part. qu. 83. art. 3. ad quintum*, alteram miſticam ad ſignificandum Chriſtum Dominum, de quo dicitur prima ad Corinth. 10. *Petra autem erat Chriſtus*, vel eiuſdem ſepulchrũ, quod erat exciſum ex lapide; vbi autem primitus erat vſus permiſſus conſecrandi in Altari ligneo, erat ad ſignificandam aram Crucis; alteram materialem, quia lapis natura ſua ſolidus eſt, & vbique reperitur, & vt ſubdit *Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5.*, quia firmior eſt, & durabilior, qualem oportebat eſſe, vt immutabilem conſecrationem acciperet.

7 Debet eſſe conſecratum Quod autem debeat eſſe conſecratum habetur *ex cap. 1. de conſecrat. diſtinct. 1.*, & per hoc indicatur forma, non quidem materialis, ſed quodamodo ſpiritualis, quæ conſiſtit in conſecratione, vt colligitur *ex D. Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 4., & ex D. Auguſtino ſermon. 255. de tempore*.

8 Conſecratio ex officio debet fieri per Epiſcopũ Circa hanc formam duo, vel tria veniunt hic cõſideranda. Primum à quonam ſit facienda hæc Altaris conſecratio. Secundum, quomodo debeat fieri. Tertium quomodo deſinat. In ordine ad primum certum eſt, ex officio conſecrationem faciendam eſſe per Epiſcopum per textum *in dict. cap. Altaria de conſecrat. diſtinct. 1.*, non per Presbyterum *Concil. Agath. c. 44., Concil. Bracarenſe cap. 22. diſt. 25. cap. perlectis 26. quæſt. 9. cap. miniſtrare de conſecr. diſt. 1., Concil. Hiſpal. 2. cap. 7., c. nullus Presbyter 2., & cap. concedimus de conſecr. diſtinct. 1.* Sed, an fieri poſſit à ſimplici Sacerdote de commiſſione Epiſcopi, vel Romani Pontificis. Dicendum eſt primò, de ſola Epiſcopi commiſſione hoc neutiquam fieri poſſe, prout ſignantèr notat *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 27. q. 4.*, quia Epiſcopus non habet poteſtatem in ius commune Canonicum; ius autem commune poteſtatem conſecrandi huiuſmodi Altaria Epiſcopis reſeruat per textũ *in cap. quamuis diſtinct. 68.* Quoad commiſſionem Romani Pontificis pro parte negatiua difficultas videtur vrgere ex eo, quod conſecratio huiuſmodi Altarium videatur Epiſcopis competere ex poteſtate ordinis, non præcisè iuriſdictionis, ea autem, quæ ſpectant ad ordinis poteſtatem, neque ex commiſſione videntur poſſe competere ijs, qui tali ordine non gaudent. Quod autem hæc conſecratio pertineat ad ordinis poteſtatem colligitur *ex dicto cap. quamuis diſtinct. 68.* Ibi *Epiſcoporum eſſe Presbyteros, Diaconos, & Virgines conſecrare, Altare conſtruere, ſacrare, & vngere*, vbi vides æquè connumerari inter ea, quæ pertinent ad ordinem Epiſcopalem ſacrare Altaria, ac conſecrare Presbiteros. Nihilominus dicendum ſecundò, ex commiſſione, & diſpenſatione Romani Pontificis hanc conſecrationem poſſe fieri per ſimplicem Sacerdotem. Pro cuius probatione, & confutatione rationis pro contraria ſententia adductæ aduerte ad ordinem Epiſcopalem quædam iure Diuino pertinere quædam iure tantum Canonico. Ex iure Diuino pertinet, Sacramentum Confirmationis conferre, & ad ordines promouere; Ex iure tantum Canonico pertinet Virgines, Templa, Altaria, Vaſa, Veſtes conſecrare. Cum igitur tantum de iure Canonico affixum ſit ordini Epiſcopali Altaria conſecrare, non video, cur per Romanum Pontificem, qui eſt ſupra ius Canonicum ex diſpenſatione hæc poteſtas non poſſit ſimplici Sacerdoti conferri.

9 Ex commiſſione Papæ poteſt fieri per Sacerdotem

10 Cõſecratio debet eſſe ab Epiſcopo Dœceſano. Non interueniente Pontificis commiſſione, ſeu diſpenſatione Epiſcopus conſecrans debet eſſe Diœceſanus, vel alius Epiſcopus ex permiſſu Diœceſani, vt colligitur *ex cap. nullus Presbyter de conſecratione. diſtinct. 1. poſt Epiſtolam Hommiſdæ cap. 10.* Sed, cum ibi dicatur, &, ſi alitèr fiat, qui facit, degradetur, ſi Laicus excommunicetur, oritur difficultas, an illa degradatio referatur ad alienum Epiſcopum ſine permiſſu Diœceſani conſecrantem, an verò tantum ad ſimplicem Sacerdotem; Arbitror referri ſolum ad ſimplicem Presbyterum conſecrantem ſine permiſſu Epiſcopi loci, quod videtur colligi *ex Gloſa ibidem in verb. degradetur*, vbi aſſerit, eos eſſe deponendos, qui fingunt, vel dicunt ſe habere ordines, cum non habeant, quod non verificatur reſpectu Epiſcopi conſecrantis, cum verè ipſe habeat ordinem Epiſcopalem.

11 Exponitur modus conſecrationis. In ordine ad ſecundum de modo conſecrationis Altaris recolenda ſunt ea, quæ præſcribuntur in Pontificali Romano. Nonnulla breuitèr, quæ in tali conſecratione peraguntur, hic inſeram. In *cap. Altaria 2. de conſecrat. diſt. 1.*, hæc ha-

bentur. *Altaria placuit non ſolum Vnctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari*; ex quibus verbis habetur, duo ad conſecrationem Altaris concurrere, Vnctionem ſcilicet Chriſmatis, de qua *Sanctus Cyprianus ſerm. de Vnctione Chriſm.*, ait. *Altarium lapides oleo delibuti ſpiritualem ſignificant ſacris Myſterijs ineſſe pinguedinem*, & benedictionem, quæ, quamuis dicatur Sacerdotalis, debet tamen, vtſupra aſſerebam, eſſe Epiſcopalis, & dicitur Sacerdotalis per quandam antonomaſiam, cum Epiſcopus ſit Sacerdos magnus. Hæc benedictio partim conſiſtit in aſperſione aquæ benedictæ, partim in ſigno Crucis, quod per Epiſcopum ſuper ipſum efformatur. Sed, an requiratur, quod ſacræ Reliquiæ in eodem reponantur. Ex *cap. placuit de conſecrat. diſtinct. 1., & ex Concil. Carthagin. V. cap. 14., & Concil. Affric. cap. 50.*, videtur neceſſariam eſſe huiuſmodi ſacrarum Reliquiarum repoſitionem; Nihilominus DD. non pauci tradunt non eſſe neceſſariam *Durandus in rationali lib. 1. cap. 7. num. 23., Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5. verſ. tertio additur propè fin., Vaſquez tertia part. diſp. 233. cap. 2. nu. 16., Filliutius tract. 5. cap. 4. quæſt. 9. num. 121., Coninchus q. 83. art. 3. num. 141.*; vndè aliqui ipſorum

12 An requirantur reliquiæ.

aſſerunt, quod in Codicibus Eccleſiaſticis antiquis Miſſarum ordinem, & formulam continentibus habeantur hæc verba. *Si reliquiæ non fuerint in Altari, omittatur illa particula Orationis*, quæ dicitur, dum Sacerdos facta confeſſione aſcendit ad Altare. *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt*. Firmant tamen hanc Reliquiarum ſacrarum repoſitionem requiri *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 27. quæſt. 8., Silueſter, Tabiena, & alij apud ipſum* freti, textu *in dicto cap. placuit de conſecrat. diſt. 1.*, & auctoritate *Gregorij I. lib. 5. Epiſt. 50.* Ego probabilius arbitror, nec pertinere ad ſubſtantiam, nec cadere ſub præcepto, ſed eſſe tantummodò de congruentia. Ratio primæ partis eſt, quia *in dicto cap. Altaria 2. de conſecrat. diſtinct. 1.*, enumerantur, quæ neceſſaria ſunt, nempè vnctio Chriſmatis, & benedictio Sacerdotalis, nec ibi ſit mentio aliqua ſacrarum Reliquiarum, nec illa Reliquiarum repoſitio habet ſignificare aliquod myſterium, ad quod Altare ordinetur; nam hoc ordinatur ad Chriſtum repræſentandum, de quo dicitur: *Petra autem erat Chriſtus*, vel eius ſepulchrum, ad quod nihil conferunt ſacræ Reliquię. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, vbi etiam fuiſſet aliquod præceptum importatum *in dicto cap. placuit de conſecrat. diſtinct. 1.*, modo tamen non vrget, quia iam ceſſauit ratio, & occaſio eius, quæ fuit ad reſiſtendum hæreticis honorem debitum Reliquijs ſanctorum oppugnantibus, & modo difficilè foret in tanta Altarium multitudine tot ſacras Reliquias adinuenire.

In ordine ad tertium de amiſſione conſecrationis Altaris dicendum eſt, dupliciter hoc poſſe contingere, fractione ſcilicet, & motione; Fractione, quatenus ille lapis conſecratus ità frangatur, vt in nulla parte per eandem fractionem diuiſa poſſint Hoſtia, & Calix collocari, prout expreſsè habetur *in cap. 1. cap. in dubijs cap. ligneis de conſecrat. Eccl., vel alt.*, ſi etenim modicè in aliqua parte frangatur, adeovt remaneat pars integra ſufficiens ad continendum Calicem cum Hoſtia, tunc illa pars non amittet conſecrationem, nec indigebit reconſecratione; ſi verò ſupponatur, quod lapis ille ſit diuiſus in duas partes, quarum neutra ſecundum ſe ſit ſufficiens ad continendum Calicem cum Hoſtia, vtraque tamen pars vnita valeat continere, hoc eſt contigua; tunc abſolutè aſſererem, amittere conſecrationem, quia non eſt apta ſignificare myſticè vnam petram, qui eſt Chriſtus. Motione item amittitur conſecratio, quatenus, ſi Altare ſit fixum, tota eiuſdem ſtructura diſſoluatur, & ſuperior lapis ab inferioribus ſeparetur, vt notat *Gloſa in dicto cap. 1. de conſecratione Eccl., vel alt., Paludanus in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 4. concluſ. 2., Suarez in tertia part. tom. 3. dict. diſp. 81. ſect. 5. verſ. tertio additur propè medium*, qui omnes notant conſecrationem huiuſmodi Altaris, præcipuè ineſſe in coniunctione ſuperioris menſæ cum ſtructura inferiori; ſi verò Altare ſit mobile, ſeu portatile; tunc *Paludanus in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 4., Aſtenſis lib. 4. ſummæ tit. 14. art. 4., Durandus in rationali lib. 1. cap. 25.*, aſſerunt hæc Altaria non conſecrari, niſi prout ſunt incluſa in aliqua tabula, vel capſula lignea, in qua ſunt tanquam in proprio loco veluti in ſepulchro; vndè aſſerunt, quod, ſi ab eadem tabula amoueantur, amittant conſecrationem. Silueſter tamen *verb. Altare, §. 19., & ibi Tabiena, §. 5.*, videntur

13 Quomodo amittatur cõſecratio. Fractione, & motione.

14 Altaria mobilia nõ amittunt conſecrationem, niſi fractione

ſentire, quod Altaria mobilia, & portatilia non amittant conſecrationem, niſi per fractionem modo, quo ſuprà, qui per conſequens docent allegata iura *in d. cap. 1., & cap. in dubijs, & cap. ligneis de conſecrat. Eccl., & alt.*, intelligenda eſſe quoad motionem de Altaribus fixis, & immobilibus, cum mobilia alia ratione conſecrentur, vt mobilia ſint, & de loco in locum transferantur, hancque opinionem veriorem exiſtimo. Hoc tamen moneo, regulariter etiam in Altaribus, quæ dicun-

dicuntur fixa prius conſecrari menſam ſeparatam à ſtructura, & completa conſecratione ſupponi ſtructuræ, in quo caſu videtur etiam dicendum, quod, ſi deſtruatur ſtructura, & prius amoueatur menſa conſecrata, hæc retineat conſecrationem; vndè quando iura dicunt, quod, ſi Altare motum fuerit, iterum ſit conſecrandum, intelligenda ſunt, quando menſa eſt connexa cum ſtructura inferiori, & vtpotè ab eadem non amouibili, eſt in illa conſecrata.

Aſſertio III. Ad ſacrificium offerendum in Altari requiruntur ex diſpoſitione iuris poſitiui plura, quæ ad ornatum eiuſdem pertinent.

Singula in particulari expendo. Primum eſt, quod idem Altare ſit coopertum

15 Debet eſſe coopertũ linteis mundis. linteis mundiſſimis *Leo IV. Homilia de cura Paſtorali, c. conſulto de conſecrat. diſtinct. 1., Concil. Cornacenſe cap. 3., Concilium Lateranenſe IV. cap. 19., Concil. Oxiomenſe l. c. 3.* Regularitèr iſta lintea debent eſſe tria, vt videtur colligi *ex cap. ſi per negligentiam de conſecrat. diſtinct. 2.*, vbi præter corporale

16 Lintea debent eſſe tria. numerantur tria. Ibi - *Si aliquid de ſanguine ſtillauerit ſuper linteum Altaris, & ad aliud ſtilla peruenit, quatuor diebus pæniteat, ſi vſque ad tertium, nouem diebus pæniteat, ſi vſque ad quartum viginti diebus*, vbi nota primum verba, *ſtillauerit ſuper linteum Altaris*, referri ad corporale, & cum de tribus alijs fiat mentio, vtique indicari tria præter corporale requiri. Hodiè tamen vſus inualuit, vt pleriſque in locis duo tantum adhibeantur, vel vnum etiam, ſed plicatum, quod propterea æquiualet duobus, vt notat *Silueſter verb. Miſſa 1. quæſt. 1., Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6., & alij communitèr.* Hæc lintea debent eſſe linea, non tamen neceſſe eſt, quod ſint benedicta, quia de hac benedictionis neceſſitate nullibi conſtat.

17 Requiritur etiam corporale benedictũ. Secundum eſt, vt habeat corporale, quod debet eſſe ab Epiſcopo benedictum, vel ab habente poteſtatem commiſſam benedicendi, vt habetur *in cap. conſulto de conſecrat. diſtinct. 1.*, & hoc definitum eſt *per Euſebium, & Silueſtrum Pontifices*. Debet item eſſe lineum, vt habetur *in Concil. Rhemenſi cap. 3.*, quod etiam ſtatuit, quod in eo alterius generis materia pretioſior, aut vilior non miſceatur, quod tamen intelligendum eſt dumtaxat quoad interiorem partem, in qua Corpus Domini, & Calix collocari debent; non enim prohibetur, quin in extremitate auro, vel ſerico ornari poſſit. Dixi, *vel ab habente poteſtatem commiſſam benedicendi*, cum etenim huiuſmodi benedictio fiat abſque Chriſmatis Vnctione non eſt, cur à Romano Pontifice non poſſit committi ſimplicibus Sacerdotibus, ſicde facto ab Innocentio VIII. commiſſa fuit Abbatibus Ciſtercienſibus per diploma, quod de verbo 18 Quale debeat eſſe corporale.
ad verbum recitat *Tamburinus tom. 1. de iure Abbatum diſp. 22. q. 2.*, & à Iulio II. Priori Generali Canonicorum Sancti Saluatoris, vt refertur in compendio Priuilegiorum Societatis Ieſu *verb. benedicere*, & hoc non ſolum extenditur ad corporalia, & paramenta pertinentia ad proprias Eccleſias, ſed etiam ad alienas; in quo priuilegio communicant Præpoſiti, & Superiores noſtræ Congregationis, cui obſtare non poteſt declaratio Sacræ Congregationis relata *à Gauanto in rub. Miſſalis tom. 1. part. 4. tit. 19. num. 21.*, nam prædictum decretum Sacræ Congregationis procedit ſecluſa conſuetudine, & vſu talis priuilegij, prout notant *Suarez tom. 4. de Religione tract. 1. lib. 2. cap. 30. in fine, Diana tom. 4. tract. 2. de dub. Regul. reſol. 40.*, vbi alios allegat. Dicitur autem corporale, quia ſindonem rapræſentat, qua Corpus Chriſti inuolutum fuit, vel quia ſupra ipſum ponitur idem Corpus. Hoc adeò neceſſarium eſt, vt, ſi omittatur, grauis culpa contrahatur, non ſolum, quia eſt contra conſtantem, & vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, ſed etiam contra decentiam debitam tanto Sacramento.

Tertium, quod requiritur, eſt palla 19 Requiritur etiam palla, & qualis.
quædam parua, quæ ſuperponitur Calici, quæ debet etiam eſſe linea ſaltem in parte interiori, quæ Calicem tangit, nam in partibus extimis poteſt eſſe, vel ex auro contexta, vel ſerica; antiquitùs vnicum tãtum corporale adhibebatur oblongum, cuius vna in parte collocabantur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, & reſidua eius parte cooperiebatur, ex quo fortè deſumpſit occaſionem *Sotus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 3.*, aſſerendi pallam illam paruam non eſſe de ſubſtantia ornamentorum Altaris, quod verum exiſtimo, quando corporale oblongum deſeruiret vtrique muneri; vndè refert *Suarez dict. diſp. 81. ſect. 6. verſ. tandem circa hoc præceptum*, quod Romæ pars illa, quam nos pallam paruam vocamus, fieri conſueuerit ex parte corporalis plicata, & conuenientèr compoſita. Hodiè tamen vſus ferè vbique obtinuit, vt hæc palla ſit à corporali diſtincta; vndè Innocentius *lib. 2. de myſterijs Miſſæ cap. 56.*, duas pallas enumerat dicens. *Duplex eſt palla, quæ dicitur corporale, vna, quam Diaconus ſuper Altare totam extendit, altera, quam ſupra Calicem plicatam imponit*; hæc autem ſecunda ſignat ſudarium, quod fuit ſuper caput Domini. An autem ſit graue peccatum ipſum omittere? Tunc dicam, non

eſſe

eſſe graue peccatum, ſi adhibeatur corporale oblongum, ità vt in vna parte deſeruiat ad cooperimentum Calicis, ſecus, ſi nec corporale ad vtrumque munus deſeruiat, nec palla adhibeatur; nam iuxtà primum ſenſum habetur, quidquid requiritur ad effectum ab Eccleſia intentum; iuxtà ſecundum eſt defectus ſaltem quoad ſignificationem notabilis.

20 Requiruntur etiam lumina ardentia.

Quartum, quod requiritur, eſt, vt in Altari, in quo offerendum eſt ſacrificium, lumina exardeant; hoc colligitur ex antiquiſſima conſuetudine, & *ex cap. vltim. de celebrat. Miſs.*, vbi grauitèr reprehenditur quidam Presbyter, quod ſacrificauerit ſine lumine. Myſtica ſignificatio horum luminum indicatur *à D. Iſidoro lib. 7. Ethimol. cap. de Clericis*: Ibi - *vt ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Euangelio legitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.*

21 Ex conſuetudine recepta debent eſſe ſaltem duo.

Circa hæc duo dubitant DD., an ſcilicet ſufficiat vnum, an verò plura requirantur lumina, &, an, ſiue vnum ſufficiat, ſiue plura requirantur, hæc debeant eſſe ex cera, vel poſſint eſſe ex alia materia? In iure ſolum expreſſum reperitur, quod ignis debeat, quando Miſſa celebratur, in Altari ardere, quod æquè videtur verificari, ſiue vna dumtaxat candela ardeat, ſiue plures; Ex conſuetudine tamen ferè vbique recepta duæ ſaltem adhibentur ad indicandam fortè duplicem naturam in Chriſto Domino, hocque abſolutè ſeruandum arbitror ſic exigente congruo ornatu, & decentia, & reuerentia debita tanto ſacrificio. Exciperem tamen in caſu, quo vnica tantum haberi poſſit, cum in rigore præcepti hæc ſufficiat, & maior numerus ſit inductus ex fine maioris decentiæ, quæ in caſu neceſſitatis non videtur vrgere. Ad ſecundum propoſitum dubium ex conſuetudine ferè vbique recepta huiuſmodi lumina debent
22 eſſe ex cera, quæ certè videtur ſeruanda.

Et vtrique ex cera.

Non negarem tamen in caſu neceſſitatis poſſe fieri cum lumine adipis, vt ſignantèr tradit *Diana part. 1. tract. 14. reſol. 45.*, vbi allegat Zanardum, Pitigianum, Graſſium, Azorium, Homobonum, & alios, quinimmò cum lucerna olei, vt ſignantèr tradunt *Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 3. num. 17.*, *Suarez tom. 4. de Religione tract. 1. lib. 2. cap. 30. in fine*, quamuis hic *in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. verſ. tertio requiritur* aſſerat, hoc non eſſe conſulendum. *Reginaldus lib. 29. cap. vlt. part. 3. ſect. 6. num. 196.*, eo quia Canones ſolum prohibent, ne ſine igne ſacrificetur, non autem præſcribunt ignem debere eſſe ex cera.

23 Ex conſuetudine requiritur etiam crux.

Quintum, quod requiritur, eſt Crux, de qua tamen nullum decretum reperitur; ſolum legitur in regulis Miſſalis, & in Ritibus, & Cæremonijs, quin potius ſupponitur Crux in Altari debere adeſſe, & omnes timorati Sacerdotes ſolliciti ſunt, ne deſit, & ità conſuetudine receptum eſt ferè vbique; ſed, an hæc conſuetudo obliget ſub graui? *Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. verſ. quarto addere poſſumus, Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 12. num. 5.*, ſentiunt non obligare ſub graui, eo quia de illa non conſtat, niſi ex rubricis Miſſalis, quæ ſolum dirigunt, non præcipiunt; quod valdè probabile arbitror.
24 Dato tamen, quod, etiam obligaret ſub graui, non obligaret tamen, quando in Altari eſſet ſolemnitèr expoſitum Auguſtiſſimum Sacramentum, quinimmò tunc non deberet adeſſe, vt notat Gauantus in rubricis Miſſalis, dum de incenſatione poſt introitum, vbi dicit Crucem non eſſe incenſandam, quia tunc non debet adeſſe, quando eſt expoſitum Sacramentum, & ratio eſt, quia debet ceſſare figura, vbi eſt ipſum figuratum.

Excipe, vbi eſt expoſitū Sacramentum ſolemnitèr.

25 Requiritur etiam liber Miſſalis.

Sextum, quod requiritur, eſt Miſſalis liber, qui neceſſario debet eſſe, & continere ea, quæ in Miſſa dicenda ſunt, & præcipuè integrum Canonem, vt notant *Silueſter verb. Miſſa 2.*, *Nauarrus cap. 25. num. 84.*, cuius neceſſitas tanta eſt, vt omiſſio eiuſdem regularitèr ſit læthalis propter periculum omittendi ex labilitate memoriæ, quæ neceſſaria ſint. Verum tamen eſt, quod, ſi neceſſitas vrgeret, & Sacerdos ità eſſet inſtructus, & de ſuo memoria confidens, vt non dubitaret de integra recitatione, non eſſet de graui culpa imputandus *Suarez tom. 4. de Religione tract. 1. lib. 2. num. 30. in fine*, quamuis hic poſtea *in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. verſ. quarto requirunt auctores*, aſſerat, ſe hoc aliorum iuditio relinquere, nam ipſe propter multorum auctoritatem licentiam dare non audet *Rodriquez in ſumma part. 1. cap. 249.*, *Layman mor. Theol. lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 17.*

26 Requiritur etiam pallium.

Septimum, quod requiritur, eſt pallium, quo facies exterior Altaris operiatur. Hoc poteſt eſſe ſericum, vel coriaceum, vel etiam ex marmore, vel argento, quinimmò, vbi ſubtus Altare eſſent ſacræ Reliquiæ decentèr ornatæ etiam non exiſtente pallio poſſet in eodem ſacrificium offerri. De hoc nullum inuenio præceptum, ſed dumtaxat conſuetudinem.

AR-

ARTICVLVS II.

De Vaſis Sacris, in quibus hoc ſacrificium offerendum eſt.

SVMMARIVM.

Requiritur Calix, & Patena. 1.
Articuli circa eoſdem examinandi. 2.
Regularitèr debent eſſe ex auro, vel argento. 3.
Ob paupertatem permitti poteſt etiam ex ſtanno. Ibid.
Vetantur Calices ex ligno, & vitro. 4.
An poſſint eſſe ex ſolido criſtallo, & ex lapide pretioſo remiſſiuè. 5.
Forma materialis qualis. 6.
Forma ſpiritualis huiuſmodi vaſorum eſt conſecratio. 7.
Per quid fiat hæc conſecratio. 8.
Ex officio ſolis Epiſcopis competit hæc facultas conſecrandi. 9.
Ex priuilegio competit etiam Abbatibus. 10.
Et etiam Societati Ieſu in remotiſſimis partibus. 11.
Calix non conſecratus per conſecrationem Sanguinis in ipſo ſecundum aliquos adhuc indiget cæremoniali conſecratione. 12.
Secundum alios probabilius non indiget. 13.
Æquè Patena, ac Calix indiget conſecratione. 14.
Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ. 15.
Conſecratio Calicis deperditur per nouam deaurationem. 16.
Soluuntur aliquæ rationes oppoſitæ. 17.
Etiam per fractionem amittitur conſecratio. 18.
Qualis debeat eſſe hæc fractio. 19.
Diuerſa ratio de partibus fixis ſeparatis, ac de tornatilibus. 20.
Non eſt neceſse, quod pixis ſit conſecrata. 21.
Satisfit aliquibus congruentijs adductis à Suarez pro conſecratione. 22.
Vaſis ſacris præſtandus eſt honor negatiuus. 23.
Honor negatiuus conſiſtit in eo, vt non tangantur à Laicis. 24.
Ex priuilegio tamen competit aliquibus Religioſis laicis tangere. 25.
Tangere ſecluſo priuilegio eſt peccaminoſum venialitèr. 26.
Exhibendus eſt etiam honor poſitiuus. 27.
In quo conſiſtat hic honor. 28.
Honor hic abſolutè referri debet ad Deum, reſpectiuè ad ipſa vaſa. 29.

NOn eſt dubitandum, quin requiratur Calix, & Patena ad hoc ſacrum miniſterium, cum hoc definitum reperiatur in pluribus textibus iuris Canonici *in cap. vaſa de conſecrat. diſtinct. 2. in Concil. Tribu. rienſ. cap. 18.*, & ex alijs pluribus, de quibus in progreſſu explicationis huius tituli, quod etiam quoad Calicem ex neceſſitate euincitur, cum vinum non poſſit, niſi in aliquo vaſe ſimili conſecrari *Paſchaſius lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 20.*, &, licet quoad Patenam non videatur tanta neceſſitas, nihilominus eſt talis, vt valdè conferat ad decentiam huius ſacrificij, & vſum eiuſdem, vt fragmenta poſſint facilius adinueniri, eſt etiam quoquo modo neceſſaria ad ſignificationem, cum referatur ad lapidem ſepulchralem, in quo repoſitum fuit Corpus Domini.

1 Calix, & Patena requiruntur.

Suppoſita igitur neceſſitate Calicis, & Patenæ nonnulla circa ipſa inquiruntur. Primum eſt, ex quanam materia debeant conſtare. Secundum, quænam debeat eſſe forma earundem, tam materialis, quam ſpiritualis. Tertium, quomodo, & per quid amittatur huiuſmodi forma ſpiritualis. Quartum ex occaſione eorum, quæ dicentur de Calice, & Patena, inquiretur, an alia vaſa, in quibus recipitur Sanguis, & Corpus Chriſti Domini, debeant habere eandem formam ſpiritualem conſecrationis. Quintum, qui cultus, & veneratio adhibendus, ſeu adhibenda ſit huiuſmodi ſacris Vaſis.

2 Articuli circa eoſdem examinandi.

Aſſertio. Materia, ex qua conſtare debet Calix, & Patena, debet eſſe aurum, vel argentum, ſaltem regularitèr loquendo. In hoc conueniunt omnes ferè his temporibus. Dixi, *ſaltem regularitèr loquendo*, nam propter paupertatem conceditur, vt poſſit eſſe ſtannum, vt colligitur ex *Concil. Rhemenſi cap. vt Calix.* Ibi - *Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem, vel ſtanneum Calicem habeat.* Dixi, *his temporibus*; nam antiquitùs adhibebantur Calices lignei, & poſtea vitrei, vel fortè ex alia materia.

3 Regularitèr debent eſſe ex auro, vel argento.

Probatur aſſertio primò *ex cap. vaſa de conſecrat. diſt. 1.*, vbi præſcribitur, huiuſmodi vaſa debere eſſe argentea, & *ex Concil. Rhemenſ. relato in cap. vt Calix de conſecrat. diſtinct. 1.* Ibi - *Vt Calix Domini cum Patena, ſi non ex auro, omninò ex argento fiat*; & ibi fit mentio de Calice, & Patena, & diſpoſitio æquè intelligenda eſt de vtroque. Hoc tamen aduerto, quod, quamuis de Calice præſcribatur, quod ſaltem debeat eſſe de argento, hoc tamen intelligendum ſit quoad cuppam, quia hæc ſolum deſeruit proximè ad recipiendum Sanguinem Chriſti Domini. Hinc congruè vetantur Calices lignei, non ſolum ob decentiam debitam tanto Sacramento, ſed etiam ob euitandum, ne poſt ſacrificium Sanguis remaneat inconſumptus, cum etenim

4 Vetantur Calices ex ligno, & vitro.

etenim lignum ſit poroſum, attrahit ad ſe intra poros materiam fluidam; item vetantur vitrei ob periculum fractionis, & effuſionis Sanguinis per textum *in cap. vaſa de conſecrat. diſtinct.* 1.; item æreì, & ex auricalcho, quia facilè contrahunt rubiginem &c. Item ferrei ex eodem motiuo.

5 An poſſint eſſe ex criſtallo.

Sed, an prohibeantur Calices ex ſolido criſtallo, & ex lapide pretioſo cõfecti? Videtur dicendum non prohiberi, quia in hoc ſaluatur decentia debita Sacramento, & ceſſant illæ indecentiæ, quæ conſurgerent, ſi eſſent ex ligno, vitro, ære, & auricalcho. Non conſulerem tamen, vt adhiberentur, quia eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ.

6 Forma materialis qualis debeat eſſe.

Aſſertio II. Forma materialis huiuſmodi vaſorum non eſt aliquo iure poſitiuo ſcripto determinata, ex vſu tamen in Eccleſia ferè vbique recepto Patena habet pro forma figuram circularem, & Calix concauitatem rotundam. Quod non ſit aliquo iure poſitiuo ſcripto determinata, ex ſe patet, cum non ſit aſſignabile tale ius; quinimmò ſecundum varia tempora vaſa huiuſmodi cum varijs figuris fuerunt adhibita. Memini, me vidiſſe vas quoddam, in quo ſacrificabat D. Iulius, adinſtar cymbij concaui quidem, ſed dilatati, & alibi alia diuerſæ figuræ, & etiam patenas figuræ non circularis, ſed quadratæ. Sed modo, vt aſſerebam, ſeruanda eſt conſuetudo ferè vbique recepta, quod Calix ſit concauus, & figuræ rotundæ, & Patena figuræ orbicularis.

Aſſertio III. Forma ſpiritualis, & Eccleſiaſtica huiuſmodi vaſorum eſt conſecratio, quæ fit per Vnctionem Chriſmatis, & ſpecialem benedictionem.

7 Forma ſpiritualis quænam.

Expreſſè habetur *in cap. vnico, §. fin. de ſacra Vnct.*, quod adeò verum eſt, vt, ſi quis auderet in Calice non conſecrato celebrare, eſſet ſuſpenſus ab officio celebrandi, & à beneficio, ſi quod haberet per textum *in cap. vlt. §. vlt. de celebrat. Miſſ., & ibi Gloſ. in verb. lignea, Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 7. verſ. alia autem forma, Scortia de Sacrific. Miſſ. lib. 2. c. 14. num. 4.*

8 Per quid fiat hæc conſecratio.

Circa hanc formam nonnullæ hic inſurgunt rationes dubitandi, quarum prima eſt, à quonam debeat impendi hæc forma, an à ſolo Epiſcopo, an verò poſſit alijs ab eodem committi. Secunda, an, ſi in Calice non conſecrato conficeretur ſacrificium, eo ipſo intelligeretur fieri conſecratus, adeò vt non indigeret alia conſecratione, quamuis ſic conſecrans grauitèr peccaret, & ſubiret pœnas iuris expoſitas. Tertia, an æquè requiratur præuia conſecratio Patenæ, ſicut & Calicis.

Ad primam dicendum eſt, ex officio huiuſmodi formam impendendam eſſe ab Epiſcopo; ex priuilegio tamen competere Abbatibus mitratis, & conſecratis, & fortè etiam pro aliquibus regionibus Regularibus, potiſſimum ſuperioribus. Ratio primæ partis eſt, quia conſecrationes, quæ fiunt per inunctionem Chriſmatis regularitèr ſunt affixæ officio Epiſcopali; nam, quo digniores ſunt, eo maiorem in conferente exigunt dignitatem. Confirmatur, quia conſecratio Calicis, & Patenæ, vtpotè quæ magis accedit ad inſeruiendum continentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini dignior eſt, quam ſit conſecratio Eccleſiæ, & Altaris, quæ magis remotè deſeruiunt; ſed conſecratio Eccleſiæ, & Altaris ex officio pertinet ad ſolum Epiſcopum, ergo à fortiori ad ipſum ſolum pertinet conſecratio Calicis, & Patenæ. Sed, an ſolum hæc pertineat ad Epiſcopum Diœceſanum, an verò poſſit fieri à quocunque alio Epiſcopo. Arbitrarer, poſſe ab alio quocunque fieri; quia ſufficiens poteſtas eſt affixa ordini Epiſcopali, nec in hoc requiritur aliqua iuriſdictio contentioſa, ſed merè voluntaria, quæ exerceri poteſt à quocunque habente legitimam poteſtatem; &, ſicuti communitèr aſſerunt DD., quod Prælati Regulares habentes ex priuilegio poteſtatem benedicendi ſacra paramenta, non ſolum poſſunt benedicere pertinentia ad propriam Eccleſiam, ſed etiam illa aliarum, ità &c. Hoc tamen non conſulerem.

9 Facultas conſecrãdi ex officio competit Epiſcopis

Ratio ſecundæ partis deducitur ex priuilegijs conceſſis à Romanis Pontificibus Abbatibus Caſſinenſibus, & præcipuè à Benedicto XIII., item à Pio IV. Abbatibus eiſdem, item ab Innocentio VIII. Abbati Ciſtertij, & quatuor eius CoAbbatibus, item à Paulo III. Abbati Valliſcolarium, vt habetur *in Bullario Caſſin. Conſtitut. 220., & 343., Tamburinus tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 23. quæſt. 4.*, vbi ait iure communicationis, poſſe alios omnes Abbates hoc præſtare; vndè idem Tamburinus refert, quod, cum Romæ Viſitatores Apoſtolici viſitaſſent Altaria Eccleſiæ Sanctæ Praxedis, quæ eſt Congregationis Vallis Vmbroſæ, & intellexiſſent illa eſſe conſecrata à proprijs Abbatibus, hoc non improbauerunt. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, huiuſmodi priuilegia referri ſolum ad conſecrationem Eccleſiæ, & Altarium, quæ propterea nequeunt extendi ad conſecrationem ſacrorum vaſorum, quia ex ſupradictis, cum hæc ſint proximiora ad recipiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, exigunt maiorem dignitatem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tota difficultas, quæ conſiderari poteſt in conſecratione ſacrorum vaſorum eſt ratione

10 Ex priuilegio cõpetit etiã Abbatibus.

vſus

vſus Chriſmatis, qui videtur proprius ordinis Epiſcopalis; cum autem hic vſus ſit huiuſmodi Abbatibus conceſſus in conſecratione Altarium, non videtur eis denegandus in conſecratione Calicis; & , licet Sacra Rituum Congregatio ſtatuerit, non poſſe Abbates etiam benedictos illa benedicere, in quibus interuenit Chriſmatis Vnctio; nihilominus, poſtquam fuit debitè informata de priuilegijs eorundem Abbatum Caſſinenſium anno 1606., & anno 1614. declarauit, ſe illo ſuo anteriori decreto non comprehendere Abbates habentes priuilegia Apoſtolica ad eadem, quinimmò ipſis licere ſecundum eorundem priuilegiorum tenorem, vti Chriſmate. Deindè conſecrationem ſignantèr calicum inuenio conceſſam eiſdem Abbatibus Caſſinenſibus, ſuper quæ, cum orta eſſet controuerſia inter eoſdem, & Epiſcopum Patauinum, Sacra Congregatio anno 1620. die 5. Aprilis confirmando eorum iura declarauit, id ipſis licitum eſſe. Ex quibus paſſim Abbates modo nemine reluctante conſecrant huiuſmodi Calices non ſolum ad proprias Eccleſias pertinentes, ſed etiam indiferentèr ad alias aliorum.

Declarationes Sacræ Congregationis.

Neque item obeſſe poteſt, ſi dicatur, poteſtatem conſecrandi Calices, & vaſa ſacra eſſe affixam poteſtati ordinis Epiſcopalis, quæ propterea nequit etiam per priuilegium extendi ad non habentem talem ordinem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia alia ſunt affixa ordini Epiſcopali ex iure Diuino, cuiuſmodi ſunt conferre Sacramentum Confirmationis, & ſacrorum Ordinum; alia tantum affixa eidem ex iure Eccleſiaſtico, cuiuſmodi ſunt benedicere, conſecrare Altaria, vaſa ſacra, & alia huiuſmodi; prima ſecundum, aliquos nequeunt extendi vltra ordinem Epiſcopalem; Secunda ex priuilegio, & ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicę poſſunt extendi, cum Pontifex ſit ſupra omne ius Eccleſiaſticum.

11 Etiam Societati Ieſu in remotis partibus.

Ratio tertię partis deducitur ex quodam priuilegio, quod refert *Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 7. verſ. alia autem forma*, conceſſo Patribus Societatis Ieſu à Paulo III. conſecrandi in remotiſſimis partibus huiuſmodi vaſa ſacra, quod, an ſit communicabile alijs Regularibus extra talem Societatem, non dubitarem aſſerere ſeruatis eiſdem conditionibus, ſi ſcilicet ſint in remotiſſimis partibus.

12 Calix debet eſſe inunctus Chriſmate.

Ad ſecundam certiſſimum eſt, prærequiri Calicis conſecrationem per Chriſmatis inunctionem, & benedictionem ex diſpoſitione Eccleſiaſtica ad ſacrificium in eo conficiendum per textum *in cap. vnico, §. fin. de ſacra vnct.*, ſed difficultas verſatur in eo, an, ſi Sacerdos neglecta illa conſecratione in Calice non conſecrato conficiat ſacrificium, in illo contactu Sanguinis Chriſti Domini præcisè fiat conſecratus, adeovt vlteriori non indigeat conſecratione per Chriſmatis inunctionem, & benedictionem Epiſcopalem, vel Abbatialem? 12
Suarez in tertia part. tom. 3. d. diſp. 81. ſect. 7. verſ. alia verò forma in principio, videtur ſatis apertè ſentire quantum ad hunc effectum, vt poſſit licitè in eo fieri ſacrificium, non ſufficere conſecrationem per contactum Corporis, & Sanguinis Domini, ſed vlterius requiri conſecrationem cæremonialem, quæ fit per Chriſmatis inunctionem, & benedictionem. Idem expreſſius ſentit *Fagundez de quinque Eccl. præcept. part. 1. lib. 3. cap. 21. num. 15.*, vbi refert, ità fuiſſe deciſum à grauiſſimis Patribus Societatis Ieſu. Contrarium ſentit *Diana tract. 14. reſol. 54.*, paritate deducta ab Eccleſia polluta, quæ ſufficientèr reconciliatur per primum ſacrificium, quod in ea celebratur nulla alia facta benedictione. In confirmationem ſententiæ Dianæ multum conferre poſſunt verba, *D. Auguſtini lib. 3.* contra *Creſcent. cap. 29.*, *& in Pſalmi 113.* Ibi- *Sed & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex auro, & argento habemus in vſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicuntur*. Veneor doctrinam illorum grauiſſimorum PP. Societatis Ieſu, quam commendat Fagundez, ſed amplectendam arbitror opinionem Dianæ, quæ tutioribus nititur fundamentis; quibus adde maiorem conferri ſanctitatem per contactum ſubſtantialis Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, in quo reſidet ipſa ſubſtantialis ſanctitas, quam per merum contactum ſacramentalium.

Calix nō conſecratus per conſecrationem Sanguinis in ipſo ſecundum aliquos adhuc indiget cæremoniali conſecratione.

13 Secundū alios probabilius non indiget.

Ad tertiam dicendum eſt, æquè Patenam, & Calicem debere eſſe conſecratam eadem, vel ſimili forma conſecrationis, cum non minus Patena diſpoſita ſit ad recipiendum Corpus, quam Calix ad recipiendum Sanguinem Chriſti Domini. Nec obſtat, quod conſecratio Sanguinis fiat in Calice, non ſic conſecratio Corporis in Patena, quæ ſolum habet continere idem Corpus conſecratum; ad continendum autem Corpus conſecratum non requiritur conſecratio in vaſe continente, vt de Pixide affirmant *Sotus in 4. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 3.*, *& ibi Paludanus quæſt. 1. art. 4.*, *& alij*. Non, obſtat, inquam, quia iura Canonica, quæ præſcribunt conſecrationem Calicis, præſcribunt etiam conſecrationem Patenæ, &, ſicuti conſecrantur Altaria, non eſt, cur non debeant & Patenæ conſecrari; vndè in Rituali Romano præſcribitur pro Calice, & Patena eadem forma conſecrationis; nec obſtant,

14 Æquè Patena, ac Calix indiget conſecratione.

15 Soluuntur inſtātiæ oppoſitæ. quæ ex aduerſo afferebantur; nam dato etiam, quod non fiat conſecratio Corporis in Patena, non ſequitur, quod hæc non debeat eſſe conſecrata, cum hæc deſeruiat immediatè ſacrificio, & iura expreſsè ſtatuunt de Patena, & Calice, quod de alijs non exprimunt; nec ratio, quod fiat ſacrificium in aliquo vaſe, eſt formalis, propter quam vas ipſum debeat eſſe conſecratum; nam in aduerſantium ſententia pixis non debet eſſe neceſſariò conſecrata, & tamen, vt plurimum in eadem conſecrantur particulæ conſeruandæ. Vtrum verò pixis debeat eſſe conſecrata, infrà latè examinabimus.

16 Conſecratio Calicis deperditur per nouam deaurationem. Aſſertio IV. Duobus potiſſimum modis conſecratio Calicis amittitur per nouam, ſcilicet inaurationem, & per fractionem *Suarez d. tom. 3. diſp. 81. ſect. 7. verſ. alia verò forma*, *Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſsæ part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 13. num. 4., & 5.*, *Silueſter verb. Calix.*

Vtrumque modum explico. Per nouam inaurationem tunc contingit, quando interior pars Calicis, & illa ſuperficies Patenæ, in qua Corpus Chriſti collocatur vſu amiſerunt inaurationem, & iterum inaurantur, tunc etenim indiget noua conſecratione. Ratio autem ea eſt, quia hæc conſecratio requiritur propter contactum Corporis, & Sanguinis Domini, id autem, in quo fit contactus eſt illa ſuperficies, quæ, cum de nouo ponatur, & non ſit conſecrata, indiget conſecratione; Neque dicas, ſi Calix fuerit argenteus, & inauratus in parte interiori, & inauratio illa interior deperdatur, adhuc ille Calix remanet conſecratus, adeovt in ipſo poſſit fieri conſecratio Sanguinis Chriſti Domini in quo nullus videtur diſſentiri; ex quo duo infero; ergo per adiunctionem illius inaurationis nouæ in parte interiori non eſt neceſſaria noua conſecratio, cum pars minima non conſecrata addita maiori conſecratæ fiat conſecrata, vt videre eſt in modica aqua non benedicta addita magnæ aquæ benedictæ; & in modica parte addita Eccleſiæ conſecratæ, quæ fit conſecrata, & benedicta. Item, ergo, cum pars maior Calicis conſecrati remaneat conſecrata, nec deperdat conſecrationem, non poterit iterum conſecrari; Contra

17 Soluuntur aliquæ rationes oppoſitæ. enim impugnaberis, quia admitto, quod propter amiſſionem inaurationis Calix argenteus adhuc remaneat conſecratus, adeo vt, ſi iterum non inauretur poſſit in eo fieri ſacrificium, & conſecratio Sanguinis; ex hoc tamen non ſequuntur, quæ inde inferuntur, quandoquidem, vbi de nouo ponitur inauratio, ponitur noua pars, quæ non eſt conſecrata, quæque immediatè debet tangere Sanguinem Chriſti Domini, parum referente, quod aliæ partes ſint conſecratæ; nec valet paritas de aqua non benedicta commixta benedictæ, & de modica parte Eccleſiæ conſecratæ addita, quandoquidem hoc eſt ſpeciale in ſubiecto, vt in ea parte, quæ debet immediatè continere, & tangere Sanguinem Chriſti Domini, ſit formalitèr conſecratum, non per meram quandam accomodationem, cum pars illa ſit quaſi forma reſpectu aliarum partium, &, licet ſit minor reſpectu materialis quantitatis, eſt tamen maior ratione excellentiæ, & muneris, quod debet præſtare per continentiam, & immediatum contactum eiuſdem Sanguinis, & Corporis Chriſti Domini.

Per fractionem tunc contingit amiſſio conſecrationis, quando partes eiuſdem Calicis vnitæ ſeparantur, nempè cuppa à pede; prout ſtatuunt *Paludanus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 5. concluſ. 2.*, *Suarez d. diſp. 81. ſect. 7. verſ. rurſus inquiri poteſt*, *Marchinus tract. 3. de ſacrif. Miſsæ part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 13. num. 5.* Ratio eſt, quia illæ partes conſtituunt quid vnum, & ſeparatio non ſolum vnionem deſtruit, ſed vlterius figuram tollit; deſtructa autem figura definit conſecratio. Intellige tamen, quando pes eſt fixus in cuppa, & non amouibilis; ſi etenim Calix ſit tornatilis, & cuppa poſſit ſeparari à pede, tunc non negarem per illam ſeparationem non tolli conſecrationem, cum ideò Calix factus ſit tornatilis, vt poſſit facilè ſeparari, & nimis arduum foret, ſi quoties partes illæ ſepararentur, toties Calix eſſet reconſecrandus. Neque dicas, poſita illa diſiunctione pedis à cuppa, ſiue fiat per fractionem, quando ſunt partes illæ fixæ, ſiue per ſimplicem ſeparationem, quando ſunt tornatiles, non remanere amplius figuram Calicis; vel ergo conſecratio ſaluatur in ſola figura cuppæ, & ſic remanebit, ſiue illa ſit ſeparata per fractionem, ſiue per ſimplicem ſeparationem, dummodò integra remaneat; vel non ſaluatur in ſola cuppæ figura, & ſic quomodocunque fiat illa ſeiunctio, non remanebit conſecratio, potiſſimum cum illa ſeiunctio quomodocunque fiat, non variet figuram; & partes illæ poſſent iterum facilè coniungi; Contra enim impugnaberis, quia, quando partes eiuſdem Calicis ſunt tornatiles, & inter ſe ſeparabiles, ità ſunt in ſua origine inſtitutæ, vt ſolum faciant quid vnum per quandam connexionem non fixam, ſed amouibilem, quando verò partes ſunt fixæ, & non amouibiles, ità ſunt inſtitutæ, vt faciant quid vnum phyſicè inamouibile permanens, & ex

18 Etiam per fractionem ammittitur conſecratio.

19 Qualis debet eſſe hæc fractio.

20 Diuerſa ratio de partibus fixis ſeparatis, ac de tornatilibus.

genere

genere ſuo fixum, cuius figura phyſica per fractionem tollitur ſaltem quoad moralem, & communem hominum æſtimationem, qua figura deperdita, & conſecratio deperditur, quod non euenit in caſu ſeparationis Calicis tornatilis quoad ſuas partes, quæ inſtitutæ ſunt, vt faciant ſolummodò vnum per connexionem quandam amouibilem, & reunibilem.

21 Non eſt neceſſe, quod pixis ſit cõſecrata.

Aſſertio V. Probabilius eſt, non eſſe neceſſe pixidem, aliaque vaſa ordinata ad recipiendum, & conſeruandum Corpus Chriſti Domini eſſe conſecrata; maximè tamen congruit dignitati Sacramenti, vt ſint benedicta. Ità quoad primam partem *Sotus in 4. diſtinct. 23. quæſt. 1. art. 3.*, *Paludanus ibidem quæſt. 1. art. 4.*, *Silueſter verb. Euchariſtia 3. quæſt. 4.*, *Barboſa de officio Epiſcopi allegat. 27. num. 41.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 3. de requiſ. ad Miſſam celebr. c. 13. n. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quod nullibi conſtat hanc conſecrationem quoad huiuſmodi vaſa cadere ſub præcepto, &, licet in Rituali Romano legatur formula benedictionis pixidis, aliorumque vaſorum ſacrorum, hoc tamen non infert præceptum, quandoquidem in eodem leguntur formulæ etiam benedictionis vaſorum Reliquiarum, mapparum, & aliorum ornamentorum Altaris, quæ tamen non cadunt ſub præcepto, nec ſemper benedicuntur; quinimmò ex eo, quod apponatur formula benedictionis pixidis diſtincta ab ea, quæ apponitur pro benedictione Calicis, & Patenæ, nec ibi ſtatuatur inunctio Chriſmatis, ſatis efficacitèr euincitur, conſecrationem eiuſdem non eſſe præceptam.

22 Satisfit aliquibus congruẽtijs adductis à Suarez.

Nec magnam vim faciunt coniecturæ pro tali conſecratione, quas adducit *Suarez dict. diſp. 81. ſect. 7. verſ. tertiò obitèr inquiri poteſt* conſiſtentes in eo primò, quod Corporale, & Patenæ benedicuntur, ſeu conſecrantur, quia immediatè recipiunt, & tangunt Corpus Chriſti Domini, ergo, cum etiam pixis recipiat, illudque tangat erit benedicenda, & conſecranda. Secundò, quia ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini requiruntur vaſa conſecrata, ergo etiam requirentur ad ipſum cuſtodiendum, & conſeruandum, cum non ſit ſanctior ipſa confectio Corporis Chriſti Domini, ac Corpus ipſum confectum, conſecratum, & præſens. Tertiò, quia *D. Thomas tertia parte quæſt. 82. art. 3.*, abſolutè aſſerit hoc Sacramentum Euchariſtiæ propter reuerentiam eidem debitam debere à nulla re contingi, niſi hæc ſit conſecrata. Non, inquam, magnam vim faciunt, quandoquidem, cum verſemur in diſpoſitionibus iuris poſitiui, eatenus eas debemus intelligere, quatenus ipſæ expreſsè, & determinatè ſtatuunt; Determinatè autem, & expreſsè ſtatuunt de conſecratione Calicis, & Patenæ; non autem de alijs vaſis ſacris, quantumuis ordinata ſunt ad recipiendum Corpus, vel Sanguinem Chriſti Domini, adeoque &c.; quinimmò eſt diuerſa diſpoſitio de Calice, & de Patena, ac de alijs enumeratis ab ipſo Suarez; nam de Corporalibus non eſt ſtatutum, quod Chriſmate inungantur, ſed dumtaxat, quod benedicantur, quod idem habetur de pixide, alijſque vaſis deſtinatis ad recipiendum Corpus Chriſti Domini; vndè, ſi allatæ congruentiæ ſubſiſterent, nimium probarent; nempè, quod omnia enumerata à Suarez diſtincta à Calice, & Patena eſſent Chriſmate inungenda, quod nec à iuribus ſtatuitur, nec vſu conficitur.

Quod autem maximè congruat dignitati Sacramenti, quod huiuſmodi vaſa benedicantur, euincitur ex eo, quod ſancta ſunt ſanctè tractanda; vndè in Rituali Romano, ſeu Pontificali præſcribuntur formæ huiuſmodi benedictionum, quod vtique inductum eſt, vt conuenientius deſeruiant receptioni tanti Sacramenti.

Aſſertio VI. Huiuſmodi vaſis ſacris exhibendus eſt honor, tam negatiuus, quam poſitiuus. In hoc omnes Catholici conueniunt. 23. Vaſis ſacris præſtandus eſt honor negatiuus.

Nomine honoris, ſeu cultus negatiui quoad hunc effectum hic intelligimus, quod huiuſmodi vaſa ſacra non tangantur à Laicis, & multo minus à fœminis, prout habetur *in cap. ſacratas diſtinct. 23.*; cum hoc ſit reſtrictum Subdiaconis, quibus in ordinatione traduntur huiuſmodi vaſa tangenda ad indicandam poteſtatem, quę eiſdem confertur; hæc tamen intelligenda ſunt, quando huiuſmodi vaſa actu non continent Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, quando etenim ipſa continent, tangi nequeunt, niſi à Sacerdotibus, & Diaconis per textum *in cap. oportet diſt. 1.* Hæc facultas tangendi vaſa ſacra vacua conceſſa erat etiam Acolythis in ipſo Miſſæ miniſterio per textum *in cap. non licet, & cap. nullus 1. diſtinct. 24.*, quæ tamen non erat ex vi ordinationis, cum Acolythis in ipſorum ordinatione huiuſmodi vaſa tangenda non traduntur, ſed ſolum ex quadam permiſſione. Quamuis autem hæc poteſtas ſit reſtricta Subdiaconis, non repugnat ea tamen, quin ex priuilegio alijs ab ipſis conferatur; ſic legimus, quod Eugenius IV., & Paulus V. conceſſit Caſſinenſibus, & Caliſtus III., & Sixtus IV. Minoribus, & Auguſtinianis, vt Fratres eorum Laici, vel Clerici nundum ſacris initiati deputati officio Sacriſtiæ, ſeu Al- 24 In quo conſiſtat hic honor negatiuus.

25 Ex priuilegio aliqui etiam nó ſacris initiati tangunt.

tari ſimili poſſunt cum licentia ſuperiorum contrectare Calices, Corporalia, & res alias ſacras, eaſque lauare, cum opus fuerit, vt videre eſt apud Caſarabium verb. ornamenta, confeſſium Bulla 9. Sixti IV., & Rodericum tom. 1. Bullarij in oraculis eiuſdem Sixti.

26 Secluſo priuilegio tangere eſt peccaminoſum venialitèr

Sed, an defectus huiuſmodi honoris, ſeu cultus negatiui reſpectu eorum, quibus nec ex vi ordinationis, nec ſpecialis permiſſionis non competit hæc facultas, ſit peccaminoſus, & qualitèr *Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. ad tertium*, aſſerit ſecluſo contemptu, nec venialitèr eſſe peccaminoſum, eo quia iura, ſi quæ afferantur, non ſunt præceptiua, ſed tantum conſultiua ob maiorem decentiam. Sed probabilius eſt, ſecluſo etiam contemptu eſſe peccaminoſum venialitèr, ſi abſque rationabili cauſa, & ſine morali neceſſitate fiat *Suarez dict. tom. 3. diſp. 81. ſect. 8. verſ. tertium exemplum ſit propè med., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſ. part. 3. de requiſ. ad Miſs. celebrat. cap. 13. num. 8., & ſeqq.* Ratio eſt, quia præſefert quandam irreuerentiam, & præſumptionem, & inanis eſſet conceſſio priuilegiorum facta Regularibus tangendi huiuſmodi vaſa, ſi ſine labe poſſent ab alijs omnibus indefinitè tangi.

27 Exhibendus eſt etiam honor poſitiuus

Nomine honoris, ſeu cultus poſitiui intellige actus exteriores, humiliationis, reuerentiæ, deoſculationis, & ſimilium, quæ, quamuis ſemper, & pro ſemper non ſint præſtanda, cum cadant ſub præcepto poſitiuo, ſunt tamen præſtanda, quando huiuſmodi vaſa ſunt tractanda, cum honorificè ſint tranctanda, vel opportunis temporibus quoad exercitium. De huiuſmodi cultu poſitiuo latè agit *Suarez loc. cit. verſ. circa poſteriorem partem per plures ſequentes*, qui omninò videndus eſt. Nobis ſufficiat auctoritates, & rationes pro hoc poſitiuo cultu referre. In primis hoc expreſsè habetur *ex ſeptima Sinodo Generali act. 6. tom. 5.*, vbi Epiphanius nomine totius Concilij dicit. *Quæcunque Deo offeruntur, aut conſecrantur, ſiue Diuina fuerit veneranda Crucis figura, ſiue ſacri Euangelij Codex, ſiue venerandæ imagines, ſiue vaſa ſacra, ea complectimur, & veneramur, & qui ſpem habeamus ſanctificationis ab ipſis reddendæ, & ob id illis adorationem honorificam exhibemus*. Quod, ſi Dauid dixit: *adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius*, quid erit à nobis dicendum de vaſis ſacris, in quibus ſtetit Corpus, & Sanguis Chriſti Domini? Hoc crebrò indicant SS. PP. *D. Ioannes Chryſoſtomus hom. 20. in ſecundam Epiſtolam ad Corinth.* hortatur fideles, vt honorem debitum præſtent Altari, quod Corpus Chriſti recipit,

28 In quo conſiſtet hic honor poſitiuus.

quid non erit dicendum de vaſis ſacris, quæ immediatiùs idem Corpus recipiunt? Idem directè habet *Auguſtinus concione ſecunda in Pſalm. 11.* Idem rationes euincunt, quia ſancta ſunt ſanctè tractanda, hoc eſt Religiosè, denegari autem non poteſt huiuſmodi vaſa ſancta eſſe non ſolum per conſecrationem, qua Chriſmatis cæremonia ſacra inunguntur, ſed etiam per immediatum contactum Corporis, & Sanguinis Domini.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ſufficiat ad hunc effectum exterior actus honoris conſiſtens in illis exterioribus actionibus, an verò etiam requiratur interna mentis intentio. Secunda, an huiuſmodi honor debeat ſolum eſſe relatus ad Deum, an verò etiam ad ipſa vaſa ſacra. Ad primam dicendum eſt, non ſufficere exteriores illas actiones, ſed requiri etiam interiorem actum ſaltem implicitè vaſa illa ſacra honorandi. Ratio eſt, quia *in d. ſeptima Sinodo Generali requiritur honoraria adoratio*, quæ nequit eſſe ſine illo actu interno, quandoquidem actus externus habet ſuam moralem rationem ab interno, ergo, ſi non ſit voluntas interior, qua quis velit honorare huiuſmodi vaſa, non erit honoraria adoratio intenta à Concilio.

Ad ſecundam dicendum eſt, hunc honorem abſolutè referendum eſſe ad Deum, reſpectiuè ad ipſa vaſa, reſque ſacras. Ratio eſt, quia ex vna parte huiuſmodi vaſa, vtpotè ſacrata, & ratione Chriſmatis, quo inunguntur, & ratione continentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini digna ſunt aliqua veneratione, vt ſecernantur à cæteris rebus communibus, & profanis; ex alia, cum non ſint capacia honoris, & cultus, cum non ſint capacia propriæ excellentiæ, & intrinſecæ ſanctitatis, vtpotè res inanimes, vtique non ſunt propter ſe adorabilia, ſed propter aliud, adeoque ſolum reſpectiuè, vndè *in d. Sinodo ſeptima actu 6. tom. 5. §. papè, quanta inſania* afferit. D. Epiphanius. *Habemus item, & alia plurima conſecrata vaſa; hæc quia in nomine ſuo facta ſunt, & conſecrata exoſculamur.* 29 Honor hic eſt referendus abſolutè ad Deum reſpectiuè ad ipſa vaſa ſacra.

AR-

ARTICVLVS III.

De præparatione ad Miſſam celebrandam neceſſaria.

SVMMARIVM.

Præmittere preces præparatorias non eſt de neceſſitate præcepti, ſed dumtaxat congruitatis. 1.
Miſſalis liber in hoc non præcipit, ſed dirigit. 2.
Illarum omiſſio poteſt eſſe cauſalitèr peccaminoſa. 3.
Requiritur in celebraturo munditia Corporalis, & qualis. 4.
Etiam congrua, & decora indumenta. 5.
Celebrare ſine calceamentis ob maiorem humilitatem non eſt peccaminoſum. 6.
Celebrare ante recitationem Matutini non eſt peccaminoſum lethalitèr. 7.
Rationes pro aſſerto, & confutationes contrariorum remiſſiuè. 8.
Hæc peruerſio, ſi fieret ſine cauſa, eſſet venialitèr peccaminoſa. 9.

NOn eſt hic ſermo de diſpoſitionibus requiſitis tum ex parte Animæ, tum ex parte Corporis reſpectu ſumentium, quę etiam requiruntur ex parte ſacrificantium cum & ipſi ſint ſumentes, cum de ijs actum fuerit in præcedentibus. Solum igitur hic erit ſermo, an Sacerdos ante celebrationem Miſſæ vltra intentionem, ſiue actualem, ſiue virtualem teneatur ea, quæ pro præparatione in Miſſali apponuntur, præmittere, puta illas preces, vel aliquid aliud æquiualens, quo ſe diſponat ad hoc Sacroſanctum Myſterium; adeo vt, ſi hoc ommittat, peccet grauitèr, & an ſaltem, teneatur præmittere recitationem Diuini Officij. Item, an aliquid teneatur præſtare ex parte Corporis.

1 Aſſertio I. Non tenetur Sacerdos neceſſitate præcepti preces illas, quæ in Miſſali pro præparatione ad Miſſam apponuntur, recitare, nec aliquid aliud eiſdem æquiualens; maximè tamen congruum eſt, & conueniens, vt illas, vel quid æquiualens præmittat, quo ſe diſponat ad illud Sacroſanctum myſterium peragendum, adeo vt illa omiſſio quandoque ſit peccaminoſa, ſi non ratione tranſgreſſionis præcepti poſitiui, ſaltem tranſgreſſione præcepti naturalis. In hoc conſentit *Suarez. dict. tom. 3. in tertiam partem diſp. 82. in princip.*

Preces præparatoriæ nō ſunt ex præcepto præmittendę.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod nullibi conſtet de præcepto ad hoc obligante; nec obſtat, quod in Miſſali preces aliquot deſignentur pro præparatione ad Miſſam, quandoquidem Miſſalis liber in hoc non præcipit, ſed ſummum dirigit, & conſulit. Quod, ſi dicas *Diuum Germanum in Theorica rerum Eccleſiaſ.* tradere Sacerdotes omnes debere preces aliquas ad ſacrificium præmittere, vt ſacrificium hoc debita Religione, & pietate celebrare valeant; quod repetit *Innocentius lib. 1. de hoc myſterio cap. 47.*, vbi illud verbum, *debere*, importat neceſſitatem; ſtatim impugnaberis, quia ly, *debere*, non ſemper importat neceſſitatem, ſed quandoque congruitatem iuxtà materiam, cui applicatur. 2

Miſſalis liber in hoc non præcipit, ſed dirigit.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod exigat dignitas tanti ſacrificij, vt magna cum Religione, & pietate conficiatur, ad quod plurimum conferunt huiuſmodi preces, vel quid æquiualens; hocque eſt, quod voluerunt innuere *Diuus Germanus, & Innocentius loc. cit.* Ad hanc etiam congruitatem maximè confert, quod præmiſſio huiuſmodi precum potiſſimum deſeruit ad animi motus diſperſos colligendos, ad pietatem fouendam, ad remouendum animum à prophanis, & conuertendum ad Deum, quæ omnia videntur valde congrua confectioni tanti ſacrificij.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod ſancta ſunt ſanctè, & Religiosè tractanda ſic exigente conditione, & natura eorundem ſacrorum, adeoque cum attentione, & ſine voluntaria diſtractione ad eadem, quæ voluntaria diſtractio, ſi non per ſe, ſaltem per accidens, & in cauſa oritur ex eo, quod debitè mens ad ea, quæ peragi debent, non colligatur, cuius collectionis defectus poteſt originem habere à defectu debitæ, & conuenientis præparationis, per quam remoueri deberent diſtrahentia, ergo ille defectus, cum coniungatur cum voluntaria diſtractione, ſaltem in cauſa poteſt eſſe aliqualitèr peccaminoſus; qui etenim tenetur ad attentionem, tenetur ad remouenda ea, quæ poſſunt eidem reſiſtere, per congrua, & conſueta media, qualia ſunt preces illæ, vel aliquid æquiualens, per quod mens diſtracta applicatur. 3

Omiſſio poteſt eſſe cauſalitèr peccaminoſa.

Aſſertio II. Etiam ex parte Corporis aliqua requiruntur, ſi non ex neceſſitate præcepti, ſaltem ex congruitate rationis, tanquam præparatoria ad Miſſæ ſacrificium dignè, & congruè peragendum, cuiuſmodi ſunt decens munditia Corporis, & congrua indumenta. In hoc conueniunt *Suarez. loc. cit., & alij communitèr.* 4

Requiritur in celebraturo munditia Corporalis, & qualis.

Probatur primò, quoad munditiam Corporalem, quæ potiſſimum conſideranda eſt in ea parte Corporis, quæ proximius deſeruit ad ſacrificium peragendum, hoc eſt in manibus, vndè regulæ Miſſalis præſcribunt,

bunt, vt Sacerdos celebraturus manus Corporalitèr abluat. Probatur, inquam, quia huiuſmodi munditia per ablutionem manuum maximè congruit ſanctitati rei tangendæ, hoc eſt Sacroſancti Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini; vndè, ſicuti præcipitur, ne Corpus Chriſti reponatur, niſi in loco omni labe purgato, & mundiſſimo, à fortiori præcipi præſumendum eſt, ne contractetur, niſi manibus mundis. Congruit etiam ad ſignificandam ſpiritualem munditiam, quam habere debet Sacerdos celebraturus.

5 Etiam congrua, & decora indumenta. Probatur ſecundò, quoad congrua indumenta (loquor non de ſacris indumentis ordinatis ad celebrationem Miſſarum, de quibus infrà agetur, ſed de indumentis ad Corpus tegendum,) quia ex ſe indecorum videtur, vt ſordidis veſtibus indutus quis tam dignum miniſterium exerceat; hoc etenim dedecet non ſolum dignitati Sacerdotali, ſed potiſſimum etiam muneri, quod exercetur. Ad hanc indumentorum congruitatem non ſolum ſpectat, vt non ſint ſordida, lacera, & indecora, ſed etiam, vt ſint modeſta, non inanem, ſæcularemque pompam præferentia, & iuxtà formam, qua iuxtà præſcriptum ſacrorum Canonum à Laicis ſecernantur. Hinc crebrò per Epiſcopos emanant edicta, quibus ſub pœna ſuſpenſionis prohibentur Sacerdotes ſine veſtibus talaribus celebrare propter indecentiam, quam præferunt veſtes breuiores.

6 Celebrare ſine calceamentis, an ſit peccaminoſũ. Hic ex occaſione inquirunt DD., an ex neceſſitate requirantur calceamenta in Sacerdote celebraturo, adeo vt eorum omiſſio inducat grauem culpam. Eſſe neceſſaria, adeo vt eorum omiſſio inducat grauem noxam, tradiderunt Silueſter, Riccardus, Scotus apud *Marchinum tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſſam celebran. cap. 14. num. 3.* Ipſe tamen Marchinus ſuſtinet ſecluſo contemptu eximi ab omni culpa, qui ſine huiuſmodi calceamentis celebraret, & pro hac opinione allegat *Armillam verb. Miſſa*; cui opinioni, & ego adhęrendum exiſtimo, cum contrarium præceptum non inueniam, & ſine illis celebrare poſſit magnam humilitatem, & reuerentiam præſeferre. Adnotat etiam idem *Marchinus loc. cit.* cum Danielle Malonio de ſacra Syndone Chriſtum Dominum, eiuſque Apoſtolos non vſos fuiſſe huiuſmodi calceamentis, & tamen celebrabant, ergo hoc etiam poterunt Sacerdotes ob humilitatem, & reuerentiam præſtare; quia tamen hoc conſuetudine receptum non eſt, non conſulerem hoc præſtandum, & exercendum eſſe.

Aſſertio III. Recitatio Matutini, cum Laudibus, non prærequiritur ex neceſſitate præcepti obligantis ſub graui, tanquam præparatio ad celebrationem Miſſæ, benè tamen ex neceſſitate conuenientiæ, & congruitatis. His temporibus communior eſt hæc noſtra opinio, quam ſuſtinent *Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 4.*, *Medina part. 1. inſtruct. Confeſſ. cap. 16. §. 2. in fin.*, *Petrus de Arragona ſecunda ſecundæ quæſt. 83. art. 2. dub. 3.*, *Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 6. quæſt. 2. punct. 10.*, *Toletus lib. 2. ſummæ cap. 1.*, *Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 24. num. 17.*, *Suarez diſp. 82. ſect. 1.*, *& alij innumeri*, quos citat *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſſ. celebrat. cap. 5. num. 3.* Antiquitùs tamen communior *erat contraria ſententia, quam ſuſtinuerunt, D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 4. §. 4.*, *D. Raymundus in ſua ſumma lib. 3. tit. de Sacram. iterando in Gloſa verb. pro defunctis*, *Paludanus in 4. diſtinct. 13. qu. 2. art. 1.*, *Nauarrus in ſumma cap. 21. nu. 30.*, & alij plures apud eundem *Marchinum loc. cit. num. 1.*, vbi etiam eorum fundamenta refert. 7 Celebrare ante Matutinum non eſt grauitèr peccaminoſũ

Non immoror in probatione noſtrę aſſertionis, nec in confutatione rationum, quæ poſſent obijci, cum de ijs latè egerim in quæſtionibus de ſacris Ordinibus, dum de oneribus Subdiaconatus. Ne tamen videar omnia penitùs hic omittere probando ſimul, & confutando ſequentia adijcio. Culpa læthalis, ſi quæ eſſet in celebratione præpopera Miſſæ ad recitationem Matutinarum precum, vel eſſet propter tranſgreſſionem alicuius præcepti poſitiui, vel alicuius iuris naturalis, vel propter violationem, alicuius conſuetudinis; ex nullo ex his capitibus oriri poteſt, ergo &c. Minor quoad primam partem ex ſe patet, 8 Rationes pro hoc aſſerto, & confutationes cõtrariorũ remiſſiuè. cum nullum ſit aſſignabile præceptum poſitiuum ad hoc obligans; quoad ſecundam ſic euincitur, ſi quod eſſet ius naturale ad hoc obligans maximè eſſet, quod celebratio Miſſæ ex natura ſua exigeret aliquam præuiam præparationem, quæ potiſſimum conſiſtat in illa præuia recitatione Diuini Officij ſaltem quoad Matutinas præces; ſed hoc nihil euincit; nam dato etiam, quod celebratio Miſſæ exigat præuiam diſpoſitionem, non tamen exigit determinatè per recitationem eiuſdem Matutini, cum per alia haberi poſſit, per eleuationem, ſcilicet mentis in Deum, per recitationem aliarum precum, & ſimilia. Deindè recitatio Diuini Officij non eſt per ſe inſtituta, vt ſit præparatio, & diſpoſitio ad Miſſam celebrandam, ſed propter ſe præcipitur, vt ſit ordinata oratio in Eccleſia. Quoad tertiam tandem ſic euincitur, quia, ſi hæc conſuetudo quandoque fuit, modo tamen intelligitur abrogata, cum plures modo ſint DD., qui

con-

contrarium ſtatuunt. Deindè hæc conſuetudo, quantumuis fuerit, & adhuc ſit, non intelligitur tamen eſſe recepta cum illo onere culpæ læthiferæ, cum ad ſummum verſetur circa ordinem recitationis, & celebrationis, cuius inuerſio non eſt ita grauis, vt grauem noxam inducat, quandoquidem maior conſideratur ordo inter horas adinuicem comparatas, quam inter Matutinum, & Miſſam; inuerſio autem ordinis inter horas adinuicem comparatas non eſt læthiferè peccaminoſa per ea, quæ latè tradidimus in quæſtionibus de ſacris Ordinibus, dum de oneribus annexis Ordini Subdiaconatus, ergo, nec inuerſio ordinis inter Matutinum, & Miſſam.

9 Non negauerim tamen, quod, ſi hæc inuerſio fieret ſine aliqua cauſa induceret culpam venialem, quia in rubrica Miſſalis de defectibus Miſſæ inter alios hic enumeratur *Miſſam celebrare non præmiſſo Matutino*, tum quia eſt contra laudabilem, & receptam conſuetudinem; interueniente tamen iuſta cauſa non damnarem, nec culpæ venialis, qui præmitteret celebrationem Miſſæ recitationi Matutini.

Hæc peruerſio ſine cauſa eſſet venialis.

ARTICVLVS IV.

De prohibitione vſus pileoli, vel alterius capitis tegumenti in celebratione Miſſæ.

SVMMARIVM.

Vſus pileoli in Miſſa à iure interdicitur. 1.
Articuli examinandi circa idem ius, & vſum. 2.
Solus Pontifex poteſt diſpenſare, vt pileolus poſſit deferri à principio Canonis vſque ad ſumptionem. 3.
Probabilius Epiſcopus non poteſt diſpenſare, vt deferatur ante conſecrationem. 4.
Remoto ſcandalo, & extante neceſſitate non damnarem grauis culpæ, qui deferret ante Canonem. 5.
Conſiderabilia circa paruam comam. 6.
Non poteſt deferri ſine conceſſione Romani Pontificis. 7.
Diſpenſatus quoad hoc ſimplicitèr poteſt deferre per totam Miſſam. 8.

INter ritus ſeruandos, vel præuiè, vel concomitantèr in celebratione Miſſæ inſinuauimus in principio præſentis quæſtionis, aliquos pertinere ad ipſum celebrantem, qui poſſunt eſſe in duplici diferentia; alij poſitiui, qui conſiſtunt, vel in aliqua actione, vel in aliquo apparatu, ſiue intrinſeco, ſiue extrinſeco; alij negatiui, qui conſiſtunt in omiſſione eorum, quæ non videntur congruere decentiæ, & dignitati tanti ſacrificij. Inter hos ritus negatiuos numeratur prohibitio delationis pileoli, vel alterius capitis tegumenti pro tempore celebrationis huius ſacrificij, de qua modo agendum eſt, & quidem huiuſmodi pileolum in Miſſa adhibendum non eſſe, clarè elucet ex textu *in cap. nullus Epiſcopus de conſecrat. diſtinct.* 1., vbi ſic legitur. *Nullus Epiſcopus, aut Presbyter, ſeu Diaconus ad Miſſarum ſolemnia celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite ad Altare Deo aſſiſtere*, & ibi contra tranſgreſſores imponitur pœna excommunicationis. 1

Hic vſus in iure interdicitur.

2 Circa huiuſmodi pileolum, vel aliud capitis tegumentum in celebratione Miſſæ plura contingunt in præſenti dubitari. Primò, an ita ſit prohibitus vſus eiuſdem, vt nequeat ſuper hoc, niſi à Romano Pontifice diſpenſari. Secundò, an extante aliqua graui neceſſitate puta nimiæ regionis frigiditatis, capitis debilitatis, ſenectutis, vel caluitij poſſit in hoc Epiſcopus diſpenſare, vel poſſit ipſe Sacerdos in tali neceſſitate conſtitutus ex ſe huiuſmodi pileolo vti. Tertiò, an vtens eodem ſine diſpenſatione, & ſine neceſſitate contrahat noxam læthalem. Quartò, an ea, quæ dicta ſunt de pileolo, æquè intelligenda ſint de paruula cæſarie capillis contexta vulgò *Perrucchino*.

Articuli examinandi circa eundem vſum.

3 In ordine ad primum indubitati iuris videtur, quod non ſolum à conſecratione, ſed etiam à principio Canonis ad ſumptionem alius à Romano Pontifice non poſſit diſpenſare, vt quis vtatur pileolo, quin immò vix in hoc ipſe Pontifex diſpenſat, maximè à conſecratione ad ſumptionem. Ratio non ſolum ex eo deducitur, quod Epiſcopus, alijque Prælati in ijs, quæ iuris communis ſunt, nullam habent iuriſdictionem, ſed etiam ex eo, quod ipſe Pontifex diſpenſans regularitèr excipit à Canone, vel à conſecratione ad ſumptionem; ſic referunt *Ludouicus Miranda in manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 8. art. 4. concluſ. 5., & Franciſcus Scorcia de ſacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 4. fol. 194.* Gregorium XIII. in diſpenſatione ſuper hoc conceſſa Epiſcopo Niciæ excepiſſe à Canone, & *Gauantus comment. in rubric. Miſſ. part. 2. tit. 2. verſ. verum Sedi Apoſtolicæ*, teſtatur Sacram Cardinalium Congregationem ſuper negotia Epiſcoporum ſimilem exceptionem appoſuiſſe in diſpenſatione facta Epiſcopo Fauentino; ex quibus exceptionibus duo infero. Primò Pontificem vix in hoc diſpenſare, dum in conceſſionibus caſum à Canone, & conſecratione excipit. Secundò alios à Pontifice, non poſſe in hoc diſpenſare; fruſtrà

Solus Pontifex poteſt diſpenſare, vt deferatur à Canone vſque ad ſumptionem.

etenim

etenim Pontifex exciperet, ſi alij ab ipſo poſſent in hoc diſpenſare.

4 Epiſcopus probabilius nō poteſt diſpenſare, vt deferatur ante conſecrationem.

In ordine ad ſecundum plurimi aſſerunt, poſſe Epiſcopum ante conſecrationem diſpenſare, vt quis vtatur pileolo in caſu dubio neceſſitatis; quin immò extante neceſſitate clara, perſpicua, & euidente ſecluſo ſcandalo dicunt poſſe ex ſe eodem pileolo vti etiam abſque Epiſcopi diſpenſatione *Zerola in praxi Epiſcopali*, *Nauarrus conſ. 4. lib. 3. tit. 41. de celebratione Miſſarum*, & alij plures, apud *Marchinum loc. cit. num.* 7. Sed quoniam Sacra Cardinalium Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum reſcripſit Archiepiſcopo Vrbinati ſub die ſecunda Ianuarij 1590., & 17. Ianuarij 1595. ad ſolum Papam pertinere ſuper hoc diſpenſare, non auderem hanc facultatem diſpenſandi Epiſcopis concedere, & multò minùs ſimplicibus Sacerdotibus eadem facultate ex ſe vtendi, potiſſimum cum & ipſi Epiſcopi in hoc à Pontifice diſpenſentur.

5 Remoto ſcandalo, & extāte neceſſitate non eſſet reus grauis culpæ, qui deferret ante Canonem.

In ordine ad tertium probabilius crederem, Sacerdotem extante neceſſitate vtentem ante Canonem huiuſmodi pileolo non peccare læthaliter, ſi ſcandalum excludamus; non enim in hoc conſiderari poteſt magna Sacramenti irreuerentia, nec reſcripta Sacræ Congregationis mox recenſita adaugent culpam, cum ſint dumtaxat directiua, non præceptiua. Maius negotium videtur faceſcere textus *in d. cap. nullus Epiſcopus de conſecrat. diſtinct.* 1., vbi contra ſic vtentem imponitur excommunicatio, quæ, cum ſit grauis pœna, ſupponit grauem culpam. Sed faciliori negotio ab hoc obiecto me eximo conſiderans illam pœnam excommunicationis ſupponere temerariam præſumptionem. Ibi-*Qui temerè præſumpſerit*, in quo poteſt eſſe grauis culpa ob ſpretum legis, & neglectum iuris; hic autem egimus de ſimplici delatione facta ob cauſam, ſeu neceſſitatem.

6 Conſideranda circa paruam comam.

In ordine ad quartum conſiderandum eſt, an paruula illa coma adſciptitia vulgò *Perrucchino* deferatur ex neceſſitate, puta ad tegendam caluitiem, vel aliquam capitis deformitatem, vel dumtaxat ex arbitrio ob aliquam cauſam non neceſſariam; & quidem, ſi ex neceſſitate deferatur, crederem eiſdem iuribus, & rationibus procedendum eſſe, quibus proceſſimus de pileolo, quinimmò faciliùs quoad illam, ſi modeſta, breuis, & modica ſit, quam quoad iſtum concedendam eſſe facultatem, cum habeat ſupplere defectum naturalium capillorum. Sed, an extante tali neceſſitate tegendi caluitium, ſeu deformitatem diſpenſatus ad eandem comam paruam, poſſit non ſolum deferre vſque ad Canonem, an verò etiam in Canone, & in tota Miſſa? Ex duplici capite videtur affirmandum; primò, quia ipſa adſciptitia coma ſubſtituitur loco capillorum. Secundò, quia cauſa, ob quam conceſſa eſt, viget pro tota Miſſa, & indecorum quodamodo videretur, ſi cum ad Canonem Miſſæ perueniret, teneretur comam, quam communitèr naturalem adſtantes reputant, deponere. Ego in hoc cum diſtinctione procedendum arbitror; vel etenim in diſpenſatione indefinitè dicitur, vt valeat comam illam in Miſſa deferre nulla facta expreſſa reſtrictione vſque ad Canonem Miſſæ, nullaque extenſione expreſſa etiam ad Canonem, & totam Miſſam; vel cum expreſſione etiam ad Canonem, totamque Miſſam; & iuxtà vtrumque membrum diſtinctionis ſentio, poſſe in tota Miſſa deferre; & quidem iuxtà ſecundum membrum, non videtur poſſe eſſe difficultas, quia ſupponitur in diſpenſante potentia, & voluntas diſpenſandi reſultat ex illa conceſſione; quoad primum non ſolum ex eo elucet, quod conceſſio indefinita pro aliqua actione extenditur ad totam actionem, ſed etiam, quia non ita res ſe habet in delatione huiuſmodi comæ, ac in delatione pileoli; nam pileolus eſt extra rationem comæ, & ornamentum purè extrinſecum, & apparens, vt tale; coma autem illa adſciptitia eſt loco comæ naturalis, quamuis & ipſa ſit extrinſeca, & non apparens; vndè pileolum deponere in Canone maximam præfert erga Sacramentum conficiendum reuerentiam; deponere autem illam comam admirationem potius ingereret, cum quodamodo haberetur pro naturali, & non deponere nullum inferret ſcandalum; Si autem ex arbitrio deferatur, & ob cauſam non neceſſariam arbitror, nec ſine diſpenſatione poſſe deferre, & de facili diſpenſationem non eſſe concedendam.

7 Non poteſt deferri ſine conceſſione Rom. Pontificis

8 Diſpenſatus ſimplicitèr poteſt deferre per totā Miſsam.

ARTICVLVS V.

De conuenientia, neceſſitate, & ſignificatione ſacrarum veſtium.

SVMMARIVM.

Referuntur errores hæreticorum. 1.
Sacra veſtes conuenientèr fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ. 2.
Rationes talis conuenientiæ. 3.
Euincitur etiam hæc conuenientia, tum ex ſignificatione materiali, tum ex miſtica. 4.
Euelluntur errores hæreticorum. 5.
Ex ſacris paginis, & definitionibus Conciliorum. 6.

De

DE neceſſitate, vſu, & ſignificatione ſacrarum veſtium latè actum eſt, in quæſtionibus *de ſacris Ordinibus quæſt. 8. art. 9.* quarè non eſt in præſenti in hoc immorandum, ſed ibi dicta recolenda; ex hac tamen neceſſitate, & ſignificatione infertur etiam conuenientia earundem, de qua hic aliqua ſunt dicenda, vt à iurgijs hæreticorum eaſdem vindicemus.

1 Referuntur errores hæreticorum.

Hæretici Valdenſes dicti etiam pauperes de Lugduno ſacrarum veſtium vſum damnabant tanquam inane adinuentum Eccleſiæ, & ad hoc aſſerendum mouebantur ex eo, quod Chriſtus Dominus auctor huius ſacrificij illud inſtituerit ſine huiuſmodi veſtibus contentus communibus. Vlteriùs progredientes, cum Eccleſia eiſdem non vtatur, niſi fuerint benedictæ, aſſerebant eſſe ſuperſtitioſas dicentes omnes Eccleſiæ benedictiones eſſe tales.

Mitiùs procedebant alij aſſerentes quidem vſum harum ſacrarum veſtium non eſſe quidem malum, ſed indiferentem, qui propterea dicebant non poſſe cadere ſub præcepto, nec grauitèr peccare, qui eiſdem non vteretur in ſacrificio Miſſæ. In confutationem horum omnium pro ſacris veſtibus aliqua ſunt hic dicenda.

2 Sacræ veſtes conueniètèr fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ.

Aſſertio. Sacræ veſtes pro ſacrificio Miſſæ fuerunt conuenientèr ab Eccleſia inſtitutæ. In hoc conueniunt omnes Catholici aduerſus hæreticos.

Sed antequam procedam ad probationem huius aſſertionis, aduerto poteſtatem fuiſſe à Chriſto Domino Eccleſiæ communicatam inſtituendi omnes ritus, omneſque Cæremonias pertinentes ad confectionem huius ſacrificij, prout definiuit ſacrum *Concil. Trident. ſeſs. 21. cap. 2.* Ibi. *Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret &c.* Hac poteſtate vſa eſt Eccleſia inſtituendo cæremonias, vt myſticas benedictiones, lumina, timiamata, veſtes, aliaque multa, vt habetur *in eodem Trident. ſeſs. 22. de ſacrific. Miſſæ cap. 5.*

3 Rationes ob quas inducta eſt Eccleſia ad hãc inſtitutionem.

Congrua autem ratione Eccleſia ad harum veſtium inſtitutionem deuenit ibidem aſſignata. *Quo, & maieſtàs tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur*; & quidem, ſi in lege veteri inſtituta ſunt à Deo indumenta ad ſacrificia offerenda, quæ non erant, niſi figura præſentis, vt conſtat *ex Exodo 28.*, quanto magis æquum fuit, vt inſtituerentur ſacræ veſtes pro hoc ſacrificio, quod eſt ſacrificium ſacrificiorum, offerendo? Vndè meritò Stephanus I. Epiſtola I. de his ſacris veſtibus ſic ſcribit. *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultuſque Diuinus omni cum honorificentia, & honeſtate à Sacerdotibus, reliquiſque Eccleſiæ miniſtris celebratur, & ſacra debent eſſe, & honeſta, quibus alijs in vſibus, cum Deo, eiuſque ſeruitio conſecrata, & dedicata ſint, nemo debet frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officijs, quæ neque ab alijs debent contingi, niſi à ſacratis hominibus.*

4 Euincitur hæc conuenientia, tum ex ſignificatione materiali, tum ex myſtica.

Harum ſacrarum veſtium conuenientia etiam elucet ex materiali, & myſtica ſignificatione, quam habent; materiali quidem, quatenus, vt habetur *Exodi 28.* hæc refertur ad indicandum ſplendorem, & decorem cuiuſque ſacri miniſterij, ad ſecernendum ipſum ab alijs communibus, & prophanis actionibus, quod quidem congruè, & conuenientiſſimè inductum eſt; nam quodamodo vileſceret hoc miniſterium potiſſimum apud homines rudes, ſi communibus veſtibus efficeretur; Myſtica, vel quatenus refertur ad mores, prout indicant, qualis debeat eſſe Sacerdos ſacrificaturus, vt ſcilicet magnam habeat fiduciam ſignificatam per *Amictum*, & fidem, & fortitudinem; item morum candorem ſignificatum per *Albam*; item carnis continentiam ſignificatam per *Cingulum*, item cordis compunctionem importatam per *Manipulum*; item ſubiectionem, & obedientiam Chriſto Domino importatam per *Stolam*; item charitatem, quæ omnibus virtutibus ſupereminet, ſignificatam per *Caſulam, ſeu Planetam*. Quod, ſi dicas, quod, dum Caſula induitur, dicat Sacerdos. *Domine, qui dixiſti Apoſtolis tuis. Iugum meum ſuaue eſt &c.*, quod indicat ſubiectionem, & ſic non diſtinguitur ſignificatum myſticum morale Stolæ, & Caſulæ; ſtatim reſpondebo, duplex conſiderari poſſe iugum, alterum Crucis Chriſti, alterum iugum amoris; illud importatur per Stolam, iſtud per Caſulam. Myſtica etiam eſſe poteſt, quatenus refertur ad Paſſionem Chriſti Domini, ſic inſtitutus eſt Amictus ad ſignificandum Velamen, quod Chriſti oculis appoſitum eſt; Alba ad ſignificandam Veſtem, qua Hærodes Chriſtum illuſit; Cingulum ad ſignificandum funes, quibus in horto conſtrictus eſt; Manipulum ad ſignificanda Vincula, quibus ſacræ manus alligatæ ſunt; Stola ad ſignificandos funes, quæ collo eius appoſitæ ſunt, vt tutius duceretur; Caſula ad indicandam Veſtem purpuream.

5 Euelluntur errores hæreticorum.

Hinc facilè corruunt, quæ ab Hæreticis Valdenſibus adſtruuntur; nam in primis nimis peruerſè aſſerunt eſſe inane Eccleſię adinuentum, cum *ex Concil. Trid. d. ſeſs. 22. de ſacrific. Miſs. cap. 5.*, habeatur

has ex Apoſtolica diſciplina, & traditione haberi; Nec ex eo, quod Chriſtus Dominus hoc ſacrificium inſtituerit ſine his ſacris Veſtibus, argui poteſt, quod non potuerint inſtitui, nec fuerint conuenientèr inſtitutæ ab Eccleſia; cum Chriſtus Dominus inſtituerit quoad ſubſtantiam; & quoad ritus, & cæremonias reliquerit Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, & interpreti inſtituendum, vt euincitur *ex eodem Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.* Cæterum, ſi ex eo, quod Chriſtus Dominus non adhibuerit in inſtitutione huius ſacrificij huiuſmodi Veſtes euinceretur, quod non congruentèr fuerint ab Eccleſia inſtitutæ, euinceretur etiam, quod omnes ferè ritus ab Eccleſia non fuerint conuenientèr inducti, quod falſum omninò ex ijs, quæ nunc ſubdo, euidentèr apparebit.

Ad id, quod ſubdunt Sectarij de ſuperſtitione benedictionum omnium, dicendum eſt, eſſe blaſphæmias hæreticorum, ſunt enim contra ſacras paginas, contra diſpoſitiones Conciliorum, & contra veridicas traditiones; Contra ſacras paginas cum Geneſis primo dicatur. *Creauit*
6 *Deus, & benedixit.* Leuitic. 23. *Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetes feretis manipulos ſpiccarum primitias veſtras ad Sacerdotem, & eleuabit faſciculum coram Domino, vt acceptabile fiat pro vobis altero die Sabbati, & ſanctificabit illum.* Deuteron. 64. *Præcepit Dominus, vt de omnibus fructibus primitiæ offerantur Domino, & dentur Sacerdoti, vt inuocet nomen Domini ſuper eas.* Quid iam ad hæc reſpondebunt impij Valdenſes? Numquid Deus docuit populum Iſrael Necromantiam, aut artis Magicæ peritiam? Abſit hoc à cordibus fidelium. Contra diſpoſitiones Conciliorum Agathenſis in Gallia Narbonenſi celebrato anno ſalutis 506., vbi *cap.* 10. definitum eſt Altaria non ſolum debere Chriſmate vngi, verum etiam Sacerdotali benedictione benedici, Toletani IV. anno ſalutis 633. nonis Decembris celebrato, vbi *cap.* 8. approbatur Cærei Paſchalis benedictio, & obſeruari iubetur. *Trident. ſeſſ. 22. de ſacrific. Miſſæ cap.* 5. ex quo deducitur etiam traditio à temporibus Apoſtolorum. Ibi *Ex Apoſtolorum diſciplina, & traditione.* Si ergo in alijs huiuſmodi benedictiones approbantur, cur ſunt damnandæ in ſacris veſtibus?

Ex ſacris paginis, & definitionibus Conciliorum.

ARTICVLVS VI.

De neceſſitate miniſtri, ſeu miniſtrorum in ſacrificio Miſſæ.

SVMMARIVM.

Eſt neceſſarius miniſter neceſſitate præcepti non Diuini, ſed Eccleſiaſtici. 1.
Indicatur hoc præceptum. 2.
In Miſſis priuatis, neque de iure Diuino, neque Eccleſiaſtico requiritur pluralitas miniſtrorum. 3.
Quænam dicatur Miſſa ſolemnis, in qua plures requiruntur miniſtri. 4.
Verba, quæ dicuntur in Miſſa priuata. Dominus vobiſcum, Orate fratres, *non arguunt neceſſitatem plurium miniſtrorum.* 5.
Miniſter etiam ex officio non tenetur præmittere confeſſionem, nec in eodem ſacro communicare. 6.
Communio miniſtri non eſt pars ſacrificij. 7.
Diaconus, & Subdiaconus miniſtrantes in peccato non peccant. 8.
Solum tenentur reſpondere, & miniſtrare ea, quæ ſunt talis muneris. 9.
In defectum maſculi fœmina regularitèr non eſt adhibenda. 10.
Vrgente præcepto celebrandi, & non exiſtente, niſi fœmina, potius eſt celebrandum ſine miniſtro, quam adhibenda fœmina. 11.
Non currit paritas de miniſtro, ac de ſacris veſtibus, & quare. 12.
Soluitur obiectum contrarium. 13.
Duplex limitatio ad prædicta. 14.

INter ritus, ſeu cæremonias Miſſarum computatur etiam miniſter, qui Sacerdoti celebranti deſeruiat reſpondendo, & vaſa neceſſaria miniſtrando; de quò plura hic remanent inquirenda. Primum eſt, an miniſter ſit neceſſarius, & qua neceſſitate. Secundum, an vnus ſufficiat, an verò plures requirantur. Tertium ad quid obligentur, iſti, vel illi miniſtri. Quartum, an huiuſmodi miniſtri debeant eſſe maſculi, an verò poſſint etiam eſſe fœminæ. Singula breuitèr expendo.

Dico igitur primò ad primum, miniſtrum deſeruientem Sacerdoti celebranti 1
neceſſarium eſſe non neceſſitate iuris Diuini, ſed dumtaxat Eccleſiaſtici; & quidem non eſſe neceſſarium de iure Diuino ex eo elucet, quod nullum in ſcriptura ſit veſtigium huius iuris Diuini, nec ex traditione hoc ius euincitur; Neque dicas primò euinci hoc ius Diuinum ex facto Chriſti Domini, qui hoc ſacrificium inſtituit alijs extantibus. Secundò, quod, licet non ſit

Miniſter eſt neceſſarius neceſſitate præcepti.

ſit de iure Diuino poſitiuo, cum de hoc non conſtet, ſit tamen de iure Diuino naturali, cum hoc exigat dignitas, & reuerentia debita tanto ſacrificio; contra enim impugnaberis, quia non omnia, quæ Chriſtus Dominus geſſit in inſtitutione huius ſacrificij, cadunt ſub præcepto; ſic Chriſtus, antequam conſecraret, lauit pedes diſcipulorum, panem fregit, quæ à nobis non præcipiuntur fieri; Deindè, ſi omnia, quæ à Chriſto geſta ſunt, caderent ſub præcepto, non poſſemus ſacrificium conficere, niſi extantibus ſaltem duodecim, quod tamen falſum omninò eſt, & in praxi non obſeruatum. Ad illud, quod ſubditur de præcepto Diuino naturali, dicendum eſt, poſſe ſecundum ſe fieri cum debita reuerentia hoc ſacrificium per ſolum ſacrificantem, cum talis reuerentia non pendeat ex alterius miniſterio; cæterum, ſi ad hanc dignitatem requireretur alterius miniſterium, cum dignitas huius ſacrificij excedat dignitatem omnium aliorum, exigeret pluralitatem miniſtrorum, quod ex infrà dicendis non requiritur; quod verò miniſter ſit neceſſa-

2 Indicatur hoc præceptum Eccleſiaſticum.

rius de iure Eccleſiaſtico euincitur primò *ex Concil. Baſilienſi ſeſs. 21.*, vbi inter cæteros damnatur abuſus, quo alicubi Miſſa priuata ſine miniſtro celebretur. Secundò *ex cap. propoſuit de filijs Presbyt.* Ibi - *Non enim ſolus Presbyter Miſſarum ſolemnia poteſt ſine miniſtri ſuffragio celebrare*. Tertiò ex vniuerſali conſuetudine recepta, quæ in hoc vim habet præcepti *D. Thomas tertia part. qu. 83. art. 5. ad 12., Paludanus in quarto diſtinct. 13. qu. 2. art. 1., & ibi Sotus quæſt. 2. art. 5. ad 12., D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 6. §. 5., Silueſter verb. Miſſa quæſt. 2.*

3 In Miſſis priuatis non requiritur pluralitas miniſtrorum.

Dico ſecundò. Neque de iure Diuino, neque Eccleſiaſtico in Miſſis priuatis requiritur pluralitas miniſtrorum eiſdem deſeruientium. Dixi, *in Miſſis priuatis*; nam in ſolemnibus plures requiri, qui deſeruiant, indicant expreſsè *D. Thomas dict. quæſt. 83. art. 5. ad 12., & textus in cap. hoc quoque de conſecrat. diſtinct.* 1. Difficultas ſolummodò eſt in decernendo, quęnam dicatur Miſſa ſolemnis ad effectum, vt in eadem plures requirantur miniſtri. Iuxta communem acceptionem illa dicitur Miſſa ſolemnis, quæ cantatur, priuata verò, quæ præciſè recitatur; ſed hæc acceptio ad præſentem effectum non videtur poſſe conferre, cum nulla ſit repugnantia, quod Sacerdos, poſſit Miſſam cum ſolo miniſtro cantare maximè vrgente neceſſitate, ſeu onere cantandi. Alij aſſerunt, Miſſam dici ſolemnem, quando ſit conuocatio populi per publicum ſignum in locum publicum, quamuis populus conuocatus non interueniat. Sed etiam in hac hypotheſi, non video, cur Miſſa illa non poſſit cum vnico tantum miniſtro celebrari. Alij, dicunt Miſſam dici ſolemnem, quando celebratur miniſtrantibus Diacono, Subdiacono, Acolythis &c. Sed admiſſa hac acceptione ſuperfluum eſſet præceptum, vt non celebrentur Miſſarum ſolemnia, niſi pluribus præſentibus, quia natura huius ſolemnitatis hoc exigit. Quamobrem retentis his omnibus acceptionibus Miſſæ ſolemnis dicendum eſt in ijs Miſſis, quantum fieri poteſt, plures debere eſſe extantes; vndè Innocentius III. aſſerit aliud eſſe neceſſitatis articulum, aliud Religionis contemptum. Dici etiam poteſt *cum Alexandro Alenſi quarta part. quæſt. 36. membro 5.* fuiſſe quidem antiquis temporibus præſcriptam pluralitatem miniſtrorum; ſed poſtea per vſum propter neceſſitatem, & vtilitatem ab eodem præſcripto fuiſſe receſſum. Quibus poſitis.

4 Quænam dicatur Miſſa ſolemnis.

Probatur iam noſtrum dictum. Nullibi conſtat, nec ex iure Diuino, nec ex iure Eccleſiaſtico, quod requiratur hæc miniſtrorum pluralitas; nec iura relata aliquod officiunt, quia per contrarium vſum fuerunt abrogata. Solum aliquid negotij videtur faceſcere cōſideratio, quod hæc negatio pluralitatis non videtur congruere cum pluribus, quæ Sacerdos etiam priuatim celebrans dicit in Miſſa. *Dominus vobiſcum. Orate Fratres, & omnium circunſtantium, vel qui tibi offerunt &c.* Sed huic obiecto ſatisfacit *D. Thomas tertia part. quæſt. 83. art. 5. ad 12.* aſſerens, miniſtrum gerere perſonam totius populi Catholici, ex cuius perſona pluralitèr Sacerdoti reſpondet; ex quibus ſequitur, quod quando Sacerdos dicit. *Dominus vobiſcum* alloquatur in perſona miniſtri totam Eccleſiam, quam quodamodo repræſentat ipſe miniſter, qui propterea nomine eiuſdem reſpondet. Illa verba, *& omnium circumſtantium, & qui tibi offerunt*, intelligenda ſunt non de mera corporali pręſentia, ſed de communicatione cum Sacerdote in fide.

5 Ex verbis Miſſæ nō arguitur neceſſitas plurium miniſtrorum.

6 Miniſter etiam ex officio nō tenetur præmittere confeſſionem nec Euchariſtiā ſumere.

Dico tertiò, miniſtrum ſacro inſeruientem non obligari ad communicandum in eodem ſacro, quantumuis illud munus exerceat ex officio; Neque ad præmittendam confeſſionem Sacramentalem, ſi ſibi conſcius ſit alicuius peccati læthalis, ſed ſolum ad ritè, & legitimè reſpondendum, & miniſtrandum. Prima pars eſt contra nonnullos Sectarios, volentes miniſtrum inſeruientem ſacro obligari ad participandum de hoc ſacrificio, hoc eſt ad communicandum. Secunda eſt illorum omnium, qui ſtatuunt Subdiaconum, & Diaconum exercentes proprium officium in læthali

peccato non contrahere aliquam nouam noxam læthalem *Sotus in quarto diſtinct. 1. quæſt. 5. art. 6.*, *Henriquez de Sacrament. lib. 10. cap. 13. num. 3.*, *Suarez tom. 3. diſp. 16. ſect. 3.*, *Valentia tom. 4. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. §. 2.*, *Reginaldus lib. 30. tract. 1. num. 37.*, *Molfeſius tract. 2. cap. 8. nu. 20.*, *Vaſquez tom. 2. tertiæ partis diſp. 136. cap. 2.* Tertia pars eſt communis.

Ratio primæ partis eſt, quia obligatio illa communionis in miniſtro, nec oritur ex natura ſacrificij, nec ex conditione miniſtrantis, nec ex aliquo iure poſitiuo, ſiue Diuino, ſiue humano, ergo non tenetur miniſtrans in ſacro, cui miniſtrat, communicare. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quod in præcedentibus dicebamus, nempè eſſentiam ſacrificij in ſola conſecratione conſiſtere, ſubſtantiam etiam in ſumptione Sacerdotali, quæ per ſolum Sacerdotem perficitur, &, ſi miniſter communicaret, cum communicaret ritu laicali, non præſtaret opus ſacrificij, cum hoc ſit proprium ſolius Sacerdotis, vnde illa communicatio, nec eſſet pars eſſentialis, nec ſubſtantialis, nec integralis. Quoad ſecundam etiam ex eo

7 Communio miniſtri nō eſt pars ſacrificij.

euincitur, quod conditio miniſtri deſeruientis eſt famulatus præciſè Sacerdoti celebranti, ad quem non confert illa communicatio. Quoad tertiam tandem ex eo deducitur, quod non eſt aſſignabile ius Diuinum, ſeu humanum hoc præcipiens, quinimmò *Concil. Tolet. XII. can. 5.* ſolum requirit communionem in Sacerdote celebrante dicens. Quale erit ſacrificium, cui neque ipſe ſacrificans participare dignoſcitur? Tandem hoc euincitur ex communi Eccleſiæ praxi, ſecundum quam deſeruientes ſacro, quamuis hoc præſtent ex officio, non communicant, cui praxi Eccleſiæ Prælati non reſiſtunt.

8 Diaconus miniſtrās in peccato non cōmittit peccatū.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod etiam Diaconi, & Subdiaconi deſeruientes ſacrificio ſolemni non tenentur præmittere Confeſſionem Sacramentalem, quantumuis ſibi conſcij ſint peccati læthalis, adeovt, ſi non præmittant non contrahant nouam noxam læthalem, ergo multo minus tenebuntur eandem præmittere Clerici inferiores, alijque, ſiue deſeruiant ſacro ſolemni, ſiue priuato. Antecedens ex eo euincitur, quia ipſi non conficiunt Sacramentum, ſed ſolum miniſtrant Sacerdoti, vt ipſum conficiat; neque quæcunque miniſtratio in rebus ſacris eſt læthalitèr peccaminoſa, ſed ſolum Sacramentorum confectio, ſeu receptio. In hoc non immoror, quia latè de ipſo egi in quæſtionibus *de ſacris Ordinibus* ad quas Lectores remitto.

Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quod vnumquodque miniſterium ſacrum eſt ritè adimplendum; vndè, ſi miniſtrant Miſſæ ſolemni ex officio tanquam Diaconi, & Subdiaconi vti debent veſtibus ſacris ab Eccleſia inſtitutis pro ſuo munere; ſeruare cæremonias omnes, tam in verbis, quam in actionibus, quas ſi omittant, vt plurimum non grauitèr peccabunt, quia miniſterium hoc minus principale eſt, & accidentarium eſt in officio Miſſæ. Dixi, *vt plurimum*; nam quandoque contingere poteſt, vt iſti in ſuo munere deficientes grauitèr peccent; hoc contingeret in caſu, quo ob negligentiam Diaconi aqua vino non commiſceretur, vel aliquid fieret, quod in grauem Sacramenti irreuerentiam redundaret. Si verò miniſtrent Miſſæ non immediatè, prout præſtant Diaconi, & Subdiaconi, ſed tantum, vt merè reſpondentes, & miniſtrantes, prout vt fit regularitèr in Miſſis priuatis, in quibus æquè Laici, & Clerici deſeruiunt, duo potiſſimum debent ſeruare; primò, vt ritè ſciant reſpondere; Secundò, vt actiones ad ſe pertinentes diligentèr pertractent, ne ex ſui negligentia defectus aliquis grauis in Miſſa contingat. Sed in hoc debet Sacerdos ipſe cauere, quando miniſter non eſt valdè idoneus, ne huiuſmodi defectus obueniant.

9 Tenetur ſolum munera miniſtri exercere.

Dico quartò, in defectum viri non eſſe fœminam admittendam ad miniſtrandum Miſſæ, potiſſimum quoad ea, quæ ſpectant ad actiones immediatas præbendi aquam, & vinum, quæque in Altari exercentur. Hoc expreſsè euincitur ex textu *in cap. 1. de cohabit. Cler., & mul.*, vbi præcipitur, *vt nulla fœmina præſumat ad Altare accedere, aut Presbytero miniſtrare*, & quidem iure meritò hoc inductum eſt, ne aſpectus mulierum in eo miniſterio excitet ad incontinentiam, & mentem auocet à Diuinis; nec releuare poteſt in hoc neceſſitas, cum alius adeſſe non ſupponatur, quo in caſu dici non poſſet fœmina præſumere. Non, inquam, releuare poteſt, quia finis iurium prohibentium non eſt præciſè ad cohibendam audaciam fœminarum, ſed ad arcendam occaſionem incontinentiæ, & irreuerentiæ, quæ in quocunque caſu poteſt vigere.

10 In defectum maſculi non eſt fœmina adhibenda.

Sed quid erit dicendum in caſu, quo vrgeret præceptum celebrandi, & non eſſet, niſi fœmina ſimplicitèr, vel quæ ſola ſciret miniſtrare, & reſpondere? Tunc dicerem, vrgente tali præcepto, vel neceſſitate, celebrandum potius eſſe ſine miniſtro, quam adhibendam fœminam *Sotus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 5. ad 12.*, *Graffius deciſ. aur. part. 1. lib. 2. c. 42. nu. 3.*, *Rodriquez in ſumma part. 1. c. 249.*, *Azorius part. 1. lib. 10. cap. 29. quæſt. 3.*,

11 Vrgente præcepto celebrandi, & non exiſtente, niſi fœmina quid agēdum.

Gloſa

Gloſa communitèr approbata in cap. quæſiuit de verb. ſignific., *& in cap. hoc quoque de conſecrat. diſtinct. 1.*, *& ibi Turrecremata*, *Antonius Butrius in cap. 2. de vita, & honeſt. Cleric. num. 11.*, qui omnes, quamuis expreſsè non afferant, quod extante fœmina ſit potius celebrandum ſine miniſtro, quam adhibenda fœmina; ex quo tamen excludunt abſolutè miniſterium fœminæ, & aſſerunt vrgente neceſſitate poſſe ſacrificium fieri ſine miniſtro, videntur abſolutè firmare aſſertum noſtrum comparatiuum; quod ſic euincitur. Neceſſitas adhibendi miniſtrum non eſt tanta, vt in concurſu celebrandi, vel vrgente præcepto, vel neceſſitate communicandi infirmum in articulo mortis conſtitutum ſit præferenda oneri celebrandi, ergo extante neceſſitate celebrandi ceſſare debet neceſſitas adhibendi miniſtrum, ſi hic haberi nequeat. Antecedens probatur, tum quia hoc miniſterium fundatur ſolum in conſuetudine, quæ vim non videtur habere in caſu neceſſitatis; tum quia eiuſdem defectus non videtur afferre magnam indecentiam.

12 Non curſit paritas de miniſtro, & de ſacris veſtibus.

Dices primò, extante etiam magna neceſsitate celebrandi potius omittenda eſt celebratiò, quam illa habenda ſine ſacris veſtibus, vt ſparſim in præcedentibus diximus, ergo etiam eadem vrgente, potius eſt omittendum ſacrum, quam illud habendum ſine miniſtro. Conſequentia tenet, quia tam miniſter, quam ſacræ veſtes non ſunt de ſubſtantia ſacrificij, ſed ſolummodò præcipiuntur tanquam ritus, ergo eodem modo de vtriſque differendum eſt. Sed contra, quia, quamuis miniſter, & ſacræ veſtes computentur, vt ritus, non tamen eodem æquè ſtricto iure præcipiuntur, ſed diuerſo iuxtà maiorem, vel minorem grauitatem obiecti, quod præcipitur; non etenim omnes ritus ſub eodem onere præcipiuntur, ſed alij ſub graui; alij tantum ſub leui, alij ſub præcepto; alij ſub conſilio. Conſideranda iam eſt diuerſitas ſacrarum veſtium, ac miniſtri; illæ pertinent immediatè ad perſonam celebrantis, quæ, ſicuti debet eſſe interius virtutum inſignibus decorata, ità debet eſſe exterius ſacris veſtibus ornata, quæ maximè conferunt ad dignitatem ſacrificij; iſte non pertinet, niſi ad quendam famulatum extrinſecum; & remotum, & eſt perſona omninò extrinſeca ſacrificio; illæ habent myſticam ſignificationem, quæ rapreſentant, tum ea, quæ in Paſſione Chriſti Domini interuenerunt, tùm ea, quæ pertinent ad mores; iſte nullam myſticam habet ſignificationem, ſed ad materiale miniſterium purè pertinet, ideoque mirum non eſt, quod illæ ſtrictiori iure præcipiantur, & ſint indiſpenſabiles etiam vrgente neceſſitate; non ſic iſte.

Dices ſecundò, eodem ferè modo in iure Canonico prohibetur fieri ſacrificium miniſtrante fœmina, ac prohibeatur fieri ſacrificium ſine miniſtro; nam quoad primum dicitur *in cap. 1. de cohabit. Cler.*, *& mul.* *Vt nulla fœmina præſumat ad Altare accedere, aut Presbytero miniſtrare*; quoad ſecundum habetur *in cap. propoſuit de filijs presbyt.* *Non enim ſolus Presbyter Miſſarum ſolemnia, aut alia Diuina officia poteſt ſine miniſtri ſuffragio celebrare*, quod etiam præcipitur *in Concil. Granneteuſi c. 30.* apud *Brucardum lib. 3. decreti cap. 68.*, *& in Concil. Mogontino cap. 43.*, *& Baſilienſi ſeſs. 21. cap. 8.*, ergo, ſi nequit ſacrificium offerri miniſtrante fœmina, neque poterit offerri ſine miniſtro. Sed contra, quia iura prohibentia non ſunt æquali lance menſuranda, ſed iuxtà materiam, circa quam verſantur, prout magis, vel minus hæc confert ad dignitatem ſacrificij, & prout obiectum, quod reſpicitur à iuribus prohibentibus, infert maiorem, vel minorem indecentiam, maius, vel minus periculum, ſeu occaſionem mali; miniſtratio autem fœminæ infert indecentiam, & periculum incontinentiæ, quæ non infert defectus miniſtri; vndè meritò *Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 87. ſect. 1. in fine*, *Sotus in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 5.*, aſſerunt, quod eueniente caſu neceſſitatis celebrandi, aut ſine miniſtro, aut cum fœmina adiutrice, potius ſit celebrandum ſine miniſtro, quam cum fœmina miniſtrante, addita etiam ratione, quia expreſſius hoc eſt prohibitum, & de ſe videtur quid indecentius, magiſque vitandum. 13 Soluitur obiectum contrarium.

Limitarem tamen in duplici caſu; primò, quando adeſſet fœmina perita in hoc miniſterio, & maſculus imperitus; Secundò, quando ſolus maſculus imperitus adeſſet; in primo etenim caſu, ſi fœmina non propè Sacerdotem exiſtens reſponderet, & annueret laico, vt vinum, & aquam ad Altare deferret, non renuerem concedere hoc licitè poſſe fieri, & ità faciendum potius, quam celebrandum ſine miniſtro, quia in hoc caſu ceſſaret illa indecentia, & periculum incontinentiæ; in ſecundo verò caſu crederem, cum *Suarez diſp. 88. ſect. 2. verſ. de alio miniſtro*, exiſtente aliquo omninò imperito, nulloque alio poſſe Sacerdotem eodem vti illum inſtruendo in eadem Miſſa ad reſpondendum, præeundo, ſeu verba reſponſionum ſimul cum illo dicendo, & hoc cæteris paribus congruentius eſt, quam ſine miniſtro celebrare. 14 Duplex limitatio ad prædicta.

ARTICVLVS VII.

De ritibus Miſsæ, qui in verbis conſiſtunt.

SVMMARIVM.

Significatio myſtica omnium harum cæremoniarum. 1.
Errores hæreticorum contra eaſdem. 2.
Euincitur poteſtas Eccleſiæ ad inſtitutionem ipſarum. 3.
Item, quod omnia ritè, & ordinatè ſint inſtituta. 4.
Item, quod careant omni errore, & ſuperſtitione. 5.
In huiuſmodi precibus nihil eſt diſſonum facto Chriſti Domini, nec ſuperfluum. 6.
Nihil etiam continetur erroneum. 7.
Explicantur illa verba. Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam. 8.
Non vitiantur huiuſmodi preces ex eo, quod proferantur Latino idiomate, nec ex eo, quod aliqua dicantur ſecreto, & quare. 9.
Cur potius recitentur Latina, quam vernacula lingua. 10.
Cur aliqua alta, alia ſubmiſſa voce recitentur. 11.

Diuus *Thomas tertia part. qu. 83. art. 4. in corpore*, ordinatim omnia verba Miſſæ per omnes, & ſingulas partes exponit, eiſdemque propriam attribuit ſignificationem, & finem, ad quem fuerunt inducta. Horum ſignificatio quaſi duplex eſt; altera materialis; alia myſtica. Prima eſt, de qua agit *D. Thomas loco mox citato*, quam modo præterimus, cum videri poſſit apud eundem. Secundam breuitèr exponimus. Incipit Miſſa ab introitu, qui ſignificat relatè ad vitam, & Paſſionem Chriſti Domini, cuius Miſſa eſt rapreſentatio, ingreſſum eiuſdem per generationem temporalem in hanc vitam. Recitatio

1 Significatio myſtica omnium harum cæremoniarum.

Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon nouies repetita ſignificat gloriam, quæ ex Chriſti Natiuitate reſultat Sanctiſſimæ Trinitati; vndè *ex D. Thoma loco cit.*, pro perſona Patris ter repetitur Kyrie eleiſon, pro perſona Filij ter Chriſte eleiſon, pro perſona Spiritus ter item Kyrie eleiſon. Subſequitur Gloria in excelſis Deo, quæ ſignificat exultationem, & lætitiam Angelorum in ortu Chriſti Domini, qui auditi fuerunt in antro Bethlemico eandem gloriam enũtiare. Oratio, ſeu Orationes, quæ ſubſequuntur, important quandam diſpoſitionem populi ad audiendam prædicationem Euangelicam, ipſamque percipiendam. Epiſtola, quæ ſubſequitur importat doctrinam Prophetarum, quæ Euangelium præceſſit; deindè promulgatur Euangelium, quod indicat prædicationem Chriſti Domini, & nouæ legis, ex qua conſequitur profectus vitæ, & ex eadem proceſſit profeſſio fidei, & eiuſdem receptio, quæ indicatur per Simbolum Apoſtolorum, quod ſubindè recitatur. Subſequitur poſtea offertorium, quod importat præparationem quandam, & diſpoſitionem ad Euchariſtiam conficiendam, quæ eſt meta inſtitutionis huius ſacrificij. Poſita hac præparatione ſuccedit Præfatio, in cuius termino ter repetitur Sanctus, & exultatio puerorum &c., quæ præfatio cum additis importat glorioſum ingreſſum Chriſti Domini in Ciuitatem Hieruſalem, in qua ſubiturus erat mortem, & de Diabolo palmam reportaturus. Subſequitur Canon, in quo plura ſignificantur, finis, ad quem Chriſtus hoc ſacrificium inſtituit, & mortem tolerauit, nempè hominum redemptio; & ideò Eccleſia commemorationem facit vniuerſæ Eccleſiæ, Pontificis, & aliorum, media, quibus conſequi poſſit finis, & alia, quæ Chriſtus Dominus præmiſit ad inſtitutionem huius ſacrificij. Poſtea ponitur conſecratio, quæ indicat inſtitutionem eiuſdem ſacrificij, & ſimul mortem cuius hoc ſacrificium eſt rammemoratiuum. Subſequentèr ponitur oblatio victimæ conſecratæ, quæ habetur per illa verba; *vndè, & memores Domine*, vſque ad illa, *vt quotquot ex hac Altaris participatione*. Deindè, cum hoc ſacrificium inſtitutum ſit, vt proſit etiam pro defunctis, hic finis exprimitur per illa verba. *Memento etiam Domine famulorum &c.* Cum poſtea dicitur Oratio Dominica indicatur modus, quo Chriſtus Dominus orauit, & nobis præcepit orandum eſſe; ſubmittitur, poſtea pax, quam Chriſtus Mundo obtulit. Dicens *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Tandem ſuccedit Sacerdotalis communio, quæ indicat Dominicam ſepulturam. Cætera, quæ ſubſequuntur, pertinent ad gratiarum actionem.

Aduerſus hos ritus conſiſtentes in huiuſmodi precibus, & Orationibus, quæ in Miſſa recitantur, maximè inuehunt hæretici, qui, ſicuti cæremonias omnes tanquam figmenta Eccleſiæ, & ſuperſtitioſas damnant, ità & huiuſmodi preces, & Orationes eliminant, & præcipuè ea, quæ continentur in Canone; vndè ipſi ſtatuunt nil addendum eſſe ijs, quæ Chriſtus geſſit in Cœna; & ſolum legunt Hiſtoriam Euangelicam ad hanc materiam pertinentem, &, poſtea panem, & vinum conſecrant, ſumunt, & adſtantibus diſtribuunt. Contra huiuſmodi errorem veritatem Catholi-

2 Errores hæreticorum contra has ritus.

cam

cam firmare ſtatuimus, ipſamque ab hæreticorum conuicijs vindicare. Statuemus ergo primo potuiſſe iuſtè Eccleſiam huiuſmodi preces, & Orationes inſtituere, & inſtituiſſe. Secundò eſſe ritè, & ordinatè, & ſignificantèr inſtitutas. Tertiò omni errore, & ſuperſtitione carere. Quartò neque quoad modum recitandi lingua Latina, vel partim alta, vel ſubmiſſa voce aliquam abſurditatem continere.

3 Oſtenditur poteſtas Eccleſiæ ad ipſas inſtituẽdas.

Incipiendo igitur à primo de poteſtate, ſcilicet Eccleſiæ inſtituendi huiuſmodi orationes, & preces non videtur hæſitandum, cum hoc apertiſſimè definitum ſit *in Concil. Trident. ſeſs. 21. cap. 2.* Ibi. *Dediſſe Eccleſiæ poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione ſalua illorum ſubſtantia, & ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum venerationi magis expedire iudicaret*; &, licet hæc videantur reſtricta ad Sacramenta, extenduntur tamen etiam ad Miſſæ ſacrificium, cum ſit eadem ratio, & per ipſum ſacrificium conficiatur Sacramentum; quod autem ità inſtituerit, colligitur *ex eodem Trident. ſeſs. 22. cap. 4.*, vbi etiam adducit rationem inſtitutionis, Ibi. *Cumque natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum Diuinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia Mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædam ſummiſſa voce, alia verò elatiore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit*, & à Canone primo vſq; ad quintum eiuſdem ſeſſionis anatematizat omnes, qui contrarium ſenſerint.

4 Itẽ, quod omnia ritè, & ordinatè ſint inſtituta.

Deueniendo ad ſecundum, quod ſcilicet ſint ritè, ordinatè, & Religioſè inſtitutæ, ex eo euincitur, quod omnia, quæ continentur in huiuſmodi precibus, & Orationibus maximè conformia ſint naturæ, & conditioni huius ſacrificij, quandoquidem huiuſmodi preces, & ordinationes, vel ordinantur tanquam diſpoſitiones impetratiuæ ad dignè ſacrificium cõficiendum, vel tanquam gratiarum actiones, vel tanquam laudes in obſequium Dei, vel inſtructiones Chriſtiani populi circa myſteria Fidei, quæ omnia maximè congruunt eidem ſacrificio, quod, cum ſit laudis, & gratiarum actionis, optimè admittit laudes, & gratiarum actiones; cum ſit impetratorium, benè coniungitur cum petitionibus; cum ſit ſatisfactorium, compatitur cum Orationibus ordinatis, tam pro offerentibus, quam pro alijs, ſiue viuis, ſiue defunctis; cum ſit myſterium Fidei, coniungitur cum inſtructione populi ad myſteria eiuſdem. Confirmari hæc omnia poſſunt ex illo *Apoſtoli prima ad Timoth. 2. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, Orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, quæ verba *D. Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum*, accomodat quatuor Miſſæ partibus. Ibi. *Et obſecrationes fieri dicit in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, Orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum committitur*, quia, ſcilicet tunc fit oblatio, *quam partem ferè omnis Eccleſia Oratione Dominica concludit*, &, poſtea ſubdit. *Quibus peractis, & participato Sacramento gratiarum actio cuncta concludit.*

5 Itẽ, quod careant omni errore, & ſuperſtitione.

Deſcendendo ad tertium, quod, ſcilicet careant omni errore, & ſuperſtitione, facilè ex eo deducitur, quod conſideratis omnibus clarè elucet, quod omnia, quæ in vniuerſa Miſſa quoad preces, & Orationes continentur, ordinantur, vel ad Dei cultum, vel ad diſpoſitionem celebrantis, vel ad inſtructionem populi, vel ad impetrationem bonorum ſpiritualium, vel ad gratiarum actiones, quæ nullum redolent errorem, nec ſuperſtitionem.

Dices primò, in huiuſmodi precibus, & Orationibus plura contineri, quæ, vel aduerſantur facto Chriſti, vt cum dicitur *eleuatis oculis in Cælum*, & cum dicitur. *Accipite, & manducate ex hoc omnes*, vbi ly, *omnes*, ſicuti ly, *eleuatis oculis in Cælum*, non continentur, nec leguntur in Euangelio, vel ſunt ſuperflua, vt cum dicitur. *Quam oblationem tu Deus in omnibus &c.*, quandoquidem Diuina virtus hoc Sacramentum per certitudinem operatur, vel inconuenientia, vt cum ponitur, quod hoc ſacrificium fiat, ſicut ſacrificium Abel, Abrahæ, & Melchiſedech, cum hoc ſacrificium ſit excellentius, quam illa. Sed contra nullum ex iſtis obeſſe poteſt; non primum, quia, licet illa verba *Eleuatis oculis in Cælum*, & illud, *omnes*, non contineantur in Euangelio expreſsè, non inueniuntur tamen excluſa; reſultant tamen ex Apoſtolorum traditione ad nos transfuſa; nec dubitari poteſt de veritate huius traditionis, quandoquidem valdè rationi conſentanea eſt præſumptio, vt Chriſtus Dominus, qui in ſuſcitatione Lazari, & in Oratione, quam pro diſcipulis ſuis habuit *Ioannis 7.*, oculos in Cœlum leuauit, & in inſtitutione huius ſacrificij, quod eſt opus longè excellentius, eleuauerit. Ad illud, quod ſubditur de particula, *omnes*, dicendum eſt ipſam contineri in Euangelio, licet non fuerit expreſſa, & clarè deducitur ex alio Euangelij textu. *Ioannis 6.*, vbi dicitur, *niſi manducaueritis Carnem Filij hominis &c.* conſiderata illa particula excluſiua. *Niſi*, quæ excludit omnes à participatione vitæ æternæ, niſi &c. Non ſecundum, quia, vt aſſerit *D. Thomas dict. quæſt. 83. art. 4.*

6 Nil eſt aduersũ facto Chriſti Domini, nec ſuperfluum

ad

ad ſeptimum, quamuis verba conſecratoria cum debita intentione prolata ſint certò, & infallibilitèr operatoria, non repugnat tamen, quin coniungantur cum deprecatione, qua à Deo poſtolemus, vt operentur; ſicuti Chriſtus Dominus certò ſciebat, ſe glorificandum à Patre, & tamen hoc à Patre petijt Ioannis 7. *Pater clarifica Filium tuum &c.* Deindè illa deprecatio non refertur ſimplicitèr, vt fiat ſacrificium, ſed relatiuè ad ſalutem, & vtilitatem offerentis, & aliorum. Non tertium, quia ibi non fit comparatio excellentiæ huius ſacrificij ad ſacrificia Abel, Abrahæ &c., ſed ad acceptibilitatem ex deuotione offerentium; & ſic petitur, quod, ſicuti illa acceptata fuerunt à Deo ex deuotione offerentium, ita, & hoc acceptetur.

7 Dices ſecundo, in Miſſa aliqua continentur, quæ manifeſtum continent errorem, vt cum in illa Defunctorum dicitur, *vt Animas Defunctorum Deus liberet de pœnis Inferni, & de profundo lacu*; nam, vel Eccleſia per illa verba orat pro animabus, quæ iam ſunt in Inferno, & ſic inanis eſſet oratio, cum in Inferno nulla ſit redemptio; vel orat pro animabus, quæ ſunt in Purgatorio, & ſic etiam inanis eſſet oratio, cum iam eſſent liberatæ à pœnis Inferni, & à profundo lacu. Item, cum dicitur. *Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam*, quæ verba non poſſunt intelligi de morte temporali ad vitam temporalem, cum de hac Eccleſia non oret; ſed de morte æterna ad vitam æternam, quod eſſe non poteſt. Sed contra; Relictis aliorum explicationibus, quæ variè à varijs his locis applicantur, dicendum eſt, vel ea verba intelligi relata ad animas in Purgatorio exiſtentes, quæ quoquo modo dici poſſunt mortuæ, cum ad tempus priuentur viſione beata, in qua vera vita conſiſtit, licet non poſſint dici ſimplicitèr tales, cum non priuentur gratia, quæ eſt principium

8 vitæ. Duplex autem ſtatus iſtarum animarum conſiderari poteſt; alter prout de facto exiſtunt in pœnis Purgatorij, & ſic pro illis oratur, vt eis remittantur pœnæ, donentur requie, & lux perpetua eis luceat; alter, prout concipiuntur, quaſi tunc egrediantur è corpore, & tunc orat, *ne abſorbeat eas tartarus*, hoc autem fit tantum rapreſentatiuè, quod præſtat Eccleſia eo modo, quo præſtat in ſimilibus rapreſentando iam facta, quaſi tunc fiant, vt quando dicit *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, nec inanis, & ſine effectu videtur hæc oratio rapreſentatiua, quandoquidem hæc excitat viuentes, vt hanc audientes ſibi proponant id, quod debet eiſdem contingere, & ſe muniant aduerſus pericula illius momenti, à quo pendet eorum æternitas, nec infructuoſa erit reſpectu animarum defunctorum, cum poſſit illis pœnas remittere.

Nihil etiam continet errorum.

Explicantur illa verba Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam

Concludendo tandem hunc titulum, quoad quartum punctum excitatum in principio eiuſdem dico, huiuſmodi preces, & Orationes, quæ in tota Miſſa dicuntur, non vitiari ex eo, quod Latino idiomate recitentur, nec ex eo, quod partim ſecretè, partim elata voce dicantur. In hoc conſentiunt omnes Catholici. Pro quo aduerto, nihil de hoc præſcriptum eſſe in iure Diuino, &, licet improbando locutionem Latinam dici poſſit Chriſtum Dominum ſermone hæbraico inſtitutionem huius ſacrificij feciſſe, non propterea benè arguitur, eſſe pręceptum Diuinum de tali idiomate ſeruando in hoc ſacrificio conficiendo; nam in primis non ſolum hoc idiomate eſſet hoc ſacrificium peragendum, ſed tota Sacra Scriptura eodem perlegenda. Deindè non omnia, quæ Chriſtus Dominus fecit, ſeu dixit, cadunt ſub aliquo præcepto. 9

Non vitiantur ex eo, quod proferātur Latino idiomate.

Maior difficultas videtur conſiſtere in explicando, cur potius huiuſmodi preces, & Orationes non recitentur vulgari, quam Latino idiomate; cum etenim deſeruiant, vel ad inſtructionem populorum, vel ad gratiarum actionem, debent accomodari intelligentiæ, & capacitati audientium afferente *Apoſtolo prima ad Corinth.* 14. *Si neſciero virtutem vocis ero, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus.* Ad hæc dicendum eſt, non ſine magno myſterio ſtatutum eſſe, vt huiuſmodi preces, & Orationes recitentur latinè, non vulgari idiomate; primò, quia magis decet dignitatem tanti ſacrificij, vt preces in eodem adhibeantur, non communi, ſed lingua magiſtra, cuiuſmodi eſt apud nos latina; Secundò, ne facilis aperiatur via idiotis erroneè intelligendi, quæ recitantur; pleraque enim parobolis, tropis, & metaphoris ſunt concepta, quæ, ſi literalitèr conciperentur, non mediocres ingererent occaſiones errorum, & fortè etiam ſuperſtitionum, Tertiò, quia, cum vernacula lingua facilè mutetur, & in locis etiam parum diſſitis ſit diuerſa, facilè diuerſificaretur ſenſus, & ſignificatio verborum; Quartò, quia non expedit omnia myſteria, quæ non ſunt neceſſaria, rudibus aperire, vt tradiderunt *D. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. cap. 1., & vlt., D. Baſilius lib. de Spir. Sanct. c. 27., D. Gregorius 4. Dialog. c. 56*; ex qua cauſa etiam Sacræ Scripturæ conceptæ ſunt ſub Tropis, & Figuris; quæ rationes præponderant illi inſtructioni, & vtilitati populorum, quæ ponderata eſt in ratione dubitandi, potiſſimum, cum hæc habea- 10

Cur potius Latina, quam vernacula lingua proferantur.

habeatur per frequentes Paſtorum ſermones, tum inter Miſſarum ſolemnia, tum alibi. Ad illud, quod ſubditur ex Apoſtolo, dicendum eſt, ipſum ibi loqui non de precibus, ſiue in Miſſa, ſiue extra adhibendis, ſed de ſermonibus ad populum habendis, qui debent eſſe ad intelligentiam eiuſdem.

In ordine tandem ad ea, quæ dicuntur de precibus, quarum aliæ voce alta, & intelligibili, aliæ ſubmiſſa voce recitantur, dicendum eſt, nil contra rationem importare, nec inordinatum, cum fuerit poteſtas in Eccleſia ſic ordinandi, & voluntas rationabilis benè ordinata; poteſtas, quia aſſerente *Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum venerationi magis expedire indicaret*; voluntas etiam rationabilis colligitur, tum ex liturgijs antiquis, tum ex obſeruantia ferè ſemper ſeruata, tum ex *Concilijs Cononienſi part. 7. cap. 26.* Ibi: *Tunc eſſe in Miſſa præcipuas populi partes, quando ſubmiſſius legente, aut tacente Sacerdote vnuſquiſque cum Deo loquitur, Trident. ſeſſ. 22. cap. 5.*; & quidem hæc voluntas videtur vndequaque rationabilis; & primò, quia hic mos, ſeu conſuetudo maximè conformatur actioni Chriſti Domini, dum ſe ipſum obtulit in ſacrificium in Cruce Patri, in qua modo alta voce ad Patrem clamabat. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt; Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me. In manus tuas commendo ſpiritum meum*; modo conuerſus ad Matrem, & ad Diſcipulum, quem diligebat. *Ecce Filius tuus. Ecce Mater tua*, modo tacebat, & intra ſe orabat.

11 Cur aliqua alta, alia ſubmiſſa voce recitentur.

Secundò, quia, cum Miſſa ſit perfectiſſima Oratio, debet in ſe continere omnes Orationum perfectiones, quarum altera eſt vocalis, altera mentalis. Tertiò, quia, cum Miſſa ſit ordinata ad rememorandam Chriſti Domini Paſſionem, & figendum in cordibus fidelium eiuſdem affectum, & compaſſiuam teneritudinem per Orationes alta voce prolatas eadem corda excitari debent, vt poſtea in eiuſdem meditatione detineantur; vndè inductum eſt, vt Sacerdos celebrans ante Canonem, qui ſecreto recitatur, præmittat illa verba: *Surſum corda*, quibus reſpondet populus. *Habemus ad Dominum*, & ſic habet locum id, quod definit Concil. Colon. ſupra allegatum. *Tunc eſſe in Miſſa præcipuas populi partes, quando ſubmiſſius legente, & tacente Sacerdote, vnuſquiſque cum Deo loquitur*. Quartò; quia, ſicuti myſterium Principis abſcondere bonum eſt, ita æquum eſt, non omnia Dei myſteria omnibus æquè promulgare, vt notant *Origines hom. 5. in Numeros, & Chryſoſtomus hom. 24. in Matthæum*.

ARTICVLVS VIII.

De Cæremonijs in ſacrificio Miſſæ, quæ conſiſtunt in actione.

SVMMARIVM.

Fines rationabiles, ob quos inſtituti ſunt hi ritus. 1.
Quinam pertineant ad ornatum. 2.
Quinam ad ſignificationem myſteriorum. 3.
Signa Crucis ſignificant paſſionem. 4.
Cur huiuſmodi ſigna fiant in numero diſpari. 5.
Singulorum determinata ſignificatio. 6.
Aliæ ſignificationes myſteriorum Paſſionis per alia ſigna. 7.
Signa, quæ fiunt in recognitionem Diuinitatis. 8.
Quæ fiunt in ſubiectionem, & humilitatem. 9.
Obiecta contra huiuſmodi ritus. 10.
Manus ablutio non eſt cæremoniale antiquum, ſed noua cæremonia. 11.
Iteratio rituum ſignificat plura myſteria. 12.
Signum Crucis ſuper oblata conſecrata non eſt eorum benedictio. 13.
Oblata propriè non benedicuntur per ſignum Crucis, quod ſuper illa efformatur. 13.
Significatio propria aliorum rituum. 14.
Quid propriè ſignificet fractio hoſtiæ in tres partes. 15.

IN Miſſa plura dicuntur, plura fiunt. In præcedenti articulo ea examinauimus, quæ conſiſtunt in verbis; in hoc ea diſcutiemus, quæ pertinent ad actiones. Omiſſis ijs, quæ prærequiruntur ad idem ſacrificium ex parte celebraturi tamquam præparationes, de quibus egimus in præcedentibus, hic loquemur ſolum de ijs, quę exercentur, & exerceri debent in ipſa ſacrificij confectione, quæ vt plurimum conſiſtunt in obſignatione Sacerdotis ſigno Crucis, in deoſculatione Altaris, in manuum extenſione, & reſtrictione, in benedictionibus, tàm ſuper oblata, quàm ſuper populum adſtantem, in multiplici Crucis efformatione ſuper eadem oblata, in oblatione, in fractione Hoſtiæ in tres partes, in immiſſione partis Hoſtiæ in Calicem conſecratum, in ſumptione, & alijs ſimilibus &c.

Hos omnes ritus, & cæremonias ritè, honeſtè, & rationabilitèr inductas eſſe per Eccleſiam, clare liquet, tum ex modo quo fiunt, tum ex ſignificatione, quam 1 Fines horum rituum.

habent, tum ex fine, ad quem diriguntur; omnes namque huiuſmodi cæremoniæ, vel ad ornatum, vel decentiam ſacrificij, vel ad indicanda myſteria, quæ in Miſſa repræſentantur, vel ad recognitionem Diuinitatis, vel ad ſubiectionem, vel inſtructionem populorum pertinent.

2 Quinam pertineāt ad ornatum.

Ad ornatum, & decentiam myſterij pertinet ſacrarum veſtium delatio, inceſſus grauis, oculorum dimiſſio, erectum Corpus, & aliæ omnes actiones, quæ, quamuis habeant alias ſignificationes, ſiue myſticas, ſiue morales, maximè tamen etiam conferunt ad ornatum, & decentiam.

3 Quinam ad ſignificationē myſteriorum.

Ad ſignificationē myſteriorum referuntur ſigna Crucis, quæ efformantur, quæ ſignificant Paſſionem Chriſti Domini in Cruce. Hæc autem ſigna modo fiunt circa oblata, modo circa ipſum Sacerdotem, modo circa populum adſtantem; prout fiunt circa oblata, quod crebrò contingit, hoc in primis notandum eſt, quod ſemper

4 Signa Crucis ſignificāt paſſionē.

fiant in numero diſpari, vt notat *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 85. ſect. 1. verſ. octauo loco ponere poſſumus*, ſemel, ter, vel quinquies; & quidem, ſi ſemel fiat, hoc eſt ad indicandam vnitatem Diuinitatis, ſi ter, ad ſignificandam Trinitatem perſonarum; ſi quinquies ad ſignificanda quinque vulnera Chriſti Domini. Significationem omnium harum Crucis ſignationum explicat relatiuè ad omnes actiones, ſeu loca Miſſæ *D. Thomas tertia part. quæſt. 93. art. 5. ad tertium*, adeo vt aſſerat, quod quando ter fiunt illa ſigna ad illa verba. *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*; ſignificetur Chriſti traditio facta à Deo, Iuda, & Iudæis. quando verò fiunt ad illa verba: *Benedictam, adſcriptam, ratam, vt nobis Corpus, & Sanguis*, ſignificetur per tria prima venditio Chriſti facta Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, per alia duo ſubſequentia ſignificetur perſona Iudæ venditoris, & Chriſti vēditio, quando verò fiunt duo Crucis ſigna, alterum ſupra panem conſecrandum; alterum ſupra vinum, tunc ſignificatur præſignatio Paſſionis Chriſti in Cœna; nec hic arbitrandum eſt, erraſſe *Suarez loc. cit.*,

5 Fiunt in numero diſpari, & quare.

dum dixit ſemper huiuſmodi Crucis obſignationes fieri in numero diſpari, cum hic fiant in numero pari. Non, inquam, arbitrandum eſt, quia hæc duo in actione diuerſa disiunguntur, & vna disiungitur ab altera, vndè eſt vnica in ſua quæque actione; quando verò quinquies fiunt ſuper illa verba. *Hoſtiam puram, Hoſtiam Sanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ*, ſignantur quinque vulnera in Corpore Chriſti impreſſa; quando verò tria Crucis ſigna efformantur ad illa verba: *Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus omni benedictione &c.*, ſignificatur extenſio 6 Eorum determinata ſignificatio

Corporis, & effuſio Sanguinis, & fructus Paſſionis; quando verò fit trina Crucis ſignatio, *Sanctificas, viuificas, benedicis &c.*, ſignificatur triplex Oratio, quam Chriſtus fecit in Cruce, vna pro perſecutoribus, cum dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, altera pro liberatione à morte: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me*. Tertia pro conſecutione gloriæ, cum dixit: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; quando verò fit triplex Crucis ſignatio ad illa verba. *Per ipſum, cum ipſo, & in ipſo*, ſignatur triplex hora, qua Chriſtus pependit à Cruce, quibus ſubſequuntur aliæ duæ Cruces immediatè extra Calicem, quibus indicatur ſeparatio Animæ à Corpore; quando verò fiunt tres Cruces ad illa verba. *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, repræſentatur Reſurrectio tertia die facta. Hæc omnia colligo ex *D. Thoma loc. cit.* Prout verò huiuſmodi Crucis obſignationes fiunt circa ipſum Sacerdotem, vel circa populum, aliam ſignificationem non videntur habere, niſi, quod tam ipſe Sacerdos, quam populus debeant referre fixam in cordibus figuram, & memoriam Paſſionis Chriſti.

Ad ſignificationem etiam myſteriorum Paſsionis Chriſti Domini pertinet eleuatio 7 Alia ſigna paſſionis.

Hoſtiæ, & Calicis, quæ ſignificat eleuationem Chriſti in Cruce, & effuſionem Sanguinis; mixtio aquæ, & vini ad ſignificandum à latere Chriſti Sanguinem, & aquam effluxiſſe; ablutio ſummitatis digitorum, quæ fit poſt oblationem vtriuſque ſpeciei, & hoc iuxtà *D. Thomam loc. cit. ad primum*, ad ſignificandum ne dum grauiora, ſed etiam leuia peccata eſſe abſtergenda; manuum extenſio ſuper oblata, dum Sacerdos dicit: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ*, ſignificat efficaciam gratiæ; nam, ſicuti per manuum impoſitionem Diſcipuli accipiebant gratiam Spiritus Sancti, ita per illam manuum impoſitionem ſuper illa oblata videtur indicari eiuſdem gratiæ efficacia, quæ per eadem oblata confertur; omnes illæ actiones, quæ fiunt immediatè ante, vel in ipſa conſecratione, vel poſt, inductæ ſunt ad ſignificandum id, quod Chriſtus geſsit in inſtitutione huius ſacrificij; fractio Hoſtiæ in tres partes; cuius plures ſignificationes aſsignat *D. Thomas loc. cit.* ad ſeptimum, octauum, & nonum præcipuè myſticas, quæ videri poſſunt apud ipſum; nobis ſufficiat dicere ſignificare diuiſionem Animæ, Corporis, & Sanguinis; Immiſsio partis Hoſtiæ diuiſæ in Calicem, quæ, ſi refe-

referatur ad Corpus reale Chriſti Domini, ſignificat eiuſdem Reſurrectionem, quæ fit per vnionem Corporis cum Sanguine, & Anima, vt notant *Micrologus cap.* 18., *& Amal. lib. 3. cap. 31.*, ſi referatur ad Corpus myſticum ſecundum *D. Thomam loc. cit. ad nonum*, ſignantur illi, qui in hac vita ſunt participes Paſſionis Chriſti.

8 Signa, quæ fiunt in recognitionē Diuinitatis.

Ad recognitionem Diuinitatis pertinent omnes actus exteriores latriæ, qui ordinantur ad Deum colendum, eiuſque ſupremum Dominium; huiuſmodi ſunt Corporis, aut capitis inclinationes, genuflexiones, manuum, & oculorum eleuatio; iuxtà illud Pſalmi. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium Veſpertinum*, tonſiones pectoris ad illa verba. *Agnus Dei*, *Domine non ſum dignus*, eleuatio Hoſtiæ, & Calicis, vt ab adſtantibus adoretur; pertractatio Sacramenti cum debita reuerentia, & his ſimilia. Item deoſculatio Altaris, Patenæ, libri Euangeliorum &c.

9 Quæ fiūt in ſubiectionem.

Ad ſubiectionem, & humilitatem pertinent etiam genuflexiones, inclinationes Corporis, & capitis, tonſiones pectoris. Tandem ad inſtructiones populorum pertinent Corporis compoſitio, manuum eleuatio, oſculum pacis, & ſimilia, quæ excitant populos ad animos componendos, ad eleuandas mentes in Deum, ad mutuum amorem fouendum &c.

Recta quidem ratione has cæremonias, ſeu ritus ordinauit Eccleſia, & præſcripſit ſeruandas, ſeu ſeruandos, ſignantèr ad ſeruandam conformitatem in hoc myſterio, vt omnia ſecundum ordinem fiant, nam, ſi hæc reliquerentur vniuſcuiuſque arbitrio, multa indecorè, & parum Religioſè, & fortè ſuperſtitioſè contingerent. Cæterum ſpectato modo, quo inductæ ſunt, vt fiant, conſtat omnia plenè eſſe grauitate, decore, decentia; conſiderato fine conſtat, omnia plena eſſe ſalutaribus myſterijs, congruis ſignificationibus, ordinata ad Dei cultum, populorum ædificationem, & excitamentum ad Religionem, & pietatem fouendam; vnde non eſt, cur poſſint ore nimis lubrico ab Hæreticis improbari.

Neque hic audiendi ſunt, qui aliquos ex his ritibus improbant, vel ex eo, quod conformentur cæremonijs veteris teſtamenti, vt contingit in ablutione manuum, quod ſeruabatur in antiqua lege *Exodi 30.*, vbi Dominus hæc ſtatuit. *Lauabunt Aaron, & filij eius manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad Altare*; vel ex eo, quod in Sacramentis eadem congruè non ſunt iteranda; plura autem in hoc ſacrificio iterantur, nempè Crucis efformationes, vel ex eo, quod incongruum penitus videatur, quod ſuperior ab inferiori benedicatur; hoc autem in Miſſa ſtantibus cæremonijs, quæ in ea obſeruantur, contingit, cum Sacerdos poſt conſecrationem benedicit hoc Sacramentum Cruce ſignando, vel ex eo, quod multa peraguntur, quę redolēt leuitatem, vt cum bracchia per Sacerdotem extēduntur, manus iniunguntur, digiti complicantur, & multoties verſa facie populus ſalutatur; vel ex eo, quod non congruè in hoc ſacrificio repræſentetur myſterium Paſſionis Chriſti, quod in pluribus contingit. Primò in fractione Hoſtiæ in tres partes, cum potius eſſet in quinque diuidenda, cum hæc ſignificet diuiſionem Corporis Chriſti; hoc autem fuit diuiſum in locis quinque vulnerum. Secundò in eo, quod vna pars Hoſtiæ conſecratæ miſcetur Sanguini, cum potius eſſet exprimenda vtriuſque ſeparatio. Tertiò in eo, quod veritas in hoc non reſpondet figuræ per reſeruationem Hoſtiarum conſecratarum; cum in lege cautum eſſet, quod Agnus Paſchalis, qui erat figura huius Sacramenti, totum conſummaretur, & ex eo non remaneret quidquam vſque manè. Hæc omnia aduerſus ſe ipſum congerit *D. Thomas dict. quæſt. 93. art. 5.*

10 Obiecta contra huiuſmodi ritus.

Non, inquam, audiendi ſunt, quandoquidem hæc non obſiſtunt; Non primum, quia non eſt aliqua repugnantia, quod Eccleſia nouo aliquo iure ſtatuat, quod in iure antiquo ſtatutum erat, quando ſecundum ſe habet proportionem ad ſignificandum id, quod Eccleſia intendit, cuiuſmodi eſt illa manuum ablutio, quæ ſignificat emundationem etiam à minimis, & leuibus maculis peccatorum, nec poteſt dici, quod in hoc ſequatur cæremoniale veteris legis, ſed quod proprium ſtatuat potiſſimum, cum non eodem modo ſeruetur, in veteri etenim lege prius pedes abluebantur, & manus integræ; modo, nec pedes, nec manus integræ, ſed dumtaxat digitorum extremitates abſterguntur.

11 Manuum ablutio eſt noua cæremonia.

Non ſecundum, quia, quando actiones referuntur ad ſignificanda plura myſteria, non videtur incongruum, quod in ordine ad ſingula iterentur; illæ autem Crucis obſignationes iuxta præacta referuntur ad plura, eaque diuerſa ſignificanda, & propterea mirum non eſt, quod iterentur.

12 Cur iterentur eadem ſigna.

Non tertium, quia, vt benè notat *D. Thomas loc. cit. ad quartum*, Sacerdos ſupra oblata poſt conſecrationem non obſignat Cruce ad benedicendum, & conſecrandum, ſed dumtaxat ad indicandam virtutem Crucis, & modum Paſſionis eius.

13 Oblata propriè non benedicuntur.

Non quartum, quia illæ actiones, quæ

14 Significatio propria aliorũ rituũ.

recenſentur, habent ſua ſpecialia ſignificata, nempè extenſio bracchiorum extenſionem Chriſti in Cruce, coniunctio manuum eſt ſignum humilitatis, & ſupplicis deprecationis; eleuatio earundem ad deſignandum Orationem dirigi ad Deum pro populo; digitorum complicatio eſt ad effectum, ne, ſi quæ particulæ ob contactum ſacrarum ſpecierum adhæſerint eiſdem digitis, diſſipentur; vndè nullo modo præſeferunt leuitatem; conuerſio faciei ad populum, dum dicit *Dominus vobiſcum* ſignificat manifeſtationem Chriſti quinquies poſt Reſurrectionem; hæ verò ſalutationes verſa facie ad populum iunctæ cum alijs duabus; quibus non verſa facie eundem ſalutat, cum ante Præfationem dicit *Dominus vobiſcum*; & *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* ſignificant ſeptem Dona Spiritus Sancti.

15 Significatio diuiſionis hoſtiæ in tres partes.

Non quintum, nec ea omnia, quæ in eo dicuntur, cum in his omnibus habeatur perfecta ræpreſentatio Paſſionis Chriſti Domini ſeruata proportione ad vnamquamque actionem; fractio Hoſtiæ in tres partes inducta eſt ad ſignificandam, vt ſupra dicebamus, diuiſionem Corporis à Sanguine, & ab Anima; alias myſticas ſignificationes de hac trina diuiſione Hoſtiæ conſecratæ aſſignat *D.Thomas loc.cit.ad octauum* quæ videri poſſunt apud ipſum; nec illa quinque vulnera congruè fuiſſent ſignificata per hanc Hoſtiæ diuiſionem, quamuis facta eſſet in quinque partes, cum illa non fuerint cum ſeparatione à Corpore, ſed in eodem; immiſſio partis Hoſtiæ in Calicem conſecratum ſignificat vnionem Corporis cum Sanguine in Reſurrectione, cum ſeparatio eorundem aliundè ſignificetur, nempè in ipſa conſecratione vtriuſque ſpeciei ſeorſim facta. Quod deindè ſubditur, quod veritas non correſpondeat figuræ, non officit, quia ex ſpeciali inſtituto huius ſacrificij eſt in eodem aliquod ſingulare, quod exigit reſeruationem, cuius oppoſitum aderat in Agno Paſchali; hic etenim non quotidiè ſumebatur, ſed pro deſignato tempore; vndè non erat neceſſitas, quod reſeruaretur aliquid eiuſdem; Sacramentũ autem Agni immaculati Chriſti eſt quotidiè ſumendum, & ad infirmos deferendum; & ſic congruum eſt, vt reſeruetur. In hoc igitur ſolum conformatur veritas figuræ, quod ſcilicet, ſicuti totus Agnus abſumebatur; ità totus Chriſtus in hoc ſacrificio abſumitur, non tamen totalitèr ſecundum omnem præſentiam, propter finem neceſſitatis communicandi quotidiè, & infirmos ſecundum contingentias.

ARTICVLVS IX.

De ſpecialibus Ritibus Miſſæ ſolemnis, Defunctorum, & aliarum.

SVMMARIVM.

Explicantur ritus, qui pertinent ad ornatum. 1.
Quænam pertineant ad cultum Sacramenti. 2.
Quænam ad ſignificationem, ſiue moralem, ſiue myſticam. 3.
Turrificatio eſt noua cæremonia ex inſtituto Eccleſiæ. 4.
Quænam omittantur in Miſſis de Requiem. 5.
Rationes, ob quas iſta omittuntur. 6.
Cur Sacerdos non ſe ſignat, ſed librum, quando incipit introitum. 7.
Cur non petatur benedictio ante lectionem Euangelij, nec poſt illam liber oſculetur. 8.
Cur non dicatur Gloria Patri &c. *poſt* Lauabo. 9.
Quænam ſint ſeruanda in Miſſis in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum. 10.
In Altari, in quo eſt expoſitum Sacramentum, non debet eſſe Crux. 11.
Vbi requiritur Crux non ſufficit, quod ſit picta in pariete. 12.
Quænam ſeruanda in Miſſis de feria à Dominica Paſſionis. 13.
Quid in Miſſa Dominicæ Palmarum. 14.

OMittimus hic ea, quæ communia ſunt Miſſis, ſiue ſolemnibus, ſiue priuatis, ſiue de Requiem, ſiue votiuis, cum hæc omnia colligi poſſint ex dictis in præcedentibus. Solum hic innuemus ea, quæ ſunt propria Miſſis ſolemnibus, ſiue alijs id ijs, quæ habent ſpecialem ritum. Hęc omnia, prout pertinent ad Miſſarũ ſolemnia ad tria capita reducuntur, nempè ad decentem ornatum, ad cultum, & venerationem Sacramenti, & ad ſignificationem, ſiue moralem, ſiue myſticam. Ad primum caput reducitur cantus, inſtrumenta Muſica, dummodò non præſeferant aliquod impurum, vt notat Concil. Trident., vtpotè quæ, & deuotionem excitant, & ſolemnitatem augent, miniſtrorum numerus &c. Ad ſecundum caput reducitur Turribuli, Incenſi, & Turrificationis vſus, qui eſt antiquiſſimus in Eccleſia, vt patet ex antiquis liturgijs; luminaria, quæ per Acolytos deferuntur ante miniſtros, dum ad Altare accedunt, & ad Euangelium, omneſque ferè cæremoniæ, quæ à Diacono, & Subdiacono exercentur in Miſſa. Ad tertium caput redu-

1 Quę pertinent ad ornatum

2 Quę ad cultum Sacramenti.

reducuntur idem Turribulum, Incenſum, Turrificatio. Turribulum ſignificat Chriſtum igne Spiritus Sancti plenum; tres Catenulæ, quæ Turribulum ſuſtinent denotant tres vniones in Chriſto, nempè vnionem Carnis ad Animam, Diuinitatis ad Carnem, eiuſdemque ad Animam, vt notat *Innocentius III. lib. 2. cap. 17.*; Incenſum ſignificat bonum odorem, quo Chriſtus plenus eſt, quique ab eodem in fideles transfunditur; vnde Turrificato Altari alij Turrificantur. Turrificatio autem ſignificat gloriam Dei, qui in nebula

3 Quę ad ſignificationem

apparebat; tum ad reuerentiam loci fit, vt malus odor indè pellatur; item ad ſignificandam gratiam; vt notat *D. Thomas tertia part. quæſt. 83. art. 5. ad ſecundum*, ſeu effectum eiuſdem; tum ad indicandam Orationem ad Deum diugendam iuxtà illud Pſalmi 140. *Dirigatur Oratio mea, ſicut Incenſum Veſpertinum*; luminaria habent tum moralem, tum myſticam ſignificationem; moralem, quatenus indicant, quod miniſtri Altaris debeant virtutum ſplendore lucere; myſticam, quatenus ſignificant Chriſtum Dominum, & Humanitate, & Diuinitate fulgentem.

4 Turrificatio eſt noua cæremonia ex inſtituto Eccleſiæ.

Improbant aliqui ritum Turrificationis in Miſſa, eo quod hæc erat cæremonia veteris teſtamenti, cum Dominus mandauerit Aaron, vt adoleret Incenſum ſuaue fragrans ſuper Altare, quod erat ante propitiatorium *Exodi 30.*; maximè autem indecens eſt, vt hæc cæremonia etiam in noua lege adhibeatur, cum omnia antiqua cæremonialia fuerint à Chriſto Domino ſublata. Sed immeritò, quia, vt notat *D. Thomas dict. quæſt. 83. art. 5. ad ſecundum*, Eccleſia non vtitur Turrificatione quaſi ex præcepto cæremoniali antiquæ legis, ſed tanquam proprio ſtatuto, & non eodem modo. Non immoramur in ſingulis ritibus, qui adhibentur in Miſſa ſolemni, cum non ſpectent ad Theologicum inſtitutum, ſed ad cæremoniales inſtitutiones.

5 Omittẽda in Miſſis de Requiem

In Miſſis de requiem plura ex ijs omittuntur, quæ in alijs adhibentur. Omittitur primo Pſalmus *Iudica me Deus*. Cum celebrans facta confeſſione incipit introitum, non ſignat ſe, ſed manu dextera extenſa ſigno Crucis librum ſignat, quaſi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri*, ſed poſt Pſalmum repetitur *Requiem æternam*. Non dicitur *Gloria in Excelſis*, nec *Alleluia*, nec *Iube Domine benedicere*, nec *Dominus ſit in corde meo*, nec oſculum datur libro in fine Euangelij. Non dicitur *Credo*, nec benedicitur aqua. In fine Pſalmi *Lauabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*. Ad Agnus Dei non dicitur *miſerere nobis*, cuius loco dicitur *Dona eis requiem*, nec percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, nec datur Pax. In fine non dicitur, *Ite Miſſa eſt*, nec *Benedicamus Domino*, ſed *requieſcant in pace*, & non datur benedictio, ſed dicto *Placeat &c.*, & oſculato Altari recitatur *principium Euangelij Sancti Ioannis*.

Solum explicandum hic remanet, cur in prædictis Miſſis de Requiem omittantur allegati ritus, & cæremoniæ? Alcuinus *cap. de exequijs mortuorum*, *Amalarius lib. 3. cap. 44.*, aſſerunt ideò ea omnia omitti, quia præſeferunt ſigna lætitiæ, & ſuauitatis, quæ teſte *Vgone de Sancto Victore de ſpec. Miſſæ obſeruat. lib. 3. cap. 37.* de proximi tranſitu dolentibus non conueniunt, quod idem firmat *Durandus lib. 7. cap. 35.* In particulari ideo Pſalmus *Iudica me Deus* omittitur, quia in eo plura continentur, quæ defunctis nequeunt aptari, vt cum dicitur, quod Deus eruat ipſos ab homine iniquo, & doloſo, non enim poſt mortem exiſtentibus in Purgatorio, pro quibus Miſſa celebratur, poſſunt obeſſe homines iniqui, & doloſi. Item cum dicitur *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus* importatur quoddam lætitiæ, & hilaritatis excitamentum, quod luctuoſis non poteſt competere. Addunt aliqui, quod ideo non dicitur Pſalmus *Iudica me Deus*, quia non dicitur tempore Paſſionis Domini, & officia pro defunctis fiunt ad imitationem officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Cur autem omittatur ille Pſalmus in Miſſis in morte Domini, dicam infrà.

6 Rationes ob quas omittuntur.

Item non ſignat ſe Sacerdos, quando incipit introitum, ſed librum, quia tota illa actio refertur ad vtilitatem defunctorum, quibus conſulit ipſos quodamodo benedicendo. Non dicitur *Gloria Patri &c.* nec *Gloria in Excelſis*, quia ſunt ſigna lætitiæ, & hilaritatis, quæ, vt aſſerebam, dolentibus in tranſitu proximi non congruunt; item, quia omittuntur etiam in Miſſis de Paſſione Domini in diebus eidem Paſſioni aſſignatis; propter eaſdem rationes non dicitur *Alleluia*, quidquid ex aduerſo ſcripſerit *D. Hieronymus ad Aletium*, dicens, hanc vocem in vſu fuiſſe in funere defunctorum, ſed modo hic vſus abrogatus eſt.

7 Cur Sacerdos nõ ſe ſignat, quando incipit introitũ.

Item non dicitur *Iube Domine benedicere*, ante lectionem Euangelij, nec *Dominus ſit in corde meo &c.*, nec oſculatur liber, cuius omiſſionis ea ratio eſt, quia benedictio teſte *Durandus lib. 4. cap. 51.*, præſefert ſolemnitatem, quæ in Miſſis defunctorum, vtpotè luctuoſis non admittitur. Ob ſpecialem rationem omittitur oſculum Euangelij, quia teſte *D. Dionyſio lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 3.* ſignificat reconciliationem, vndè

8 Cur non petatur benedictio ante lectionẽ Euangelij.

vndè Sacerdos ſubdit *per Euangelica dicta deleantur noſtra delicta*, quæ reconciliatio reſpectu defunctorum non conſideratur; quandoquidem, ſi fuerint in Purgatorio, non ſunt Deo inimici, nec peccatis afficiuntur. Non dicitur, *Credo*, quia hoc ſimbolum non dicitur, niſi in feſtis ſolemnioribus eorum præcipuè, qui Euangelium promulgarunt.

9 Cur non dicatur Gloria Patri poſt Pſalmum *Lauabo.*

Item in fine Pſalmi, *Lauabo inter innocentes manus meas*; non dicitur *Gloria Patri*; nec ad Agnus Dei ſubditur *miſerere nobis*, ſed *dona eis requiem*; quia tota hæc actio dirigitur ad animas ſubleuandas à pœnis &c.; ſubditur verò vltimo loco *ſempiternam*, quia ſecundum *Durandum lib. 4. c. 52.* fit Deo Oratio, vt conferat defunctis animæ, & Corporis gloriam, quia animæ ſolius ſine illa corporis non eſt requies ſempiterna. Non datur pax, nec dicitur Oratio de pace, quia defuncti non ſunt in turbatione huius Mundi, *Durandus lib. 4. cap. 53.* Non dicitur *Ite Miſſa eſt*, nec *Benedicamus Domino*, ſed *requieſcant in pace*, nec datur Benedictio, quia omnia diriguntur ad ſubleuamen defunctorum, nec in hoc officio admittuntur ſolemnitates.

10 Quænam ſint ſeruanda in Miſſis in Altari, in quo eſt expoſitũ Sacramentum.

In Miſſis, quæ celebrantur in Altari, in quo expoſitum eſt Auguſtiſſimum Sacramentum, plura adduntur, & quidem maximè congruè, quæ breuitèr hic recenſentur. Hoc in primis aduertendum eſt, quod quantum fieri poteſt, & hoc parciſſimè, in hoc Altari non celebrandæ ſint Miſſæ priuatæ. Deindè hæc ſeruanda ſunt, cum contigerit ibi celebrari, vt cum primum Sacerdos cum miniſtro, ſeu miniſtris acceſſerit ad idem Altare, debeat genuflectere vtroque genu; facta poſtea confeſſione aſcendit ad Altare, vbi deinceps non genuflectitur, niſi vnico genu toties quoties contingit à medio recedere, & ad illud redire; Sacerdos conuertens ſe ad populum vel pacem annuntiaturus, vel ipſum excitaturus ad orandum, vel benedicturus non terga vertit Sanctiſſimo, ſed ſe retrahit ad cornu Euangelij, nec perficit circulum, ſed reuertitur ad Altare facta eidem genuflexione.

Hic DD. diſputant, an in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum, & debet fieri Miſſæ celebratio, debeat adeſſe Crux, ſicut debet eſſe in Altaribus, in quibus celebrandum eſt non expoſito Sacramento *Gauantus in theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 2. tit. 14. de ijs, quæ addenda ſunt in Miſſa &c.*, loquens de Miſſa ſolemni, quæ in eodem Altari celebratur, dum de incenſatione, aſſerit Turrificari debere Sanctiſſimum loco Crucis, quæ ibi adeſſe non debet, & deindè *ibid. num. 17.*, dicit eadem obſeruari debere in Miſſis priuatis, quæ præſcripta ſunt pro ſolemni demptis ijs, quę ſunt propria ſolemnis Miſſæ; ex quibus videtur congruè deduci, quod, nec in Miſſa ſolemni, nec in priuata in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum debeat Crux ad eſſe; & congrua quidem ratione hoc videtur ſtatui, quandoquidem ceſſare debet figura, vbi eſt figuratum in ſubſtantia. Ex aduerſo alij ſtatuere videntur, debere Crucem ad eſſe ex generali regula, qua decernitur, quod in Altaribus, in quibus Miſſa celebranda eſt, debeat eſſe Crux; nec valet ratio allata, quod, vbi adeſt figuratum, non debeat eſſe figura, quia hac ratione facta conſecratione deberet Crux remoueri, quod tamen non obſeruatur. Ego in hoc arbitror, non eſſe neceſſariam exiſtentiam Crucis in hoc Altari; non damnabilem tamen exiſtentiam. Prima pars ex eo liquet, quod pro prima ſententia dicebatur, nempè non eſſe neceſſariam figuram, vbi adeſt figuratum; nec obſtant ea, quæ pro ſecunda ſententia allegabantur, nempè poſt conſecrationem, poſt quam adeſt figuratum, nempè Chriſtus Dominus in ſubſtantia, non remoueatur figura, nempè Crux, quia hoc indicat non repugnantiam exiſtentiæ vtriuſque ſimul, non neceſſitatem. Secunda pars ex eo liquet, quod vſus ſeruandi in Altari, in quo eſt expoſitum Sacramentum, & in quo celebratur Miſſa, Crucem, nullo iure damnatur, nec exiſtentia figurati excludit figuram, quod in multis videre eſt; primò in proceſſionibus, in quibus defertur Auguſtiſſimum Sacramentum, vbi Crux defertur, quantumuis ibi deferatur Sacramentum; Secundò, quia in Oſtiolo Tabernaculi immobilis regularitèr pingitur imago Crucifixi, vel Chriſti ſedentis in ſepulcro, & tamen ibi ſeruatur Chriſtus in ſubſtantia. Nec ex eo, quod dicatur in Miſſa ſolemni, coram Sanctiſſimo expoſito Turrificari Sacramentum loco Crucis, quæ ibi adeſſe non debet, arguitur, quod ex neceſsitate ibi non debeat adeſſe. Non, inquam, hoc arguitur, ſed ſolum, quod tunc non debeat fieri incenſatio Crucis, ſiue adſit, ſiue non adſit, quia non ſunt multiplicandæ actiones, nam facta Turrificatione principali, non congruit, vt fiat figuræ.

11 In Altari, in quo eſt expoſitũ Sacramentum nõ debet eſſe Crux.

12 Vbi Crux requiritur non ſufficit, quod ſit picta in pariete.

Ex occaſione hic inquiritur, an, ſi in Altari picta ſit ipſamet Chriſti Crucifixi imago, ex neceſsitate ſit in eodem collocanda Crux, vt in eodem fiat ſacrificium? Abſolutè ſentiendum eſt requiri, *Gauantus in theſaur. ſacr. ritu tom. 1. part. 1. tit. 20. verſ. quæritur præterea*; quia hoc generalitèr ſine vlla limitatione præſcribitur in rubricis, & non ſine ſpeciali ratione, quandoquidem ea debet eſſe ante oculos

Sacerdotis, tum ad excitandam eiuſdem pietatem, tum ad myſterium; nec refert, quod eadem imago iam ſit in icone depicta, quia præſcribitur, quod debeat eſſe ſuper Altare inter candelabra, & ob oculos Sacerdotis celebrantis, qualis non eſt depicta in icone.

13 Quenam ſeruanda in Miſſis de feria à Dominica Paſſionis.

In Miſſis, quæ celebrantur de feria à Dominica Paſſionis vſque ad Paſcha, plura omittuntur, & præcipuè Pſalmus *Iudica me Deus*, *Gloria Patri*; *Hymnus Angelorum*, quia ſunt dies luctus ob Dominicam Paſſionem, nec tunc congruunt ſigna lætitiæ, & hilaritatis, qualia in recenſitis continentur.

In Miſſa Dominicæ Palmarum omiſſis ijs, quæ mox dicta ſunt, aliiſque ſeruatis ſpecialitèr in eadem legitur Hiſtoria Paſſionis per D. Matthæum conſcripta. Si hæc Miſſa ſit ſolemnis non petitur benedictio, quia auctor benedicturus extinctus legitur; non deferuntur luminaria, nec thus adoletur, quia feruor deuotionis in Apoſtolis tepuerat; ſi fuerit priuata, non dicitur in principio *Munda cor meum*, nec quid aliud. Nec dicitur *Dominus vobiſcum*, nec *Gloria tibi Domine*, & hoc in deteſtationem Iudæ malè ſalutantis, nec Gloria Chriſto datur, quia in Paſſione eſt. In fine tantum, quando poſt enuntiatam Chriſti Paſſionem recitatur in medio Altaris dicitur, *Munda cor meum &c. Iube Domine benedicere Dominus ſit in corde meo*, quia tunc finita eſt tragica rapræſentatio Paſſionis Domini, & quod legendum remanet, habetur tanquam Euangelium. In fine Miſſæ, ſi fuerit ſolemnis, legitur *initium Euangelij Sancti Ioannis*, ſi priuata, legitur *Euangelium Palmarum*.

14 Quid in Miſſa Dominicę Palmarū.

In Miſſa feriæ ſextæ Paraſceue, quæ tamen propriè Miſſa non eſt, cum non fiat in eadem conſecratio, ſed dumtaxat conſumptio Sacramenti diei præcedentis, plura ſpecialitèr præſcribuntur, in quibus non vacat immorari, cùm latè recenſita ſint in rubricis Miſſalis.

ARTICVLVS X.

De Ritibus in Miſſis votiuis, & quatuor ſacrorum temporum ſeruandis.

SVMMARIVM.

Vndè dicatur Miſſa votiua. 1.
Quinam ordo inſtitutus ſit pro huiuſmodi Miſſis. 2.
Quomodo ſeruandus. 3.
Regularitèr in huiuſmodi Miſſis non dicitur, Hymnus Angelicus, *nec* Simbolum Apoſtolorum. 4.
Omittuntur etiam alia, & quænam. 5.
In Miſſis votiuis de B. Virgine in Sabbato non omittitur, Hymnus Angelicus, *& quare.* 6.
Nec in Miſſis votiuis de Angelis. 7.
Nec in Miſſis votiuis ſolemnibus ob grauem cauſam. 8.

Miſſa dicitur votiua non ſimplicitèr à voto, quo quis ſe obſtringat ad talem Miſſam celebrandam, ſed à voluntate, qua ſe determinat, vel ex deuotione, vel ad implendum deſiderium alterius, qui petit, vel ex aliquo præcepto ad illam determinatè celebrandam, cum pro tali die non concordet cum officio. 1 Vndè dicatur Miſſa votiua.

Ordo inſtitutus eſt certorum dierum pro huiuſmodi Miſſis votiuis infrà hebdomadam, adeovt votiua de Sanctiſſima Trinitate celebretur feria ſecunda; votiua de Angelis feria tertia; votiua de Sanctis Apoſtolis, quæ ſuffecta eſt illi de charitate, feria quarta; votiua de Spiritu Sancto, vel de Sanctiſſima Euchariſtia feria quinta; votiua de Sancta Cruce, vel Paſſione Domini feria ſexta; votiua de Deipara Virgine Sabbato. Hic ordo potiſſimum inductus eſt pro Miſſa principali, quæ vocatur Conuentualis; nam Miſſæ priuatæ votiuæ dici poſſunt quibuſcunque diebus infrà hebdomadam non duplicibus etiam non ſeruato ordine dierum mox præſcripto. Hic tamen aduertendum eſt, quod in principali Miſſa poteſt dici votiua ſecundum ordinem dierum in fine Miſſalis præſcriptum exceptis ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum. Item, quod Miſſæ huiuſmodi votiuæ etiam Conuentuales non poſſint celebrari ijs diebus, in quibus prohibetur fieri Officium de feſto duplici, nempè infrà octauam Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes in feria quarta Cinerum, in Hebdomada maiori, in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes, prout decla-

2 Quinam ordo inſtitutus ſit pro huiuſmodi Miſſis.

3

3 *Quomodo hic ordo ſeruandus ſit.* declarauit *Sacra Rituum Congregatio die* 28. *Auguſti* 1627. Pro re tamen graui, & publica cauſa poterunt cantari Miſſæ votiuæ etiam in feſtis non maioribus cantata item altera de die.

Id præcipuè, quod venit ſub hoc titulo examinandum, eſt an ſit aliquis ſpecialis ritus in huiuſmodi Miſſis votiuis obſeruandus, & quinam iſte ſit?

4 *Regulariter non dicitur Hymnus Angelicus.* Regularitèr in huiuſmodi Miſſis non dicitur *Hymnus Angelicus*, nec *Symbolum Apoſtolorum*, nec in fine ipſarum dicitur *Ite Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus Domino*. Ratio autem, cur non dicatur *Hymnus Angelicus*, ea eſt, quam aſſignat *Innocentius III. in cap. conſilium de celebrat. Miſſ.*, quod, ſcilicet debeat eſſe differentia inter commemorationem, & ſolemnitatem, quam rationem explicans *Rodulphus prop.* 13., dicit talem

5 *Alia etiã omittuntur, & quænam.* omiſſionem concernere decorem domus Dei; nam, ſicuti decor eſt illum in feſtiuitatibus recitare, ità decor eſt illum omittere in diebus priuatis; cur autem omittatur in fine Miſſæ, *Ite Miſſa eſt*, deducitur ex generali rubrica, qua ſtatuitur, quod quoties in Miſſa omittitur, *Gloria in Excelſis*, omittatur etiam, *Ite Miſſa eſt*, quia vtrumque eſt ſignum lætitiæ, & hilaritatis, & feſtiuitatis &c. Cur autem omittatur Symbolum Apoſtolorum, ea ratio eſt; quia, vel Miſſa eſt de aliquo Sancto, in cuius ſolemnitate non dicitur, & ſic incongruum eſt, quod maior adhibeatur ſolemnitas in eius commemoratione, quam in ſolemnitate; vel eſt de aliqua ſolemnitate, ſeu Sancto, in cuius feſto ex præſcripto Eccleſiæ recitatur, & tunc militat ratio ſupra attacta, quod debeat eſſe differentia inter commemorationem, & ſolemnitatem.

6 *In Miſſis votiuis de B. Virgine in Sabbato omittitur Hymnus Angelicus.* Dixi, *regularitèr*; nam ab hac regula nonnullæ dantur exceptiones: primò in Miſſis votiuis Deiparæ in Sabbato, etiam ſi Miſſa non concordet cum Officio, & hoc quia dies illa eſt ſacra eidem Deiparæ, & non nihil ſolemnitatis in honorem eiuſdem præſefert. Si autem inquiratur ratio, cur in eiſdem Miſſis votiuis Deiparæ in Sabbato non dicatur *Credo*, eam arbitror eſſe, quia Simbolum illud non recitatur, niſi in ſolemnitatibus plenis, quæ, licet quoquo modo ſint reſpectu Virginis in Sabbato, non tamen ſunt plenæ. Extra diem Sabbati in Miſſis votiuis Deiparæ, nec Hymus Angelicus recitatur, quia dies illi non ſunt ſacri reſpectu eiuſdem Virginis.

7 *Nec in Miſſis votiuis de Angelis.* Secundò excipitur Miſſa votiua de Angelis, in qua Hymnus Angelicus ſemper recitatur, quia eſt proprius eorundem, & ab ipſis in Natiuitate Domini decantatus in antro Bethlemico.

Tertiò excipitur Miſſa votiua ſolemnis ex graui cauſa, prout præſcribitur in rubricis de Miſſis votiuis. Ibi: *Niſi Miſſa votiua ſolemnitèr dicenda ſit pro re graui, vel pro publica Eccleſiæ cauſa*. Ratio eſt, quia tunc interuenit aliqua ſolemnitas, & feſtiuitas; hæc tamen exceptio limitatur in caſibus, in quibus adhiberentur paramenta Violacea, prout declarauit *Sacra Rituum Congregatio die* 19. *Maij* 1607. 8 *Nec in Miſſis votiuis ſolemnibus ob grauẽ cauſam.* Si autem quæratur, quæ ſit res grauis, & publica cauſa, ob quam in Miſſa votiua dici poſſit Hymnus Angelicus, & Simbolum Apoſtolicum. Dicam cum *Gauanto in theſaur. ſacr. rituum tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 9. eam dici cauſam grauem, pro qua conuenit Clerus cum Epiſcopo ad implorandam Diuinam opem in publica neceſſitate, ad grates Deo reddendas pro generali beneficio, ad impetrandum auxilium pro patriæ defenſione, & ſimilibus.

9 Ritus, quo celebrantur Miſſæ in ſacris quatuor anni temporibus eſt in aliquibus diuerſus à ritibus aliarum Miſſarum; in iis etenim quantum ad feriam quartam duæ habentur Orationes, quarum altera dicitur ſine ſalutatione ad populum, hoc eſt, ſine *Dominus vobiſcum* verſa facie ad eundem, ſed cum genufſexione addendo *Flectamus genua*, reſpondente miniſtro *Leuate*, & hoc ad indicandum Sacerdotem totum debere eſſe in orando Deum pro ordinandis, & examinandis; ea etenim feria examina ordinandorum habebantur; altera dicitur præmiſſa conſueta ſalutatione ad populum, quia præhabita attenta deprecatione pro eiſdem ordinandis, excitandus etiam eſt populus ad orandum pro ſe ipſo, & pro aliis. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod in feria quarta temporum Pentecoſtes, ſicuti, neque in Sabbato eiuſdem Hebdomadæ, non dicitur *Flectamus genua*, quia adhuc durat lætitia Dominæ Reſurrectionis.

10 Ruſus in Miſſis feriæ quartæ ſacrorum temporum dicuntur duæ Epiſtolæ, & hoc ad effectum, vt admoneantur ordinandi, quod teneant notitiam legis, & Prophetarum, quæ notitia in quarta mundi ætate maximè vigebat. In feria ſexta antiquitus tres Epiſtolæ, ſeu lectiones ante Euangelium legebantur, ſed modo vna tantum in feria ſexta recitata aliæ transferuntur ad diem Sabbati. Cur autem in feria ſexta vna tantum legatur, & non ſaltem duæ, ſicut in feria quarta, hoc eſt, quia lex, & Prophetæ in Euangelio vniuntur, quando in ſexta ætate prædicatur. In Sabbato quatuor temporum ſex Epiſtolæ, ſeu Lectiones leguntur in Miſſa ante Euangelium, & hoc ad indicandos ſeptem ordines, qui eadem die conferuntur;

nec

nec obſtat, quod ſex tantum recitentur Epiſtolæ, quæ propterea nequeunt ſeptem ordines indicare? Non obſtat, inquam, quia hæ ſeptem lectiones, vt aſſerebam, erant antiquitus diſtributæ inter feriam ſextam, in qua tres recitabantur, & Sabbatum, in quo quatuor, & tamen omnes erant ordinatæ ad ſeptem ordines indicandos; modo autem relicta vna pro feria ſexta, reliquæ ſex in Sabbato leguntur, & tamen omnes comprenſa illa feriæ ſextæ indicant eoſdem ſeptem ordines. Hæc de ritibus attigiſſe ſufficiat. Si quis copioſiora deſiderat conſulat *Gauantum in theſauro ſacrorum rituum tom. 1.*, vbi relatis ſucceſſiuè rubricis omnia elegantèr, eruditè, & adamuſim explicat ſingula ſingulis referendo.

QVÆSTIO X.

De Defectibus in Miſſa occurrentibus, corumque ſupplemento.

AD completam actionis perfectionem non ſolum requiruntur ea, quæ ad eiuſdem ſubſtantiam pertinent, &, quæ tanquam pediſequæ comitantur, vel ſubſequuntur, ſed etiam, ne quid in eadem interueniat, quod ſit extra rationem eiuſdem actionis; nam ſine illis eſſet mutila, cum iſtis eſſet ſuperflua, & monſtruoſa. Hinc ad perfectionem Miſsæ ea omnia debent concurrere, quæ in hoc genere præſcribuntur, eaque omnia omitti, quæ ab Eccleſia non ſunt ordinata, ne ex arbitrio cuiuſcunque noua inducantur, quæ minus congruant huic ſacrificio, vel deformitatem præferant, vel fortè etiam ſuperſtitionem. In hac igitur quæſtione ſedulò examinabimus, quæ ſunt obſeruanda, & quæ omittenda, &, ſi quid fuerit omiſſum, quomodo ſupplendum, &, ſi quid appoſitum non apponendum, quomodo abrogandum.

ARTICVLVS I.

Explicantur in vniuerſum defectus, qui contingere poſſint in Miſſa.

SVMMARIVM.

Defectus, alij circa ſubſtantiam, alij circa eſſentiam, alij circa ritus. 1.
Mutatio circa materiam, & formam poteſt eſſe, vel ſubſtantialis, vel accidentalis, & quomodo. 2.
Explicatur, quandonam contingere poſſit defectus circa ſubſtantiam. 3.
Explicatur, quomodo contingere poſſint defectus circa intentionem miniſtri. 4.
Quomodo contingere poſſint defectus circa ritus. 5.
Defectus circa perſonam celebrantis. 6.

1 DEfectus alij ſunt, ſeu eſſe poſſunt circa eſſentiam, ſeu eſſentialia ſacrificij, quæ ex dictis conſiſtunt in conſecratione vtriuſque materiæ panis ſcilicet, & vini; alij circa ſubſtantialia, ſeu partes ſubſtantiales integrantes, cuiuſmodi eſt, ſumptio vtriuſque ſpeciei; alij circa intentionem Sacerdotis celebrantis; alij circa ritus conſiſtentes in verbis; alij circa cæremonias, & ritus conſiſtentes in actione; alij circa locum; alij circa tempus; alij circa perſonam celebrantis, vel ſe tenentes ex parte animæ, vel ex parte corporis.

Defectus alij circa eſſentiá, alij circa ſubſtancia, alij circa ritus.

2 Defectus circa eſſentialia, nempè circa materiam, & formam poſſunt duplicitèr contingere, vel per mutationem ſubſtantialem in materia, & forma, vel per ſolam alterationem accidentalem. Mutatio ſubſtantialis in materia tunc contingit, quando mutatur ſubſtantia, adeo vt non ſit ſubſtantialiter panis triticeus, & vſualis. De hac vide, quæ latè dicta ſunt ſupra *quæſt. 4. art. 1.*, vbi excluſimus omnia, quæ non veniunt tanquam materia apta, & valida huius ſacrificij, & ibi aſſignauimus conditiones omnes, quæ requiruntur, vt panis triticeus ſit apta materia conſecrationis. Mutatio accidentalis in eadem materia panis tunc eſt, quando ſaluatur eadem ſubſtantia panis, ve vſualis, & ſolum variantur accidentia, quę variatio eſt, quando pro azimo panis adhibetur fermentatus in Eccleſia Latina, & viceuerſa pro fermetato azimus in Eccleſia Græca, vel quando aliquod modicum alterius materiæ adhibetur commixtum cum pane triticeo, vel quando panis incipit corrumpi, ſed non eſt corruptus. Ea, quæ dicta ſunt de mutatione, ſiue

Quomodo poſſint contingere defectus circa eſſentiam.

ſubſtantiali, ſiue accidentali panis intelligenda proportionalitèr ſunt de mutatione ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali vini, quod ex neceſſitate debet eſſe de vite. Vide, quæ latè dicta ſunt *eadem quaſt.* 4. *art.* 2., vbi excluſimus, quæ ſunt extra rationem materiæ aptæ ad conſecrationem, eaque incluſimus, quæ compati poſſunt cum valida conſecratione. Mutatio ſubſtantialis in forma tunc contingit, quando per mutationem verborum mutatur formale ſignificatum eorundem. Accidentalis verò, quando mutatis verbis remanet formalis ſignificatio eorundem, & ſolum variatur modus ſignificandi. Quando autem vtraque mutatio contingat, vide ex iјs, quæ dicta ſunt de Sacramentis in genere, dum de forma eorundem; non enim vacat hic repetere.

3 Defectus, circa ſubſtantiam, quandonam contingere poſſit.

Defectus circa ſubſtantialia potiſsimum verſantur circa ſumptionem. Nonnulli conſtituunt defectum in eo, quod Sacerdos non totam Hoſtiam conſecratam, nec totum Sanguinem conſumat; ſed hos impugnat *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp.* 95. *ſect.* 2. *verſ. ſecundo in ſumptione*, quia non poteſt in hoc conſiderari defectus, cum in quacunque parte ſpecierum totus Chriſtus ſumatur addens, quod, ſi Sacerdos ad communicandum alium diſtinctam particulam non conſecrarit, poſſit partem ſuæ Hoſtiæ conſecratæ reſeruare pro eiuſdem Communione, quod idem videntur firmaſſe *Paludanus in quarto diſtinct.* 12. *quaſt.* 1. *art.* 5. *concluſ.* 2., *Silueſter verbo Euchariſtia* 2. *quaſt.* 10. §. 7., quinimmò, vt habetur *in cap. triforme diſtinct.* 2. *de conſecrat.*, antiquitus erat conſuetudo ſeruandi vſque ad finem Miſſę tertiam partem Hoſtiæ ad alios communicandos. Sed, cum Sacramentum, nec in ſolo Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, nec in ſolis ſpeciebus conſiſtat, ſed in vtriſque copulatiuè, non videtur impugnatio Suarez ſubſiſtere; nam, licet poſſit dici ſumi totum Sacramentum conſiſtens in ſumptione Chriſti Domini, & ſpecierum, non tamen totalitèr, cum non ſumat omnes ſpecies conſecratas, maximè, attenta ratione Holocauſti, quæ imbibitur in hoc ſacrificio, cuius proprium eſt, vt tota victima abſumatur. Nihilominus ſtandum eſt in opinione Suarez, cum ſufficiat, quod totum conflatum ex Chriſto Domino, & ſpeciebus ſumatur, nec eſt neceſſe, vt omnes ſpecies conſecratæ per Sacerdotem conſumentur, vt indicant rationes ab eodem Suarez allatæ non reſiſtente ratione Holocauſti, cum ſufficiat, vt tota victima Deo offeratur. Defectus igitur circa huiuſmodi ſumptionem ſolum conſiderari poteſt, vel circa verba, vel circa actiones, quæ dici, & fieri debent in eadem, de quibus propterea idem dicendum erit, quod dicetur infrà de defectibus in ritibus, & cæremonijs, vel ex parte ſumentis, quatenus non habeat congruas diſpoſitiones, & de hoc etiam infra dicetur.

4 Defectus, circa intentionẽ.

Defectus circa intentionem multiplicitèr poſſunt contingere; vel quatenus, nec ſit actualis, nec virtualis, qua ratione validum non eſt ſacrificium, vel quatenus intentio virtualis coniuncta eſt cum alia intentione praua, puta cum intentione abutendi ſpeciebus conſecratis ad actus ſuperſtitioſos, & ſortilegos, vel ad finem ſimoniacæ venditionis, vel alio prauo fine; vel quatenus non eſt relata ad debitum obiectum, de quibus omnibus latè actum eſt, tum in quæſtionibus de Sacramentis in genere, tum ſub hoc eodem titulo, dum de intentione requiſita ad Sacramenta, & ad ſacrificium.

5 Defectus, circa ritus.

Defectus circa ritus, & cæremonias, ſiue in verbis, ſiue in actionibus, cõtingunt, quoties non ſeruantur ea, quæ dicta ſunt *in præcedenti quæſtione art.* 7., & 8., 9., & 10. relatiuè ad Miſſarum qualitates, quæ ibi exponuntur; item quoties aliqua ex arbitrio adduntur, quæ in rubricis non ſunt præſcripta. Defectus, qui contingere poſſunt circa locum ſunt quoties celebratur Miſſa in loco non conſecrato, nec benedicto, vel in loco prohibito, pro quo vide, quæ dicta ſunt ſupra *qu.* 7. *art.* 11., 12., 13., & 14. Defectus circa tempus contingunt, quando celebratur Miſſa extra tempus à iure præſcriptum, de qua re vide, quæ dicta ſunt *eadem qu.* 7. *art.* 16.

6 Defectus, circa perſonam celebrantis.

Defectus, qui contingere poſſunt circa perſonam celebrantis, vt plurimum conſiſtunt in indiſpoſitione eiuſdem, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, ſiue ſe tenente ex parte Animæ, ſiue ex parte Corporis, de qua re latè egimus *ſupra quaſt.* 3. *art.* 6., 7., 8., & 9., quæ ibi ſunt recolenda, non hic repetenda.

AR.

ARTICVLVS II.

An contrahatur aliqua culpa, & quænam in huiuſmodi defecti- bus.

SVMMARIVM.

Defectus, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa cæremonialia poſſunt contingere, vel cum culpa, vel ſine illa, & quomodo. 1.
Vel circa materiam grauem, vel leuem, vel cum plena conſideratione, vel leui. 2.
Omiſſio inuoluntaria, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa cæremonialia nullam trahit culpam. 3.
Defectus per additionem vix poteſt eximi à culpa. 4.
Omiſſio voluntaria, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa accidentalia eſt grauitèr peccaminoſa. 5.
Grauitas euincitur ex modo præcipiendi. 6.
In pleriſque alleuiatur culpa ex leuitate materiæ. 7.
Quandonam omiſſio circa ſubſtantiam ſit grauis. 8.
Quando talis ratione perſonæ celebrantis. 9.
Quando ratione loci, & temporis. 10.
Circa tempus explicatur dictum Teleſphori Papæ. 11.
Quodnam tempus veniat nomine auroræ. 12.
Quando ſit graue defectu ornatus. 13.
Quandonam contingat culpa grauis circa ritus. 14.
Quænam omiſſio circa ritus ſit leuis. 15.
Etiam ratione inconſiderationis poteſt omiſſio eſſe leuis. 16.
Circa ſubſtantialia vix poteſt præſumi inconſideratio. 17.
Etiam additio voluntaria ſupra præſcripta eſt peccaminoſa. 18.
Peccata in commiſſione ſunt ex genere ſuo grauiora. 19.
Qualis additio ſit grauitèr, & quando leuitèr peccaminoſa. 20.
Miſſa ſolemnis, ſeu Conuentualis in Collegiatis qualis eſſe debet. 21.
Seruari poteſt rubrica de Miſſis votiuis. 22.
In ferijs Quadrageſimæ in Collegiatis occurrente feſto duæ Miſſæ ſunt cantandæ. 23.
In Eccleſijs Regularium non vrget onus cantandi duas Miſſas. 24.

1 Poſſunt eſſe, vel cum culpa, vel ſine illa.

CONſiderandum hic eſt, an huiuſmodi defectus contingant, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa accidentalia, ſeu cæremonialia præcisè ex culpa Sacerdotis deficientis, an verò ſine aliqua culpa; puta circa ſubſtantialia, ſi adhibeat Hoſtiam, quam certò moralitèr arbitratur eſſe triticeam, quæ tamen talis non eſt; vel adhibeat vinum, quod arbitratur eſſe ſanum, & corruptum eſt nulla interueniente ſuſpicione de ſubſtantia corrupta, & circa accidentalia, ſi ex obliuione omninò inculpabili aquam cum vino conſecrando non commiſceat, vel aliquam cæremoniam, ſiue circa preces, ſiue circa actiones omittat. Culpa autem poteſt contingere, vel non præcauendo antecedentèr, vel committendo, vel omittendo ex neglectu culpabili, vel incuria.

Rurſus conſiderandum eſt, an defectus, ſi fuerit circa cęremonialia, ſiue precum, ſiue actionum, & cum neglectu, & culpa, fuerit circa materiam grauem, an verò circa leuem, &, an fuerit cum inconſideratione, & inaduertentia, an verò, cum plena aduertentia, & conſideratione; ex hac etenim diuerſa conſideratione oriri poteſt grauis, vel leuis culpa, ſiue in omiſſione, ſiue in commiſſione. His ſuppoſitis pro notitia ſit

2 Vel circa materiã grauem, vel leuem

Aſſertio I. Omiſſio inuoluntaria, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa accidentalia, quamuis ſecum ferat defectum phyſicum, non tamen trahit culpam moralem. Intellige, niſi fuerit omiſſio ex defectu præcautionis debitæ.

3 Omiſſio inuoluntaria nullam trahit culpã.

Ratio ex generali regula deducitur, quia non eſt conſiderabilis culpa moralis, vbi non eſt voluntarietas, ſiue in ſe, ſiue in cauſa, ergo, vbi omiſsio fuerit omninò inuoluntaria, nullam trahit culpam moralem. Dixi, *niſi fuerit omiſſio ex defectu præcautionis debitæ*, vt, ſi non prçuiderit, quæ erant præuidenda, & ex tali non præuiſione omiſerit commemorationes pro tali die habendas in Miſſa, vel aliquod ſpeciale pro die determinata præſcriptum, vel quid ſimile; tunc etenim vix excuſari poſſe videtur à culpa graui, ſi omiſsio fuerit grauis, vel leui, ſi omiſsio fuerit leuis, cum defectus fuerit voluntarius in cauſa, hoc eſt ex cauſa, quæ erat præuidenda, & remouenda.

Aſſertio II. Defectus in addendo ſupra ea, quæ præſcripta ſunt, vix poteſt præſcindere à voluntario, adeoque vix excuſari à culpa.

4 Additio ſuper præſcripta vix poteſt eximi à culpa.

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ſpecialitèr præcipitur, ne addantur ex proprio arbitrio nouę precationes, aut nouę actiones pręter ea, quę iuxta ritum Eccleſię pręſcripta ſunt, vt habetur ex Bulla Pij V. in principio Miſſalis. Ibi - *Mandantes, & ſtrictè omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes ne in Miſsæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumat*; & ex *Concil. Trid. ſeſs. 22. c. de obſeruandis*

in celebrat. Miſsæ. Ibi - *Neue alios ritus, aut alias cæremonias, & preces in Miſsarum celebratione adhibeant &c.*, quorum ignorantia vix poteſt præſumi; ex alia parte additio, vel ex deuotione, vel ex alio capite non videtur poſſe eſſe ſine voluntate addentis, ergo defectus in addendo vix poteſt eximi à culpa.

5 Omiſſio voluntaria ex ſe eſt grauitèr peccaminoſa

Aſſertio III. Omiſsio voluntaria, ſiue circa ſubſtantialia, ſiue circa accidentalia Miſſæ ex genere ſuo eſt peccaminoſa læthalitèr. Conſentit *Suarez diſp. 83. ſect. 3., & diſp. 85. ſect. 2.*, & alij magis communitèr.

Ratio deducitur ex eo, quod hæc res grauis ſit, & ad debitum cultum Diuinum ſpectet, vt tantum miniſterium ordinatè fiat; vndè ſtrictioribus terminis per iura Eccleſiaſtica obſeruantia huiuſmodi rituũ præcipitur, vt per Pium V. in Bulla in principio Miſſalis expoſita. Ibi - *Mandantes, & ſtrictè omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes*; illud autem verbum, *Mandantes*, importat obligationem ſub læthali *Bonacina de legibus diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 4. num. 7., Gauantus in theſaur. ſacror. rituum part. 3. tit. 11. de rubric. precept., & direct.*, quod fortiùs euincitur ex ſequentibus, *& in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus*. Idem

6 Euincitur ex modo præcipiendi.

colligitur *ex Concil. Triden. ſeſs. 22. cap. de obſeruandis, & euitandis in celebrat. Miſſæ*; clariùs idem euincitur *ex eod. Concil. Trid. ſeſs. 7. can. 13.* Ibi - *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Prælatum mutari poſſe, anathema ſit*, vbi nota cum *Gauanto loc. cit. nu. 14.*, quod ſolemnis Euchariſtiæ Sacramenti adminiſtratio in Miſſa fit, ſiue ſolemnis ſit, ſiue priuata, & ritus, qui habentur in Miſſali Romano, ſunt Eccleſiæ Catholicæ recepti, & approbati.

Dices, hæc ad ſummum verificari, quandò rubricæ hos ritus, ſeu cæremonias, ſiue conſiſtentes in verbis, ſiue in actionibus præſcribentes ſunt præceptiuæ, non autem, quando ſunt ſimplicitèr directiuę; denegari autem non poteſt, quin aliquæ ſint dumtaxat directiuæ, vt ſignantèr notat *Gauantus dict. part. 3. tit. 11.*; Sed contra, ex quo Pius V., *& Concil. Trident. locis citatis*, præcipiunt ea omnia eſſe obſeruanda ſine vlla limitatione, & diſtinctione, & quidem in virtute ſanctæ obedientiæ, non video, qua ratione omnes non debeant dici præceptiuæ, licet non omnes ſub eodem onere obligent ratione grauitatis, & leuitatis materiæ; prout mox ſubdo.

Aſſertio IV. Quamuis ex genere ſuo omiſsio voluntaria ſit peccaminoſa læthalitèr, in pleriſque tamen ratione leuitatis materiæ eſt venialis, dummodò tamen non ſit cum contemptu, & ſcandalo *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 83. ſect. 3., & diſp. 85. ſect. 2. verſ. tertio dicendum eſt*. 7 Ratione leuitatis materiæ, quandoq; ſit leuis.

Vt clariùs, & diſtinctiùs hac in re procedamus, placet ea, quæ grauia ſunt à leuibus ſeparare. Primò graue eſt circa ſubſtantialia in fermentato conficere Sacramentum in Eccleſia Latina, vt expreſsè colligitur ex rubrica Miſſalis apud *Gauantum part. 3. tit. 3. num. 3.* Secundò, ſi adhibeatur vinum, quod cæperit acceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel muſtum de vuis tunc expreſſum, vel ſine aqua fiat ſacrificium, vel cum aqua non naturali ex eiſdem rubricis apud eundem *Gauantum tit. 4. num. 2.* Tertiò, ſi in forma celebrans aliquid addat, vel minuat, quod non mutet ſignificationem ex eiſdem apud *eundem tit. 5. n. 1.* 8 Quandonam ſit grauis, quando eſt circa ſubſtantiam.

Ratione perſonæ celebrantis graue eſt, ſi quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alio Canonico impedimento irretitus celebret ex eiſdem rubric. apud eundem *Gauantum tertia part. tit. 8. num. 1.* Secundò, ſi celebret in peccato mortali ſine confeſsione habens copiam Confeſſarij ex eiſdem apud eundem *loc. cit. num. 2.* Tertiò, ſi non habens copiam Confeſſarij celebret, non præmiſſo actu contritionis ex eiſdem apud eundem *loc. cit. num. 3.* Quartò, ſi integra Sacramenta non ſumpſerit ſub vtraque ſpecie extra certos caſus ex eiſdem apud eundem *dict. tertia part. tit. 10. num. 4.* 9 Quando ratione perſonæ celebrantis.

Ratione loci eſt graue, celebrare in loco prohibito, non conſecrato, ſeu benedicto, & in ara non lapidea, & non conſecrata. Ratione temporis graue eſt, celebrare ante auroram, vel poſt meridiem, niſi modicitas temporis, vel ante, vel poſt de culpa minuat. *D. Thomas in quarto diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 2., Alexander Alenſis quarta part. quæſt. 36. membr. 2., D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 6. §. 4., Gabriel. lect. 14. in Can.* Sed, an incipiente aurora poſsit immediatè Miſſa celebrari? Difficultatem mouet id, quod aſſerit *Teleſphorus Papa in Epiſtola decretali cap. 2.*, nempè Miſſas non eſſe celebrandas ante horam tertiam diei, quia, & illa hora Dominus Crucifixus eſt, & ad Apoſtolos Spiritus Sanctus deſcendiſſe legitur; hora autem tertia ab initio auroræ ferè per quatuor horas diſtat. Sed arbitrandum eſt ibi Pontificem loqui ex quadam congruentia, non ex neceſsitate, & conſilium addere non præceptum; cæteroqui, nec liceret 10 Quando ratione loci, & temporis. 11 Explicatur dictũ Teleſphori Papæ.

poſt

poſt tertiam celebrare ante meridiem, quod eſt contra praxim vniuerſæ Eccleſiæ. Dixi, niſi modicitas temporis, vel ante, vel poſt minuat de culpa. Qualis autem debeat eſſe hæc modicitas temporis ad eximendum à grauitate culpæ, dictum eſt ſupra *quæſt.7. art. 16. verſ.ſi autem quæratur*, vbi etiam vide exceptiones plures à communi regula. Quid autem veniat nomine auroræ, quantum ad effectum celebrandi Miſſam in eadem? Licet DD. conueniant cum *D. Thoma loc. cit.* nomine auroræ non intelligi ortum ſolis, hoc eſt aſcenſum corporis ſolaris ſupra noſtrum orizontem, ſed primam irradiationem, nõ conueniunt tamen in explicando, quomodo hæc prima irradiatio metienda ſit ad ortum ſolis. *Scotus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2.*, & alij aſſerunt, incipere vna hora, & quarta parte alterius horæ ante ortum ſolis. *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 80. ſect. 4. verſ. ſecundò inquiri poteſt* ſtatuit, incipere vna hora cum dimidia exiſtimans primum crepuſculum diei illo tempore incipere. Sed eodem fundamento, quo Suarez impugnat dictum Scoti, & ipſe premitur; aſſerit enim nimiam eſſe ad rem moralem methamaticam hanc menſuram; non enim poſſunt res morales tam indiuiſibilitèr præſcribi, præſertim cum crepuſculum diei non ſemper ſit æquale; hoc autem videtur etiam aduerſus ipſum militare. *Paludanus in quarto diſtinct. 13. qu. 2.*, & cum eo *Victoria in ſumma verb. Miſſa num. 97.* rem magis ampliando quoad poteſtatem celebrandi Miſſam ſtatuunt, poſſe licitè hanc inchoari dimidia hora ante primum crepuſculum, adeo vt finiatur ſub initium eiuſdem primi crepuſculi; ſed data hac ſententia licitum eſſet per duas horas ante ortum ſolis celebrare, quod nimis arduum videtur. Nobis ſufficiat dicere, hanc rem menſurandam eſſe ab inceptione primæ irradiationis, quæ, cum teſte eodem Suarez non ſemper ſit æqualis, erit non à tempore, quo ſol oritur, ſumenda, ſed ex oculari regulata inſpectione.

12 Quid veniat nomine auroræ.

13 Defectus in ornatu quando ſit grauis.

Ratione ornatus, ſi loquamur in ordine ad Altare, in quo Miſſa eſt celebranda, eſt graue, ſi in eodem celebretur ſine lumine accenſo, ſine crucifixo expoſito, vbi ſolemnitèr non eſt expoſitum Auguſtiſſimum Sacramentum, ſine lapide conſecrato, & ſine vllis mappis &c.; ſi verò loquamur in ordine ad Sacerdotem graue eſt, ſi celebret ſine ſacris veſtibus per ea, quæ latè diximus *de ſacris Ordinibus part. 2. qu. 8. art. 9.*

14 Quandonam ſit grauitas circa ritus.

Ratione rituum, & cæremoniarum, ſiue in dicendo, ſiue in agendo in vniuerſum ſtatuimus, graue eſſe omittere partem notabilem, leue, ſi omittatur modica pars, quæ non pertineat, vel ad eſſentiam, vel ad ſubſtantiam; ſic in particulari graue erit, ſi omittatur Epiſtola, vel Euangelium, aut alia pars ſimilis, quæ ſunt veluti membra principalia vnius corporis miſtici etherogenei. In vniuerſum regularitèr culpa grauis, ſeu grauior contrahitur per omiſſionem etiam partis non ità notabilis in Canone, quam in alijs partibus Miſſæ, eo quia, & propinquiora ſunt ſacrificio, & antiquiori, & ſacratiori lege ſancita; non ità tamen rigidè procederem, vt ſtatuam culpam læthalem in omiſſione vnius, vel alterius Sancti, nec ſi tempore Paſchali omitterentur ea, quæ addita ſunt pro tali tempore in Oratione, *Communicantes*, & in Oratione *Hanc igitur oblationem*. Contraheretur tamen culpa læthalis, ſi in conſecratorijs verbis omitteretur illud, *enim*, quia ſpecialiori, & ſtrictiori iure appoſitum eſt. Extra Canonem omiſſio, niſi fuerit notabilis, non trahit noxam læthalem.

Sic in ratione paruitatis materiæ non erit culpa grauis, ſi omittatur vna, vel altera commemoratio *Suarez dict. diſp. 83. ſect. 3.*, nec ſi omittatur aliqua breuis Oratio, vel cæremonia, puta omittatur aliqua Crucis obſignatio, vel aliquod Altaris oſculum, vel aliqua genuflexio, quinimmò ſecundum eundem Suarez, ſi omittatur Simbolum Apoſtolorum, quia eſt pars non ſimplicitèr neceſſaria ad vſitatam Miſſæ integritatem. Vno verbo erit dumtaxat venialis culpa omiſſio, quando modica eſt in quantitate, nec notabilitèr variat ſignificationem. Dixi, *nec notabilitèr variat ſignificationem*, nam v. gr., ſi non frangeretur Hoſtia in tres partes, vel vna non immitteretur in Calicem conſecratum, non eximerem à culpa læthali, eo quia tolleretur ſignificatio notabilis in Miſſa, quamuis actiò omiſſa ſecundum ſuum eſſe materiale eſſet leuis, & modica.

15 Quænam omiſſio circa ritus ſit leuis.

Aſſertio V. Non ſolum ratione paruitatis materiæ omiſſio poteſt eſſe venialis, ſed etiam ratione inconſiderationis, & indeliberationis. Conſentit *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 83. ſect. 3., & diſp. 85. ſect. 2.*, nec in hoc aliquem arbitror diſſentiri.

16 Ratione inconſiderationis poteſt eſſe leuis.

Ratio deducitur ex generali regula, ſecundum quam culpa læthalis non contrahitur, niſi cum plena aduertentia; vndè, ſicuti, ſi nulla ſit aduertentia, nullaque deliberatio, nulla contrahitur culpa, ita ſi non ſit plena, ſed modica, ſolum modica, & leuis culpa contrahetur; Verum tamen eſt, quod, cum circa ſubſtantialia, & eſſentialia ſacrificij exigatur maior attentio, vix in huiuſmodi omiſſionibus

17 Circa ſubſtantialia vix poteſt præſumi inconſideratio.

nibus videatur omittens poſſe excuſari à graui culpa ratione non plenæ aduertentiæ, quamuis non poſitæ, debitæ tamen, ex quo tamen non poteſt contingere, quod illa non plena aduertentia proueniat ſine culpa, ideò &c.

18 Additio voluntaria eſt peccaminoſa.

Aſſertio VI. Non ſolum omiſſio voluntaria præſcriptorum in rubricis Miſſalis eſt peccaminoſa, ſed etiam additio voluntaria vltra præſcripta, quinimmò grauior, & maioribus periculis expoſita *Silueſter verb. Miſſa 1. quæſt. 2., & 3., Sotus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 4., Suarez d. diſp. 83. ſect. 3., & diſp. 85. ſect. 2., & magis communitèr alij*.

Prima pars euincitur, tum ex Conſtitutione Pij V. ſupra allegata. Ibi - *Ne in Miſſæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc Miſſali continentur addere, vel recitare præſumat*, tum ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſs. 22. dict. cap. de obſeruat. in celebrat. Miſs.* Ibi - *Neue ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ &c.* Nec ambigendum eſt, huiuſmodi diſpoſitiones Pontificis, & Concilij eſſe præceptiuas, cum conceptæ ſint per verba *Mandantes, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes*, quæ verba important vim coactiuam.

19 Grauiora ſunt ex ſe peccata in commiſſione, quam in omiſſione

Secunda pars ex eo euincitur, quod ex genere ſuo peccata, quæ per commiſſionem contrahuntur, ſunt grauiora, quam quæ per puram omiſſionem, &, quia in commiſſione plus concipitur de voluntario, quam in ommiſſione, & quia facilius arguitur præſumptio in prima, quam in ſecunda. Adde, quod additio eſt magis expoſita periculo erroris, & ſuperſtitionis, quam omiſſio, & ideò illa ſtrictioribus verbis in iure prohibetur. Adde vlterius, quod addens quodamodo ſibi vſurpat poteſtatem Eccleſiaſticam, ad quam pertinet præſcribere modum, & ordinem ſeruandum in hoc ſacrificio tantæ dignitatis, & excellentiæ.

Sed, an in huiuſmodi additionibus ſemper contrahatur noxa læthalis? Notandum eſt in primis, an addens hoc præſtet cum animo, & intentione inducendi nouos ritus in hoc ſacrificio, an verò ſine tali animo ex priuata ſolummodò deuotione; & quidem, ſi hoc præſtet cum illo animo, vix eximi poteſt à noxa culpæ læthalis *Suarez dict. diſp. 85. ſect. 2. verſ. tertio dicendum eſt*, tum ex poteſtate ſibi non competente vſurpata, tum ex periculo materiæ ſuperſtitionis; Si præſtet ſine tali animo, ex ſola ſua priuata deuotione; tunc plura veniunt conſideranda, an ſit additio in notabili quantitate, an tantum in modica, an fiat in ijs, quæ publicè recitantur, an

20 Quandonam additio ſit grauitèr, & quando leuitèr peccaminoſa.

verò in ijs, quæ fiunt, ſeu dicuntur ſecretò. Si additio ſit in notabili quantitate, & circa ea, quæ publicè recitantur; certè contrahitur noxa grauis, ſicuti contrahitur in notabili omiſſione; eodem enim iure quinimmò fortiori prohibetur additio, quo omiſſio; Si fuerit quidem in notabili quantitate, ſed ſecretò; vix etiam eximerem à graui culpa, eo quia ſacrum miniſterium priuatis precibus omninò ab illo diſtinctis interrumperet, &, quamuis ſcandalum non ingereret, ſe exponeret periculo errandi; Si tandem additio eſſet in modica quantitate, & verba, ſeu geſta addita eſſent ſecundum ſe pia, honeſta, & ſalutaria, vt ſi in eleuatione Hoſtiæ diceret: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi*, & in depoſitione Calicis eius pedem deoſcularetur, vel quid ſimile diceret, & ageret, certè à culpa graui eximeretur, tum ob paruitatem materiæ, tum quia huiuſmodi modicæ preces, vel cæremoniæ ſecundum ſe nullam præferunt fœditatem.

Aſſertio VII. In Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus Miſſa ſolemnis, vel Conuentualis debet celebrari, omiſſio Miſſæ illius diei concordantis cum officio, & pro eadem celebratio alterius, eſt grauis, ſi excipias illas votiuas, quæ ſingulis diebus ſupra fuerunt aſſignatæ, & tunc non occurrat officium duplex. Conſentit *Suarez d. diſp. 83. ſect. 2. verſ. in quo eſt magna differentia, Gauantus in theſaur. ſacr. rit. tom. 1. part. 3. tit. 12. de rubr. præcept., & direct. nu. 7., & part. 1. tit. 14. litt. P.* 21 Miſſa ſolemnis in Collegiatis, & Conuentualis qualis eſſe debet.

Expreſsè colligitur *ex cap. cum creatura de celebrat. Miſſarum*, vbi, cum apponatur præceptum per verbum, *mandamus*, importatur obligatio ſub læthali *Bonacina de leg. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 4. num. 7., & alij communitèr*. Hinc *ſacra Rituum Congregatio die 25. Iunij 1611., & die 28. Ianuarij 1612.*, ſtatuit, teneri Canonicos omninò ad cantandam Miſſam diei, vt lucrentur diſtributiones, *& die 16. Ianuarij 1627.* ad interrogata reſpondit, quod ob Miſſam votiuam, ſeu pro defunctis non poſſit omitti Miſſa Conuentualis de die, vbi tamen aduertit *Gauantus in theſaur. ſac. rit. tom. 1. part. 1. tit. 4. in fine*, hoc intelligendum eſſe ſalua rubrica de Miſſis votiuis aſſignatis ſingulis diebus, vbi non eſt officium duplex, quod eſt id, quod nos excipiebamus in aſſertione. 22 Salua rubrica de Miſſis votiuis.

Ex eo autem, quod Miſſa Conuentualis ſit celebranda, prout concordat cum Officio ea die currente, oritur hic duplex difficultas. Prima eſt, an in ferijs Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, ſi in eiſdem occurrat feſtum duplex, ſeu ſemiduplex, vel

vel octaua ſint duæ Miſſæ cantandæ ſub onere peccati, altera de feſto poſt tertiam, altera de feria poſt nonam. Secunda, an pro diebus, quibus per rubricas præſcribitur in Collegiatis, & Cathedralibus Miſſa de Requiem, duplex ſit cantanda, altera de die, altera pro Defunctis.

Ad primam nonnulli Recentiores apud *Gauantum d. part. 3. tit. 11. de rubr. præcept., & direct. num. 8.*, dixerunt ſufficere, ſi altera de feria dicatur priuatim etiam Choro abſente, & ſe fundant in conſuetudine; Alij apud eundem *loc. cit.*, dixerunt ſufficere, ſi altera dicatur priuatim præſente Choro. Sed ſentiendum eſt, vtramque Miſſam eſſe ſolemnitèr cantandam, *Gauantus loc. cit.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. de quiddit. valore, & effect. Miſſæ cap. 30. num. 7.* Ratio multiplex eſſe poteſt; prima, quia in rubrica

23 In ferijs Quadrageſimæ duæ Miſſæ ſunt cantandæ, ſi occurrat feſtum duplex.

expreſsè hæc habentur. *In ferijs Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum etiam ſi duplex, vel ſemiduplex feſtum, vel octaua occurrat, in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, vna de feſto poſt tertiam, alia de feria poſt nonam*; vbi nota illas particulas, *Cantantur duæ Miſſæ*, quæ indefinitè important ſolemnitatem. Neque obſtat, ſi dicatur primo, quod in alia rubrica relata per eundem *Gauantum part. 1. tit. 7. nu. 2.*, præſcribatur ſolummodò, quod dicantur duæ Miſſæ, non cantentur; dicitur autem, ſiue priuatim, ſiue ſolemnitèr; Secundò, quod illa verba, *cantantur*, ſeu *dicuntur*, non ſunt imperatiua, adeoque non important præceptum; Non, inquam, obſtat non primum, quia illud verbum, *dicuntur*, indiferens eſt ad ſignificandum, vel Miſſam ſolemnem, vel priuatam, ac proindè debet explicari relatè ad rubricam præcedentem, in qua dicitur, *cantantur*, ne duæ rubricæ in eadem materia ſibi ſint contrariæ, quinimmò poſterior indiferens explicationem debet ſumere à priori determinatam, nam ſic vtraque ſine extorſione conciliatur, quæ non poſſent conciliari, ſi prima ſumeretur pro vtraque Miſſa cantata, ſeu ſolemni, & ſecunda ſolum pro Miſſa priuata, ſeu cum indiferentia ad priuatam, & ſolemnem. Deindè, cum in ſecunda

Non ſufficit, quod vna ſit ſolemnis, altera priuata.

rubrica de vtraque Miſſa dicatur, vt *duæ dicantur*, ſi pro ly, *dicantur*, intelligeretur etiam Miſſa priuata, vtraque poſſet dici priuatim, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia, quod nemo dicet, cum omnes rubricæ ſtatuant, quod Miſſa de die ſit ſolemnis cum cantu. Non ſecundum, quia in rubricis verba enunciatiua habent vim imperatiui, vt ex multis colligitur, & præcipuè ex rubrica Breuiarij die prima Nouembris, vbi poſt Veſperas diei dicitur; *Dicuntur Veſperæ Defunctorum*; *poſt Laudes incipit Officium Defunctorum*, quæ verba, licet ſint enuntiatiua, ex communi tamen DD. conſenſu habent vim imperatiui, & important præceptum ſub graui. Deindè, quamuis in allegatis rubricis apponatur ſolummodò verbum enuntiatiuum *cantantur*, *dicuntur*, alibi tamen obligatio præſcribitur per verba imperatiua; *Dicantur duæ Miſſæ*, vt patet ex rubrica relata per *Gauantum tit. 5. de Miſſis Defunctorum*.

Secunda ratio eſt, quia in allegata rubrica præſcribitur determinatum tempus pro celebratione huiuſmodi Miſſarum, ſcilicet immediatè poſt tertiam, & immediatè poſt nonam, quæ temporis definitio non ſolum indicat notabilem ritum, ſed etiam, quod eodem modo Miſſæ huiuſmodi ſint celebrandæ, nempè cum cantu, quo recitantur in Choro tertia, & nona.

Rationes pro aſſerto.

Ad hoc confirmandum plurimum conferre poteſt id, quod ſancitum eſt in Concil. Prouinciali Mediolanenſi 4., vbi ſic legitur. *Quibus diebus ex Miſſalis Romani rubricarum præſcripto in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis duas Miſſas Conuentuales celebrari oportet, eæ ambæ cantantur, quod, ſi Capitulum præſtare omiſerit, neglexeritue, non ſolum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum etiam alterius diei diſtributionibus mulctetur*; Neque hic dicendum eſt, quod potius ex hoc decreto arguatur non eſſe onus ſimplicitèr duas illas Miſſas cantandi, ſi quidem hoc eſt ſtatutum municipale Prouinciæ Mediolanenſis, quod non obligat alibi; quinimmò videretur quodamodo ſuperfluum, ſi hoc onus eſſet de iure communi inductum; Non, inquam, dicendum eſt, quia eſt quidem municipale quoad illam pœnam amiſſionis diſtributionum, non autem quoad culpam, qua ratione attenta ceſſat etiam illa ſuperfluitas allegata. Quamobrem dicendum eſt, Concilium Prouinciale voluiſſe ſtrictioribus pœnis compellere ad obſeruantiam illius ritus, qui fortè ex incuria negligebatur.

Decretũ Concilij Prouincialis Mediol.

Ad ſecundam, quidquid ex aduerſo dixerit *Fagundez de quinque Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. cap. 15. num. 9.* aſſerens ex non vſu non eſſe onus vtramque Miſſam cantandi, ſentiendum eſt vtramque Miſſam de die ſcilicet, & de Requiem eſſe cantandam, & in hoc conſentiunt *Paludanus in cap. cum creatura de Miſs. celebrat.*, *Azorius inſtit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 24. quæſt. 2.*, hocque colligitur ex *dict. cap. cum creatura de celebrat. Miſſarum*, vbi præcipitur, ne propter Miſſam de feria omittatur Miſſa defunctorũ, &, cum Miſſa de feria cantetur, etiam illa defunctorum cantanda videtur.

Sed

24 Sed, an in Eccleſijs Regularium pro diebus, quibus ex præſcripto rubricarum duæ Miſſæ ſunt cantandæ in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, ſint etiam iſtæ cantandæ? Negatiuè reſpondendum exiſtimo; hocque deduco *ex Clement. 1. de celebrat. Miſſ.*, vbi fit diſtinctio Eccleſiarum Regularium ab Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis; rubricæ autem imponentes hoc onus cantandi duas Miſſas pro illis diebus in eiſdem præſcriptis loquuntur præcisè in terminis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum; ergo non ſunt extendendæ ad Eccleſias Regularium.

Hoc onus non militat in Eccleſijs Regularium.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo ſupplendi ſunt defectus circa ſubſtantialia Miſſæ.

SVMMARIVM.

Occurri poteſt, & præueniendo, & ſubſequendo. 1.
Cognito defectu materiæ ante conſecrationem illa remouenda eſt, & alia ſubſtituenda. 2.
Poſt conſecrationem panis cognita inaptitudine vini aliud eſt apponendum, & conſecrandum. 3.
Si aliud vinum haberi non poſſet, quid agendum. 4.
Ante conſecrationem panis cognita inaptitudine vini eſſet abſtinendum etiam à conſecratione panis, ſi aliud vinum haberi non poſſet. 5.
Poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei, ſi cognoſcatur defectus ſubſtantialis in vino nouum vinum eſt conſecrandum. 6.
Si defectus cognoſcatur in pane ſententia aſſerens vtramque ſpeciem eſſe iterum conſecrandam. 7.
Sententia aſſerens ſolum panem eſſe conſecrandum præfertur. 8.
In actuali ſumptione cognito defectu panis nouus eſt conſecrandus facta mentali oblatione incipiendo ab illis verbis: Qui pridiè &c. 9.
Sumpto Corpore Chriſti Domini, & cognito in ſumptione vini defectu eiuſdem ſolum vinum probabilius eſt conſecrandum. 10.
Quid agendum ſit de illo vino inepto iam conſecrato. 11.
Facta conſecratione vnius ſpeciei, vel vtriuſque, ſi Sacerdos moriatur alius Sacerdos debet perficere. 12.
Si decederet ante conſecrationem non eſſet ſupplendum ſacrificium. 13.
Incæpta conſecrationis forma, & non perfecta ſacrificium eſt omittendum. 14.
Defuncto Sacerdote poſt conſecrationem alius tenetur ſupplere. 15.
Non exiſtente alio quid agendum. 16.
Cognitis poſt conſecrationem ſpeciebus veneno infectis, quid agere debeat Sacerdos. 17.
Item quid agendum, ſi animal noxium in Calicem conſecratum ceciderit. 18.
Quid, ſi Sanguinem effuderit. 19.
Quid agendum circa loca, in quæ Sanguis effuſus eſt. 20.
Quid, ſi Hoſtia poſt conſecrationem diſpareat. 21.
Quid, ſi miraculosè, vt caro appareat. 22.
Quid, ſi poſt conſecrationem timeantur hoſtium incurſus. 23.

HVIuſmodi defectus contingere potiſſimum poſſunt circa conſecrationem, in qua ſola iuxta ſuperius dicta conſiſtit eſſentia ſacrificij, & circa materiam, & formam eiuſdem conſecrationis, vel circa ſumptionem, quæ pertinet ab ſubſtantialem integritatem eiuſdem ſacrificij. Hic agemus de defectibus in conſecratione quoad materiam, & de ſumptione. In ſequenti articulo de defectibus circa formam, eorumque ſupplemento.

Ex *D. Thoma tertia part. quæſt. 83. art. 6. in corpore*, habetur, quod defectibus in ſacrificio Miſſæ dupliciter poſſit occurri 1
præueniendo ſcilicet, ne defectus accidant, & ſubſequendo, vt ſcilicet id, quod accidit deficiendo, emendetur. Præueniendo autem item dupliciter poteſt occurri, vel remouendo id, quod poteſt obeſſe, antequam ſacrificium conficiatur; vel ſi remoueri non poteſt id, quod obeſt, abſtinendo ab eodem ſacrificio.

Duplex modus occurrendi.

Præueniendo ante Miſſam debet curare 2
omnia, quæ in hoc genere neceſſaria ſunt, an adſit materia apta panis, & vini, an in eiſdem ſit aliquis defectus ſubſtantialis, vt euitetur periculum inualidæ conſecrationis; Quod, ſi tunc non cognouerit defectus ſubſtantiales, cognouerit poſtea incohata iam Miſſa ante conſecrationem debet materiam illam, in qua adſunt huiuſmodi defectus remouere, & nouam apponere materiam aptam conſecrationi, quod tenetur etiam efficere, ſi materia illa defectuoſa ſit materia dubia, &, ſi tunc aptam materiam non poſſet adinuenire, tenetur à ſacrificio deſiſtere, ne illud conſtituat inualidum, & in hoc omnes conſentiunt.

Cognita materia inepta ante conſecrationem, alia apta apponenda eſt.

Quod, ſi poſt conſecrationem panis ante conſecrationem vini cognouerit illud non eſſe aptum ad validam conſecrationem; tunc debet nouum vinum apponere, & remoto primo illud conſecrare, quod apud

3 Poſt conſecrationē panis cognita ineptitudine vini, aliud aptum eſt apponendum.

apud omnes tranſit ſine difficultate, cum debeat ſacrificium perfici in vtraque ſpecie valida, quod, ſi non eſſet aliud vinum, nec illud eſſet facilè adinuenire, (quod vix poſſet contingere); tunc ſecundum rubricas Miſſalis Romani ſub titulo de defectibus vini eſſet in Miſſa procedendum omiſſis illis ritibus, & verbis, qui, ſeu quæ Sanguinem ſignificant; Sed hoc non videtur cohærere cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus, eſſentiam ſcilicet ſacrificij non ſubſiſtere in conſecratione vnius dumtaxat ſpeciei, de qua re latè egimus *ſupra quæſt. 1. art. 3. per totum*;

4 Si aliud vinū eſſe nō poſſet, ſaluaretur ſolum ratio Sacramēti, non ſacrificij.

ex quo ſequitur, quod conſecrata vnica dumtaxat ſpecie nō poſſit dici ſacrificium, ſed Hoſtia illa iam conſecrata ſolum ſubſiſteret in ratione Sacramenti; nec obſtare poteſt rubrica Miſſalis allegata; quia ipſa debet intelligi in eo ſenſu, quo procedendum ſit in cæteris ritibus omiſſis ijs, quę ſpectant ad Sanguinem Chriſti Domini, tanquam inſeruiant ad ornatum Sacramenti, non ſacrificij.

5 Cognito defectu vini ante conſecrationem panis eſt abſtinendum ab vtraque conſecratione.

Si ante conſecrationem panis cognoſceret, materiam conſecrationis vini non eſſe aptam, nec poſſet aliam habere, deberet abſtinere à conſecratione etiam panis, & Miſſam dimmittere; non etenim poteſt excogitari aliqua cauſa, quæ compelleret ad conſecrationem panis, cum in illa ſola non poſſit ſacrificium ſubſiſtere, & conſecrare in ſolo pane voluntariè ſit ab intrinſeco malum, quod nulla ratione poteſt cohoneſtari.

Subſequendo, ſi poſt conſecrationem nouerit, defectus aliquos ſubſtantiales in materia contigiſſe, debet eiſdem occurrere, illoſque ſupplere. Sed quomodo id poſſit peragere, ſecundum varios caſus, quos immediatè refero, modus ſupplementi erit explicandus.

6 Conſecrata vtraque ſpecie cognito defectu in vino aliud eſt conſecrādum, & ſumēdum.

Si facta conſecratione vtriuſque ſpeciei ante ſumptionem cognoſcatur, ſpecies vini in ſubſtantia deficere, tunc debet nouum vinum apponere, illudque ſolum conſecrare, & ſeruato ordine vtramque ſpeciem ſumere; nec in hoc arbitror, aliquem contradicere. Si verò ante ſumptionem cognoſcatur, ſpecies panis in ſubſtantia deficere; tunc videtur eſſe maior difficultas in eo, quod videtur, tunc non ſolum nouum panem conſecrandum eſſe, ſed etiam de nouo vinum, ne mutetur ordo in conſecratione ſpecierum, hoc eſt prius Sanguis, & poſtea Corpus conſecretur, propter quam rationem *D. Thomas*, *& alij*, ſentire videntur, tunc vtramque ſpeciem conſecrandam, panem ſcilicet, & vinum de nouo, & *Suarez diſp. 85. ſect. 1. verſ. atque ex his conſtat in fin.* aſſerit, quod libentius vteretur hac opinione conſecrandi iterum in vtraque ſpecie propter illum ordinem conſecrationis. Nihilominus probabilius crederem, ſufficere conſecrationem in ſolo pane, prout ſentit etiam *Angelus verb. Miſſa num. 17., & ſeqq.*, *Paludanus in 4. diſtinct. 11. art. 2.*; nam, licet ille ordo ſeruandus ſit, non eſt tamen tantæ neceſſitatis, vt etiam in hoc ſpeciali caſu ſit ſeruandus; non enim pertinet ad ſubſtantiam ſacrificij, ſed dumtaxat ad modum, &, ſicuti non ſunt iteranda ea omnia, quæ ſuper panem, & vinum dici ſolent in Canone, quia illa accidentalia ſunt, ita non eſt iterandus ille modus, cum etiam videatur accidentalis, potiſſimum cum ſit ritè peractus quoad omnes actiones exteriores, & quoad omnia verba, quæ ex intentione proferentis relata ſunt ad verum panem, & vinum conſecrandum; vndè meritò *Innocentius III. in cap. 1., & 2. de Sacramentis non iterandis*, dicit, *in eiſdem nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*.

7 Cognito defectu in pane ſententia aſſerens vtramq; ſpeciem conſecrandam.

8 Cōtraria ſententia præfertur

9 Cognito in ſumptione panis eius defectu ſolum nouus panis eſt conſecrandus.

Si poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei in actuali ſumptione panis dignoſcatur, non eſſe panem triticeum, ſed alterius materiæ; tunc nouus panis triticeus eſt conſecrandus facta ſaltem mentalitèr oblatione incipiendo ab illis verbis, *qui pridiè, quam pateretur*, & facta illa conſecratione noui panis illum ſumat, & ſucceſſiuè Sanguinem conſecratum iam antea ſine alio; panem verò illum, in quo facta fuerat conſecratio, ſi non ſumpſit, ſumat poſtea poſt ſumptum Sanguinem; & in his terminis loquitur *rubrica Miſſalis ſub titulo de Defectibus*, & conſentiunt omnes, excepto *Paludano in quarto diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 2.*, qui tamen procedit ſine vllo prorſus fundamento. Si verò ſumpto Corpore Chriſti Domini dignoſcatur in ſumptione vini defectus ſubſtantialis, eo quia vinum illud eſt ſubſtantialitèr corruptum, vel poſita eſt aqua pro vino; tunc *D. Thomas quæſt. 83. art. 6. ad quartum* aſſerit, quod alia Hoſtia ſit apponenda iterum conſecranda ſimul cum Sanguine propter rationem ſuperius adductam ſeruandi ordinem, quo facienda eſt conſecratio; item quia, cum iam prior Hoſtia fuerit conſumpta, quoad illam iam fuit omninò tranſacta actio conſecratiua, quæ propterea non poſſet continuari ad faciendum vnum ſacrificium cum vino poſtea conſecrando; item quia, ſi fieret conſecratio in ſolo vino plura iterarentur, quæ non poſſent verificari; iteranda etenim eſſent omnia verba, quæ reſpiciunt æque Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, quæ reſpectu Corporis verum non haberent, cum non eſſet, vtpotè iam conſumptum.

His tamen non obſtantibus *Scotus in 4.*

10 Idem dic cognito defectu in vino.

diſtinct. 8. *quæſt.* 3., *Sotus item in quarto diſtinct.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 6. *ad quartum*, *Nauarrus cap.* 25. *num.* 91., *Angelus verb. Miſſa num.* 17., & hoc etiam prius ſenſerat *D. Thomas in* 4. *diſtinct.* 11. *in expoſitione lit. circa fin.* ſentiunt, ſufficere ſolum Calicem conſecrare, & ſtatim ſumere abſque aliarum cæremoniarum repetitione, atque ab hac opinione ego arbitror, non recedendum. Ratio ex eo deducitur, quod nihil eſt, quod compellat iterum panem conſecrare; non ratio continuandi actionem, quia in primis, quouſque non eſt facta adæquata conſumptio vtriuſque ſpeciei, intelligitur moralitèr eadem actio continuari, adeoque non cenſetur vna ſpecies confici ſine alia, quia conſecratio Sanguinis moralitèr coniungitur cum priori conſecratione Hoſtiæ. Deindè, ſi fieri deberet iterum conſecratio in pane, non eſſet idem ſacrificium continuatum, ſed aliud omninò diſtinctum, cum hoc conſiſtat eſſentialitèr in conſecratione vtriuſq; ſpeciei; Non peruerſio illius ordinis, de quo loquitur *D. Thomas*, quia ilic ordo eſt omninò accidentalis, & non pertinet ad ſubſtantiam, ſed præcisè ad modum, & concurrente præcepto non iterandi formam in eodem ſacrificio cum variatione illa accidentali modi, debet illud præceptum præualere. Adde, quod per illam modi variationem, quæ fieret in hoc caſu vrgente præcepto non iterationis, non variaretur ſignificatio propria; per conſecrationem etenim Calicis ſignificatur effuſio Sanguinis, & per conſecrationem panis Corpus exangue; prius autem eſt effuſio Sanguinis, quam Corpus exangue. Non repetitio verborum, quæ nequeunt verificari reſpectu Corporis, quia hoc eſſet conſumptum; nam non eſt neceſſe, quod iſta verba iterentur, nec alia ſigna, potiſſimum cum ſint ritè peracta quoad omnes actiones exteriores, & quoad omnia verba, quæ ex intentione proferentis referuntur ad verum panem, & vinum conſecrandum.

11 Quid agendum ſit de illo vino inepto iam conſecrato.

Hic excitant nonnulli controuerſiam, an, ſi Sacerdos ſumpto iam Corpore Chriſti hauriens potum, priuſquam deglutiat, cognoſcat eſſe ſubſtantialitèr defectuoſum, teneatur non deglutire, & poſtea nouum vinum conſecrare modo ſupra dicto *Angelus verb. Miſſa*, *Silueſter verb. Euchariſtia* 2. *quæſt.* 10., & alij ſuſtinent, teneri illum potum in Calicem dimittere, & ſumpto alio Calice cum vino conſecrare, & ſumere, & poſt huius ſumptionem ſumere priorem potum dimiſſum in Calicem, quos arbitror, ea ratione moueri, quia tenetur, quantum poteſt ieiunium naturale ſeruare ante ſumptionem Sanguinis. Verum *Suarez in tertia part. diſp.* 85. *ſect.* 1. *verſ. ad primam confirmationem circa fin.*, ſentit ſine ſcrupulo poſſe Sacerdotem deglutire illum potum, & deinde nouum vinum conſecrare, & ſumere, cum ſit moralitèr impoſſibile, quod ieiunium non fregerit in illa ſumptione potus non validè conſecrati. Ego in hoc arbitror, quod, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo, & ſine graui nauſea, teneatur potum illum non validè conſecratum dimittere in Calicem, & nouum vinum conſecrare, quia, quantum poteſt, tenetur ieiunium ſeruare, ſeu efficere, quantum poteſt, vt ſeruet.

12 Quid agendum eſſet, ſi Sacerdos poſt conſecrationem deficeret.

Si poſt conſecrationem validam vtriuſque ſpeciei contingat Sacerdotem inopinato fato perire ante ſumptionem, vel infirmitate detineri, quominus poſſit perficere, tunc alius Sacerdos debet ſupplere, & perficere, quod etiam intellige, ſi perfecerit conſecrationem in vna ſpecie, & non in alia. Hoc expreſsè habet *D. Thomas in tertia part. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad primum*, *Silueſter verb. Euchariſtia* 2. *quæſt.* 8., & *verb. Miſſa primo quæſt.* 2., *Paludanus in* 4. *diſtinct.* 8. *qu.* 3., & deducitur *ex c. nihil* 7. *quæſt.* 1.; nec obſtat, quod ſacrificium exigat ab eodem compleri; quia hoc verum eſt, quando poteſt; quando verò non poteſt, nulla eſt repugnantia; quin poſſit ab altero compleri, quia, vt inquit *D. Thomas loc. cit.*, cum ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium diuerſitas perſonarum format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei rapræſentat. Dixi, *poſt conſecrationem validam vtriuſque ſpeciei*; ſi etenim ante earundem conſecrationem periret; non eſſet neceſſitas ſupplementi, ſed Miſſa deberet omitti; ſi autem poſt conſecrationem ſolummodò panis decederet; tunc aſſerunt ſupplendam quidem eſſe ab altero Sacerdote Miſſam; ſed tunc aliqui aſſerunt, inter quos *Innocentius lib.* 4. *de myſterijs Miſſæ cap.* 22. Sacerdotem ſupplentem debere reaſſumere conſecrationem alterius Hoſtiæ, & ſucceſſiuè illam vini, &, poſtea ſumere cum Hoſtia à ſe ipſo conſecrata conſecratam etiam a Sacerdote, qui deceſſit. Sed, licet meritò procedant quoad ſupplementum; immeritò tamen procedunt in eo, quod debeat reaſſumi conſecratio alterius Hoſtiæ; ſicuti enim ob vnitatem cum Chriſto diuerſitas perſonarum non obſtat vnitati ſacrificij, ità non obſtat, quin à diuerſis perſonis poſſit per partes compleri, ita vt ità ſe habeat, ac ſi eſſet ab vno completum. Deindè, ſi deberet à Sacerdote ſupplente fieri conſecratio ſub vtraque ſpecie, non conſtitueretur continuatio præcedentis ſacrificij, ſed nouum omninò, & diſtinctum fieret, cum hoc eſſentialitèr conſiſtat in con-

13 *Si decederet ante conſecratione͂, non eſſet ſupplendum ſacrificium.*

conſecratione vtriuſque ſpeciei. Si poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei decederet, deberet alter perficere incipiendo ab eo, in quo alter defecit; & ſumere vtramque ſpeciem ab illo conſecratam; ſi verò ille defecerit poſt ſumptum Sacramentum ſub ſpeciebus panis, debet alter alteram ſpeciem ſanguinis ſumere ad complendum ſacrificium, quia ſumptio vtriuſque ſpeciei pertinet ad integritatem ſubſtantialem eiuſdem.

14 Incæpta conſecratione panis eaque non perfecta ſacrificium eſt omittendum.

Si decederet incæpta conſecratione panis, eaq; ſubſtantialitèr non completa non eſſet ſacrificium per alium Sacerdotem complendum, vt benè notat *Suarez dict. diſp. 85. ſect. 1. verſ. regula igitur generalis eſt*, eo quia illud non eſt eſſentialitèr incæptum; vnde alius Sacerdos, ſi vellet, deberet nouum ſacrificium incipere; nec neceſſe eſſet, vt adhiberet alium panem, vel vinum; quidquid alij in contrarium ſenſerint; nam, cum priora non fuerint conſecrata, nulla eſt repugnantia, quin poſſint iterum offerri, & conſecrari. Non arbitrarer tamen, eſſe damnandum, ſi retento, quod alius perfecit ante conſecrationem, reaſſumeret ab ipſa conſecratione; ſi enim poteſt continuare quoad eſſentialia, non video, cur non poſſit continuare quoad cæremonialia; congruentius tamen meo videri ageret, ſi etiam quoad ritus, & cæremonialia à capite inciperet. Si verò confecta conſecratione panis, & incæpta illa vini, eaque non ſubſtantialitèr completa decederet, tunc teneretur incipere ab illis verbis; *ſimili modo poſtquam cænatum eſt*, & conſecrare illud ipſum vinum, quod non fuerat planè à primo conſecratum. Si autem dubium ſit, an conſecrationem Hoſtiæ compleuerit, nec haberi poſſit certitudo, vbi defecerit, tunc congruentius debet incipere à Canone.

15 Defuncto Sacerdote poſt conſecrationem alius tenetur ſupplere.

Sed, an in his omnibus caſibus teneatur alius Sacerdos, ſi adſit, ſupplere? Nonnulli arbitrantur, non teneri adducta ratione *ex dict. cap. nihil 7. quæſt. 1.*, vbi non neceſſitas imponitur, ſed relinquitur arbitrio. Ibi. *Cenſuimus conuenire, vt in eo caſu ſit liberum alteri Epiſcopo, vel Presbytero conſecrationem exequi officij cæpti*; vbi nota illas particulas *liberum ſit*, quæ indicant arbitrium, non coactionem. Teneri verò ſuſtinet *Nauarrus cap. 25. nu. 89.* hocque magis rationi conſentaneum arbitratur *Suarez dict. diſp. 85. ſect. 1. verſ. ſi denique non conſtet*; ad officium etenim Sacerdotis ſpectat, ne ſacrificium remaneat incompletum, & imperfectum; nec obſtant illæ particulæ *in dict. cap. nihil* recenſitæ, *liberum ſit*, quia illæ referuntur ad tollendam difficultatem, an alius Sacerdos poſſet ſupplere defectum Sacerdotis prædefuncti, quod fortè tunc erat ſub diſſidio inter DD., non ad indicandum arbitrium alterius Sacerdotis ſupplendi, vel non ſupplendi.

16 Non exiſtente alio Sacerdote quid agendum.

Sed quid erit agendum, ſi tunc alius Sacerdos non adeſſet, nec poſſet facilè conuocari. Tunc dicendum eſt, debere reuerentèr ſeruari, donec Sacerdos aduenienſ, aliudque ſacrificium offerens poſt conſumptionem Corporis, & Sanguinis à ſe ipſo conſecrati illud ſumat. Quod, ſi timeatur, non poſſe aſſeruari, ſed poſſe facilè corrumpi; tunc non renuerem concedere poſſe à Laico benè diſpoſito ſumi etiam ſub ſpecie vini; quia præualere debet præceptum Diuinum non exponendi Sacramentum corruptioni, & irreuerentiæ præcepto Eccleſiaſtico non ſumendi reſpectu Laicorum ſub vtraque ſpecie.

17 Facta conſecratione cognitis ſpeciebus veneno infectis quid agere debeat Sacerdos.

Si poſt conſecrationem panis, & vini nouerit Sacerdos, qui conſecrauit, non poſſe illas ſpecies ſumere ſine diſpēdio propriæ vitæ, vt ſi illæ ſint veneno infectæ, tunc non teneretur ſumere, nec licitè poſſet, ſed deberet nouum panem, & vinum conſecrare, eaque ſumere, & in hoc communitèr conſentiunt. Ratio primæ partis eſt, quia Sacramentum vitæ non debet verti in inſtrumentum mortis, nec poteſt quis ſe periculo eiuſdem exponere, cum non ſit Dominus ſuæ vitæ. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod de iure Diuino ſacrificium complendum eſt, & vbi defectus ſubſtantialis contingit poſt conſecrationem, ille ex toties repetitis ſupplendus eſt; hocque expreſsè habet *D. Thomas tertia part. dict. quæſt. 83. art. 6. ad tertium.* Sed quid erit agendum de pane illo, vel vino conſecrato veneno infecto. Dicendum eſt, ſpecies illas panis ſeruandas eſſe in vaſculo mundo, donec corrumpantur, & poſtea comburantur, & cineres in ſacrarium reponantur; ſpecies verò vini ſecundum rubricas Miſſalis in panno lineo eſſe imbibendas, donec exſicentur, & tunc pannum ipſum comburendum, & cineres in eodem ſacrario reponendas, nec in huiuſmodi combuſtionibus conſiderari poteſt aliqua iniquitas ſacrilega, cum iam ibi non amplius extet Corpus, & Sanguis Chriſti Domini.

18 Quid agere debeat, ſi in Calicē conſecratum cedat animal immundum, & noxium.

Si poſt conſecrationem in Calicem conſecratum cadat animal aliquod immundum, vel fortè etiam venenoſum; tunc, ſi præcisè animal fuerit immundum, debet diligentèr extrahi, lauari, & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium reponi, & vinum conſecratum debet ſumi à Sacerdote; vt tradit *D. Thomas loc. cit.*; ſi verò animal fuerit venenoſum, & rationabilis ſit timor, quod vinum conſecratum infecerit; tunc idem ſeruandum

eſt, quod dictum fuit de ſpeciebus veneno infectis.

19 Quid, ſi Sanguinē effuderit. Si poſt conſecrationem Calicis contingat, quod Sacerdos Sanguinem Chriſti per negligentiam effundat, vel immediatè, ac ſumpſerit, euomat; tunc duo veniunt conſideranda; primum, quid agendum ſit in ordine ad ſacrificium, ſecūdum, quid circa Sacramentum. In ordine ad primum dicendum eſt, quod, ſi aliqua etiam minima pars Sanguinis in Calice remanſerit, tunc illa ſumenda ſit, nec ſit iteranda conſecratio Calicis, quia in illa modica parte totus Chriſtus perſeuerat, & ſacrificium perficitur; non enim neceſſe eſt ad valorem ſacrificij, vt omnes ſpecies conſecratæ à Sacerdote conſumentur; quod idem dicendum videtur, ſi totus Sanguis fuerit profuſus, poſſit tamen aliqua pars lapſa ſuper Corporale à Sacerdote lambi, & de facto lambatur; Si verò Sacerdos poſt ſumptum Sanguinem illū euomuerit; tunc videndum eſt, an aliquam, quantumuis minimam partem deglutierit, & dicendum eſt in eo caſu id, quod dictum fuit, quando in effuſione aliqua pars remanſit in Calice; ſi verò ſupponatur nullam, nec minimam partem deglutiuiſſe; tunc conſiderandum eſt, an illæ ſpecies, quas euomuit, integræ in ſua ſubſtantia perſeuerent, an non; ſi integræ perſeuerent, non renuerem concedere, quod, ſi iterum poſſet partem aliquam lambere, perficeret ſacrificium, nec teneretur iterare conſecrationem; ſi non integræ in ſubſtantia permaneant, tunc idem dicendum erit, quod mox dicam, quando nulla pars perſeuerat. Si verò nulla pars potabilis remanſerit, tunc nouum vinum eſt conſecrandum ſeruata forma, de qua ſupra.

20 Quid agendum circa loca, in quæ Sanguis effuſus eſt. In ordine ad ſecundum reſpectiuè ad loca, in quæ Sanguis effunditur, variæ præſcribuntur regulæ *in cap. ſi per negligentiam de conſecrat. diſtinct. 2.*, vel enim cadit ſuper tabulam, vel ſuper tapete, & tunc præſcribitur, quod lingua lambatur, & tabula radatur, & raſum ſeruetur in ſacrario; additur etiam in Miſſali Romano, quod pars tapetis, ſuper quam Sanguis cecidit, abſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacrarium reponatur; vel immediatè in terram labitur; tunc non præcipitur lambi, ſed dumtaxat terram radi, & reponi in ſacrario, ſed cauendum eſſe, ne antequam radatur, conculcetur; conſulerem tamen etiam lambi ob maiorem Sacramenti reuerentiam; vel immediatè cadit ſuper Altare; & tunc, aut tangit vnum tantum linteum, vel plura, & tunc licet in ordine ad pænas, quæ antiquitus erant in vſu, maiores imponerentur, quando plura attingebat linteamina, ac quando vnum dumtaxat, in ordine tamen ad remedium, & ad reuerentiam Sacramenti indefinitè ſtatuitur, vt Sacerdos linteamina, quę ſtilla tetigit, tribus vicibus abluat, & aqua ablutionis in ſacrario reponatur; vel Sanguis penetrat vſque ad Altare; & tunc præcipitur, vt Sacerdos Altare ipſum lambat, & purificet, vt potuerit; nec hic præſcribitur, vt radat, quod intelligo procedere, quia ibi nomine Altaris venit ſolummodò lapis conſecratus; vndè, ſi caderet extra eundem lapidem, abſolutè crederem eſſe partem illam radendam perindè, ac ſi caderet in terram. Statuuntur in iure graues pænæ aduerſus eos, qui negligentèr Sanguinem effundunt, ſed quia modo huiuſmodi pænæ ſunt contraria conſuetudine abolitæ, in ijs non immoror.

Si poſt conſecrationem contingat, quod Hoſtia conſecrata diſpareat, eo quia à vento, vel alia cauſa rapiatur, vel à fera conſummetur; tunc, ſi non poſſit adinueniri, neceſſe erit, vt noua Hoſtia conſecretur, & ſumatur ad complendum ſacrificium; ſi verò fuerit ab animali conſumpta, tunc nihil ſtatuitur in rubricis Miſſalis; aliqui tamen ſtatuunt, debere interfici, & comburi, & cineres eiuſdem in ſacrario reponi, alij dicunt, debere ſecari, & Sacramentum extrahi; ſed nihil horum arbitror neceſſarium, quia, cum de facili ſpecies corrumpantur, nec poſſunt amplius adinueniri, nec ratione contactus tanta eſt neceſſitas, vt ſcilicet ſit occidendum. 21 Quid, ſi Hoſtia poſt conſecrationem diſpareat.

Si poſt conſecrationem contingat miraculosè, vt non amplius appareat panis, & vinum, ſed caro, & Sanguis; tunc *D. Thomas tertia part. quæſt. 82. art. 4. ad tertium*, & cum eo *Gauantus in theſaur. ſacror. rit. tom. 1. part. 3. tit. 3.*, aſſerunt, non eſſe neceſſe aliam Hoſtiam, ſeu vinum conſecrare, ſed tunc Deum acceptare illam tranſmutationem panis, & vini in Carnem, & Sanguinem pro conſumptione eiuſdem ſacrificij; Sed probabilius ego arbitror, nouum panem, & vinum conſecrandum eſſe, & ſumendum, quod etiam conſulit *D. Thomas loc. cit.*, & hoc ad perficiendum ſacrificium eo modo, quo inſtitutum eſt a Chriſto Domino. Sed quid tunc erit agendum de illa Carne, & Sanguine? Dicendum eſt reuerentèr ſeruandam eſſe, donec, vel reducatur ad priſtinam ſpeciem panis, & vini, & tunc erit ſumenda ab alio Sacerdote poſt ſumptionem panis, & vini ab ipſo conſecrati, vel corrumpatur, & tunc erit cremanda, & in ſacrarium reponenda. 22 Quid, ſi miraculosè, vt caro appareat.

Si poſt conſecrationem timeatur Hoſtium

23 ſtium infidelium incurſus, antequam poſſint ſpecies conſecratæ conſumi; tunc aliqui ſtatuunt, non poſſe Sacerdotem ad vitandum periculum mortis fugere imperfecto ſacrificio relicto. Sed ego arbitrarer, tutius eſſe, ſi Sacerdos accelerar et ſumptionem Sacramenti prætermiſſis intermedijs, quæ ſunt tantum de iure Eccleſiaſtico, & hoc non ſolum ad vitandum mortis periculum, ſed potiſſimum ad euitandam iniuriam Sacramenti, quæ poſſet ab hoſtibus inuri; quæ debet prævalere ritibus purè Eccleſiaſticis.

Quid, ſi poſt conſecrationem timeatur Hoſtium incurſus.

Si tandem poſt conſecrationem Sacerdos recordetur, ſe non eſſe ieiunum, vel mortifera labe infectum, vel cenſura aliqua innodatum; tunc ratione non ſeruati ieiunij non debet impediri à ſumptione, quia fortiùs obligat præceptum perficiendi ſacrificium, quam præceptum Eccleſiaſticum communicandi ieiunè; ratione verò culpæ mortiferæ, vel cenſuræ; tunc debet actum contritionis elicere cum propoſito, quam primum confitendi, & humiliter abſolutionem petendi; & ſic iuxtà *D. Thomam dict. quæſt. 83. art. 6. ad ſecundum*, per inuiſibilem Pontificem Chriſtum Dominum abſolutionem conſequetur, & ſic fructuosè ſumet Sacramentum.

ARTICVLVS IV.

An, & quomodo occurri poſſit defectibus circa formam.

SVMMARIVM.

Quomodo defectus circa formam poſſint contingere. 1.

Defectus ſubſtantialis in forma, ſi contigerit, & cognoſcatur ante ſumptionem, vel immediatè poſt, eſt ſupplendus per nouam conſecrationem. 2.

Si defectus fuerit in forma quoad vnam ſpeciem, iteranda eſt ſolummodò conſecratio in illa ſpecie. 3.

Si ex inaduertentia contigerit defectus formæ in conſecratione vtriuſque ſpeciei, & vtraque, vel altera ſpecies fuerit ſumpta, ſententia aſſerens iterandam eſſe conſecrationem. 4.

Sententia negans præfertur. 5.

Si defectus fuerit accidentalis in forma non eſt ſupplendus. 6.

Si defectus in forma fuerit ſubſtantialis, & culpabilis quoad vnam ſpeciem, tenetur Sacerdos culpoſus illum ſupplere, quantumuis ſumpſerit ſpeciem non conſecratam. 7.

Secus, ſi conſecratio in vtraque ſpecie fuerit inualida. 8.

Si nullam ſpeciem ſumpſit poteſt renocata per contritionem priori malitioſa conſecratione iterare ſacrificium. 9.

Et hoc non ratione prioris ſacrificij inualidi, ſed ratione circumſtantiarum adiacentium. 10.

Et probabilius iterandum eſt ſuper eodem pane, & vino. 11.

Defectus circa formam, vel poſſunt eſſe ſubſtantiales, vel accidentales ſolummodò. Nomine defectuum ſubſtantialium illos intelligo, qui vel ex omiſſione, vel mutatione verborum, in quibus conſiſtit ipſa forma, vitiant formalem, & propriam ſignificationem, ad quam eadem verba ſunt inſtituta; Nomine accidentalium illos intelligo, in quibus variatis verbis ſecundum ſonum ſalua remanet ſubſtantia ſignificationis. Hic agemus, an defectus, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales ſuppleri poſſint, & debeant, & quomodo. Defectus autem huiuſmodi poſſunt contingere, vel ex inaduertentia, vel ex malitia deficientis. 1

Quomodo poſſint contingere hi defectus.

Aſſertio I. Si defectus ſubſtantialis contigerit ex inaduertentia, & cognoſcatur certò, ſiue ante ſumptionem, ſiue immediatè poſt illam, ſiue contigerit in vna, ſiue in altera ſpecie eſt neceſſariò ſupplendus per nouam conſecrationem. Conſentit *Suarez dict. diſp. 85. ſect. 1. verſ. ſecundo etiam conſtat*. 2

Si fuerit defectus ſubſtantialis cognitus ante ſumptionem eſt ſupplendus per nouã conſecrationem.

Ratio deducitur ex paritate materiæ, quæ, ſi in ſubſtantia defecerit, ſiue in vna, ſiue in altera ſpecie, ſiue dignoſcatur defectus poſt conſecrationem, ſiue ante ſumptionem, ſiue poſt eandem eſt iteranda, & de nouo conſecranda, vt perficiatur ſacrificium; ergo hoc idem intelligendum eſt de forma, quocunque ex allegatis modis in ſubſtantia defecerit; non enim minus eſſentialis eſt forma huic ſacrificio, ac ſit materia.

Hic multiplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi dignoſcatur defectus poſt conſecrationem in forma quoad alteram tantum ſpeciem, ſit iteranda conſecratio in vtraque, ſiue forma defecerit in conſecratione Panis, ſiue Calicis. Reſpondendum eſt, iterandam eſſe ſolummodò in illa ſpecie, circa quam contigit defectus. Ratio ex ijs deducitur, quæ dicta ſunt ſupra de defectibus contingentibus in materia, qui, ſi euenerint, vel in vna, vel in altera materia, defectus non eſt ſupplendus, niſi in illa materia, in qua contigerunt. Nec obſtat, quod, quando contigit in materia Calicis non ſeruaretur ordo conſecrationis, qui exigit, vt prius fiat in materia panis, quam vini; non obſtat, inquam, quia ad hoc ſatis, ſuperque reſponſum eſt in præcedentibus. 3

Si defectus formæ fuerit in vna ſpecie, in illa ſpecie tantũ eſt iteranda.

Se-

4 Si facta conſecratione in forma inualida quoad vtramq; ſpeciem, & vtraq; vel altera fuerit ſumpta, ſententia aſſerens eſſe iterandam.

Secunda difficultas eſt, an, ſi contigerit defectus in conſecratione vtriuſque ſpeciei, & vtraque fuerit ſumpta, vel vna tantum, an conſecratio ex neceſſitate ſit iteranda? Ratio dubitandi eſt, quia, cum illud ſacrificium nec fuerit quoad eſſentialia inchoatum, cum neutra ſpecies fuerit conſecrata non videtur vrgere onus perficiendi ſacrificium; omnia etenim iura in tantum præcipiunt iterationem, in quantum volunt ſacrificium non debere remanere imperfectum, & mutilum; non dicitur autem remanere imperfectum, & mutilum, quando ſecundum nullam partem ſubſiſtit. Nihilominus, ex quo ſecundum intentionem Sacerdotis ſacrificium illud peractum eſt, vt ſit validum, ſentiunt aliqui ex illa intentione, & ex præactis obligari ad verum ſacrificium efficiendum; nec obſtat, quod per ſumptionem præcedentis materiæ, quæ verè non erat conſecrata, fregerit ieiunium naturale; non obſtat, inquiunt, quia vrgente onere ex intentione non quomodocunque, ſed quodamodo veſtita omnibus præcedentibus, comitantibus, & ſubſequentibus ritibus ad validè, & ritè ſacrificandum, ceſſat ius illud Eccleſiaſticum non ſacrificandi, niſi ieiunè, & quamuis dici poſſit, quod ille rituum, & cæremoniarum apparatus ſit tantum Eccleſiaſticus, ſeu de iure Eccleſiaſtico, qui non videtur præualere alteri iuri Eccleſiaſtico non ſacrificandi, niſi ieiunè; attamen dici poteſt, quod vnum ius Eccleſiaſticum debeat alteri præualere, quando coniungitur cum opere iam incœpto. Non recederem tamen à prima ſententia aſſerente, non poſſe conſecrationem iterari, eo quia ex vna parte onus ſacrificij perficiendi non vrgeret, cum nullum ſit, & ex alia parte vrgeret præceptum Eccleſiaſticum conſecrandi ieiunè.

5 Sententia negans præfertur.

Tertia difficultas eſt in explicando, quænam verba in his caſibus defectuum ſubſtantialium formæ ſint repetenda. Arbitror ſufficere, ſi repetatur forma, in qua contigit defectus ſubſtantialis, & in hoc conſentit *Suarez d. diſp. 83. art. 6. verſ. ſed quæres tandem*, nec in hoc videtur diſſentiri Miſſale Romanum de defectibus formæ, vbi ſic habet. *Si certo ei conſtet ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ideſt formam conſecrationis, ſeu partem, reaſſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem.*

Aſſertio II. Si defectus accidentalis contigerit in forma conſecrationis, ſiue ex inaduertentia, ſiue ex malitia, quamuis grauiter peccarit deficiens ex malitia, defectus tamen ille non eſt ſupplendus. Conſentiunt *Gauantus in theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 3. tit. 4. de defectu formæ*, *Suarez dict. diſp. 83. ſect. 6. verſ. ſed quæres tandem*. Quod grauitèr peccet, ſi hoc præſtet ex malitia, ex eo euincitur, quod contra præſcriptum Eccleſiæ mutat ea, quæ determinatè ſtatuta ſunt ab eadem Eccleſia. Vide, quæ latè dicta ſunt in *tract. de Sacramentis in genere*, dum de forma eorundem.

6 Defectus accidentalis in forma nõ eſt ſupplendus.

Ratio autem, ob quam non ſit ſupplendus huiuſmodi defectus accidentalis, fundatur in ijs, quæ præſcribuntur in *rubricis Miſſalis ſub tit. de defect. formæ*. Ibi: *Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reaſſumat, ſed procedat vlterius*; ille etenim defectus, ſeu mutatio accidentalis non tangit ſubſtantiam Sacramenti; quod etiam euincitur ex eo, quod habetur in eadem rubrica de non reaſſumendo, niſi ſubſtantialia, & eſſentialia formæ. Hinc, ſi omiſerit in conſecratione vnius, vel alterius materiæ, vel fortè etiam vtriuſque illam particulam, *enim*; vel fortè dixerit in conſecratione panis. *Hic cibus eſt caro mea; hic potus eſt Sanguis meus*, vel ſimilia, quæ non variant ſubſtantiam ſignificationis, non tenebitur poſtea repetere verba conſecrationis addendo illud, *enim*, nec repetere ſecundum verba ab Eccleſia præſcripta, ne iteret ſupra eandem materiam validè conſecratam formam.

7 Si ex malitia conſecratio in vna ſpecie fuerit inualida eſt ſupplẽda, quãtumuis Sacerdos illam ſumpſerit.

Aſſertio III. Si contigerit defectus ſubſtantialis in forma ex malitia Sacerdotis, ſiue in vna, ſiue in altera ſpecie tenetur defectum illum ſubſtantialem ſupplere, quantumuis ſumpſerit ſpeciem non validè conſecratam ex defectu illo formæ. Conſentiunt communitèr.

Ratio eſt, quia onus complendi ſacrificium, quando iam incohatum eſt, eſt tale, vt præualere debeat cuicunque alteri præcepto ſacrificandi dignè, & ieiunè; nam dignæ ſacrificationi poteſt ſe diſponere per pænitentiam, ſeu contritionem illius culpæ, quam contraxit malitiosè conſecrando; nec obſtat, quod culpam contraxerit in ipſo actuali exercitio prioris conſecrationis, quia ipſa emendari poteſt per futuram contritionem, &, ſi non pæniteat, debet ſibi imputare; præceptum verò ieiunij vtpotè mere Eccleſiaſticum debet cedere oneri perficiendi ſacrificium, quod non ſolum eſt ex neceſſitate præcepti Diuini, ſed etiam ex neceſſitate Sacramenti. Sed, an in eo caſu, quo malitiosè defecit in forma conſecrationis, ſi non pæniteat, contrahat nouam noxam læthalem iterum ſacrificando diſtinctam ab illa prioris conſecrationis malitioſæ; affirmatiuè reſpondendum eſt, quia ſancta inique pertractat, &, cum teneatur præ-

cepto

cepto ſic vrgente, ſi non pæniteat, conſtituitur ex hoc reus nouæ culpæ.

8 Secus, ſi conſecratio in vtraque ſpecie fuerit inualida.

Dixi, *ſiue in vna, ſiue in altera ſpecie*; nam, ſi malitioſè defecerit in conſecratione vtriuſque ſpeciei, & ſumpſerit, non tenetur, quinimmò, nec poterit iterare conſecrationem, nec nouum ſacrificium conficere obſtante fractione ieiunij per illas ſpecies non conſecratas conſumptas. Sed, an teneretur in illa hypotheſi, ſi ſpecies prius inualidè conſecratas nōadhuc ſumpſerit, iterare conſecrationem in vtraque ſpecie? Tunc non videtur obſtare fractio ieiunij, cum hoc adhuc integrum perſeueret; videtur tamen obſtare peccatum malitioſæ, & ſacrilegæ prioris conſecrationis, nec incohatum ſacrificium videtur vrgere, cum illud nullo modo, nec in parte ſubſiſtat. Sentiendum arbitror, poſſe conterendo de priori malitioſa conſecratione iterare ſacrificium per nouam conſecrationem vtriuſque ſpeciei; non enim obſtat ieiunium violatum, vt per ſe patet; nec prior malitia habita in priori conſecratione inualida, quia per ſubſequentem contritionem cum animo illam clauibus ſubijciendi demitur; &, ſicuti, ſi celebrans recordetur alicuius peccati læthalis

9 Neutra ſpecie ſumpta poſita cōtritione poteſt iterare.

conterendo cum propoſito futuræ confeſſionis, quam primum poterit, poteſt ſacrificium continuare, ita non eſt, cur præmiſſa eadem contritione non poſſit iterare illud; non enim magis videtur obeſſe, quod peccatum fuerit antecedentèr commiſſum, licet recordatio euenerit pro tempore ſacrificij, ac quod fuerit commiſſum in ipſo actuali ſacrificio, quando per contritionem demitur.

Neque dicas, quod verificatur quidem aſſumptum quoad peccatum antecedentèr commiſſum, quando recordatio eiuſdem conſurgit peracta iam conſecratione; ſecus eadem non incæpta, quia tunc tenetur dimittere ſacrificium; cum autem in præſenti hypotheſi ſacrificium nec fuerit incohatum, cum omnia præacta ſint inualida, videtur per conſequens præexiſtente illa malitia non iterandum. Sed contra, quia exiſtente aliqua neceſsitate celebrandi etiam non incohato ſacrificio poteſt præmiſſa contritione, ſi non exiſtat copia Confeſſarij, Sacerdos celebrare; Quænam autem eſt maior neceſsitas celebrandi, quando iam Sacerdos in Altari exiſtit, & conſecrauit, licet inualidè? Nec Confeſſarius videtur in tali caſu cogendus, cum graue ingereret ſcandalum, & admirationem.

Sed, an teneatur in tali hypotheſi iterare ſacrificium per nouam conſecrationem vtriuſque ſpeciei? Dicendum eſt, ex vi illius ſacrificij prioris inualidi non teneri; teneri tamen ex circumſtantijs adiacentibus, & ad euitandum ſcandalum. Ratio primæ partis eſt, quia prius ſacrificium non eſt ſubſiſtens, nec incohatum, ergo nullum ius habet, vt integretur, nec iteretur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, ſi non proſequatur in ſacrificio, ſcandalum ingereret; ſi proſequatur non iterando validam conſecrationem, occaſionem præſtaret materialitèr ſaltem idololatrandi, quod certè ſacrilegum eſt.

10 Non ex vi prioris ſacrificij, ſed ratione adiacentium.

Hic diſputant ſubordinatè DD., an iterando ſacrificium teneatur nouum panem, nouumque vinum adhibere, an verò poſsit ſuper eundem panem, idemque vinum antea non validè conſecratum ſacrificium iterare. Nonnulli apud *Suarez dict. diſp. 83. ſect. 1. verſ. regula igitur generalis ſit*, ſentiunt debere aliam Hoſtiam, aliudque vinum adhibere, ea fortè moti ratione, quod, cum prior panis, & prius vinum fuerint ſubiectum ſacrilegæ conſecrationis, non videantur congruere nouę validæ conſecrationi. Nihilominus probabilius arbitror, poſſe ſuper eadem Hoſtia,

11 Et conſecratio iteranda eſſet ſuper eodē pane, & vino.

eodemque Calice iterare conſecrationem validam, & ſacrificium perficere; cum etenim illa materia non fuerit validè conſecrata, non eſt aliqua repugnantia, quin iterum poſsit offerri, & validè conſecrari; quinimmò hoc videtur magis conueniens ad cælandum defectum antecedentèr volitum, potiſsimum cum ratione præcedentis oblationis videatur quoquo modo illa materia ſacra; nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem tota turpitudo, & malitia ſe tenet ex parte malitioſè deficientis, nec ex illo defectu eadem materia contrahit aliquam turpitudinem, cum ſolum habuerit, quod non fuerit validè conſecrata.

ARTICVLVS V.

An, & quomodo poſſit occurri defectibus circa intentionem, & attentionem.

SVMMARIVM.

Defectus, qui contingere poſſunt circa intentionem. 1.

Qui circa attentionem. 2.

Si defectus fuerit abſolutus circa intentionem, idem dicendum eſt, quod dictum fuit de defectu abſoluto circa materiam, & formam. 3.

Si fuerit defectus abſolutus intentionis circa vnam tantum ſpeciem, conſecratio non ſubſiſtit in ratione ſacrificij. 4.

Subſi-

Subſiſtit tamen in ratione Sacramenti quoad ſpeciem validè conſecratam. 5.
Soluitur obiectum deſumptum ex indiuiſibilitate poteſtatis conſecrandi, & ſacrificandi. 6.
Soluitur aliud obiectum deſumptum ab intentione poſitiua non conſecrandi in altera ſpecie. 7.
Soluitur aliud obiectum deſumptum ex doctrina Cacherani. 8.
Iſte defectus eſt ſupplendus per nouam conſecrationem ſpeciei non conſecratæ. 9.
Non omnia, quæ ſunt de iure Diuino, ſunt de eſſentia. 10.
Perſeuerante eadem actione ius Diuinum exigit, vt perficiatur ſacrificium. 11.
Si Sacerdos habeat intentionem ad ſolas Hoſtias, quas videt, & vna lateat, illas ſolas conſecrat. 12.
Si poſitiuè, & taxatiuè intenderet vnam tantum Hoſtiam conſecrare, & inuenirentur duæ, vel neutra eſſet conſecrata, vel illa, quæ eſſet immediatè ſub oculis. 13.
Si intentione non excluſiua, vtraque eſſet conſecrata. Ibid.
Id ipſum dicendum eſt ſeruata eadem diſtinctione, quando intenderet ſex conſecrare, & ibi eſſent octo. 14.
Soluitur argumentum deſumptum ab intentione limitata Confeſſarij. 15.
Caſus, in quibus defectus intentionis eſt ſupplendus. 16.
An, & quando ſit ſupplendus defectus attentionis. 17.
Quid agendum in dubio attentionis, ſiue ſuſpenſiuo, ſiue opinatiuo. 18.

1 Quomodo contingere poſſunt defectus circa intentionē.

DEfectus intentionis, vel poteſt eſſe abſolutus, quatenus Sacerdos poſitiuè intendat non conſecrare, ſiue vtramque ſpeciem, ſiue vnam, & non alteram; vel poteſt eſſe limitatus, quatenus intendat ſolummodò conſecrare Hoſtias, quas videt, vel cum habeat ante ſe vndecim Hoſtias, & limitat ſuam intentionem ad decem tantum reſtrictiuè nō determinans, quas decem intendat conſecrare, vel cum putet eſſe decem tantum hoſtias, intendat eaſdem conſecrare non reſtringens tamen intentionem taxatiuè ad eaſdem decem, ſed intendens conſecrare, quas habet ante ſe, licet exiſtimet eſſe tantum decem, vel quatenus putans ſe tenere vnam hoſtiam poſt conſecrationem inueniat eſſe duas.

2 Quomodo circa attentionem.

Defectus attentionis, quantum ſpectat ad rem præſentem, conſideratur ſolum, quando Sacerdos ratione non fixæ attentionis non recolit, ſe dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione huius Sacramenti dicuntur; vndè perplexus remanet, quid agere debeat, an repetere, vel proſequi ſine repetitione eorum, quæ non recolit ſe dixiſſe.

Aſſertio I. Si defectus intentionis circa conſecrationem fuerit abſolutus circa vtramque ſpeciem, idem ſentiendum eſt, quod dictum fuit de defectu ſubſtantiali circa materiam vtriuſque ſpeciei, & circa defectum ſubſtantialem formæ. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. quæſt. 83. art. 6. ad quintum, Suarez diſp. 85. ſect. 1. verſ. ſecundo etiam conſtat.*

3 Quid ſentiendū circa defectum abſolutū intentionis.

Ratio eſt manifeſta, quia non minus ad validam conſecrationem, & ſacrificium neceſſaria eſt intentio conſecrantis, ſeu ſacrificantis, ac ſit neceſſaria apta materia, & forma, ergo eodem modo procedendum eſt quoad illam, ac quoad iſtam. Hinc ſpeciatim recole, quæ dicta ſunt de defectu malitioſo formæ, & hic applica, in particulari deduces, quod, ſi poſt conſecrationem illam inualidam ſpecies non conſecratas ſumpſerit, non poſſit amplius iterare ſacrificium obſiſtente violatione ieiunij; ſi verò non adhuc ſumpſerit poſſit præmiſſa contritione illius prauæ intentionis iterare, quinimmò teneatur, ſi non ex vi ſacrificij, cum illud non ſubſiſtat, ex vi tamen adiacentium, vt ſupra.

4 Deficiente intentione quoad vnam ſpeciem non ſubſiſtit ſacrificium

Aſſertio II. Si defectu intentionis fuerit abſolutus, ſed circa vnam tantum ſpeciem, & non circa alteram, tunc certum eſt, conſecrationem non ſubſiſtere in ratione ſacrificij, ſubſiſtere tamen in ratione Sacramenti, & obligare, quantum eſt ex ſe ad reiterationem conſecrationis alterius ſpeciei prius inualidè conſecratæ defectu intentionis. Prima pars eſt conformis ijs, quæ ſupra diximus *quæſt. 1. art. 3. per tot.*, & traditur *à Suarez in tertia part. D. Thoma quæſt. 75. ſect. 6., Lugo diſp. 19. ſect. 8., Arriaga diſp. 50. ſect. 6., Scortia lib. 1. c. 6., Maſtrio diſp. 4. de Sacrament. Ord. quæſt. 5. art. 1., Maderno quæſt. 8. art. 4. num. 2., Cacherano tract. 9. de Euchar., vt ſacrificio cap. 2. §. 4. num. 73.*, qui tamen in pluribus à nobis diſſentit. Secunda pars eſt *Arriagæ diſp. 50. ſect. 7., Cacherani dict. c. 2. §. 4. num. 95.*, qui aſſerit, hoc eſſe communiter receptum à Scholaſticis, eſt tamen contra *Lugum diſp. 19. ſect. 8. num. 103., Auerſam quæſt. 11. ſect. 1.* Tertia pars eſt eorum omnium, qui ſtatuunt, quod, ſi fiat conſecratio valida in vna tantum ſpecie, & inualida in altera, oriatur obligatio ad iterationem conſecrationis quoad ſpeciem inualide conſecratam, quos ſupra retulimus.

Prima pars clarè elucet ex ijs omnibus, quæ tradidimus *dict. quæſt. 1. art. 3. per totum*, & alibi ſparſim; ſacrificium etenim, prout de facto inſtitutum eſt, repræſen-

ſentatiuum explicitè ſacrificij cruenti in Cruce oblati; quæ explicita rapræſentatio haberi nequit, niſi per vtriuſque ſpeciei conſecrationem; ſi etenim ſolus panis conſecraretur, nonniſi explicitè rapræſentaretur Corpus exangue; &, ſi ſolum vinum, ſolum rapræſentaretur effuſio Sanguinis; ad explicitam autem rapræſentationem Paſſionis Chriſti, ſeu ſacrificij cruenti, prout de facto oblatum eſt, requiritur, & explicita rapræſentatio Corporis exanguis, & actualis Sanguinis effuſionis. Vide, quæ latè *loc. cit. dicta ſunt*.

5 Subſiſtit tamen in ratione Sacramenti.

Secunda pars ex eò liquet, quod in ratione Sacramenti poteſt Sacerdos conſecrare in vna ſpecie, & non in altera; eſt etenim poteſtas in Sacerdote conſecrandi, eſt debita materia, & applicatur debita forma quoad vnam, & non quoad alteram; & in ordine ad illam eſt debita intentio, non in ordine ad iſtam.

Neque dicas primò, poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem ſacrificandi eſſe indiuiſibilem, ergo, ſi nequit ſacrificari, niſi in vtraque ſpecie, etiam niſi in vtraque poterit validè conſecrari; contra enim impugnaberis, quia aliud eſt, quod vtraque poteſtas ſit indiuiſibilitèr collata; aliud eſt, quod debeat ad vtrumque indiuiſibilitèr quoad exercitium referri ex neceſſitate; primum admittitur, prout colligitur ex forma ordinationis Sacerdotis; ſecundum verò negatur, cum ſæpè contingat, quod conſecrata cum debita intentione hoſtia, ex impedimento ſuperueniente non poſſit vinum conſecrari, nec ſit alius Sacerdos, qui poſſit complere ad normam textus *in cap. nihil 7. quæſt. 1.*; in quo caſu certè ſubſiſtit Sacramentum in illa ſpecie conſecrata, non ſacrificium.

6 Soluitur primum obiectum contrariũ.

Neque dicas ſecundò, aſſumptum verè ſubſiſtere, quando conſecrat in vna ſpecie cum intentione conſecrandi etiam in altera; quia tunc non ſunt duæ intentiones repugnantes; non verò, quando conſecrat in vna ſpecie cum intentione poſitiua non conſecrandi in altera, quia tunc ſunt duæ intentiones, vel æquè potentes, & vtique contrariæ, vel vna potentior altera, nempè voluntas non ſacrificandi, quæ præualet, & occidit eam ſimplicitèr conſecrandi in vna tantum ſpecie; quando verò concurrunt duæ intentiones contrariæ, nullus effectus ſequitur, vel quæ potentior eſt, præualet; quod autem in hac hypotheſi ſint duæ voluntates, ſeu intentiones contrariæ ex eo euincitur, quod poteſtas conſecrandi, & ſacrificandi eſt vna, & eadem; ſi igitur vna vult conſecrationem, & non ſacrificationem, vult id, quod altera non vult. Hæc colligo ex mente *Lugi loc. cit.*; contra enim impugnaberis, quia, ſicuti confectio Sacramenti poteſt eſſe ſine confectione ſacrificij, ità non eſt repugnantia, quin poſſit eſſe intentio ad conficiendum Sacramentum, & non ſacrificium; neque enim, vt notat *Arriaga quæſt. 50. ſect. 7.*, poteſt magis obeſſe intentio non ſacrificandi, quam ipſa non ſacrificatio; nec item officit, quod vna intentio ſit contraria alteri; quando quidem ſunt de obiecto diſtincto, cum vnum poſſit eſſe ſine altero, & ſic vna, quamuis dicatur potentior, non poteſt impedire effectum alterius, quando hæc eſt cum omnibus ſuis requiſitis.

7 Soluitur ſecũdum obiectum

Neque dicas tertiò cum *Cacherano tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrific. cap. 2. §. 4. num. 98.*, ſi conſecrans in vna tantum ſpecie habeat intentionem poſitiuam excludendi ſacrificium etiam partiale, non validè conſecrare, nec conficere ſacrificium, nec Sacramentum; ſecus, ſi habeat ſolum intentionem excludendi ſacrificium totale, eo quia illa intentio excludendi ſacrificiũ etiam partiale contrariatur intentioni faciendi Sacramentum, non ſic intentio excludendi ſacrificium totale; contra enim impugnaberis, quia ſacrificium dicitur partiale in ordine ad totale; quando autem per intentionem poſitiuam excluditur totale, non poteſt id, quod ponitur, dici partiale. Deinde illa ratio ſacrificij partialis ponderata à Cacherano eſt inſeparabilis per eundem à ratione Sacramenti in fieri, vt colligitur ex ijs, quæ dicit *loc. cit. num. 99.*, ſiue ergo intendat ſacrificare, ſiue non ſacrificare, ſed ſolummodò conſecrare ſemper validè conficiet Sacramentum; nam volens Sacramentum trahit ſecum, quæ ſunt indiuiſibilitèr affixa eidem Sacramento, cui non poteſt obſtare intentio contraria; nec obſtare poteſt, ſi dicatur, quod per intentionem non ſacrificandi impediatur, ſeu tollatur intentio conſecrandi, vtpotè quod illa eſt iſti contraria; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, quando quis vult efficacitèr aliquid, cui non ex intentione operantis, ſed ex natura ſua ſunt alia indiuiſibilitèr annexa, per illam priorem voluntatem trahit cum re illa volita omnia, quæ ſunt eidem annexa, quantumuis ad iſta non habeat intentionem; &, ſi hoc valet, quando non ſunt annexa ex natura ſua, ſed ex iure poſitiuo, vt videre eſt in eo, qui vult ordinem ſacrum, & non vult onus recitandi officium Diuinum, ad quod tamen obligatur ex eo, quod liberè velit ordinem, à fortiori valebit, quando ſunt annexa ex natura ſua, vt contingit in præſenti hypotheſi. Tandem per eundem Cacheranum eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in explicita rapræſentatione ſacrificij cruen-

8 Soluitur obiectum Cacherani.

 ti,

ti, ſeu mortis, & Paſſionis Chriſti, vt de facto contigit, ſine qua non poteſt ſacrificium ſubſiſtere; in vnica autem ſpecie illa explicita rapræſentatio haberi non poteſt, adeoque, nec ratio ſacrificij.

9 Defectus ſupplendus eſt per nouã conſecrationem.

Tertia tandem pars ex eo euincitur, quod, licet in ratione Sacramenti poſſit conſiſtere conſecratio in vna tantum ſpecie, eſt tamen de iure Diuino, quod, quantum in nobis eſt, fiat in vtraque, quatenus Chriſtus contulit poteſtatem vnam ad vtramque, & præcepit fieri, quod ipſe fecit; ex quo ſequitur obligatio ad velle, quantum in nobis eſt vtramque ſimul perficere, & potius ab vtraque, dum poſſumus, abſtinere, quam vnam dumtaxat ponere.

10 Non omnia, quę ſunt de iure Diuino ſunt eſſentialia Sacramento.

Dices primò, quæ ſunt de iure Diuino circa Sacramentorum confectionem pertinent ad eorundem ſubſtantiam, ſiquidem pertinent ad inſtitutionem, quæ pendet ab ijs, quæ Chriſtus fecit, ergo, ſi eſt de iure Diuino conſecratio ſub vtraque ſpecie, non poterit fieri validè in vnica tantum ſpecie, quod eſt contra id, quod in præcedentibus dicebamus, poſſe ſcilicet confici Sacramentum validè in vnica tantum ſpecie. Sed contra; non omnia, quæ ſunt de iure Diuino circa Sacramenta pertinent ad eorum eſſentiam, adeo vt non ſint valida, niſi ſeruato eodem iure; ſic eſt de iure Diuino, vt Sacramenta non conficiantur, nec recipiantur, niſi ab exiſtente in gratia, & tamen, ſi fiant ab exiſtente in peccato læthali, validè fiunt.

11 Perſeuerante eadẽ actione ius exigit, vt perficiatur ſacrificium.

Dices ſecundò, tota ratio, ob quam facta conſecratione in vnica tantum ſpecie debet etiam fieri in alia, ea eſt, quia ſacrificium incohatum ius habet, vt compleatur, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ſacrificium factum in vna tantum ſpecie cum poſitiua intentione excluſiua conſecrationis in altera, non poteſt dici incohatum, cum habeat præcisè rationem Sacramenti, non ſacrificij, nec etiam partialis, vt ſupra innuebamus, ergo non habet ius, vt compleatur per alterius ſpeciei conſecrationem, cum Sacramentum, vt tale non exigat vtramque ſpeciem. Sed contra, quia, quantumuis, tuncquando fit conſecratio in vna tantum ſpecie cum intentione excluſiua alterius ſpeciei habeat ſpecies conſecrata vim tantum Sacramenti perſeuerante tamen eadem actione, vrget ius ex Diuina ordinatione, vt talis intentio excluſiua remoueatur, & fiat conſecratio in alia etiam ſpecie, & ſic, quod erat præcisè Sacramentum tranſeat per coniunctionem cum conſecratione alterius ſpeciei in rationem ſacrificij. Dixi, *perſeuerante eadem actione*, nam, ſi actio Miſſæ, qua facta fuit conſecratio in vna tantum ſpecie, eſſet diù terminata, remaneret præcisè in ratione Sacramenti, cum non poſſet habere continuationem moralem cum conſecratione alterius ſpeciei.

12 Reſtricta intentione ad hoſtias, quas videt, illę ſolæ remanent conſecratæ.

Aſſertio III. Si conſecrans habeat intentionem limitatam taxatiuè, ſeu reſtrictiuè ad hoſtias, quas videt, & aliqua hoſtia lateat, tunc illa non remanet conſecrata, illæ verò, quas videt remanent conſecratæ. In hoc arbitror neminem repugnare.

Ratio ex eo deducitur, quod conſecratio non extenditur vltra ea, ad quæ ſuam intentionem reſtringit conſecrans, ſed conſecrans ſe reſtringit ad eas hoſtias, quas videt priuatiuè quoad eas, quas non videt, ergo eas dumtaxat conſecrat, quas videt, non eas, quas non videt. Hinc, ſi in corporali adſint duæ hoſtiæ altera ante oculos conſecrantis, altera latens, vel quia ſit ſub pede Calicis, vel retrò, ità vt ab eodem non videatur; & ipſe reſtringat intentionem ad eam, quem habet ſub oculis, hanc validè conſecrat, non illam. Dixi, *reſtringat*, nam, ſi habeat intentionem conſecrandi, quam videt non excludendo tamen, quam non videt, intelligeretur vtramque validè conſecrare. Ratio eſt, quia illa particularis intentio, cum non ſit excluſiua intentionis debitæ, compatitur cum eadem intentione debita; nam quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere debet conſecrandi, ſcilicet eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet *Rubrica Miſſalis in tit. de defectibus intentionis, Gauantus part. 3. tit. 7. de defect. intentionis, Suarez diſp. 43. ſect. 6.*

13 Quid, ſi Sacerdos exiſtimaret vnam tantum hoſtiam conſecrare, & eſſent duæ.

Sed quid erit ſentiendum, ſi Sacerdos cõſecraret exiſtimans vnam tantum hoſtiam habere præ manibus, cum duas haberet, & poſt conſecrationem illas diſtinctas cognoſceret? Tunc prima fronte videretur dicendum, nullam eſſe conſecratam; non ambæ, quia vnam tantum intendit conſecrare; non vna, quia non eſt maior ratio de vna, quam de alia. Nihilominus recentis ijs, quæ mox dicebamus, conſiderandum eſt, an Sacerdos conſecrans reſtrictiuè, & excluſiuè intenderit vnam tantum conſecrare; an verò intenderit vnam conſecrare non excludendo alteram, ſi adeſſet. Si taxatiuè vnam tantum intenderit conſecrare; tunc videretur certè dicendum neutram remanere conſecratam, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia. Sed poſſet dici, eſſe maiorem rationem pro illa, quæ eſt in parte eſtima, & magis expoſita oculis conſecrantis, quæ propterea videtur conſecrata, non illa, quæ eſt à parte poſt, quod certè non eſt à ratione alienum; Si alteram in intentione non excluſerit, probabilius, quinimmò certiùs, vtraque eſſet conſecrata, quia illa

pri-

priuata intentio non tollit intentionem debitam, vt ſupra.

14 *Id ipſum dicendũ eſt cum eadem diſtinctione quando intenderet ſex conſecrare, & eſſent octo.*

Aſſertio IV. Si conſecrans haberet ante ſe octo hoſtias, & intenderet ſolum ſex conſecrare non determinans, quas velit; tunc, ſi talis intentio ſit taxatiua, nulla erit conſecrata, ſi verò non fuerit taxatiua, ſed tantum quatenus putet eſſe ſolummodò ſex, cum tamen re vera ſint octo, omnes erunt conſecratæ. Prima pars eſt *Durandi in 4. diſtinct. 11. qu. 7., Maioris diſt. 11. quæſt. 2., Riccardi diſtinct. 10. art. 7. q. 2., Suarez diſp. 43. ſect. 6. verſ. & hinc ſequitur; Gauanti in theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 3. tit. 7., & alij communitèr*. Secunda pars eſt eiuſdem *Suarez loc. cit. verſ. ſed obijciet rurſus aliquis, Gauanti loc. cit. verſ. in prima part., & aliorum magis communitèr.*

Ratio primæ partis eſt, quia materia, circa quam cadere debet conſecratio, debet eſſe determinata, & definita, cum intentio operantis debeat eſſe practica, & operatiua; non eſſet autem talis, niſi eſſet circa materiam determinatam, & definitam; ſed in data hypotheſi materia non eſſet determinata, nec intentio operantis eſſet potius ad has, quam ad illas ex illis octo appoſitis, ergo &c. Confirmatur, quia in data hypotheſi non omnes remanerent conſecratę; cum non omnes intenderit Sacerdos conſecrare; non potius has, quam illas, quia debuiſſet potius has, quam illas determinare, quod non præſtitit, ergo &c.

15 *Soluitur argumẽtum deſumptum ab intentione limitata Confeſſarij.*

Dices primò, ſi Sacerdos miniſtrans Sacramentum Pænitentiæ auditis omnibus pænitentis peccatis non intenderet ab omnibus abſoluere, ſed ab aliquibus tantum illa non determinans, Sacramentum erit validum, & pænitens erit ab omnibus abſolutus, ergo etiam &c. Sed contra, quia in primis aſſumptum non eſt ità certum, vt ſupponitur; cum etenim abſolutio à peccatis non ſolum dependeat ab actibus pęnitentis, ſed & à forma abſolutionis, quæ regulatur ab intentione abſoluentis, ſi hæc fuerit limitata ad aliquod determinatum peccatum non poteſt ad alia extendi; & cum vnum peccatum maximè læthale non tollatur, quin tollantur alia omnia propter incompoſſibilitatem peccatorum læthalium cum gratia remiſſiua, ſequitur, quod in ea hypotheſi, nullum peccatum tollatur. Dato deindè aſſumpto neganda eſt abſolutè conſequentia ab eodem deducta. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod illa intentio abſoluendi dumtaxat à duobus peccatis non ab alijs reſpicit ſolummodò effectum Sacramenti, non Sacramentum ipſum, ſuppoſnimus enim, quod Sacerdos intendat ſimplicitèr Sacramentum, & ſolum limitet intentionem quoad effectum eiuſdem; ſi etenim intenderet non facere Sacramentũ, nihil efficeret, nec ab illis duobus abſoluet, vt per ſe patet; quo tanquam certiſſimo ſuppoſito Sacramentum ipſum validè collatum remittit omnia, ſi ſubiectum ſit diſpoſitum, nec limitata intentio abſoluentis poteſt impedire effectum, quem habet cauſare ipſum Sacramentum ſecundum ſe; intentio autem celebrantis limitantis taxatiuè numerum hoſtiarum conſecrandarum reſpicit non purè effectum Sacramenti, ſed Sacramentum ipſum, quod per conſecrationem materiæ efficitur; adeoque mirum non eſt, quod ex defectu illius Sacramentum irritetur. Hæc colligo ex mente *Suarez diſp. 43. ſect. 6. verſ. & hinc ſequitur primò in fine.*

Aliud argumentũ diſſoluitur.

Dices ſecundò, poteſt Sacerdos offerre ſacrificium pro vna anima exiſtente in purgatorio illam non determinando, ſed remittendo determinationem in voluntatem Diuinam, & tamen validè offert, & effectum conſequitur, ergo etiam poterit ſuam intentionem remittere quoad determinationem hoſtiarum conſecrandarum in electionem Diuinam, & validè conſecrare, & conſequi effectum. Sed contra admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod effectus abſolutionis à pęnis eſt immediatè à Deo, cui propterea rectè remittitur electio animæ abſoluendæ; effectus autem conſecrationis eſt immediatè à miniſtro, qui ſuis verbis operatur, adeoque ad ipſum ſpectat determinatio materiæ. Deindè abſolutio à pænis eſt effectus ſpiritualis, & inuiſibilis; effectus autem conſecrationis eſt conſtitutio ſenſibilis Sacramenti ordinata ad hominum ſalutem, adeoque non eſt, cur illa poſſit Deo remitti quoad determinationem, non ſic iſta.

16 *Caſus, in quibus defectus intentionis eſt ſupplendus.*

Ex his habemus, quod, ſi contigeret defectus ob illam indeterminatam materiam, defectus ille eſſet ſupplendus per nouæ materiæ determinatæ conſecrationem, vt ſacrificium compleatur, cum etenim illa prior cõſecratio eſſet inualida, debet iterari. Quomodo autem facienda ſit hæc iteratio collige ex ijs, quæ dicta ſunt, dum de defectu materiæ.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod, cum non limitet intentionem ad aliquas, reliquas excludendo intelligitur habere intentionem debitam, quæ eſſe debet, & moralitèr eſt circa hanc materiam præſentem, prout in re proponitur, ergo re vera totam materiam præſentem validè conſecrat, nec obeſſe poteſt, quod dixerit, velle conſecrare ſex, cum hoſtiæ

eſſent octo. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa dictio non ſit taxatiua, non excludit intentionem debitam. Hinc, ſi miniſter deſeruiens Miſſæ offerat Sacerdoti ante oblationem verbalem pixidem particularum, vt pro communicaturis ſex particulas offerat, & conſecret; & ipſas ſecernendo à reliquis pro ſex ex errore octo offerat, & conſecret nemine diſceptante illas octo validè conſecrat, & hoc non alia ratione, niſi quia, cum duas non excludat, intelligitur habere intentionem debitam ad omnes præſentes.

17 An, & quando ſit ſupplendus defectus debitæ attentionis.

Aſſertio V. Si defectus contigerit ratione non fixæ attentionis, ſeu euagationis mentis, adeò vt celebrans, an aliqua eſſentialia omiſerit, dubitet, tunc ſi negatiuè dubitet, quatenus non recordatur, ſe dixiſſe, debet præſumere ſe dixiſſe; nec debet repetere; ſi verò dubitet poſitiuè, pro rationibus magis vrgentibus debet iudicare; pro omiſſione, ſi fortiores rationes vrgeant pro iſta; pro negatione omiſſionis, ſi pro iſta motiua fortiora militent; In hanc conſentit *D. Thomas tertia part. qu. 83. art. 6. ad quintum, Suarez. diſp. 85. ſect. 1. verſ. ſecundo etiam conſtat propè medium.*

Prima pars ex eo deducitur, quod recordatio ex genere ſuo eſt de præteritis; præteritorum autem memoria facilè labilis eſt, &, vt notat *D. Thomas loc. cit.* qui multa dicit non recordatur omnium, quæ dixit; vndè non debet ex hoc mente perturbari, ſed præſumere ſe dixiſſe, quod etiam ex multis poteſt præſumere, primo ex conſuetudine illa dicendi; ſecundo ex loco, ad quem peruenit recitando; ſi etenim tranſgreſſus fuerit locum eius, quod non recordatur dixiſſe, poteſt rationabilitèr credere, ſe dixiſſe. Confirmatur, quia ad

18 Quid agendum in dubio, ſiue ſuſpenſiuo, ſiue opinatiuo.

validam recitationem eorum, quæ ſunt de eſſentia, ſeu de ſubſtantia ſacrificij non eſt neceſſaria actualis reflexio; quando autem non eſt actualis reflexio ſupra id, quod dicitur, facilè memoria deperditur, cum memoria ex reflexione potiſſimum conſurgat.

Secunda pars ex eo euincitur, quia, ſi cum tali obliuione coniungantur aliquæ circunſtantiæ, ex quibus efformari poſſit prudens iudicium, quod dicenda omiſerit, tunc certè tenebitur illa iterare, cum operaretur iuxtà dictamen prudentis rationis conſiſtentis in illo regulato iudicio; nec iterando peccaret, quia ſequeretur normam prudentis rationis; nec obſtat, quod *D. Thomas loc. cit.* dicat iterari poſſe, ſeu debere; ſi certificetur de omiſſione, quia per ly, *ſi certificetur*, non intelligitur abſoluta certificatio, ſed ſufficit moralis innixa probabilibus rationibus. E contrario ſenſu, ſi cum illa obliuione coniungantur probabiles rationes, & motiua inclinantia in probabilem credulitatem non omiſſionis, tenebitur ab vlteriori iteratione abſtinere, ne contra dictamen rationis iteret non iteranda.

Si verò oriatur dubium ex vtraque parte ſuſpenſiuum, vt non inclinet potius in vnam, quam in alteram partem, tunc iteranda ſunt ea, de quibus eſt dubium, non quidem abſolutè, ſed ſub conditione ſaltem mente concepta, quia hoc modo tollitur dubium, & ceſſat periculum iterandi formam ſuper materiam iam conſecratam; nam, ſi hæc fuerit conſecrata, non purificata conditione ceſſat eius effectus; ſi verò non fuerit conſecrata, ſuum conſequetur effectum.

ARTICVLVS VI.

Nonnulla corrollaria ad prædicta.

SVMMARIVM.

Quid agendum de reliquijs hoſtiæ poſt purificationem inuentis. 1.
Sententia aſſerens magnas eſſe reſeruandas. 2.
Sunt ſumendæ, ſiue fuerint magnæ, ſiue paruæ. 3.
Non eſt eadem ratio de particulis conſecratis, ac de illis reliquijs, & quare. 4.
Si deprehendātur poſt completum ſacrificium, & reditum in Sacriſtiam ſententia aſſerens eſſe ſtatim ſumendas ab ipſo Sacerdote. 5.
Præfertur ſententia aſſerens eſſe ſeruandas. 6.
Rubrica quoad particulas, & hoſtiam deprehenſas poſt purificationem. 7.
Ratio diſcriminis inter particulas, & reliquias. 8.
Si in conſecratione hoſtiæ obliuiſcatur Sacerdos particularum conſecrandarum adhuc iſtæ intelliguntur conſecratæ. 9.
Intellige, dummodò ſint intra corporale. 10.
Non eſt neceſſe, quod pixis diſcooperiatur. 11.

Defectus non ſolum poſſunt contingere in omiſſione eorum, quæ agenda, vel dicenda ſunt, ſed etiam in exceſſu ſuper ea, quæ agenda, vel dicenda ſunt. Omiſſis ijs, quæ in præcedentibus dicta ſunt, quæſtionem reſtringimus in indagando, quomodo ſuppleri debeat exceſſus, quádo poſt ſumptionem, & fortè etiam ablutionem inuenitur in corporali, vel alia hoſtia, vel pars hoſtiæ, vel fragmenta ſenſibilia, quæ non fuerunt antecedentèr 1 Quid agendum de reliquijs hoſtiæ poſt purificationem inuentis.

de-

deprehenſa; & hic etiam obitèr inueſtigabitur, quid erit agendum, ſi huiuſmodi hoſtia, vel pars, vel fragmenta deprehendatur completa iam Miſſa, cum Sacerdos iam in Sacriſtiam redierit.

2 Sentẽtia aſſerens magnas eſſe reſeruandas.

In rubricis Miſſalis Romani *ſub tit. de defectibus*, hæc expreſsè habentur. *Quod, ſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas eas ſumat, ſiue paruæ ſint, ſiue magnæ, quia ad idem ſacrificium ſpectant. Sotus in quarto diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 8.*, quamuis ſentiat, huiuſmodi reliquias ſumendas eſſe à Sacerdote etiam poſt ablutionem, diſtinguit tamen inter paruas, & magnas, atq; illas ſumendas aſſerit, iſtas in pixide reſeruandas. Azorius verò ſe penitus cũ rubrica cõformans aſſerit, ſiue paruas, ſiue magnas ſumendas à Sacerdote tunc celebrante.

3 Sunt ſumendæ etiamſi fuerint magnæ.

Ego in hoc rubricæ penitus inſiſtendum exiſtimo. Ratio ex eadem rubrica deducitur, quia illæ reliquiæ, ſiue paruæ ſint, ſiue magnæ, pertinent ad idem ſacrificium, cum ſint reliquiæ eiuſdem, vndè in eodem ſunt conſumendæ; nec obſtat, quod per ablutionem ieiunium naturale ad Euchariſtiam ſumendam à iure Eccleſiaſtico requiſitum fuerit violatum; non obſtat, inquam, quia concurrente iure ſumendi omnia, quę pertinent ad idem ſacrificium cum pręcepto ieiunij, illud debet præualere; Neque vrgeas; in tantum debet præualere ius ſumendi præcepto Eccleſiaſtico, in quantum debet compleri ſacrificium, non relinqui incompletum; eo autem ipſo, quod ſumpta eſt Euchariſtia ſub vtraque ſpecie ſacrificium eſt completum, nec requiritur, quod ſumantur omnia, quæ in eodem ſacrificio fuerunt conſecrata, vt videre eſt in particulis, quæ fuerunt conſecratæ pro communione laicorum, & in caſu, quo Sacerdos putans vnam dumtaxat hoſtiam conſecrare duas conſecraret, & alteram dignoſceret ſolum poſt ablutionem, quæ ex infrà dicendis non eſſet ſumenda, ſed reſeruanda; contra enim impugnaberis, quia, diuerſa omninò eſt ratio de reliquijs eiuſdem hoſtiæ ordinatæ ad ſumptionem Sacerdotis ſacrificantis, ac de particulis conſecratis pro communione laicorum, & de illa hoſtia integra deprehenſa poſt ablutionem; nam illæ reliquiæ ſunt partes hoſtiæ deſtinatæ ad ſumptionem Sacerdotalem; nec poſſunt aſſeruari pro communione aliorum ob exiguitatem; particulæ verò non ſunt partes deſtinatæ pro communione Sacerdotali, ſed pro alijs ab ipſo, & congruè, & reuerentèr poſſunt pro alijs aſſeruari; quod idem dicendum eſt de illa hoſtia duplicata deprehenſa ſolummodò poſt ablutionem.

4 Non eſt eadem ratio de particulis conſecratis, ac de illis reliquijs.

5 Si deprehẽdantur poſt reditum in Sacriſtiã ſecũdum aliquos ſunt ſumendæ ab ipſo Sacerdote

Sed quid erit dicendum, ſi illæ reliquię fuerint deprehenſæ abſoluto iam ſacrificio, & fortè etiam poſt reditum in Sacriſtiam. Tunc *Tabiena verb. Miſſa num. 42.*, ſentit ſumendas eſſe ab eodem Sacerdote nulla habita diſtinctione reliquiarum, nec temporis, dummodò pertineant ad eandem Miſſam. Sed congruentius procedit *Azorius inſtitutionum moralium part. 1. lib. 10. c. 30. q. 1.* aſſerens debere immediatè ſumi; nam, ſi abſoluto ſacrificio, vel poſt notabile temporis interuallum ſumerentur, non ſumerentur, vt reliquiæ, ſed per ſe, quod fieri licitè nequit. Sed quid erit de illis agendum, ſi abſoluto iam ſacrificio deprehenderentur; tunc decentèr eſſent, vel in corporali, vel in Calice aſſeruandæ, donec ab altero Sacerdote celebraturo ſimul cum hoſtia ab illo conſecrata conſumerentur. Quod, ſi ſupponas alium Sacerdotem non adeſſe, qui eadem die ſit celebraturus, & non ſit modus, quo honeſtè poſſint interim conſeruari; tunc non renuerem concedere, poſſe reuerenter illas ſumere, cum præualere debeat reuerentia Sacramenti præcepto ieiunij.

6 Congruẽtius ſunt ſeruandæ

7 Rubrica circa particulas, & hoſtiam remanentem.

Rurſus in eiſdem rubricis hæc expreſsè habetur. *Si verò relicta ſit hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum alijs reponat; ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari ſupra Corporale decentèr opertam ſumendam vna cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat, vel ſi neutrum horum fieri poteſt, in ipſo Calice, ſeu Patena decentèr conſeruet, quouſque, vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur; quod, ſi non habeat quomodo honeſtè conſeruetur, poteſt ipſemet eam ſumere.*

8 Ratio diſcriminis inter particulas remanẽtes, & reliquias hoſtiæ.

Ex his habes primò diſcrimen, quod intercedit inter reliquias hoſtiæ conſecratæ, & ſumptæ ab ipſo Sacerdote, & hoſtiam integram, quod illæ indiſcriminatim ſint immediatè ſumendæ, iſta ſit aſſeruanda, nec debeat ſumi, niſi in caſu, quo non poſſet decentèr conſeruari, nec ſumi ab alio Sacerdote celebraturo; & ratio diuerſitatis eſt, quia illæ ſunt reliquię, & quodamodo complent, ſeu pertinent ad eandem ſumptionem; iſta verò non poteſt dici reliquia, nec poſt ablutionem poteſt, vt talis ſumi.

Habes ſecundò, quod, ſi non poſſit ab alio Sacerdote celebraturo ſumi, nec decentèr conſeruari, poſſit ab ipſomet Sacerdote, qui illam conſecrauit ſumi, & hoc non quia ſit reliquia prioris hoſtię conſumptæ, ſed quia reuerentia debita ipſi hoſtiæ conſecratæ præualere debeat præcepto ieiunij ſeruandi. Monerem tamen, quod, ſi adeſſet laicus benè diſpoſitus, qui ſacra ſinaxi refici cuperet, poſſet eidem

con-

conferri, vel pluribus dimminuta in partes, ſi plures peterent.

9 Particulę quarum obliuiſcitur in cōſecratione hoſtię remanēt cōſecratę

Ex occaſione eorum, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo de obliuione circa dicta, vel facta, inſurgit hic ratio dubitandi, an, ſi in actuali conſecratione non recordetur Sacerdos particularum, quas intenderat conſecrare, ſed hoſtiæ dumtaxat, quam præ manibus habet, intelligatur nihilominus omnes validè conſecrare. Affirmatiuè ſentiendum eſt *Angelus verb. Euchariſtia num. 27.*, *Nauarrus in manuali cap. 25. num. 91.*, *Suarez diſp. 43. ſect. 6.* Hæc tamen intelligenda ſunt, quando huiuſmodi particulæ, quarum in actuali conſecratione non meminit, extant ſuper Corporale. Ratio ex eo deducitur, quia nil deeſt, quod requiratur ad validam ipſorum conſecrationem, non intentio Sacerdotis, quia, licet hæc ibi non ſit actualis, eſt tamen virtualis perſeuerans in prima intentione illas conſecrandi; hæc autem virtualis ex alibi dictis eſt ſufficiens; non præſentia materiæ, quia, cum hæc habeatur intra aram, ſeu intra Corporale, tanta eſt, quanta ſufficit, cum hæc ſit præſcripta à iure Eccleſiaſtico; & Sacerdos debet habere intentionem relatam ad materiam intra Corporale contentam. Quod, ſi

10 Intellige dummodo ſint ſupra corporale

illæ particulæ eſſent extra aram, ſeu extra Corporale in cornu Epiſtolæ, vel alibi, probabilius non remanerent conſecratæ, quia intentio Sacerdotis, debet eſſe relata ad ea, quæ ſunt ſupra Corporale; nec ſufficit prior intentio illas conſecrandi, nec quod habeant præſentiam ſufficientem; quandoquidem illa prior intentio, intelligitur ordinata ad ea, quæ in hoc genere præſcribuntur, hoc eſt ſeruatis ijs, quæ ſunt iuxtà Eccleſiæ diſpoſitionem, vt ſcilicet conſecranda ſint intra Corporale, & iuxtà hanc diſpoſitionem etiam præſentia limitatur, quamuis ex voluntate eiuſdem celebrantis poſſit, ſi fuerit talis, magis extendi; non intelligitur tamen extendi, (niſi ſit expreſſa, & poſitiuè relata ad maiorem extenſionem), quia ſemper intelligitur relata ad terminos iuris, & ad eoſdem reſtricta.

11 Non eſt neceſſe, quod Pixis diſcooperiatur.

Suppoſita poſtea continentia intra aram conſecratam, ſeu intra Corporale, non eſt neceſſe, quod, ſi particulæ contineantur intra Pixidem, eadem Pixis diſcooperiatur, vt validè fiat conſecratio, vt notat *Suarez dict. diſp. 43. ſect. 5.*, cum non ſit neceſſe, quod illæ particulæ videantur, & illa continentia non tollat præſentiam ſufficientem.

ARTICVLVS VII.

An, & quomodo poſſint ſuppleri defectus circa cæremonialia.

SVMMARIVM.

Cæremonialia in duplici differentia. 1.
Defectus commixtionis aquæ cum vino cognitus ante conſecrationem eſt ſupplendus per commixtionem, non autem cognitus poſt conſecrationem. 2.
Ex hoc capite arguitur, quod aqua non prius conuertatur in vinum. 3.
Cur non ſit commiſcenda aqua vino poſt conſecrationem. 4.
Conſecratio facta à Latino in fermentato non eſt iteranda in azimo. 5.
Nec vrget ratio ſcandali. 6.
Non licet Latino conſecrare in fermentato etiam ad finem communicandi morti proximum, quando non eſt azimus. 7.
Nec ad finem, vt populus audiat ſacrum in die feſto. 8.
Si hoſtia non fuerit fracta in tres partes, & particula immiſſa in Calicem, ante conſumptionem eſt frangenda, & immittenda. 9.
Oblatio verbalis non facta eſt facienda ante conſecrationem. 10.
Defectus quoad communionem, an, & quando ſupplendus. 11.
Quomodo ſupplendi defectus quoad communionem. 12.
Quomodo quoad cæremonialia. 13.

Nomine cæremonialium hic intelligo ea omnia, quæ ſunt præter eſſentiam, ſeu ſubſtantiam ſacrificij, de quibus egimus ſupra. Hæc autem ſunt quoquò modo in duplici differentia; alia, quæ, licet non ſint de eſſentia materiæ, vel formæ, tangunt tamen quodamodo eandem materiam, vel formam, cuiuſmodi ſunt commixtio aquæ cum vino, conſecratio in pane fermentato apud Latinos pro azimo, vel in azimo pro fermentato apud Græcos, fractio Hoſtiæ in tres partes, & immiſſo vnius partis in Calicem conſecratum; non conſumptio totius Hoſtiæ, & alia huiuſmodi, alia, quæ tanquam ornamenta præcedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur eſſentiam ſacrificij, ſiue conſiſtant in verbis, ſiue in actionibus, de ijs omnibus erit ſermo ſub præſenti titulo quoad eorum ſupplementum, ſi omittantur, inquirendo, an ex neceſſitate ſint ſupplenda, vel poſſint ommitti. Quoad cæremonialia primi generis iam ſingula ſingillatim expendo. 1 Cæremonialia in duplici differentia.

Dico igitur primò, ſi aqua ante obla-

2 Commixtio aquæ cum vino non facta in oblatione facienda eſt ante conſecrationem, non poſt.

tionem non fuerit vino commixta, & hoc ante conſecrationem deprehendatur, eſt talis defectus ante eandem per commixtionem ſupplendus; ſi verò poſt conſecrationem, non debet ſuppleri, ſed in Miſſa procedendum eſt. In hoc expreſsè conſentit *D. Thomas tertia part. quæſt. 83. art. 6. ad quartum, & cum eo alij communitèr*, & ſignantèr *Gauantus in theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 3. tit. 4., & Rubrica Miſſalis ſub tit. de defect. materiæ*. Ratio primæ partis eſt, quia præceptum de aqua vino commiſcenda eſt graue, & habet ſpecialem, & grauem ſignificationem, propter quam ſpeciali iure inductum eſt, vt illa cæremonia commixtionis non omittatur ante conſecrationem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa commixtio non ſit de neceſſitate Sacramenti, neque de iure Diuino, ſed tantum Eccleſiaſtico, de quo præcepto etiam eſt, vt non inuertatur ordo præſcriptus; in concurſu autem duorum præceptorum Eccleſiaſticorum non eſt aliqua ratio, ob quam vnum debeat præualere alteri; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato, quod vtrumque præceptum ſit merè Eccleſiaſticum, fortiùs tamen, & ſtrictiùs debet alteri præualere; eſt autem innegabile, quod præceptum de aqua vino commiſcenda ſit fortiùs, & ſtrictiùs, tum propter ſignificationem, quam habet; tum quia eſt cęremonia magis grauis; vndè dici poteſt, quod in concurſu iſtius illud ordinis ceſſet. Adde, quod de hoc ſpecialitèr cautum eſt in rubricis Miſſalis, quæ in hoc ſunt præceptiuæ.

3 Aqua nō prius cōuertitur in vinum

Ex hac diſpoſitione eruitur, non ſolidè procedere DD., qui volentes prius aquam commixtam vino conuerti in idem vinum, quam conuertatur in Sanguinem, apponunt talem commixtionem in principio Miſſæ arbitrantes per illud maius temporis ſpacium ad conſecrationem, aquam probabilius, & tutius in vinum conuerti. Non ſolidè, inquam, ex hoc capite ſolidè procedere, quandoquidem, ex quo ſtatutum eſt, in caſu non præcedentis commixtionis immediatè ante conſecrationem commiſceri, ſatis concludentèr euincitur, hanc rationem non ſubſiſtere, cæteroqui incongruè ſtatueretur, quod immediatè ante conſecrationem aqua commiſceretur vino conſecrando.

4 Cur non ſit commiſcenda aqua poſt conſecrationem.

Ratio ſecundæ partis non ex eo deſumitur, quod aſſerit *D. Thomas dict. quæſt. 83. art. 6. ad quartum*, quod, ſcilicet, ſi commiſceretur aqua vino iam conſecrato ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, quandoquidem potius ipſa aqua corrumperetur a ſpeciebus conſecratis, ſicuti corrumpitur à vino; ſpecies etenim conſecratæ ęquam vim habent, ac ſpecies non conſecratæ. Aliundè igitur ratio deducenda eſt, & primò ex eo, quod nō haberet illam ſignificationem, ad quam inſtituta eſt illa cæremonia, nempè effluxus Sanguinis, & aquæ à latere Chriſti Domini, quandoquidem iam per conſecrationem eſſet explicata effuſio actualis Sanguinis ſine aqua, & propterea non eſt amplius apta illa commixtio illam ſignificare; Secundò ex eo, quod tribueretur occaſio idololatrandi, dum totum, quod in Calice reperitur, à fidelibus cultu latriæ coleretur, cum tamen totum non eſſet illo cultu adorabile, nempè illa aqua, quæ poſt conſecrationem commiſceretur.

Dico ſecundò, conſecratio in pane fermentato apud Latinos eſt grauiter peccaminoſa, ſicuti in azimo apud Græcos, ſi tamen fieret, defectus ille non eſſet ſupplendus per iterationem conſecrationis reſpectu illorum in azimo, & reſpectu iſtorum in fermentato. Prima pars latè patet ex dictis in præcedentibus. Secunda pars eſt *Suarez diſp. 85. ſect. 2. verſ. primo igitur in defectu materiæ accidentalis, & aliorum communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quod illa conſecratio, licet illicita, eſt tamen abſolutè valida, nec illa mutatio inficit eſſentiam, ſeu ſubſtantiam, ergo non eſt, cur debeat iterari, cum poſita valida conſecratione eadem pro eadem die non ſit iteranda; hocque ex generali regula deducitur, ſecundum quam defectus, qui non ſunt de ſubſtantia, & eſſentia non exigunt, vt illæ res, in quibus contigit defectus, iterentur. Solum difficultas aliqua videtur in eo verſari; quod illa materia panis fermentati in Eccleſia Latina ingereret graue ſcandalum, ad quod vitandum videtur neceſſaria iterata conſecratio in azimo, quod videtur ex eo euinci, quod iterata conſecratio eſt ſolum vetita de iure Eccleſiaſtico, cui pręualere debet ratio ſcandali vitandi. Nihilominus inſiſtendum eſt, quod ille defectus non ſit ſupplendus per iteratam conſecrationem in azimo non vrgente illo ſcandalo, ſiquidem hoc iam illatum eſt in conſecratione prius habita in illo fermentato, &, ſi dicatur, quod ille defectus occultatus fuit in illa conſecratione, & ego dicam, curandum eſſe, vt occultetur vſque ad conſumptionem incluſiuè.

5 Conſecratio facta à Latino in fermentato non eſt iteranda.

6 Nec vrget ratio ſcandali.

Ex occaſione eorum, quæ dicta ſunt, hic quæri poteſt, an vrgente graui neceſſitate communicandi infirmum per modum Viatici in graui vitæ periculo conſtitutum liceat Sacerdoti Latino conſecrare in fermentato, ſi non adſit copia azimi? Videtur prima fronte dicendum, vtique in ea hypotheſi licere conſecrare in fermentato, quia

7 Non licet Latino conſecrare in fermentato etiam ad communicādum morti proximū.

quia præceptum de communicando infirmo in mortis articulo conſtituto, eſt Diuinum; præceptum verò de conſecrando in azimo reſpectu Latinorum eſt humanum, & Eccleſiaſticum; Diuinum autem præualere debet Eccleſiaſtico. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non licere. *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 44. ſect. 3. in fine verſ. vnum verò ſupereſt dubium, & alij communitèr.* Ratio eſt, quia præceptum de communicando infirmo per modum Viatici grauitèr periclitanti, licet ſit Diuinum, eſt tamen affirmatiuum, quod non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed dumtaxat, quando congruè poteſt adimpleri ſeruatis debitis circunſtantijs, & reuerentia debita Sacramento; Propter hanc rationem latè docuimus in præcedentibus, non licere etiam ad finem conferendi Viaticum proximè morituro celebrare ſine ſacris veſtibus; maior autem ritus videtur ſeruare materiam præſcriptam tam ſtricto iure, quam ſacras veſtes adhibere.

8 Nec ad finem, vt populus audiat ſacrum in die feſto.

Hinc etiam inferes, non licere Sacerdoti Latino conſecrare in fermentato, quando non exiſtente copia azimi totus populus in die feſto priuaretur ſacrificio Miſſæ, ſi hoc non fieret in fermentato, & ratio ex eodem principio deducitur, quinimmò fortiori iure, quandoquidem præceptum audiendi ſacrum in die feſto eſt dumtaxat Eccleſiaſticum. Si igitur in hypotheſi communicandi infirmum grauitèr periclitantem ceſſat præceptum Diuinum ob reuerentiam debitam Sacramento, à fortiori ceſſare debet præceptum Eccleſiaſticum audiendi ſacrum, ne irreuerentia irrogetur Sacramento illud conficiendo in materia vetita.

9 Defectus fractionis hoſtiæ, & immiſſionis particulæ in Calicē ſupplendus eſt ante conſumptionem.

Dico tertiò, ſi omiſſa fuerit fractio hoſtiæ in tres partes, & vna pars non fuerit in Calicem conſecratum immiſſa pro tempore, quo hæc præſtari debebant, probabilius hæc debent ante conſumptionem fieri. In hoc conſentire videtur *Suarez d. diſp. 85. ſect. 2. verſ. ſecundo in genere dici poteſt*, dum excipiendo à communi regula, quod cæremonialia omiſſa regularitèr non ſint ſupplenda, ponit caſum, quo inter omiſſum, & id, ad quod peruenit, intercedit exigua mora, vt ſine incommodo fieri poſſit repetitio. Ratio ex eo deducitur, quod hæc cæremonia ex vna parte propter ſignificationem myſterij conſiderabilis, quam habet, eſt grauis, & ex alia parte, cum inter tempus, quo fieri ſolet, & debet, & ſumptionem, intercedat modicum interuallum, in quo non poteſt conſiderari interruptio moralis, nil eſt, quod obſtare poſſit repetitioni; non diſcontinuatio, cum hæc non ſit talis, vt tollat moralem vnionem; non ordo peruerſus, quia à loco, in quo omiſit, poteſt incipere peragendo opus omiſſum, & repetendo verba accommoda, & ſic ordinatè procedet. Non repetitio verborum, quia, vel fortè etiam ipſa omiſſa ſunt, vel, ſi non ſunt omiſſa, cum ſint accidentalia, & non coniuncta cum debita actione, perindè eſt, ac ſi non fuerint prolata, & per conſequens poſſunt repeti, ea applicando eidem actioni.

10 Oblatio ſuo tempore omiſſa eſt ante conſecrationem ponenda.

Dico quartò, ſi omiſſa fuerit oblatio verbalis, quæ fit ante præfationem, & omiſſio fuerit cognita ante conſecrationem, debet poſt cognitionem fieri. Ratio eſt, quia, quamuis regularitèr cæremonialia ſuo loco, & tempore omiſſa non ſint repetenda, hoc tamen fallit, quando aliud eſt expreſsè ſtatutum, vt notat *Suarez loc. cit.*; pluribus autem in locis ſtatutum eſt, quod oblatio hæc verbalis omiſſa repetatur; hoc in particulari decernitur in rubricis Miſſalis apud *Gauantum in theſaur. ſacr. rituum tom. 1. part. 3. tit. 3. de defectu panis*, vbi recitat verba eiuſdem rubricæ, quæ ſunt huiuſmodi: *Si celebrans ante conſecrationem aduertit hoſtiam eſse corruptam, remota illa Hoſtia aliam ponat, & facta oblatione ſaltem mente concepta &c.*, & idem repetit, quando Hoſtia dignoſcitur corrupta poſt conſecrationem. Ibi. *poſita alia faciat oblationem, vtſupra.* Rurſus idem, quando illa Hoſtia fuit conſumpta, Ibi. *Apponi debet rurſus nouus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione vtſupra*, quod idem ferè in omnibus repetitur; ex quibus euincitur enixa voluntas, quod oblatio non omittatur, quando contingit, quod non ſit facta, & debet fieri conſecratio; nec in hoc conſideratur, quod oblatio fuerit facta ſuo tempore, & loco, ſed ſemper præcipitur, vt fiat, quando non eſt facta.

11 Defectus quoad communionem, an, & quando ſupplendus.

Dico quintò, defectus circa communionem in ſubſtantia non poteſt contingere, niſi quando, vel tota Hoſtia conſecrata, vel totus Sanguis non ſumitur; atque hic tantum eſt ſupplendus, quando eiuſdem Hoſtiæ reliquiæ remanſerunt, quæ fuerint cognitæ poſt ſumptionem, & ablutionem; tunc etenim ſumendæ ſunt, &, ſi remanſerit Hoſtia integra, ſeruanda erit, prout latè diximus in præcedentibus, quæ propterea non ſunt hic repetenda, ſed ibi recolenda.

12 Quomodo ſupplendi defectus quoad cæremonialia.

Quoad cæremonialia ſecundi generis conſiſtentia in verbis, vel factis non immediatè tangentibus ipſam ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini, hæc certa regula ſtatuitur, vt Sacerdos teneatur moralem diligentiam adhibere, vt omnes

circa

circa ipſa defectus caueat; atque præueniat; ſi tamen aliquis obrepſerit, regulariter elapſo tempore, quo ille ritus, ſeu cæremonia erat peragendus, ſeu peragenda, non eſt curandum, vt fiat. Ratio eſt, quia huiuſmodi cæremoniæ non ſunt ita graues, & ex illarum repetitione multa incongrua conſurgerent, peruerſio ordinis, non apta ſignificatio, interruptio, confuſio actionum, & precum, quæ omnia præponderant illi omiſſioni. Signanter monet *D. Thomas dict. quæſt. 83. art. 6. ad ſextum*, quod, ſi Hoſtia, antequam frangatur, dilabatur in Calicem conſecratum, non ſit curandum, vt aliquid iteretur, ſed ſacrificium eſſe conſummandum, &, licet ibi D. Thomas videatur aſſerere, quod, cum ille defectus fractionis ſit accidentalis, elapſo tempore, quo fieri debebat, non ſit ſupplendus, hoc tamen intelligendum eſt, quando commodè ſuppleri non poteſt, prout contingeret, quando Hoſtia integra eſſet in Calicem dilapſa, non quando hoc commodè fieri poteſt, vt ſupra.

13 Quomodo quoad cæremonialia.

ARTICVLVS VIII.

An, ſi præuideatur defectus aliquis non poſſe præcaueri in Miſſa, ſit potius Miſſa omittenda, quam committendus ille defectus.

SVMMARIVM.

Deficientibus ſacris veſtibus potius eſt omittenda Miſſa. 1.
Etiam omittenda eſt non exiſtente loco ſacro. 2.
De licentia Epiſcopi ob populi copiam poteſt celebrari in Altari portatili extra Eccleſiam. 3.
Etiam ob communicandum infirmum morti proximum. 4.
Poteſt etiam celebrari extra tempus præfinitum exiſtentibus aliis requiſitis ob prædictas cauſas. 5.
Exiſtente apud Latinum ſolo pane fermentato Miſſa eſt omittenda. 6.
Poteſt tamen Latinus conſecrare in fermentato ad complendum ſacrificium, quando non eſſet alius azimus. 7.
Exiſtente Hoſtia alterata, & corruptioni proxima eſt omittenda Miſſa. 8.
Item omittenda eſt exiſtente ſolum pane ex aqua roſacea compacto. 9.
Item quando vinum incipit aceſcere. 10.
Item quando deficit aqua. 11.
Item quando eſſet ſolum aqua roſacea. 12.
Vrgente neceſſitate poſſet Hoſtia parua conſecrari. 13.
An, & quando omittenda ſit Miſſa, quando defectus circa cæremonialia præcaueri non poſſunt. 14.

IN hoc plura veniunt conſideranda; primò qualitas defectus, qui præuidetur futurus, & non remouibilis, an, ſcilicet ſit grauis, &, licet non ſit de eſſentia, ſeu ſubſtantia, immediatè tamen verſans circa ſubſtantiam, an verò leuis, & præcisè circa cæremonialia non tangentia immediatè ſubſtantiam; ſecundò neceſſitas celebrationis, vel quatenus vrgeat onus communicandi infirmum in graui periculo conſtitutum, vel quatenus eſt neceſſitas conſulendi populo, qui, ſi non fieret ſacrificium, careret pro die feſto eodem. Rurſus conſiderari poteſt reuerentia debita Sacramento, ſeu ſacrificio, quatenus, ſi aliqua omitterentur, omiſſio caderet in irreuerentiam eorundem, & hoc, ſiue in ordine ad ſacras veſtes, ſiue in ordine ad locum, ſiue in ordine ad tempus, ſiue in ordine ad perſonam celebrantis.

Incipiendo iam ab his vltimis certum eſt primo, quod, ſi deficiant ſacræ veſtes, omittenda ſit potius Miſſa, quam admittendus huiuſmodi defectus, vt latè probauimus *ſupra quæſt. 8. art. 5.*, vbi plura inuenies ad hanc materiam pertinentia; ſi verò deficiat locus ad hoc munus aptus, ſeu deputatus, tunc certum eſt, quod potius Miſſa ſit omittenda, quam celebrandum in loco non ſacro, & in quo non ſit ara conſecrata, nam hoc cederet in irreuerentiam Sacramenti. Sed, an, liceret in Altari portatili celebrare, quando locus ad ſacrificium deſtinatus non adeſſet, ne populus in die feſto priuaretur auditione ſacri? *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 3. de requiſ. ad Miſſ. celebrat. c. 9. num. 11.*, ſentit in magno populi concurſu, vbi Eccleſia, vel Oratorium non eſt capax tantæ multitudinis, poſſe in Altari portatili extra fores Eccleſiæ de licentia Epiſcopi, Miſſā celebrari, quinimmò cum ſola Epiſcopi facultate interpretatiua, cum commodè Epiſcopus conueniri non poſſet pro formali, & expreſſa. Hoc etiam comprobant *Suarez in tertia parte D. Thomæ diſp. 81. ſect. 3. verſ. tertia exceptio eſt, D. Thomas diſp. 83. art. 3. ad primum*, quod colligunt *ex cap. 1. diſtinct. 1. de conſecratione, & ibidem cap. concedimus*. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hæc facultas celebrandi in Altari portatili extra Eccleſiam concedatur aliquibus ſignanter Religioſis; quæ propterea non videtur competere omnibus de iure ordinario. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa facultas ex priuilegio conceſſa Religioſis extenditur etiam extra caſus neceſſitatis; facultas

1 Deficientibus ſacris veſtibus potius eſt omittenda Miſſa

2 Etiam nō exiſtente loco ſacro

3 Poteſt celebrari extra Eccleſiam ex cauſa in Altari portatili.

verò de iure ordinario eſt reſtricta ad caſus eiuſdem neceſſitatis.

4 *Probabilitèr etiã ad communicãdum infirmum morti proximũ.*

Sed, an, liceat etiam, quando in loco ſacro non poteſt fieri ſacrificium, illud celebrare extra locum ſacrum in Altari portatili ad communicandum infirmum iam morti proximum, vel fortè etiam in priuato Oratorio, vbi ex indulto Pontificis vna tantum Miſſa celebrari poteſt, quando iam iſta eſt in eodem celebrata. Arbitrarer vtique poſſe, quia tota ratio, ob quam non liceret taliter celebrare, eſſet, quia cederet in irreuerentiam Sacramenti, propter quam rationem diximus non licere etiam ob eum finem celebrare ſine ſacris veſtibus, ſed hæc ratio non vrget, quandoquidem non conſideratur irreuerentia impeditiua in magno populi concurſu, vt mox dicebamus, ergo neque vrgebit, quominus poſſit hoc fieri vrgente neceſſitate communicandi infirmum in articulo mortis conſtitutum. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod indigentia populi confluentis vtpotè communis præualere debeat indigentiæ priuatæ, adeoque, quod in ordine ad illam poſſit fieri huiuſmodi celebratio, non in ordine ad iſtam. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia fortior ratio iuris Diuini videtur iſti aſſiſtere, quam illi, qui ſolum tenetur de iure Eccleſiaſtico. Deindè ad rem noſtram ſic argumentor, Non, licet ob reuerentiam debitam Sacramento celebrare ſine ſacris veſtibus, nec ad conſulendum populo affluenti indigenti Miſſa in die feſto, nec ad communicandum infirmum in articulo mortis conſtitutum, & tamen licitum eſt celebrare extra Eccleſiam in Altari portatili ad conſulendum populo affluenti in die feſto, nec intelligitur per hoc irrogari irreuerentia Sacramento, ergo etiam licitum erit in eodem Altari portatili celebrare ad communicandum infirmum, nec talis irreuerentia irrogabitur; non enim tollit irreuerentiam, ſi quæ adeſſet, concurſus populi.

5 *Etiam extra tẽpus poteſt celebrari ob prędictas cauſas.*

Si verò deficiat tempus præſcriptum à iure ad celebrandum, quod iuxta ſuperius dicta eſt ab aurora ad meridiem; tunc etiam dicerem, quod exiſtentibus omnibus alijs ad hoc requiſitis poſſet non attendi ille defectus temporis, ſed Miſſa celebrari in caſu affluentis copiæ populorum, & communicandi infirmum in articulo mortis conſtitutum, potiſſimum ceſſante ſcandalo. Dixi, *exiſtentibus alijs omnibus ad hoc requiſitis*, hoc eſt ieiunio, & diſpoſitionibus ex parte celebrantis, alijſque, de quibus in proceſſu harum quæſtionum. Ratio ex eo deducitur, quod notat *Gloſa in cap. fin. de priuil. in 6.* quam Gloſam teſtatur *Suarez diſp.* 80. *art.* 4. *verſ. ſecunda exceptio eſſe poteſt*, eſſe communitèr receptam, nempè eſſe eandem rationem de loco, ac de tempore; ſi ergo ex prædictis cauſis poteſt Miſſa celebrari extra locum ſacrum, & ad hoc munus deputatum, poterit etiam ex eiſdem celebrari extra tempus præfinitum. Atque iuxta hanc opinionem procedunt etiam *Nauarrus in manuali cap.* 25. *num.* 85., *Henriquez lib.* 9. *de Miſſa cap.* 24. *num.* 5., *Fagundez de Eccleſ. præcept. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 15. Monerem tamen, ne hoc fieret hora nimis intempeſtiua, ne detur occaſio ſcandali ob præſumptionem, quod celebrans non eſſet ieiunus &c.

Si defectus fuerit ex parte Sacerdotis celebraturi; tunc vide, quæ latè dicta ſunt *quæſt.* 3. *art.* 6., 7., & 8., non enim vacat ea hic repetere, cum ex ibi dictis poſſit colligi, quando ratione ipſorum teneatur Sacerdos Miſſam omittere, & quando non.

Proſequendo iam hanc materiam quoad defectus non remouibiles tangentes non ipſam eſſentiam, ſeu ſubſtantiam ſacrificij, ſed quodamodo verſantes circa ipſam difficultas reducitur, vel quando apud Latinos non adeſt quoad materiam Corporis, niſi panis fermentatus, vel, ſi adſit azimus, non eſt iuxta formam conſuetam Eccleſiæ, puta non Hoſtia integra, ſed dimminuta, vel ſolum particula, vel, ſi non totalitèr corrupta, ſit tamen aliqualitèr alterata, vel proxima corruptioni, vel ſit confecta ex aqua roſacea, vel alterius diſtillationis; quoad materiam Sanguinis, vel quando vinum non eſt, niſi quod cæpit aceſcere, vel quando non eſt, niſi multum de vuis tunc expreſſum, vel quando non adeſt aqua, quæ poſſit miſceri, vel tantum aqua roſacea, vel alterius diſtillationis. In his omnibus caſibus quęritur, an potius ſit omittenda Miſſa, quam celebrandum cum huiuſmodi defectibus, an verò eiſdem non obſtantibus poſſit Miſſa celebrari. In his omnibus caſibus excepto illo, quo adeſſet ſolummodò particula, cæteroqui apta, ſentio potius Miſſam omittendam eſſe, quam celebrandum cum illis defectibus etiam vrgente neceſſitate communicandi infirmum, vel ne populus in die feſto careat Miſſæ ſacrificio. Per ſingulas partes hoc commune, ſeu vniuerſale dictum reſoluo.

Quoad panem fermentatum ex eo euincitur, quod Latinis ſtricto iure vetitum eſt, celebrare in fermentato, vt colligitur *ex Concil. Flor. in literis vnionis*, & ex motu proprio Pij V. *incipiente Prouidentia Romani Pontificis edito anno* 1566. adeout nequeat in eodem celebrare ex neceſſitate miniſtrandi Viaticum, nec celebrandi, 6

Exiſtente ſolũ pane fermentato apud Latinos Miſſa eſt omittẽda

brandi, vt populus ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum in die feſto. *Suarez diſp. 44. ſect. 3. §. vnum vero, Vaſquez diſp. 174. cap. 4. num. 38., Amicus diſp. 16. num. 25., Gonetus diſp. 3. num. 16., Madernus qu. 2. art. 1. num. 18., Cacheranus tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacram. cap. 2. §. 2. n. 38.* Ratio ex eo deducitur, quia ſumptio Viatici inſtante morte, & auditio ſacri in die feſto non ſunt neceſſaria neceſſitate medij, &, licet ſint neceſſaria neceſſitate præcepti, hoc tamen eſt affirmatiuum, quod non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed cum debitis circunſtantijs, & ſeruatis ijs, quæ requiruntur.

7 Poteſt tamen Latinus cõſecrare in fermentato ad complendum ſacrificium, & quãdo.

Ex occaſione oritur hic difficultas, an ſaltem Sacerdos Latinus poſſit conſecrare in fermẽtato ad integrandum ſacrificium; quod, cæteroqui remaneret imperfectum. Hoc contingeret, quando Sacerdos conſecraret quidem in azimo, & poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei agnoſceret panem conſecratum non eſſe ex tritico, vel corruptum, & non adeſſet alius azimus, quo poſſet fieri iterata conſecratio. Sentiendum eſt in hac hypotheſi vtique poſſe. *Amicus d. diſp. 16., Gonetus, Madernus, & Cacheranus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia neceſſitas integrandi ſubſtantialitèr ſacrificium eſt maxima, vt præualeat cuicunque præcepto, adeo vt ceſſet præceptum ieiunij, & diſpoſitionis requiſitæ, ſiue ex parte Animæ, ſiue ex parte Corporis, ergo etiam præualere debet præcepto celebrandi in azimo. Adde, quod tota ratio, ob quam ſtatuunt DD. ſeruanda eſſe præcepta in confectione huius ſacrificij, eo tendit, vt ſeruetur reuerentia eidem, & Sacramento debita; minus autem ſeruaretur reuerentia debita ſacrificio relinquendo ipſum mutilum, & imperfectum, quam ipſum conficiendo in fermentato, vt per ſe patet.

8 Eſt omittenda quando hoſtia eſt proxima corruptioni.

Quoad Hoſtiam non totalitèr corruptam, ſed quoquo modo alteratam, & proximam corruptioni ex eo euincitur, quod conſecratio in tali materia redoleret in indecentiam, & irreuerentiam Sacramenti & exponeretur periculo inualidæ conſecrationis, & corruptionis ante ſumptionem. In hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. quæſt. 74. art. 3. ad quartum, Gauantus part. 3. de defectu panis tit. 3.* Adde, quod rubrica Miſſalis *ſub tit. de defect.* pariformitèr procedit de pane, quod incipit corrumpi, ac de pane fermentato in Eccleſia Latina, vbi eodem modo ſubijcit graui noxæ conſecrantem in illo, ac in iſto, ex quo ego infero, quod, ſicuti non licet etiam ex cauſa neceſſitatis communicandi infirmum per modum Viatici, & celebrandi coram populo, ne deficiat ab audiendo ſacro in die feſto, conſecrare in fermentato reſpectu Sacerdotis Latini, ita nec ex eadem cauſa liceat conſecrare in pane alterato, & incipiente corrumpi.

Quoad panem compactum ex aqua roſacea, vel alterius diſtillationis ex eo euincitur, quod maximum ſit dubium, an in tali pane validè conficiatur Sacramentum negante *D. Thoma tertia part. quæſt. 74. art. 7. ad tertium*, affirmante verò *Caietano ibidem*; in materia autem dubia, nullo modo licitum eſt celebrare. Deindè dato etiam, quod valide in eadem poſſet confici Sacramentum, denegari tamen non poteſt, quod hoc cederet in irreuerentiam eiuſdem Sacramenti; &, ſi in veteri lege vetebatur, offerri ſacrificia in agnis cum macula, quanto magis vetitum cenſendum eſt offerre ſacrificium immaculati agni in pane alterato, & aqua vetita compacto. Et, ſi ob reuerentiam debitam Sacramento non eſt licitum, neque in caſu præcitatarum neceſſitatum ſacrificium offerre ſine ſacris veſtibus, & non ſeruato ieiunio, quanto minus licitum erit offerre in pane alterato, & contra præſcriptum Eccleſiæ? 9 Itẽ quando eſt aqua roſacea cõpacta.

Quoad vinum incipiens aceſcere ex eiſdem rationibus euincitur, quibus mox probatum eſt non licere conficere in pane incipiente corrumpi; tum ob irreuerentiam Sacramenti; tum ob periculum ſecuturæ corruptionis. Propter eandem rationem ſentiendum eſt, potius omittendum eſſe ſacrum, quam conficiendum in muſto de vuis recentèr, ſeu tunc expreſſo, quod rectè notauit *Suarez in tertia part. qu. 45. ſect. 1. verſ. tertio ſequitur*, vbi, quamuis aſſerat, tale muſtum eſſe materiam ſufficientem, & validam ad conſecrationem, aſſerit tamen, peccatum eſſe in illo conficere, & quidem ex genere ſuo graue, tum propter Eccleſiæ conſuetudinem, tum propter indecentiam, & irreuerentiam Sacramenti, quod optime conſiderauit *D. Thomas quæſt. 74. art. 5. in fine.* 10 Itẽ quando vinum incipit aceſcere.

Quoad aquam verò deficientem ex omni iure euincitur, non poſſe licitè fieri conſecrationem in vino, quod non ſit illa commixtum; vndè *D. Thomas quæſt. 74. art. 6. in corpore*, aſſerit, quod Chriſtus Dominus, hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, & ad hoc refert plures Pontificum ordinationes. Deindè in hoc ſacrificio debet haberi plena ſignificatio myſteriorum Paſſionis Chriſti, quæ nullo modo haberetur ſine commixtione aquæ cum vino; ſic primo ſignificatur effuſio Sanguinis cum aqua è latere Chriſti; Secundò, vt habetur *in cap. cum omne crimen de conſecrat. diſtinct. 2.* aqua populum ſignificat, vinum Sanguinem Chriſti, & 11 Itẽ quando deficit aqua.

ſic cum in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; vndè, ſi tantum quis offerat vinum, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto; Hæ autem ſignificationes deficerent, ſi aqua vino non miſceretur.

12 Itē quando eſſet ſolū aqua roſacea.

Quoad aquam roſaceam, vel alterius diſtillationis etiam ex eo euincitur, quod deficeret in vera ſignificatione, quia de latere Chriſti pendentis è Cruce aqua vera profluxit, non artificialis. Deindè eſt præceptum negatiuum de non miſcendo aliquo in materia Sacramentorum, vt notat *Gauantus part. 3. tit. 4.* præter Chriſti inſtitutionem, & conſuetudinem Eccleſiæ, quod præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper.

13 Vrgente neceſſitate poteſt fieri conſecratio in Hoſtia parua.

Dixi, *excepto illo, quo adeſſet ſolummodò particula cæteroqui apta*, non enim poſſum acquieſcere, quod, ſi tantum adeſſent particulæ exiguæ, prout conferri ſolent in communione laicorum, non poſſet in illis maximè vrgente aliqua neceſſitate confici ſacrificium; non enim video aliquod ius præſcribens determinatam quantitatem in Hoſtia conſecrabili in ſacrificio, & conſuetudo, quæ modo viget, vt Hoſtia pro ſacrificio offerenda ſit grandioris figuræ, non eſt tanti roboris, vt præualere debeat neceſſitati alicui ſacrificandi. Cautè tamen in hoc procederem ceſſante neceſſitate, ne ingereretur admiratio in populo propter contrariam conſuetudinem.

14 Quandonam potiſſimum debeat omitti Miſſa, quando præcaueri nō poſſūt defectus circa cæremonialia.

Concludendo tandem quoad cæremonias non verſantes immediatè circa eſſentialia ſacrificij, ſed conſiſtentes, vel in precibus, vel in actionibus, vix videtur poſſe contingere caſus, quo defectibus circa illa non poſſit occurri, ob quos Miſſa debeat potius omitti, quam illos admitti, niſi fortè Sacerdos ob imperitiam rationabilitèr timeat vix poſſe ſacrificium perficere ſine commiſſione defectuum, & omiſſione, in quo caſu, vel debet abſtinere, vel aſſiſtentem peritum exigere, donec ipſe peritus reddatur. Cæterum ſuppoſito, quod poſſint contingere, ita vt illis obuiari nequeat, certum eſt, quod, ſi illorum defectus ex genere ſuo inuoluant culpam lethalem, vel venialem, ſic potius Miſſa omittenda, quam illi committendi, quia nunquam licitum eſt peccare, ſiue læthalitèr, ſiue venialitèr etiam ad bonum aliquod conſequendum, cum non ſint facienda mala, vt obueniant bona. Quamobrem difficultas ſolummodò ad hoc reducitur, an exiſtente aliqua neceſſitate celebrandi, quando videtur defectui alicui non poſſe occurri, ceſſet præceptum, & per conſequens peccatū, & propterea licitè celebrari poſſit Miſſa non obſtante morali certitudine incurſus illorum defectuum. In vniuerſum diceremus, quod, ſi defectus, qui prævidetur futurus, & non remouibilis ſit grauis, vel propter grauem ſignificationem, ob quam illa cæremonia eſt inducta, vel propter notabilem materiam, præſumendum ſit, quod non ceſſet præceptum, adeoque potius debeat Miſſa omitti, quam defectus ille committi; non enim credendum eſt, quod Eccleſia auctrix illorum rituum, ſeu cæremoniarum, quos, ſeu quas grauitèr præcipit, velit ſacrificium cum notabili, & graui illo defectu; ſi verò defectus ille ſit leuis, & modicus non præſumendum eſt, quod Eccleſia velit obligare cum tanto detrimento, quod prouenire poteſt ex ſacrificio maximè ſtante aliqua neceſſitate, &, quod ille defectus eſſet potius naturalis, quam voluntarius.

QVÆSTIO XI.

De obligationibus Sacerdotum circa Miſſas.

Ex multis capitibus oriri poſſunt obligationes in Sacerdotibus celebrandi, & offerendi ſacrum, vel ſimplicitèr, vel relatiuè ad aliquas circunſtantias, quæ onera reduci poſſunt ad quinque potiſſimum capita, vel ex quinque capitibus prouenire; primò ratione loci. Secundò ratione temporis. Tertiò ratione ritus. Quartò ratione officij, ſeu beneficij. Quintò ratione ſtipendij. Rurſus alijs modis poſſunt Sacerdotes obligari ad Miſſam, vel ſimplicitèr recitandam, vel offerendam pro aliquo. Primò ex obedientia. Secundò ex charitate. Tertiò ex promiſſione ſimplici. Quartò ex voto. Quintò ex iuſtitia, vel ex pacto. De ijs omnibus latè, & accurratè agemus in hac eadem quæſtione ſedulò examinantes omnia, quæ ad recenſita capita poſſunt pertinere.

AR

ARTICVLVS I.

De obligationibus, quæ conſurgunt ratione loci.

SVMMARIVM.

Articuli pertinentes ad hunc titulum. 1.
Sacerdos, qui non celebrat in Altari, in quo tenetur, vel ex teſtamento, vel ex pacto peccat lethalitèr. 2.
Et toties, quoties omitteret. 3.
Excipitur, quando Altare eſſet dirutum, & indigeret reparatione. 4.
Item quando Sacerdos detineretur infirmitate. 5.
Translato Altari Miſſa eſſet celebranda in eodem translato. 6.
Non celebrans in Altari conuento, ſed in alio non tenetur ad reſtitutionem. 7.
Peccat praciſè contra Religionem. 8.
Sacerdos obligatus quotidiè celebrare in determinato Altari, ſi omiſerit in eodem pro aliquo tempore celebrare, non tenetur Miſſas omiſſas in ipſo poſtea celebrare. 9.
Obligatus ſolum ad officiaturam in tali Altari, ſi non celebret ibi, tenetur reſtituere ſtipendium. 10.
Non valet ratio, quod non teneatur, quando alibi celebrauit, cum teneretur ad ſacrificium, & quare. 11.
Ab obligatione celebrandi in loco præſcripto eximitur pro tempore breuis infirmitatis. 12.
Pro quantonam tempore excuſetur ratione infirmitatis. 13.
Item excuſatur, quando abeſt ex iuſta cauſa de licentia Epiſcopi. 14.
Item quando ter, vel quatuor in anno alibi celebraret ex titulo pietatis ergo parentes, vel ex propria deuotione. 15.
Item, quando Altare eſt impeditum. 16.
In hoc caſu tamen teneretur alibi pro teſtatore celebrare; ſi teneretur ad ſacrificium pro ipſo. 17.
Pro die, qua poteſt à ſacrificio abſtineri titulo honeſtatis, ſi velit celebrare, tenetur in Altari præſcripto celebrare. 18.
Niſi ſpecialitèr fuerit electa qualitas perſonæ. 19.
Obligatus celebrare in Altari priuilegiato non ſatisfacit alibi celebrando cum numiſmate. 20.
Obligatus celebrare pro teſtatore in certo Altari, non tamen applicare pro eodem ſacrificium, non poteſt accipere ſtipem ab alio, vt alibi celebret. 21.
Poteſt tamen accipere, vt in eodem celebret. 22.

Non eſt hic ſermo de onere non celebrandi in loco vetito, & non ſacro, & non deputato ab Epiſcopo, vel habente poteſtatem deputandi, cum de his latè egerimus in præcedentibus, ſed de oneribus, quæ conſurgunt, vel ex teſtamento, vel ex obedientia, vel ex pacto celebrandi in aliquo certo, & determinato Altari ſacro, & ad hæc munera deputato; circa quæ inquiremus primò, an, ſi Sacerdos ex diſpoſitione teſtatoris obligetur in aliquo determinato Sacello quotidiè celebrare toties grauitèr peccet, quoties in eodem non celebrat; Secundò, an etiam teneatur ad reſtitutionem fructuum, ſeu ſtipendij, ſi in eodem non celebrat. Tertiò, an talis obligatio ita ſit ſtricta, vt nulla detur exceptio pro aliqua die, vel aliquot diebus in anno. Quartò, an pro diebus, quibus Capellani ob honeſtatem licitum, ſeu conceſſum eſt non celebrare, nempè ſemel in hebdomada, poſſit hic alibi à loco deſtinato celebrare licitè, & impunè. Quintò, an Sacerdos obligatus 1
celebrare in aliquo determinato Altari, poſſit per alium ibi ſupplere, & ipſe alibi celebrare. Sextò, an ex conuentione, ſeu pacto, ſiue ex teſtamento obligatus celebrare in Altari priuilegiato, poſſit in Altari non priuilegiato celebrare adhibito numiſmate, quo ex conceſſione Pontificis poteſt Anima à purgatorio liberari. Septimò, an obligatus celebrare in certo Altari abſque onere applicationis ſacrificij poſſit celebrans in eodem accipere ab alio ſtipendium, vt illi applicet ſacrificium ſibi liberum, & alia huiuſmodi.

Dubia examinanda circa titulum.

2
Aſſertio I. Sacerdos ex diſpoſitione teſtatoris, vel ex pacto obligatus celebrare in certo, & determinato Altari regularitèr læthalitèr peccat, ſi ibi non celebret. In hoc communitèr conſentiunt DD.; ex Iuriſtis *Baldus in l. ſi quis ad declinandum in fin. C. de Epiſcop., & Cler., Stephanus Gratianus diſcept. for. cap. 37. num. 4., Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſtate Epiſc. allegat. 24. num. 33. tom. 2., Ceuallos in ſuis practic. quæſt. commun. contra communes quæſt. 686. nu. 6.* Ex iuris Canon. interpret. *Abbas, & Immola in cap. ſignificatum de Prebend.* ex Theologis *Lambertinus de iure patron. lib. 3. q. 6. art. 6., Azorius inſtitut. moralium tom. 1. lib. 10. cap. 14. quæſt. 8., Petrus Cenedo de quæſt. can. quæſt. 38. num. 6.* Ex Summiſtis *Silueſter verb. Miſſa 1. quæſt. 10. ad fin, Nauarrus in manual. cap. 25. n. 134. verſ. Sacellaris.* Ex noſtris *Homobonus de exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 13. quæſt. 123., Moneta de commut. vltim. volunt. cap. 5. quæſt. 11. concl. 10. num. 394., & c. 10. quæſt. 5. concl. 4. num. 242., Gauantus* com-

Non celebrans in Altari, in quo tenetur, peccat lethalitèr.

comment. in rubr. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 7., *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 24. num. 1.*

3 Et toties, quoties omitteret

Ratio ex eo deducitur, quod Sacerdos, qui onus acceptauit, vel ex vi teſtamenti, vel pacti celebrandi in aliquo determinato Altari non ſolum peccat contra mentem Teſtatoris, vel eius, verſus quam ſe obligauit ex pacto, ſed etiam contra cultum, vel Deo, vel ſanctis debitum in tali Altari, & quidem in re graui, qualis eſt omiſſio ſacrificij in tali loco, ergo non eſt, cur non grauitèr peccet. Sed; an toties peccaret, quoties omitteret; affirmatiuè ſentiendum eſt, quandoquidem, licet vna ſit diſpoſitio Teſtatoris, & vnicum pactum, ratione tamen materiæ, ſupra quam cadit eadem diſpoſitio, ſeu pactum, virtualitèr multiplicatur ad multiplicationem dierum, pro quibus ſacrificium eſt offerendum, ea proportionali ratione, qua præceptum ſeruandi ieiunium in Quadrageſima, & præceptum reſpectu initiatorum ſacris ordinibus recitandi Diuinum Officium eſt vnum, & tamen virtualitèr multiplicatur relatiuè ad ſingulos dies ergo, ſicuti, qui omittit ieiunium in Quadrageſima, & Officium Diuinum, toties peccat, quoties omittit, ita, qui omitteret celebrare in tali Altari toties peccaret grauitèr, quoties omitteret.

4 Niſi Altare eſſet dirutum.

Dixi, *regularitèr*, non enim negauerim, quandoque omittendo celebrare in tali Altari; non peccare læthalitèr. Primò, quando tale Altare eſſet quoquo modo dirutum, vt indigeret reparatione, in qua plures dies inſumerentur; talis etenim omiſſio eſt ex impedimento neceſſario. Secundò, in caſu, quo Sacerdos detineretur infirmitate, vel alio iuſto impedimento.

5 Vel niſi Sacerdos obligatus detineretur infirmitate.

Sed, an, tunc teneatur per alium ſupplere, dicam infra. Tertiò, in caſu, quo Eccleſia, Capella, ſeu Altare, in quibus ex Teſtamento, vel pacto deberet celebrare, eſſēt in alium locum translata. Ratio eſt, quia non eſſet amplius in poteſtate Sacerdotis ibi celebrare. Sed, an, tunc teneretur celebrare in Eccleſia, Capella, ſeu Altari translatis, probabilius crederem, teneri, quia locus translatus ſuccedit in omnibus iuribus ad locum, à quo facta fuit translatio per textum *in cap. & hoc diximus 16. quæſt. 6.*

6 Translato Altari in eodem eſſet celebrandum

Accedit, quod, ſi teſtator diſpoſuerit in ſuis ædibus Eccleſiam conſtrui, & ibi quotidiè Miſſam celebrari, & ædes illæ permutentur, poſſit in ædibus permutatis Eccleſia conſtrui, & ibi celebrari *Burſatus conſ. 26. num. 3. lib. 1.*, *Socin. Iun. conſ. 162. num. 22.*, *& 26. lib. 2.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. cap. 133. n. 9.*

Aſſertio II. Probabilius non celebrans in Altari conuento, vel ex pacto, vel ex Teſtamento, quamuis peccet læthalitèr, non tamen, regularitèr loquendo, tenetur ad reſtitutionem pro tali omiſſione; Conſentiunt *Poſſeuinus de offic. Cur. c. 2. n. 25.*, *Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. concl. 5. §. 3.*, *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſc. allegat. 24. num. 36. tom. 2.*, *Bonacina de Sacram. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 7. §. 4. num. 5.* *Ex noſtris Gauantus in theſaur. ſacror. rituum tom. 1. part. 3. tit. 12. de alijs obligat. Sacerd. circa Miſſam*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſ. part. 2. cap. 24. num. 7.* Quidquid ex aduerſo dixerint *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. c. 24. qu. 8.*, *Stephanus Fagundez de quinque Eccl. præcept. lib. 3. c. 9. n. 2.* 7

7 Non celebrans in Altari conuento non tenetur ad aliquā reſtitutionem.

Ratio ex eo deducitur, quod id, quod intendit principalitèr teſtator, ſeu paciſcens, eſt fructus ſacrificij pro ſe, & minùs principalitèr, & quodamodo acceſſoriè cultus Dei, vel Sanctorum in tali loco; fructum autem ſacrificij conſequitur, ſiue Sacerdos in illo, ſiue in alio loco celebret, & ſolum, ſi alibi celebret, ceſſat cultus in tali loco; omiſſio autem huiuſmodi cultus, cum ſit ſolummodò contra virtutem Religionis, non contra iuſtitiam, non eſt obnoxia reſtitutioni. Neque dicas, non eſſe præcisè contra Religionem, ſed contra voluntatem teſtatoris, ſeu paciſcentis volentis cultum in tali determinato loco; contra enim impugnaberis, quia voluntas teſtatoris, ſeu paciſcentis terminatur in actum Religionis, qui non obligat ad reſtitutionem, &, ſicuti, ſi Eccleſia præciperet aliquem actum ad Religionem pertinentem, ex omiſſione illius ad aliquam reſtitutionem non obligaret, ita &c. Neque vrgeas, voluntas teſtatoris, ſeu paciſcentis nō eſt ſimplex voluntas præcipiens, ſed voluntas coniuncta cum proportionato ſtipendio, quod erogatur non ſolum pro applicatione ſacrificij, ſed etiam pro celebratione in tali loco, adeoque, quod, quamuis non obliget ex iuſtitia, quatenus ſimplex voluntas eſt, obliget tamen ex eadem, prout eſt coniuncta cum tali ſtipendio; contra enim adhuc impugnaberis, quia tale ſtipendium datur in cōgruam ſuſtentationem Sacerdotis cum onere applicandi ſacrificium, in quo caſu læditur iuſtitia, in quantum læditur, & præiudicium infertur teſtatori, ſeu paciſcenti; hoc autem inferretur quidem eiſdem, ſi ſacrificium pro eiſdem non offerretur, quatenus priuarentur fructu eiuſdem, non quatenus offerretur in alio loco, quia tunc ipſi non paterentur aliquod præiudicium, ſed dumtaxat cultus Dei.

8 Peccat præcisè contra Religionem.

Hinc deduces, quod, ſi Sacerdos obligatus celebrare in aliquo determinato Sacello

9 Non tenetur Miſſas omiſſas in eodem celebrare

cello omiſerit pro aliquo tempore in eodem celebrare, non teneatur poſtea omiſſas in eodem Miſſas ſupplere prout ſtatuunt præcitati omnes DD. pro noſtra aſſertione, quod non ſolum euincitur ex allegatis rationibus, ſed etiam ex eo, quod illud ſupplementum non cederet in adimplementum voluntatis teſtatoris, quæ fuit, vt ſingulis diebus exhiberetur Deo, vel ſanctis cultus in illo determinato loco, qui cultus per illud ſupplementum pro alijs diebus non haberetur, cum non tolleretur, quin pro diebus, quibus Miſſa omiſſa fuit in tali loco, non habitus fuerit cultus in eodem loco.

Sed quid erit dicendum, ſi Sacerdos obligatus quotidiè celebrare in tali Altari teneretur ſimpliciter ad celebrandum in tali loco accepto pro hoc præcisè ſtipendio, non autem ad applicandum ſacrificium pro teſtatore? An hac in hypotheſi, ſi non celebraret in tali loco, teneretur ad reſtitutionem ſtipendij indè accepti. Ratio dubitandi ex vna parte indè conſurgit, quod illud ſtipendium erogatur præcisè pro onere celebrandi in tali loco; vndè deficiens non ſolum peccat contra fidelitatem ex voluntate læſa teſtatoris, ſed etiam contra iuſtitiam ob vſurpatum ſtipendium pro opere, quod non adimpleuit, qua ratione eſt iniuſta acceptio reſpectu ipſius Sacerdotis; ex alia parte, cum in hoc etiam non inferratur præiudiciū ipſi teſtatori, ſed tantum cultui Diuino, non videtur conſurgere aliqua obligatio ex iuſtitia. In hoc ſentiendum arbitror, abſolutè teneri ad reſtitutionem. Rationem ex eo deduco, quod non ſolum læditur iuſtitia ex eo, quod quis non habeat, quod habere debet, ſed etiam ex eo, quod habeat, quod habere non debet. In hac autem hypotheſi talis Sacerdos haberet, quod habere non deberet, cum defecerit ab opere, ob quod habere deberet, ergo non erit, cur illud non deberet reſtituere. Neque obſtat, quod pro parte aduerſa affertur, quod nullum præiudicium inferatur ipſi teſtatori, ſed tantum cultui Diuino, adeoque nullum ſit onus reſtitutionis. Non obſtat, inquam, quia, ſi non priuatur aliquo fructu, priuatur tamen ſtipendio, quod retinet ſtipendiatus ſine iure retinendi, quod ſtipendium, cum non ſit eidem debitum, debet expendi iuxta voluntatem præſumptam eiuſdem teſtatoris, ſcilicet in pauperum vſus, vel in cauſas pias. Deindè, licet non priuetur fructu teſtator, ipſe tamen Sacerdos habet, quod nullo titulo eidem debetur; &, ſicuti venditor beneficij, tenetur pretium receptum reſtituere, quia illud ſine aliquo iure acquiſiuit, ita Sacerdos, qui pretium recepit pro

10 Obligatus ſolum ad celebrandum in tali Altari, & nō ad applicandū ſacrificiū, ſi ibi non celebrat non facit ſuum ſtipendium

Miſſa non celebrata in loco, in quo tenebatur celebrare, tenebitur illud reſtituere.

11 Diſpar ratio, quando alibi celebrauit, quando tenebatur, & ad officiaturam, & ad ſacrificiū.

Dices pro omiſſione celebrationis in loco conuento ex ſuperius dictis, quando eſt cum onere applicationis ſacrificij pro teſtatore non tenetur Sacerdos obligatus ad aliquam reſtitutionem, nec pro rata omiſſionis celebrationis in tali loco, ſi alibi celebrauit pro eodem teſtatore, ergo, nec tenebitur ad aliquam reſtitutionem, ſi obligetur tantum ad celebrandum in tali loco ſine applicatione ſacrificij, ſi ibi non celebrauerit. Conſequentia probatur, quia, cum in caſu antecedentis ſtipendium erogetur pro vtroque munere applicationis, ſcilicet ſacrificij, & celebrationis in tali loco, nec aliquid ſit reſtituendum pro omiſſione celebrationis in loco, nec etiam ad ratam, nec aliquid videtur reſtituendum pro omiſſione celebrationis in loco, quando eſt ſimpliciter obligatio celebrandi in loco; quandoquidem ſumpto ſecundum ſe onere celebrandi in loco determinato, ſi hoc omittatur, vel ſubiacet oneri reſtitutionis, vel non; ſi ſubiacet, non minus obligabit ad ratam pro omiſſione, quando eſt annexum cum onere applicationis ſacrificij, ac ſimpliciter pro eadem omiſſione, quando non eſt annexum cum tali onere; ſi non ſubiacet in primo caſu, nec videtur ſubiacere in ſecundo. Sed contra, quia, quando obligatio celebrandi in tali loco eſt cum onere applicationis ſacrificij principale intentum eſt idem ſacrificium, vt ſibi applicetur, cui correſpondet ſtipendium, quod per applicationem acquiritur; omiſſio non celebrationis in loco eſt tantum quid acceſſorie intentum ad cultum Dei in tali loco, cui non correſpondet ſtipendium, cum hoc detur pro principali, nec per talem omiſſionem teſtator aliquo fructu priuatur; vndè in hoc caſu habet beneficiarius titulum retinendi ratione ſacrificij oblati pro teſtatore; in caſu autem, de quo loquimur nullum habet titulum, cum hic ſolum conſiſtat in tali celebratione in tali loco, in quo non celebrauit. Admonetem tamen, quod, ſi haberet determinatum ſtipendium pro applicatione ſacrificij, & determinatum pro celebratione in tali loco, & non celebraret in illo; deberet reſtituere id, quod correſponderet non celebrationi in loco, quod etiam dicendum videtur, ſi haberet pinguius ſtipendium, ac exigat conſueta celebratio, quia ille exceſſus præſumendus eſſet collatus ratione eiuſdem celebrationis in loco.

Aſſertio III. Obligatio Sacerdotis celebrandi in tali loco non eſt ita ſtricta, vt non admittat in aliquibus caſibus exceptionem.

Prima exceptio eſt, quando Sacerdos ali-

12 Eximitur ab hoc onere ob breuem infirmitatem.

aliqua breui infirmitate detinetur; tunc etenim, ſicuti non celebrando ſimpliciter non peccat, etiam ſi per alium non ſuppleat, vt tradunt *Riccius part. 1. reſol. 340. num. 5.*, *Hurtadus de Sacram. diſp. 4. difficult. 1.*, *Peirinus tom. 3. cap. 1. num. 24.*, ita non celebrando in tali loco non peccabit, etiamſi per alium non ſuppleat. Neque in hoc attendenda eſt illa diſtinctio, quam DD. aliqui circunferunt, quod, ſcilicet quando obligatio dirigitur ad Sacerdotem, poſſit omittere, nec teneatur per alium ſupplere; quando verò dirigitur ad locum, vt ſi dicatur, *celebrare quotidiè Miſſa in tali Altari*, ſi non poſſit per ſe, teneatur per alium ſupplere. Non, inquam, attendenda eſt, quandoquidem non eſt præſumendum, quod teſtator voluerit, vt in illo caſu breuis infirmitatis, quantumuis intentionem direxerit ad locum, Sacerdos teneretur erogato ſtipendio alium in ſui locum ſufficere, cum tunc ipſe magis indigeret. Si verò quęratur, ad quodnam tempus poſſit extendi illa deobligatio à celebrando, & ſupplendo per alium

13 Pro quonam tempore excuſatur ratione infirmitatis.

ratione infirmitatis? In hoc diſcordant DD., nam *Riccius loc. cit.* reſtringit tempus ad decem dies. Hurtadus extendit ad menſem. Peirinus ad bimeſtre. Prima ſententia nimis ſtricta eſt. Tertia nimis lata. Quamobrem ſecundæ adhærendum cenſeo. Hoc potiſſimum euincitur ex Concil. Mediol. Prouinciali ſeptimo tit. de Miſſis, vbi ſic dicitur. *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit ſuo munere celebrandi in aliquo loco, ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleemoſinam iudicio Epiſcopi accipere poteſt*; & in hoc etiam conſentiunt *Coaruuias lib. 3. variar. reſol. cap. 13.*, *Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 210.*, *Molfeſius in ſumma tract. 6. cap. 1. num. 79.*, *Fagundez de quinq. Eccl. præcept. lib. 3. c. 16. nu. 11.*, *Gauantus in rubr. Miſſal. part. 3. tit. 12. n. 18.*, *Rodriquez in ſumma cap. 252. concl. 3.*, & *alij magis communiter*.

14 Etiam excuſatur quando abeſt ex iuſta cauſa de licentia Epiſcopi.

Secunda exceptio eſt, quando Sacerdos ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa de licentia, & conſenſu Epiſcopi abeſt à tali loco, puta ex cauſa ſtudiorum, vel vtilitatis propriæ Eccleſiæ *Henriquez in ſumma lib. 7. cap. 15. num. 2.*, *Graſſius deciſ. aur. part. 1. lib. 2. cap. 53. num. 11.*, *Moneta de commut. vlt. vol. cap. 5. quæſt. 11. n. 368.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 24. num. 5.*, *Homobonus de exam. Eccl. tract. 4. cap. 13. quæſt. 123.*; atque iuxta hunc ſenſum procedit Concilium Mediol. Prouinciale IV. ſub tit. de his, quæ pertinent ad Miſſæ ſacrificium. Ibi *Quicunque Sacerdos in Altari certo celebrare debet, ſi in alio celebrauit, non, quod debet, præſtitus cenſeatur, niſi Epiſcopi, alteriuſue, cui ille commiſerit, conſenſu, permiſſuque illud fecerit.*

15 Item quando bis, vel ter in anno celebrat alibi ex propria deuotione.

Tertia exceptio eſt, quando ter, vel quatuor in anno in Altari alio celebrat, vel ex titulo pietatis erga parentes, vel ad priuatam propriam deuotionem erga Deiparam, vel alium Sanctum. Ratio eſt, quia non eſt præſumptio, quod teſtator in hac hypotheſi, ſi viueret, repugnaret; &, ſicuti communiter DD. aſſerunt, quod obligatus celebrare pro teſtatore quotidiè, non peccat, ſi ter, vel quater pro ſe ipſo celebrat, vel pro alio ſibi coniuncto ingruente aliqua neceſſitate, vt notat *Naldus in verb. Miſſa num. 6.*, ità aſſerendum videtur, quod obligatus celebrare quotidiè in tali loco non peccet, ſi ter, vel quater in anno celebret pro ſe, vel pro alio ſibi coniuncto in alio loco ſic exigente titulo pietatis, vel alicuius neceſſitatis.

16 Item quando Altare eſt impeditũ.

Quarta exceptio eſt, ſi pro aliquo die, vel diebus adſit impedimentum celebrandi in Altari, vel Eccleſia deſignata; & in hoc nullum arbitror diſſentiri. Sed, an in hac hypotheſi teneatur alibi pro teſtatore celebrare? *Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 2. de quiddit. vtil., & effect. Miſs. cap. 14. num. 9.*, aſſerit, quod, ſi teſtator intenderit principalius in ſua diſpoſitione venerationem loci, non teneatur Sacerdos alibi celebrare, quia ceſſante fine principali ob impedimentum, diſpoſitio ceſſat; ſi verò intenderit principalius ſatisfactionem pro ſuis peccatis, non ceſſet diſpoſitio, adeoque teneatur alibi celebrare, & ad hoc allegat *Galletum in margar. caſ. conſcientiæ verb. Miſſa nu. 2.*, *Barboſam de offic., & poteſt. Epiſcop. alleg. 24. tom. 2. num. 35. ad fin.* In hac hypotheſi, ſi teſtator vtrumque intenderit, ſcilicet venerationem loci, & ſatisfactionem pro ſuis peccatis, licet primum intentione principali, ſecundum intentione minus principali, abſolutè ſentiendum eſt, teneri alibi celebrare.

17 In hoc tamen caſu teneretur alibi pro teſtatore celebrare

In hoc conſentiunt *Emanuel Sà verb. Miſſa num. 47.*, *Moneta de commut. vltim. vol. cap. 10. quæſt. 5. num. 242.*, *Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 4. num. 3.*, nec videtur in hoc hæſitandum, quia, licet teſtator intenderit principalius venerationem loci, denegari tamen non poteſt, quin intenderit etiam ſatisfactionem pro ſuis peccatis, quam vtique conſequi poteſt per celebrationem factam in alio loco; præſumendum autem eſt, quod, quando non poſſit vtrumque conſequi, voluerit tamen id, quod conſequi poteſt, nempè ſatisfactionem propriorum peccatorum, quæ habetur per ſacrificium ſimpliciter; ſi verò ſupponamus, quod præcisè intenderit venerationem loci;

tunc

tunc etiam communitèr ſtatuunt, debere in alio loco celebrare, quia melius eſt alibi, quam nullibi celebrare. Sed in hoc non improbabilem arbitror opinionem Marchini; nam, licet melius ſit alibi, quam nullibi celebrare, obligatio tamen eſt affixa tali loco, quæ ceſſare videtur exiſtente impedimento ad ibi celebrandum.

18 Volens celebrare in die, qua poteſt abſtinere tenetur ibi celebrare.

Aſſertio IV. Obligatus, vel ex teſtamento ad celebrandum quotidiè in determinato Altari, cui ex honeſtate conceditur poſſe ſemel in hebdomada abſtinere à ſacrificio, non poteſt, ſi velit ea die ex hoc capite alibi celebrare, ſed tenetur celebrare in loco, in quo ex vi teſtamenti obligatur. Dixi, *ex hoc capite*; nam non negauerim iuxta ſuperius dicta, poſſe aliquando alibi celebrare, vel pro ſe, vel pro coniunctis exiſtente aliquo titulo, vel pietatis, vel neceſſitatis.

Probatur aſſertio; obligatus ſimplicitèr ad celebrandum quotidiè pro teſtatore, vel pro alio, quamuis ex honeſtate poteſtatem habeat omittendi ſacrificium ſemel in hebdomada, ſi tamen pro illa die, qua poteſt omittere, velit celebrare, tenetur idem celebrare iuxta mentem teſtatoris *Riccius in praxi fori Eccl. deciſ. 413., Franxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. §. 3., Bonacina de Sacram. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 7. num. 16., Naldus verb. Miſſa num. 6., Homobonus de examin. Eccl. tract. 4. cap. 13. quæſt. 124. in fin., Gauantus in rub. Miſſalis part. 3. tit. 12. nu. 17., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 23. nu. 9.*, vbi refert *Sinodum Mediol. III. decret. 23.*, quod expreſsè loquitur in terminis noſtræ aſſertionis, & ratio eſt manifeſta, quia conceſſio abſtinendi eſt ex fine præciſo honeſtatis, vt habetur *in cap. quotidiè de conſecrat. diſtinct. 1.*, & tradunt *Panormitanus, & Immola in cap. ſignificatum de praben., & in cap. conſuluit de celebrat. Miſs.*, quoties autem ceſſat ille finis per determinationem celebrandi, immediatè viget onus celebrandi pro teſtatore; ex quibus infero, ergo etiam obligatus ad celebrandum quotidiè in tali determinato loco, quamuis ex honeſtate poſſit omittere celebrationem ſemel in hebdomada, ſi tamen ſtatuat celebrare, tenebitur in tali loco celebrare. Conſequentia probatur, quia ideò in caſu antecedentis tenetur celebrare pro teſtatore, & ad mentem ipſius, quia ceſſante motiuo honeſtatis onus celebrandi ſimplicitèr pro eodem plenè reuiuiſcit, ſed etiam in caſu conſequentiæ ceſſat illud motiuum honeſtatis non celebrandi in tali loco, ergo hoc plenè reuiuiſcit, adeoque &c.

Aſſertio V. Obligatus ex teſtamento celebrare in determinato Altari ſimplicitèr poteſt onus illud per alium ſupplere, niſi expreſsè conſtet, fuiſſe ſpecialitèr electam bonitatem perſonæ, vel expreſsè dictum, quod teneatur per ſe ipſum, & non alitèr celebrare. In hanc conſentiunt magis communitèr *Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloſ. 5. num. 84., Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 1. n. 1., Moneta de commut. vlt. volunt. cap. 10. quæſt. 4. num. 156., & num. 161., Homobonus part. 1. tract. 4. cap. 13 quæſt. 122., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 24. num. 4.*; atque ita declaraſſe Sacram Congregat. teſtatur *Garzias de beneficijs part. 7. cap. 1. num. 87.*, & *Homobonus loc. cit.* refert aliam Sacræ Congregationis declarationem, qua aſſeritur, non poſſe Capellanum compelli ab Epiſcopo celebrare per ſe ipſum. Id ipſum reſoluit *Rota Romana in vna Capell. 23. Ianuarij 1599. coram Pamphilio, & in altera Lucana Capellania 12. Decembris 1593. coram Griptio.*

19 Obligatus celebrare in certo Altari poteſt ibi celebrare per alium.

Ratio ex eo deducitur, quod alter celebrando in tali loco, ſeu determinato Altari ex commiſſione Capellani electi præſtat totum id, quod præſtaret idem Capellanus, ſi ibi celebraret, nec in hoc teſtator in aliquo fraudatur, cum conſequatur fructum ſacrificij, & finem venerationis loci, ergo non eſt, cur per alium Capellanus celebrans non plenè ſatisfaciat ſuo oneri ex generali regula, qua dicitur, quod præſtans opus per alium per ſe ipſum præſtare videatur. Nec obſtare poteſt, quod ipſe ſit electus, & fortè etiam ordinatus ad titulum talis Capellaniæ; non, inquam, obſtare poteſt, quia ex tali electione, & ordinatione ſolum ſequitur, quod onus ipſius ſit, vt in tali loco, ſeu Altari fiat quotidiè ſacrificium in ſuffragium animæ teſtatoris, vel aliorum, pro quibus ipſe diſpoſuit, ſiue hoc fiat per ſe ipſum, ſiue per alium de commiſſione ipſius.

Ad hoc plurimum conferre poteſt, quod Capellania conferri poteſt puero etiam 14. annorum, dummodò ſit Clericus *Palaus tom. 2. tract. 13. diſp. 1. punct. 6. num. 18., Diana part. 2. tract. 14. reſol. 18., Homobonus de exam. Eccl. tract. 4. cap. 13 qu. 122., Gonzales ad reg. 8. Cancellariæ gloſ. 5. n. 84., Campanil. in diuerſ. iur. Canon. rub. 7. c. 6. num. 9.*; in quo caſu apparet onus adimplendum eſſe per alium.

Dixi, *niſi ſpecialitèr fuerit electa bonitas perſonæ, vel dictum fuerit, quod teneatur per ſe ipſum, & non alitèr*; nam, cum tunc expreſsè conſtet de voluntate teſtatoris, hæc eſt adamuſim adimplenda, vt notant communitèr Doctores ſignantèr *Marchinus, Homobonus loc. cit., & alij communitèr*,

20 Aſſertio VI. Obligatus, vel ex teſtamento, vel ex conuentione celebrare in Altari priuilegiato non ſatisfacit, ſi celebret in Altari non priuilegiato adhibito numiſmate, quo ex conceſſione Pontificis poteſt anima à purgatorio liberari. In hoc conſentiunt *Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 4. concl. 4 §. 9. num. 1.*, *Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quaſt. vltim. punct. 7. §. 4. num. 5. in fin.*, *Gauantus comment. in rubr. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 4.*, *Homobonus de examine Eccl. tract. 4. cap. 13. quaſt. 123.*, quidquid ex aduerſo dixerit *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſa part. 2. cap. 24. nu. 8.*

Obligatus celebrare in Altari priuilegiato non ſatisfacit alibi celebrando etiam cũ numiſmate.

Ratio ex eo deducitur, quod voluntas teſtatoris, ſeu paciſcentis eſt determinata ad Altare priuilegiatum, ergo eiuſdem voluntas eſt adimplenda in tali Altari, cum onus conducti ad aliquod opus ſit adimplendum iuxtà voluntatem expreſſam, & realem conducentis, & ipſe conducens poſſit velle ſatisfieri in opere ſecundum conuentam circunſtantiam, quæ magis eſt tuta, quam alia. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod celebrare cum numiſmate priuilegiato æquiualeat celebrare in Altari priuilegiato, cum idem effectus habeatur; Miſſa etenim ſecundum ſe eſt eiuſdem valoris, & priuilegium loci nihil magis confert, quam priuilegium numiſmatis, vtrumque etenim inductum eſt ad liberandam animam à pœnis purgantibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia (quidquid ſit, quod remedium liberationis animæ à pęnis purgantibus æquè tutum ſit, ſiue adhibeatur medio numiſmate priuilegiato, ſiue Altari priuilegiato, de quo dubitant DD. propter incertitudinem numiſmatis, an ſit benedictum) hoc certum eſt, quod, cum teſtator, ſeu paciſcens determinatè præſcripſerit Altare priuilegiatum, onus ſit in eodem adimplendum, quod multis rationibus potuit voluiſſe potius, quam cum numiſmate priuilegiato; primò, quia hic eſt modus magis receptus, & vſitatus in Eccleſia, propter quem modum fideles magis fidunt Altari, quam numiſmati. Secundò, quia priuilegium conceſſum Altari, cum ſit conceſſum loco, eſt quodamodo commune; priuilegium autem conceſſum numiſmati eſt quodamodo perſonale, licet applicabile pluribus iuxtà intentionem perſonæ, cui eſt conceſſum; poteſt autem teſtator, ſeu paciſcens magis fidere priuilegio communi, quam particulari, cum de Altari conſtare poſſit, non de numiſmate. Tertiò, quia magis excitatur pietas, & fidelium deuotio ex Altari priuilegiato, quam ex numiſmate. Propter has, & ſimiles rationes Sacra Congregatio pluriès hoc declarauit, vt videre eſt apud DD. in hac materia ſcribentes.

Aſſertio VII. Obligatus celebrare in certo loco ratione Capellaniæ, vel teſtamenti, vel pacti abſque onere applicationis ſacrificij non poteſt quidem eleemoſinam recipere, vt ſacrificium offerat pro tribuente eleemoſinam in alio loco; poteſt tamen recipere eleemoſinam, vt pro offerente eandem celebret in loco, in quo obligatur, vel ratione Capellaniæ, vel teſtamenti, vel pacti. Ab hac concluſione neminem arbitror quoad omnes partes diſſentiri, niſi *Gauantum in comment. Miſſal. tom. 1. part. 3. tit. 12. num. 5.*, qui aſſerit, quod obligatus celebrare in certo loco abſque applicatione ſacrificij ad Diuinum cultum tantum, ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, vt illi applicet ſacrificium ſibi liberum, & ad hoc allegat declarationem Sacræ Congregationis in decretis de celebratone Miſſarum in reſponſione ad quartum dubium. Sed Sacra Congregatio *loc. cit.*, ibi non loquitur de eo, qui non tenetur ad ſacrificium Miſſæ applicandum pro patrono Capellæ, vel pro teſtatore, ſed tantum ad celebrandum in tali loco ad Diuinum cultum, ſed de eo, qui abſolutè tenetur, & ibi celebrare, & ſacrificium applicare, qui certè non poteſt aliud ſtipendium accipere ab alio, vt pro ipſo alibi applicet, quinimmò, nec in eodem loco, cum non poſſit eodem ſacrificio duplici obligationi ſatisfacere; & iuxtà hunc ſenſum videtur etiam intelligendus Gauantus. 21

Obligatus celebrare in certo Altari non tamen applicare ſacrificiũ nõ poteſt accipere ſtipendium, vt alibi celebret.

Ratio primę partis ex eo deducitur, quod tenetur ex vi Capellaniæ, vel teſtamenti in tali determinato loco celebrare, ergo ratione eleemoſinæ ab alio attributæ nequit alibi celebrare, cum hoc cederet contra enixam voluntatem eiuſdem teſtatoris, quod ex ſuperius dictis eſt graue peccatum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ex eo, quod tantum obligetur in tali loco ratione præciſa cultus Diuini abſque obligatione applicationis ſacrificij, non tollitur, quin poſſit idem ſacrificium pro ſe, vel pro alio applicare; cum hæc ſint duo diſtincta munera, ergo neque tollitur, quin poſſit ab alio ſtipendium recipere, vt pro eodem ſacrificium applicet, hoc etenim non cedit in præiudicium teſtatoris obligantis dumtaxat ad celebrationem in loco, quæ vtique adimpletur. Neque obſtare poteſt, ſi dicatur, quod ex tali ſacrificio in illo loco duplex reciperet ſtipendium, alterum à teſtatore ratione celebrationis in loco, alterum ab altero ratione applicationis ſacrificij, quod omninò vetitum videtur, Non, inquam, obſtare 22

Poteſt tamen accipere, vt in eodem celebret.

po-

poteſt, quia in ordine ad diuerſa munera, quæ diuerſo iure imponuntur, & in ordine ad diuerſos effectus nulla eſt repugnantia, quin poſſint recipi diuerſa ſtipendia, nec iura in hoc obſiſtunt, cum ſolum intendant pro eodem ſacrificio non poſſe exigi duplex ſtipendium; hic autem illud duplex ſtipendium exigitur ex diuerſo munere, ex diuerſo iure, & ad diuerſos effectus, vt per ſe patet, adeoque &c.

ARTICVLVS II.

An, ſi teſtator diſponat Miſſam quotidianam celebrari in certo Altari nulla facta mentione applicationis ſacrificij pro ſe, vel ſuis, teneatur Sacerdos ad hoc electus applicare Miſſam pro ipſo.

SVMMARIVM.

Sententia Marchini exponitur. 1.

Variæ conſiderationes circa titulum. 2.

Si onus fuerit antiquum, & in diutina poſſeſſione applicationis eſt in illa manutenendum. 3.

Secus, ſi non fuerit in diutina poſſeſſione. 4.

Poſſeſſio non applicandi debet eſſe ſaltem quadragenaria. 5.

Si poſt quadraginta annos manifeſtè inceperit apparere de onere applicationis, ex tunc tenebitur applicare. 6.

Si onus fuerit recens, & redditus reſpondeant etiam oneri applicationis ſecundum conſuetam ſtipem intelligitur eſſe cum applicatione. 7.

In dubio circa ea, quæ concernunt ſalutem animæ, tutior pars eſt eligenda. 8.

Nec valet in hoc regula, quod, ſi voluiſſet, expreſſiſſet. 9.

Iuxta conſuetum erogans congruum ſtipendium pro Miſſa intendit pro ſe ſacrificij applicationem. 10.

Petens Miſſam votiuam erogato congruo ſtipendio, intelligitur velle quemcunque fructum etiam ſatisfactorium. 11.

Si ſtipendium non fuerit congruum vtrique oneri, & celebrationi in tali loco, & applicationi poteſt præſumi pro negatione oneris applicationis. 12.

1 Sententia Marchini exponitur. LAtè agit de hac quæſtione *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. c. 27. per totum*, vbi prius relata opinione aſſerente, Sacerdotem obligari ad ſacrificium applicandum pro fundatore cum rationibus eandem comprobantibus, poſtea ſuam ſubdit aſſerentem, non teneri ſacrificium pro eodem fundatore applicare, ſed poſſe ab alio eleemoſinam accipere, & pro iſto applicare.

Ego antequam, quid ſentiam, aperiam, nonnullas conſiderationes præmitto, ex quibus faciliores reddentur reſolutiones habendæ. Primò conſidero, an onus illud fuerit antiquum, an verò recentèr impoſitum. Secundò ex ſuppoſitione, quod ſit antiquum, & non conſtet, an fuerit impoſitum cum onere applicationis ſacrificij, an ſit in poſſeſſione eiuſdem applicationis, quatenus Sacerdotes præceſſores applicauerint, an verò non ſit in tali poſſeſſione, quatenus ijdem Sacerdotes à multo tempore non applicauerint. Tertiò, an ſtipendium, quod pro Miſſa illa quotidiana erogatur, ſit congruum attenta etiam applicatione, an verò minus congruum. Quibus ſuppoſitis conſiderationibus. 2 Variæ conſiderationes circa titulum.

Dico primò. Si onus illud fuerit antiquum, & in diutina poſſeſſione applicationis, eſt in eadem poſſeſſione manutenendum nō obſtante, quod in origine non conſtet de tali obligatione. Rationem non ſolum deduco ex præſumptà voluntate teſtatoris, cui innituntur, quotquot ſimplicitèr ſuſtinent, teneri Capellanum ad ſacrificij applicationem, quando teſtator nihil de eadem expreſsit; ſed etiam, & potiſsimum ex eo, quod continuata poſſeſſio ſufficientem tribuit titulum ad obligandum; &, ſi valet regula, quod in dubio melior ſit conditio poſsidentis, non video, cur, cum onus applicationis ſacrificij ſit in poſſeſsione, non debeat in illa manuteneri. 3 Si fuerit in diutina poſſeſſione applicationis debet applicari.

Dico ſecundò. Si onus illud fuerit antiquum, nec conſtet de intentione inſtituentis, & à multo tempore quoad applicationem non fuerit adimpletum, non tenebitur Sacerdos ad applicationem pro teſtatore. In hoc videntur conſentire *Nauarrus tom. 2. conſil. de præſcript. conſ. 1., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 2. c. 27. num. 5.* Ratio deducitur à contrario ſenſu ex ijs, quæ mox dicta ſunt de onere applicationis cum diutina, & continuata poſſeſsione eiuſdem; ſi etenim diutina poſſeſſio applicationis tribuit ſufficientem titulum ad obligandum ad ipſam, cur diutina poſſeſsio non applicationis non debet tribuere ſufficientem titulum ad eximendum ab onere eiuſdem applicationis? Si autem quæratur, pro quonam tempore debeat eſſe continuata poſſeſsio non applicationis ad eximendum ab onere eiuſdem? *Nauarrus*, & *Marchinus loc. cit.* ſtatuunt tempus quadraginta annorum, à quibus non recedendum exiſtimo, cum agatur de iure perpetuo, & ſpirituali. Elapſo autem ſpacio quadraginta annorum cum pacifica poſſeſsione, quantumuis inciperent apparere 4 Secus, ſi nō fuerit in eadem poſſeſſione. 5 Poſſeſſio debet eſſe ſaltem quadragenaria.

ſcripturæ fundationis, quæ onus applicationis iniungerent, tunc Nauarrus, & Marchinus aſſerunt, adhuc Sacerdotem non teneri ad applicationem, quia præſcriptio huiuſmodi annorum dat iuſtum titulum poſſidendi. Sed in hoc eiſdem non libentèr annuerem, quia in ſpiritualibus iuribus veritas præualet præſumptionibus, & diſpoſitionibus iuris poſitiui, cui innititur titulus præſcriptionis, & veritas ignorata ſopita remanet, non extincta; vbi autem incipit apparere non eſt, cur ſuam vim, & robur nequeat acquirere. Hoc tamen admitterem, quod, vbi veritas obligans ad applicationem inciperet apparere, tunc ſolum inciperet obligare pro tempore futuro, non pro anteacto tempore, quo bona fides perſeuerauit, potiſſimum cum ſucceſſor in beneficio non teneatur ad onera perſonalia ſuorum prçceſſorum.

6 Se, ſi poſtea incęperit apparere, de onere tenebitur applicare

7 Si onus fuerit recens, & redditus correſpõdeat eidẽ intelligitur eſſe etiam quoad applicationem.

Dico tertiò. Si onus non fuerit antiquum, ſed recens, nec ſit expreſſa obligatio applicationis, & redditus aſſignati pro tali onere, vel excedant, vel adæquent id, quod, vel ex iure, vel ex conſuetudine ſolet erogari pro onere applicationis in determinatis locis præſcripto, probabilius intelligendum eſt cum onere applicationis ſacrificij; ſi verò redditus aſſignati non adęquent conſuetum ſtipendiũ, quod erogari ſolet pro onere Miſſarum cum applicatione, ſed ſint longè inferiores, tunc probabilius, non intelligitur obligatio eſſe cum onere applicationis. Pro prima parte ſtant *Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 2. num. 13.*, *Fraxinellus de obligat. Sacerdot. ſect. 4. concluſ. 4. §. 8.*, *Homobonus tract. 4. de examin. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæſt. 121. in fin.*, *Auguſt. Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. tom. 2. allegat. 24. num. 35.*, qui cum ſimplicitèr aſſerant, Capellanum teneri ad onus applicationis, quantumuis de hoc non ſit expreſſa voluntas teſtatoris, à fortiori aſſerere tenẽtur ad hoc obligari, quando ſtipendium correſpondet, & oneri celebrationis in loco, & oneri applicationis. Pro ſecunda parte ſtant, quotquot ſuſtinent, quod, quando obligatio dirigitur expreſsè ad locum nulla facta expreſſione applicationis, non oriatur obligatio eiuſdem applicationis, & ſignantèr *Marchinus loc. cit.*, qui nulla facta diſtinctione redditũum, ſiue congruorum, ſiue incongruorum abſolutè ſuſtinet non adeſſe obligationem applicandi ſacrificium.

8 In ijs, quæ reſpiciũt beneficiũ animæ tutior pars eſt eligenda.

Prima pars ex eo euincitur, quod in ijs, quæ concernunt beneficium, & ſalutem animarum, & euitare periculum peccatorum, in dubio tutior pars eſt eligenda ex vulgatis iuribus potiſſimum, vbi ex electione tutioris partis eligens nullum damnum conſequitur; ſed in dubio, de quo agitur, tutius eſt, quod Miſſa in loco celebretur cum applicatione ſacrificij, vt per ſe patet, nec vllum damnum ex tali applicatione conſequitur celebranti, quandoquidem ſtipendium accipit, quod ex huiuſmodi applicatione conferri conſueuit, & in ſimilibus confertur, ergo eligenda eſt hæc pars, vt ſacrificium proteſtatore applicetur. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, in hac hypotheſi non poſſe eſſe dubium de voluntate teſtatoris non obſtringendi Capellanum ad huiuſmodi applicationem, quandoquidem, cum expreſſerit locum celebrationis, & non onus applicationis, non videtur voluiſſe applicationem, nam, ſi voluiſſet, ſicut expreſſit locum, expreſſiſſet & hoc onus; cui adde textum *in l. quidquid adſtringendæ, ff. de verb. obligat.*, vbi ſic legitur. *Quidquid adſtringendæ obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt, aut certè ſecundum promiſſorem interpretamur, quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dubium conſurgit ex eo, quod non expreſſerit, cum cæteroqui ex facto, & ex præſumptione in eodem facto, & conſuetudine fundata voluntas obligandi conuincentèr arguatur; ex facto quidem, quia deſignauit tot redditus, quot ſufficiunt ad obligandum ad applicationem; nec præſumendum eſt, quod voluerit tot erogare pro ſimplici celebratione in loco, quot ſufficiunt, & pro tali celebratione, & pro applicatione ſacrificij; ex præſumptione fundata in facto, & in conſuetudine, quia regularitèr erogans congruentem eleemoſinam pro Miſſa, intelligitur velle pro ſe applicationem ſacrificij; cum intelligatur velle, quod ſibi vtilius eſt; nec valet regula, quod, *ſi voluiſſet, expreſſiſſet*; Non valet, inquam, quia illa dumtaxat habet locum, quando illud, quod non eſt expreſſum, nec implicitè, nec explicitè continetur in eo, quod eſt expreſſum; exigens autem Miſſam, & erogans congruum ſtipendium pro eadem, implicitè intelligitur velle ſacrificium, adeoque &c. Ad textum *in l. quidquid adſtringendæ de verb. obligat.*, dic in primis illum procedere ſolum in ijs, quæ ex iuris diſpoſitione exigunt rigoroſam ſtipulationem, quæ antiquitus nonniſi in verbis expreſſis contingebat, quod non militat in præſenti hypotheſi fundationis Miſſæ factæ per teſtatorem, in qua ſufficit voluntas rationabilitèr præſumpta eiuſdem. Cæterum, ſi textus ille eſſet in tota latitudine accipiendus, præſumptiones omnes à iure admiſſæ eſſent eliminandæ, vt per ſe patet. Deindè

9 Regula, quod, ſi voluiſſet, dixiſſet nó habet in hoc locum.

Explicatur textus *in l. quidquid adſtringenda.*

exigens

exigens palam Miſſam expreſſis verbis in teſtamento aſſignato congruo ſtipendio, intelligitur palam exigere, quidquid ſecundum communem acceptionem exigi ſolet per exigentiam Miſſæ, quod eſt applicatio eiuſdem pro exigente.

10 Ex conſuetudine petens Miſſam erogato congruo ſtipendio petit ſacrificium

Secundò eadem prima pars ſic euincitur. In diſpoſitionibus interpretatio præſumptiua deſumenda eſt à conſuetis, & communitèr contingentibus, vt latè probat *Menochius lib. 1. de præſumpt. quæſt.* 18. *num.* 1., *Surdus de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 66. *num.* 6., vbi dicit, quod quælibet diſpoſitio recipit interpretationem à conſuetudine, ea autem eſt regularis conſuetudo inſtituentium Miſſas, ſiue perpetuas, ſiue manuales erogato congruo ſtipendio, vt intendant applicationem pro ſe, vel ſuis, ergo ſecundum eandem interpretanda eſt voluntas teſtatoris exigentis Miſſas, & erogantis congruas eleemoſinas pro eiſdem.

11 Petens Miſſam votiuam erogato congruo ſtipendio intelligitur velle quemcumque fructum.

Tertiò eadem prima pars ſic euincitur. Exigens Miſſam votiuam erogato congruo ſtipendio non ſolum intelligitur velle applicationem eiuſdem, vt eſt impetratoria, ſed etiam, vt ſatisfactoria, quantumuis expreſsè non exigat, vt ſatisfactoriam, nec Sacerdos ad hoc munus Miſſæ votiuæ aſſumptus poteſt eidem applicare ſolum ſacrificium, vt impetratorium, alteri accepto alio ſtipendio applicare, vt ſatisfactorium, vt latè tradunt *Rodriquez in ſumma part.* 1. *cap.* 250. *concl.* 6., *Petrus de Nauarra lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 243., *Poſſeuinus de offic. Curati cap.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 25., *Bonacina de Sacrament. diſp.* 4. *quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 15., & congrua quidem ratione, quia cæteroqui contra diſpoſitionem Sacræ Congregationis pro eodem ſacrificio exigeret duplex ſtipendium, ergo etiam exigens Miſſam in determinato Altari erogato congruo ſtipendio, quantumuis non expreſsè exigat, intelligitur velle applicationem, nec Sacerdos poterit aliud ſtipendium exigere.

12 Secus, ſi ſtipendiũ nõ fuerit congruũ vtrique oneri.

Secunda pars ex eo euincitur, quod ex eo, quod ſtipendium non ſit proportionatum, & congruum ad id, quod ex iure, vel ex conſuetudine erogatur pro ſacrificij applicatione, rationabilitèr præſumi poteſt, quod ideò non expreſsè exegerit applicationem, quia noluerit obligare ad eam, ſed præciſè ad celebrationem in loco, vel in venerationem alicuius ſancti, vel in commodum populorum; tum quia non eſt præſumendum, quod voluerit celebrantem obligare talitèr, vt non poſſit alitèr acquirere congruam ſuſtentationem cum non habeat ex illo ſtipendio ſibi aſſignato; tum quia exiſtente duplici onere celebrandi ſcilicet in loco, & applicandi ſacrificium, quæ duo ſunt diſtincta, ſi emolumentum correſpondeat vni, non alteri, intentio imponentis onus debet intelligi ad vnum relata, & non ad alterum, ergo, cum ſtipendium non ſit congruum pro onere applicationis, debet præſumi ſolum relatum ad onus celebrationis in loco. Hoc videtur attigiſſe *Marchinus dict. part.* 3. *de ſacrificio Miſſæ part.* 2. *cap.* 27. *num.* 10. *in reſponſione ad tertium*, qui, licet illimitatè prius dixerit, quod, quando non eſt facta mentio de applicatione, non ſit onus eiuſdem, attamen poſtea quaſi limitando dicit, decretum Sacrę Congregationis obligantis Capellanos ad huiuſmodi applicationem, non eſſe intelligendum de ijs Capellanis, quibus ſimplex celebratio cum tenui eleemoſina iniuncta manet; ex quo argumento à contrario ſenſu deducto videtur rectè inferri, ergo, ſi ſit iniuncta cum congrua, proportionata, & fortè excedente eleemoſina decretum erit de illis intelligendum.

ARTICVLVS III.

De obligationibus Sacerdotum ratione temporis.

SVMMARIVM.

Tempus quoad præſens inſtitutum poteſt ad quinque capita reduci, & quænam. 1.
Præſcritum Concilij Tridentini ad celebrandum pro certis temporibus. 2.
Rationes dubitandi circa illud præſcriptum. 3.
Sententia aſſerens, Sacerdotem non peccare, ſi per annum, & vltra non celebret. 4.
Rationes pro hac ſententia. 5.
Sententia aſſerens, peccare venialitèr cum ſuis rationibus. 6.
Sententia agnoſcens in tali dilatione noxam lethalem. 7.
Probabilius in tali dilatione peccat lethalitèr. 8.
Colligitur ex verbis Chriſti Domini. 9.
Item ex Concil. Trident. 10.
Item ex c. dolentes de celebratione Miſſarum. 11.
Variæ ſententiæ circa numerum Miſſarum in anno celebrandarum. 12.
Probabilius non extenditur vltra quatuor vices in anno. 13.
Quodnam onus vigeat quoad Parochos. 14.
Parochus, vel per ſe, vel per alium tenetur celebrare pro illis diebus, pro quibus tenentur ſubditi audire. 15.
Ipſi per ſe praſcindendo à ſcandalo ſatisfaciunt, quater in anno celebrando. Ibidem.

Ex

Ex vi proprij muneris, quotieſcunque celebrat, non tenetur pro ſuis ouibus ſacrificium applicare. 16.

Quandoque pro ouibus celebrare tenetur. 17.

Quandonam hoc onus vigeat. 18.

In die Natiuitatis Domini tenetur tres Miſſas celebrare. 19.

Diebus, quibus non tenetur pro ouibus celebrare, poteſt pro alijs accepto ſtipendio celebrare. 20.

Refertur duplex decretum Concil. Prouincialis Mediolanenſis. 21.

Ex genere ſuo laudabilius eſt quotidiè celebrare. 22.

Ex circunſtantijs tamen expedit quandoque omittere. 23.

1 Quinque capita quoad tempus.

NOn eſt hic etiam ſermo de tempore, quo ex præſcripto Eccleſiæ Miſſa eſt celebranda, nempè ab aurora in meridiem, cum de hoc latè fuerit actum in præcedentibus cum ſuis limitationibus; ſed de tempore, quo aliquando Sacerdos celebrare tenetur, vel non celebrare; quod tempus ad quinque capita poteſt reduci, quæ continentur in his verbis *Nunquam, ſæpius, tardius, citius,* & *rarius*, quæ ſingula placet in præſenti explanare; ſed quia prolixus nimis euaderet titulus, & confuſionem potius ingereret, quam claritatem, ideò placet ipſum in aliquot ſectiones diuidere, in quibus ſingillatim omnia recenſita capita diſcutientur.

SECTIO I.

Elucidantur quæſtiones, quæ pertinent ad illam particulam, nunquam.

2 Diſpoſitio Tridentini quoad tempus celebrãdi.

MAximum elucet dedecus in ijs, qui Sacerdotali ordine initiati ſacrificium, ad cuius munus ſunt promoti, negligunt ſemper, vel fere ſemper Omnipotenti Deo offerre; ad quod dedecus euellendum Sacroſancta Trident. Sinodus *ſeſs. 23. de reformat. cap.* 14. Epiſcopis impoſuit, vt curent, vt ij, ſcilicet Sacerdotes omnes ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.

3 Articuli examinandi.

Nos in hoc loco plura indagabimus: Primò, an ſit in ſtatu peccati læthalis, qui nunquam in anno celebrat. Secundò, quoties in anno teneantur Sacerdotes ſacrificare ad vitandam culpam læthalem ex ſuppoſitione, quod hæc contrahatur in omiſſione integri anni. Tertiò, an Parochi, ſeu deputati ad curam animarum frequentius teneantur celebrare, vt euitent hanc culpam, & quando. Quartò, an Sacerdos poſſit quotidiè celebrare, an verò ex reuerentia teneatur aliquando à ſacrificio abſtinere. Singula maiori, qua poterimus, breuitate, & claritate expendemus.

4 Sententia aſſerẽs non peccare, ſi per annũ, & vltra non celebret.

In ordine ad primum video DD. in tres claſſes diuiſos acritèr inter ſe dimicantes. Prima claſſis eorum eſt, qui nullum agnoſcunt peccatum in omiſſione ſacrificij per annum, & vltra; hancque conſtituunt *Alexander Alenſis 4. part. qu. 51. memb. 2., D. Bonauentura in 4. diſtinct. 12. part. 2. art. 2. qu. 2., Gabriel lect. 87. in Can. Miſs., Riccardus in 4. diſtinct. 13. art. 2. quæſt. 2., Caietanus tertia part. quæſt. 82. art. 12., & alij.* Nituntur iſti huic fundamento, quod obligatio ſacrificandi, vel conſurgit ex iure Diuino poſitiuo, vel ex iure Diuino naturali, vel ex iure Eccleſiaſtico; ex nullo ex his capitibus conſurgit hæc obligatio. Non ex iure poſitiuo Diuino, quia de hoc nullibi conſtat; nòn enim continetur in illis verbis. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nec in illis alijs. *Hoc facite in meam commemorationem*, quandoquidem prima verba importãt ſolummodò præceptum aliquando communicandi, & ſpeciatim in articulo mortis, quod colligitur ex eo, quod tunc Chriſtus Dominus non cum ſolis Apoſtolis loquebatur, ſed etiam cum turbis Iudæorum, reſpectu quorum non poterat eſſe præceptum ſacrificandi; Secunda verò referuntur ſolum ad indicandum præceptum de offerendo cum tali materia, & forma, & non alitèr, non præceptum de quandoque ſacrificando. Deindè dato etiam, quod illa verba importarent

5 Rationes pro hac ſententia

præceptum ſacrificandi, hoc dirigeretur ad totam Eccleſiam, non ad ſingulos Sacerdotes in particulari; Non ex iure Diuino naturali conſequente naturalitèr ex ordinatione Sacerdotali; nam per eandem ordinationem confertur quidem poteſtas ſacrificandi, non neceſſitas, quod etiam ex eo euincitur, quod in ordinatione Sacerdotali confertur etiam poteſtas remittendi peccata, qua tamen Sacerdos non tenetur vti, quantumuis obtinuerit iuriſdictionem, niſi paſtorali onere afficiatur. Non ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico; quia de hoc etiam non conſtat; Quod, ſi afferatur textus *in cap. dolentes de celebratione Miſſarum, & in Concil. Trident. ſeſs. 23. de reformat.*, tunc dicunt, primum textum *in cap. dolentes*, intelligendum eſſe de Sacerdote ſolummodò omittente celebrare ter, vel quater in anno cum ſcandalo, & praua vita, Secundum verò textum Concilij afferunt, non importare præceptum,

ſed

ſed monitum; non enim totum id, quod Concilium ſignificat, eſt Sacerdotibus ſub præcepto, potiſſimum cum in hoc diſponat Concilium, vt omnes Sacerdotes indefinitè celebrent omnibus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, quod nimis graue eſt.

6 Sẽtentia aſſerens peccare, ſed ſolum venialitèr.

Secunda claſſis eorum eſt, qui, quamuis in tale omiſſione non agnoſcant culpam læthalem, non eximunt tamen ſic omittentem à noxa veniali, quos ſuppreſſo nomine refert *Suarez in tertia part. Diui Thomæ diſp. 80. ſect. 1. verſ. propter hæc multi propè medium*, quorum rationes ipſe refert conſiſtentes, vel in eo, quod ipſe omittens videatur nimis prodigè ſecum agere priuando ſe fructu ſacrificij, vel nimis ſtrictè cum Eccleſia eandem eodem fructu priuando, vel nimis inordinatè reſpectu ordinis ſuſcepti, qui, cum ſit propter vſum, priuaretur fine, ad quem eſt collatus.

7 Sentẽtia aſſerens peccare læthalitèr.

Tertia claſſis eorum eſt, qui graue, & læthale peccatum in tali omiſſione conſtituunt. Hi ſunt *D. Thomas tertia part. qu. 82. art. 10., & in tertio diſtinct. 13. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad ſecundum, & ibi Sotus quæſt. 1. art. 10., D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 16. §. 12., Nauarrus in man. cap. 25. num. 88., Suarez de Sacram. diſp. 80. ſect. 1.*, quamuis *hic ibidem*, aliam ſententiam contrariam exiſtimet probabilem *Vaſquez de Sacrament. diſp. 232. cap. 1. num. 5., Coninchus de Sacrament. quæſt. 82. art. 2., Iacobus de Graſſis deciſ. aur. part. 1. lib. 2. cap. 39. num. 3., & alij magis communitèr*. Cum his ſit

Aſſertio I. Quilibet Sacerdos non legitimè impeditus tenetur ſub graui ad ſacrificandum aliquando non ſolum in vita, ſed etiam in anno.

8 Probabilius peccat lęthalitèr.

Moueor primò illis verbis Chriſti Domini. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ protulit poſt inſtitutionem huius ſacrificij, & Sacramenti, quæque ad omnes, & ſingulos Apoſtolos ordinauit; vndè *Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 1.*, expendens eadem verba dixit. *Chriſtum Dominum his verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcipiſse*. Neque arbitrandum eſt Concilium, & Chriſtum Dominum ibi ſolummodò pręcepiſſe ritum in materia, & forma ſeruandum, vt intelligebant ſectatores primæ ſententiæ.

9 Euincitur ex verbis Chriſti Domini.

Non, inquam, arbitrandum, quia, licet ibi præſcribat modum, quo fieri debet hoc ſacrificium, præcepit tamen ibi, vt fiat ſeruato tali modo, quod denotant illa verba imperatiua. *Hoc facite*; nec dicit ſolum. *Si vultis facere, hoc modo facite*, ſed abſolutè, *hoc facite*; Nec item exiſtimandum eſt, hoc præceptum direxiſſe ſolum ad vniuerſam Eccleſiam, non ad ſingulos Sacerdotes; quandoquidem tunc omnes, & ſingulos ordinauit, & per conſequens præceptum ad omnes, & ſingulos direxit.

Moueor ſecundò ex verbis *Concilij Trident. ſeſs. 23. cap. 14. de reformat.* ſuprà 10 Item ex Concil. Trident.
recenſitis, per quæ præcipit Epiſcopis, *vt curent, quod Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequentèr, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*, quæ verba, licet quoad determinationem dierum, quibus celebrandum eſt, importent nouam diſpoſitionem; quoad onus tamen celebrandi aliquando ſupponunt obligationem iam exiſtentem, & ſolum obligant, vt per Sacerdotes illam adimpleri curent, & quoad hoc vltimum referuntur ad pręceptum Diuinum in illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*.

Tertiò *in dict. cap. dolentes de celebratione* 11 Item ex cap. dolentes de celebrat. Miſſ.
Miſſarum, qui textus ſatis expreſsè loquitur de ijs, qui ſaltem quater in anno non celebrant, & contra eoſdem imponit pœnam ſuſpenſionis, quæ, cum ſit grauis, ſupponit grauem culpam in delinquente; nec hic textus intelligendus eſt ſolummodò de omittentibus ratione ſcandali, vt intelligunt DD. pro prima ſententia allegati; quandoquidem textus ille pariformitèr loquitur de omittentibus quater in anno, ac de omittentibus aſſiſtere, quamuis in iſtis grauiorem culpam agnoſcat; certum autem eſt, quod reſpectu omittentium aſſiſtere ratione præcisè omiſſionis, præſcindendo etiam à ſcandalo, contrahatur grauis culpa, adeoque etiam reſpectu omittentium celebrare certum videtur, quod contrahatur grauis culpam ob præciſam omiſſionem præcindendo etiam à ſcandalo.

Ex ijs, quæ dicta ſunt ſub hac aſſertione, ſoluta remanent argumenta omnia, quæ allata ſunt pro prima ſententia non agnoſcente vllum peccatum in tali omiſſione. Quoad ea, quæ congeſta ſunt pro ſecunda ſententia aſſerente contrahi in tali omiſſione ſolum peccatum veniale, dicendum eſt, ea inferre ex genere ſuo pluſquam culpam venialem, vt conſideranti patebit, quæ propterea magis confirmant, quam deſtruant noſtram opinionem.

In ordine ſecundum video etiam iura 12 Variæ ſententiæ circa numerum Miſſarũ in anno celebrandarum.
valdè inter ſe diuerſa. In *dicto cap. dolentes de celebratione Miſſarum*, videtur reſtringi onus celebrandi ad quatuor vices in anno. *In Concilio Tridentino dict. ſeſs. 23. cap. 14. de reformatione*, extenditur ad omnes dies Dominicos, & feſta ſolemnia. D. Thomas dicit onus eſſe omnibus diebus ſolem-

nibus

nibus, in quibus fideles conſueuerunt communicare. *Suarez in tertia part. Diui Thomæ diſput.* 80. *ſect.* 1. *verſ. ſed quares* aſſerit non poſſe per intrinſeca principia determinari certas vices, ſed remittendas eſſe arbitrio prudentis viri, qui penſatis principijs extrinſecis ſpiritualis detrimenti, occaſionis liberius peccandi, & ſcandali &c. decernat tempus, & modum talis celebrationis.

13 Probabilius non extenditur vltra quatuor vices in anno.

Aſſertio II. Probabilius eſt, obligationem ſimplicis Sacerdotis, quantum eſt ex ſe, non eſſe extendendam vltra quatuor vices. In hoc conſentiunt *Nauarrus in manuali cap.* 25. *num.* 88., *Gauantus in rubrica Miſſalis part.* 3. *tit.* 12. *num.* 6., *Bonacina diſp.* 4. *de Sacrament. quæſt. vltim. punct.* 7. *num.* 2., quas nonnulli apud *Marchinum dict. tract.* 3. *de ſacrific. Miſſæ part.* 2. *c.* 26. *num.* 7., reducunt ad ſolemnitates Natalis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Deiparæ Virginis, ea fortè ratione, quod in his ſolemnitatibus fideles conſueuerint communicare. Sed non tanto rigore ego procederem, vt reſtringerem hoc onus, ſeu affigerem illis ſolemnitatibus, adeo vt ſubderem culpæ læthali, ſi omiſſis illis quatuor diebus, alijs quatuor vicibus in anno celebraret.

Fundamentum potiſſimum deſumo *ex dict. cap. dolentes de celebratione Miſſarum*; nec obſtat, quod *Concil. Trident. d. ſeſs.* 23. *cap.* 14. *de reformatione* dicat curandum eſſe, vt diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus ſinguli Sacerdotes celebrent; Non obſtat, inquam, quia Concilium dirigitur ad Epiſcopos, vt curent Sacerdotes pro illis diebus celebrare; vndè, niſi accedente Epiſcopi præcepto non videtur obligari, potiſſimum, cum dixerimus Concilium quoad determinationem horum dierum conſtituere nouam legem, quæ propterea intelligenda eſt, prout verba, quibus conſtituitur, ſonant; ſecundum ſonum autem verborum, non obligat, niſi accedente Epiſcopi præcepto. Si autem Epiſcopus fretus auctoritate Concilij præciperet celebrari omnibus diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, non dubitarem teneri ſub graui Sacerdotes eidem obtemperare.

14 Quodnã onus vigeat quoad Parochos.

In ordine ad tertium *Concilium Tridentinum dict. ſeſs.* 23. *cap.* 14. *de reformatione*, hæc præſcribit. *Si autem curam habuerint animarum, tam frequentèr, vt muneri ſuo ſatisfaciant*; ſed qualis debeat eſſe hæc frequentia requiſita ad muneri ſuo ſatisfaciendum non explicat. Hoc vnum certum eſt, quod maiorem exigit frequentiam celebrationis in habente curam animarum, ac in ſimplici Sacerdote. Quare inquirendum hic eſt, qualis, & quanta debeat eſſe determinatè hæc frequentia, &, an ex neceſſitate hæc habenda ſit per ſe ipſum ab habente eandem curam animarum, an verò ſuppleri poſſit per alium.

15 Tenetur celebrare vel per ſe, vel per alios illis diebus, quibus tenentur ſubditi audire.

Aſſertio III. Parochus, ſeu habens curam animarum debet ſaltem illis diebus celebrare, quibus eiuſdem ſubditi ſacrum audire tenentur; hoc tamen onus, quandoque poteſt per alium Sacerdotem explere. Dixi, *quandoque*, nam, ſi ſemper per alium expleret, cum poſſet per ſe ipſum, occaſionem ruinæ ſpiritualis, ſeu ſcandali in eiſdem ſubditis ingereret. Hoc procedit attentis præcisè principijs extrinſecis, nempè eiuſdem ſcandali; nam ſecundum principia intrinſeca non renuerem aſſerere, quod aliquando poſſit ſupplere per alium illis diebus, quibus populus ſacrum audire tenetur, & ſic ſuo oneri ſatisfacere, cum ratio, quæ ipſum obligat ad frequentius celebrandum, ſit relatiuè ad populum, ſeu ſubditos, quibus ſatis conſulit celebrando per alium. Hanc in his ferè terminis ſuſtinent. *Nauarrus in manuali cap.* 25. *num.* 135., *Vaſquez tertia part. diſp.* 232. *cap.* 1. *num.* 12., *Bonacina de Sacram. diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 6. *propoſit.* 2. *n.* 4., & alij magis communitèr. Congruentius tamen, quantum poteſt, debet celebrare per ſe ipſum.

Ratio ex eo deducitur, quod onus Parochorum ex vi proprij muneris obligat eoſdem ad adimplenda omnia munera ordinata ad ſubditorum ſalutem, & vtilitatem ſpiritualem in Sacramentorum adminiſtratione, aliorumque, quæ ſunt per eoſdem ſubditos ex præſcripto Eccleſiæ adimplenda, nam ad hæc intelliguntur conducti, ſed ex præſcripto Eccleſiæ fideles cuiuſcunque Paræciæ tenentur pro diebus feſtis ſacrum audire, ergo, & Parochi, ſeu habentes curam animarum pro illis diebus tenentur ſacrum peragere; inane etenim eſſet onus fidelium ſacrum audiendi, niſi eſſet onus illud peragendi; hoc autem in nullo congruentius poteſt vrgere, quam in Parochò.

Quod verò celebrando per alium præciſa ratione ſcandali ſatisfaciat, ex eo euincitur non ſolum, quod, qui per alium facit, per ſe ipſum facere videatur, ſed etiam ex eo, quod ratio ipſum obligans eſt ad ſatisfaciendum ſuis ouibus, ne ſcilicet in diebus feſtis auditione ſacri deſtituantur; hæc autem ratio ceſſat alio pro Parocho celebrante pro eiſdem diebus.

16 Quotieſcunque celebrat non tenetur ſacrificiũ pro ouibus applicare

Sed hic ſuboritur difficultas, an Parochus, ſeu habens curam animarum teneatur ſemper quando celebrat, ſeu quandoque ſacrificium pro ſuis ouibus applicare. Certò certiùs eſt, quantum eſt ex vi proprij muneris, non teneri ſemper pro ſuis

ouibus

ouibus applicare; cum nullibi hoc in iure cautum ſit, nec munus proprium hoc exigat; nam, ſi non ſemper, ſeu quotidiè tenetur celebrare, multo minus ſemper tenetur pro illis ſacrificium offerre, &, ſi etiam teneretur quotidiè celebrare, non propterea teneretur pro illis applicare; nam hæc duo munera ſunt omninò diſtincta, vt per ſe patet; nec Parochialia beneficia inſtituta ſunt pro offerendo ſacrificio pro ouibus, ſed principalitèr ad paſcendum populum doctrina, prædicatione, & adminiſtratione Sacramentorum, &, ſi etiam ad celebrandam Miſſam, hoc non ad finem, vt pro illis applicent, ſed ad effectum, vt ſacrum valeant audire. Certum item eſt, quod quandoque pro ouibus offerre teneantur, vt manifeſtè colligitur *ex Concil. Trident. ſeſs. 23. de reformatione cap. 1.*, vbi ſic legitur. *Cum præcepto Diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre*.

17 Quandoque pro ouibus celebrare tenentur

Sed quandonam vigeat hoc onus applicandi pro ouibus, non ita facilè poteſt apparere, cum nullum ius hoc decernat. Doctores magis communitèr ſtatuunt, ſufficere, ſi Parochi diebus ſolemnioribus applicent ſignantèr *Maior in quarto diſtinct. 45. qu. 3. dub. 3.*, *Nauarrus in man. c. 25. n. 134*, *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 86. ſect. 1. verſ. de beneficijs*, *Vaſquez tertia part. diſp. 234. cap. 6.*, *Ægidius Coninchus de Sacrament. quæſt. 83. art. 1. dub. 11. concluſ. 3.*, *Poſſeuinus de offic. Curat. cap. 2. num. 2.*, *Vgolinus de offic., & poteſt. Epiſcopi cap. 16.*, *Paulus Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 3. in ſecunda prænotatione §. 2.*, *Gauantus in rubric. Miſſal. part. 3. tit. 12. num. 27.*, & alij innumeri apud *Marchinum tract. 3. de ſacrific. Miſſ. part. 2. cap. 30. n. 2.*

18 Quandonam tenentur.

Sed cui fundamento innitantur huiuſmodi DD. non apparet. Fortaſſis ea ratione mouentur, quod pro illis diebus magis excitandi ſint fideles ad pietatem ſic exigentibus illis ſolemnitatibus, quod potiſſimum ſit media applicatione ſacrificij Miſſæ, vel quia, cum ſit præceptum Diuinum aliquando pro ouibus ſacrificium applicare, vt colligitur *ex Concil. Trident. d. ſeſs. 23. de reformat. cap. primo*, non videtur opportuniori tempore hoc poſſe præſtari, quam illo, quo ratione ſolemnitatum populus præſumitur magis diſpoſitus ad fructum eiuſdem recipiendum. Nouiſſimè die 14. Februarij 1699. emanauit Sacræ Congregationis Concilij ſententia relata per *Rotarium in ſuo apparatu cap. 9. ſect. 3.*, qua confirmata eſt alia deciſio eiuſdem Sacræ Congregationis edita die 30. Auguſti 1698. tenoris ſequentis. *Cum præcepto Diuino ijs, quibus animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro ouibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpè alias Sacra Congregatio Concilij cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, & præcipuè in dubio applicationis ſacrificij propoſito, & reſpectiuè reſoluto ſub die 10. Maij 1692., his præciſis verbis concepto. An Parochus Miſſam celebrare teneatur, & ſacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & feſtis, ſiue habeat congruam, ſiue non? Sacra &c. iuxtà alias declarationes cenſuit teneri, nec poſſe eiſdem diebus aliam eleemoſinam accipere &c.* Quæ ſententia fuit confirmata per Innocentium XI. die 24. Aprilis 1699. apud eundem *Rotarium loc. cit.*, qui refert de verbo ad verbum Breue eiuſdem Innocentij.

Cum autem dictum fuerit, Parochum teneri omnibus diebus feſtis, quibus populus tenetur ſacrum audire, illud celebrare, oritur hic difficultas incidentèr, an idem die Natiuitatis Chriſti Domini tres Miſſas celebrare teneatur. 19

19 In die Natiuitatis Domini tenetur ter celebrare

Diana part. 4. tract. 4. reſol. 236., citato *Belleto in §. 15.*, *qui Cler. part. 2. §. 28. num. 2.*, ſentit, quod, ſicuti populus non tenetur tres Miſſas ea die audire, nec teneatur Parochus tres celebrare. E contra verò *Henriquez lib. 9. cap. 30. num. 6.*, exiſtimat, ad tres celebrandas teneri, cui ſubſcribo, niſi legitimo impedimento detineatur. Rationem ex eo deduco, quod, cum populus pro ea die maxima, & intenſa deuotione feratur in illud myſterium, &, ſi non ex obligatione, ex vehementi propenſione moueatur ad ſpecialitèr illud colendum per auditionem trium Miſſarum, priuaretur eiſdem, & eorum fructu, ſi à triplici ſacrificio Parochus abſtineret, & ſua pietate fraudaretur, quod certè non eximeret à graui culpa Parochum, cum hic ex proprio munere teneatur potius oues ſuas ad pietatem promouere, quàm remouere. Accedit, quod illa abſtinentia à triplici ſacrificio non poſſet, niſi cedere in graue ſcandalum, niſi legitima cauſa excuſaretur.

Hic ſuboritur difficultas, an, cum dictum fuerit non teneri Parochum, niſi pro certis diebus ſacrificium pro ſuis ouibus applicare, poſſit pro alijs diebus, pro quibus non tenetur pro eiſdem offerre, manuales eleemoſinas accipere, vt pro alijs offerat, & applicet ſacrificium. 20

20 Diebus, quibus non tenetur pro ouibus celebrare, poteſt accepto ſtipendio pro alijs celebrare

Barboſa apud *Dianam part. 4. tract. 4. reſol. 232.*, ſentit, non poſſe alicui applicare pro eleemoſina manuali, & pro hoc refert declarationem Sacræ Congregationis die 1. Septembris 1629. Sed abſolutè ſentio, poſſe eleemoſinam pro illis diebus, pro quibus non tenetur applicare pro populo, ab alijs recipere, & pro offerentibus eandem eleemoſinam

 offerre,

offerre, cum nullum ius hoc vetet; nec Sacræ Congregationis declaratio obeſt, quandoquidem hæc, ſi verè adeſt, cum mihi autenticè non conſtet, procedat ſolummodò pro illis diebus, pro quibus applicare tenetur pro ſuis ouibus.

In hac Mediolanenſi Prouincia in Concil. Prouinciali I. *part. 2. tit. de frequenti Diuini ſacrificij oblatione* adeſt ſtatutum, quo præcipitur Curatis, vt præter dies Dominicos, & cæteros dies feſtos ter in hebdomada, aut etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem Diuini ſacrificij vſum poſtulabit, Miſſam celebrent, & in Concil. Prouinciali IV. *ſub tit. de his, quæ pertinent ad Sanctiſſimum Miſsæ ſacrificium* præcipitur, ne Curati diebus Dominicis, & tribus ferialibus cuiuſuis hebdomadæ ſuſcipiant aliud Miſſarum celebrandarum onus. Circa huiuſmodi decreta oritur ratio dubitandi, an Curati pro illis diebus, quibus tenentur ex vi eorundem celebrare, teneantur pro ouibus ſacrificium applicare. Difficultas conſiſtit in dicto decreto Concilij Prouincialis IV., in quo præcipitur, ne aliud onus pro illis diebus aſſumatur; ſi enim non tenerentur applicare, non eſſet, cur non poſſent aliud onus aſſumere pro applicatione, cum hæc non eſſet debita pro ouibus. Nihilominus aſſerendum eſt, non teneri pro ouibus applicare, ſed poſſe pro alijs offerre, à quibus acciperent ſtipendium. In hoc conſentiunt *Bonacina de Sacramento Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 6. propoſit. 2. n. 5., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 30. num. 4.* Ratio eſt, quia Concilium ſolum præcipit pro illis diebus celebrari, quod non inuoluit neceſſitatem applicandi pro populo, vt ſupra dicebamus; nec Concilium Prouinciale IV. reſiſtit, quandoquidem ſolum intendit, ne aſſumatur onus alibi celebrandi, ſeu extra Parochiam, quod ſatis clarè declarauit idem Concilium, dum indulſit facultatem Epiſcopis concedendi Curato propter inopiam, vt poſſet rarius in Eccleſia Parochiali celebrare. In hoc tu conſidera.

21 Refertur duplex decretum Concil. Prouincialis Mediol.

In ordine ad vltimum, cum Eccleſia etiam in ordine ad obligatos ex vi Capellaniæ, vel teſtamenti quotidiè celebrare, indulgeat ex honeſtate ſemel in hebdomada ſacrificium omittere, clarè videtur onus non vrgere quotidiè celebrandi, quinimmò laudabile eſſe, quandoque omittere. Ex quo tamen *D. Auguſtinus tom. 10. ſerm. 28. de verbis Domini poſt medium*, dixit. *Accipe quotidiè, vt quotidiè tibi proſit; Panis enim quotidianus eſt. Sic tamen viue, vt quotidiè merearis accipere*, videtur commendandus mos quotidiè celebrandi. Iam ex ſuperius dictis patet, non eſſe neceſſitatem quotidiè celebrandi, vndè difficultas ſolum reducitur ad conuenientiam, an ſcilicet congruentius ſit quotidiè celebrare, an verò quandoque omittere.

Aſſertio IV. Ex genere ſuo laudabilius eſſe quotidiè celebrare, quandoque tamen ex circunſtantijs expedire omittere. 22 Ex genere ſuo laudabilius eſt quotidiè celebrare

Prima pars ex eo euincitur, quod hoc ſacrificium ex genere ſuo eſt iterabile; ex genere ſuo eſt proficuum; ex genere ſuo inſtitutum eſt, vt offeratur, ergo ex genere ſuo laudabilius erit, vt quotidiè offeratur; vndè meritò *D. Ambroſius lib. 4. de Sacrament. cap. 6.*, aſſerit. *Si quotieſcunque effunditur Sanguis Chriſti in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere, quia ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.*

Secũda pars ex eo deducitur, quod, cum quandoque ex ſpirituum commotione, ex mentis conturbatione tepeſcat pietas, refrigeſcat charitas, adeovt vix videatur poſſe eſſe diſpoſitio requiſita ad dignitatem tanti myſterij, abſtinentia quandoque poteſt ingerere maiorem humilitatem, & diſpoſitionem ad futura ſacrificia peragenda; vndè iuxtà placitum *D. Auguſtini Epiſt. 118. ad Ianuarium cap. 3.* conſcientiæ cuiuſcunque Sacerdotis remittendum videtur, an expediat quotidiè celebrare, an verò aliquando ex reuerentia abſtinere. 23 Ex circũſtantijs expedit quandoq; omittere.

SECTIO II.

Expenduntur difficultates circa illam particulam,
Sæpiùs.

SVMMARIVM.

Regularitèr ſolum in die Natiuitatis Domini licet ſepiùs celebrare. 1.

Excipitur caſus, quando Sacerdos iam celebrauit, & ſufficitur alteri, qui deceſſit poſt conſecrationem. 2.

Item quando habet duas Paracias, nec populus vtriuſque poteſt in vnam conuenire. 3.

Et tunc ſic exigente populi multitudine poteſt etiam ter celebrare. 4.

Intellige pro diebus feſtis, non pro ferialibus. 5.

Quid agere debeat Sacerdos duarum Paraciarum quoad officium feria ſexta in Paraſceue. 6.

Poſſunt item celebrari plures Miſſæ in partibus infidelium, vbi pauci ſunt Sacerdotes, & plures Catholici. 7.

Item etiam in caſu magnæ ſolemnitatis extante magna populorum affluentia. 8.

In

In his tamen caſibus Sacerdos debet eſſe ieiunus. 9.
Celebrato de feſto non poteſt celebrare de requiem. 10.
Soluuntur aliquæ rationes oppoſitæ. 11.
Germanus ſenſus cap. contingit de conſecrat. diſtinct. 1. 12.
Superueniente poſt celebratam Miſſam magno Principe, vel Cardinali probabilius non poteſt idem Sacerdos iterum celebrare. 13.
Sententia aſſerens, Sacerdotem poſſe ſummo manè in die feſto ad inſtantiam Principis iter facturi, & poſtea pro populo ſuo tempore. 14.
Sententia contraria præfertur. 15.
Nec poteſt ſacrificium iterare ob ſuperuenientiam magni numeri peregrinorum. 16.
Numerantur alij caſus, in quibus idem Sacerdos non poteſt Miſſam iterare. 17.

1 Regulariter ſolum in die Natiuitatis Domini, licet ſæpius celebrare.

IN iure Canonico cautum eſt, quod non liceat ſæpius in eadem die celebrare excepto die Natiuitatis Chriſti Domini. Modo conſurgit dubium, an præter caſum diei eiuſdem Natiuitatis Chriſti dentur aliquæ exceptiones ab illa communi regula, quæ habetur *in cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct. 1., & in cap. conſuluiſti de celebrat. Miſſarum*. Idem textus *in cap. conſuluiſti*, dicit, quod non liceat bis celebrare, *niſi cauſa neceſſitatis*. Qualis autem debeat eſſe hæc cauſa neceſſitatis, hic indagabimus referentes eos caſus, in quibus ſufficiens cauſa vigeat, & eos, in quibus non vigeat.

2 Excipitur caſus, quando Sacerdos, qui iam celebrauit, & ſufficitur alteri, qui deceſſit poſt conſecrationem.

Primus caſus ſufficientis neceſſitatis eſt, quando Sacerdos iam celebrauit, & ſuperueniente morte, vel infirmitate, qua Miſſam non poſſit proſequi, alteri Sacerdoti celebranti poſt Hoſtiam conſecratam, ad eandem complendam ipſe ſufficitur, vt habetur *in cap. nihil 7. quæſt. 1. deſumpto ex Concil. Tolet. 9.*, & tradit *D. Thomas tertia part. quæſt. 83. art. 6. ad primum*; nec in hoc arbitror, aliquem hæſitare. Verum tamen eſt, quod hic Sacerdos, qui ſupplet, non poſſit dici duas Miſſas completas habere, ſed vnam completam, alteram incompletam, quatenus non integrè hanc perſoluit.

3 Item quando habet duas Parochias diſſitas.

Secundus caſus eſt, quando Sacerdos habet duas Paræcias inter ſe diſſitas, & non poteſt commodè habere coadiutorem, nec vterque populus poteſt in vnam Eccleſiam conuenire; tunc etenim poterit eadem die in vtraque celebrare ad ſatisfaciendum vtrique. In hoc communitèr conueniunt ſignantèr *Suarez in tertia part. Diui Thomæ qu. 80. ſect. 3. verſ., vt autem de huiuſmodi caſibus propè medium, Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 2. cap. 37., Gauantus in rubr. Miſs. part. 3. tit. 12. n. 7.* & alij communitèr; in hoc enim videtur ſufficiens cauſa neceſſitatis vrgere, ne alter populus deſtituatur Miſſæ ſacrificio.

Sed circa hunc caſum nonnulla inſurgunt dubia hic diſcutienda. Primum eſt, an in illo caſu non ſolum duas Miſſas liceat celebrare, ſed etiam plures, ſi per duas nequeat ingenti vtrique populo ſatisfieri. Secundum, an hoc ſolum liceat pro diebus feſtis, pro quibus vrget præceptum audiendi ſacrum, an verò etiam pro diebus ferialibus, pro quibus tale præceptum non viget. Tertium, an habens plures Paræcias, ſi feria quinta Cœnæ Domini in omnibus celebret, & in omnibus Sacramentum reponat in monumento, poſſit vtrumque feria ſexta Paraſceue conſumere, & quomodo.

4 Et tunc exigente neceſſitate ob copiam populi etiā pluries.

In ordine ad primum (quidquid aliqui ſuppreſſo nomine dixerint apud *Suarez dict. diſp. 80. ſect. 3.*, volentes bis Miſſam in illa hypotheſi dicere licere, ter verò nunquam) abſolutè aſſerendum eſt, exiſtente eadem cauſa neceſſitatis non ſolum bis, ſed etiam pluries licere celebrare, non enim eſt aſſignabilis lex, quæ hanc facultatem reſtringat ad bis tantum celebrandum, & neceſſitas, quæ eandem dilatat ad duas, etiam vim habet ad plures, quando pro pluribus viget; nec dictum aduerſantium habet aliquod fundamentum iuris, aut rationis pro ſe, cum ſolum innitatur arbitratui dicentium.

5 Intellige pro diebus feſtis, non pro ferialibus

In ordine ad ſecundum *Suarez loco cit.* aſſerit, hanc facultatem pluries celebrandi ratione plurium Paræciarum, quas habet ſubditas Sacerdos, non reſtringi ſolum ad dies feſtos, pro quibus populus vtriuſque Paræciæ tenetur ſacrum audire, ſed extendi etiam ad dies feriales, pro quibus non tenetur ex præcepto audire adducta ratione, quia ſatis grauis cauſa eſt celebrandi, ne populus priuetur ſuo ſacrificio, & opportunitate audiendi ſacrum. Intelligit tamen hoc, ſi in vtraque Paræcia ſit ſufficiens populi multitudo. Sed non libentèr in hoc annuerem Suarez; nam adeſt præceptum non celebrandi bis eadem die, & ſolum datur exceptio ad ſatisfaciendum neceſſitati populi, non meræ eiuſdem deuotioni, quæ in hoc nequit verè præualere præcepto, vt infrà latiùs dicam.

In ordine ad tertium tota difficultas verſatur in eo, quod, cum feria ſexta in Paraſceue non conſecretur Sanguis, ſed poſt ſumptionem Hoſtiæ die præcedenti conſecratæ ſumat Sacerdos vinum cum particula Hoſtiæ, frangit ieiunium naturale, ſine quo non licet ſumere Euchariſtiam, vt præſcribitur *in cap. ex parte de celebratione Miſſarum*, vbi dicitur, quod, ſi is, qui

 vinum,

vinum, vel aquam, quę ad purificandum Calicem infundi ſolent, acceperit, non poſſit in die Natiuitatis Domini aliam Miſſam dicere; cum ergo ieiunium naturale fregerit, non videtur Hoſtiam in alia Eccleſia Parochiali repoſitam in monumento poſſe ſumere. Quid ergo tunc agendum? Tunc aliqui dicunt, in ea hypotheſi poſt ſumptam Hoſtiam, & vinum non conſecratum cum particula conſecrata in Calicem immiſſa poſſe aliam Hoſtiam in monumento alterius Eccleſiæ repoſitam ſumere, & hoc ad effectum, ne fideles illius alterius Parochiæ priuet Miſſa, ſeu officio illius diei, & ſolemnitate monumenti. Sed arduum hoc dictum videtur Suareſio, cum nulla lex permittat extra caſum Viatici non ieiunum ſumere Euchariſtiam. Ipſe Suarez aſſerit Sacerdotem habentem duas Paræcias diſſitas, & nullum coadiutorem debere ſolummodò in Eccleſia principaliori monumentum condere, & officium illius diei ibi perſoluere conuocato illuc populo alterius Parochiæ. Subdit

6 Quid agere debeat Sacerdos duarum Paræciarum in feria ſexta Paraſceue.

verò, quod, ſi non aduerterit, & Sacramentum in monumento vtriuſque Eccleſiæ repoſuerit, tunc, ſi non peregit officium illius diei in vtraque Eccleſia, poſſit non ſumere vinum in officio prioris Eccleſiæ, neque illud in Calicem mittere, ſed ſolam particulam conſecratam, cum hæc cæremonia non ſit valdè notabilis; & deindè ad aliam Eccleſiam accedere, & ibi perficere officium illius diei ſumpto etiam vino. Si verò officium perfecerit in alia Eccleſia ſumpto vino, in alia non peragat officium, ſed Sacramentum in monumento eiuſdem exiſtens reponat in ſacrarium. Hæc ille, cui ſubſcribendum cenſeo; hoc tamen monendum cenſeo, quod in ea parte, qua Suarez dicit, Sacerdotem habentem duas Paræcias debere, cum hoc præuiderit, in vna tantum Paræcia, nempè principaliori monumentum condere conuocato illuc populo alterius Paræciæ, videatur ſibi quodamodo aduerſari in ijs, quæ præcedentèr dixerat, nempè, quod etiam extra dies feſtos, ſi populi multitudo fuerit in vtraque Paræcia, teneatur in vtraque celebrare non obſtante, quod populus pro illa die non teneatur ſacrum audire; quod etiam in hoc caſu dicendum videtur, cum ſupponatur in vtraque Paræcia multitudo populi adeſſe, & illa dies cum ſit quaſi ſolemnitatis, magis vrgeat, ex deuotione, licet non ex præcepto.

7 Item in partibus infidelibus, vbi pauci sũt Sacerdotes, & plures Catholici

Tertius caſus eſt, quando in partibus infidelium pauci ſunt Sacerdotes, & multi Catholici, prout *Scortia lib. 2. cap. 16. nu. 2.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 37.*, *Gauantus in rubr. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 7.*, & in hoc videtur etiam conſentire *Suarez dict. diſp. 80. ſect. 3. in fine*. Ratio ea videtur eſſe, quia ſic videtur exigere pietas illorum Catholicorum in illis partibus, in quibus deſtituerentur fructu tanti ſacrificij, nec Eccleſia præſumitur in illa neceſſitate ita parca, vt nolit eorum deuotioni conſulere, & fauere.

Quartus caſus eſt, quando occurrente maxima ſolemnitate tam magna eſſet populorum affluentia, vt omnes in eadem Eccleſia capi non poſſent ad aſſiſtendum ſacro, quod ibi celebraretur nullo alio exiſtente Sacerdote; tunc etenim ab eodem poſſet ſacrum iterari ad ſatisfaciendum omnibus *Durandus lib. 2. de ritibus Eccleſ. cap. 7.*, qui etiam refert ità ſentiſſe *Leonem Papam Epiſt. 81. ad Dioſcorum*, hocque etiam probabile putat *Suarez loc. cit.*, quamuis dubitet, an Leo Papa fuerit locutus de eodem Sacerdote. Sed immeritò dubitat Suarez; non enim fuiſſet neceſſe, quod idem Pontifex eſſet tam anxius ad adſtruendas illas conditiones maximæ feſtiuitatis, & affluentiæ copioſæ populorum, ſi plures fuiſſent Sacerdotes celebraturi; Quinimmò *Strabo de rebus Eccleſ. cap. 21.*, refert eundem Leonem Papam, quandoque ſepties, quandoque nouies eadem die ex eadem cauſa celebraſſe.

8 Item in caſu magnæ ſolemnitatis extãte vno tantum Sacerdote, & magna populi affluentia.

Hic tamen aduertendum eſt, quod in omnibus prædictis caſibus excepto primo neceſſe eſt, Sacerdotem bis celebraturum non ſumpſiſſe in prima celebratione ablutionem, nec fregiſſe ieiunium naturale, nam eadem ſumpta in prima Miſſa non poſſet aliam celebrare; vndè etiam cautum eſt, quod in die Natiuitatis Chriſti Domini in duabus primis Miſſis non ſumatur ablutio, quam, ſi ex inaduertentia Sacerdos ſumpſerit, teneatur abſtinere ab vlteriori celebratione. Dixi, *excepto primo caſu*, quia, cum tunc agatur de complemento ſacrificij, neceſſitas eiuſdem debet præualere præcepto Eccleſiaſtico ſacrificandi ieiunè.

9 In his tamen caſibus Sacerdos nõ debet in prima Miſſa ſumere purificationem.

Alios plures caſus referunt DD., in quibus aſſerunt, poſſe Sacerdotem bis, vel pluries eadem die ſacrificare, ſed non ita certum eſt, quod hoc poſſit fieri, quin rationibus ſatis validis euincatur contrarium, vel huiuſmodi caſus vix poſſe contingere.

10 Sacerdos, qui iam celebrauit de feſto occurrente alicuius morte nõ poteſt celebrare de requiẽ.

Gloſa in cap. conſuluiſti de celebratione Miſſarum, aſſerit, quod, ſi quis prius de die celebrauit, & poſtea contingat aliquem mori, poſſit iterum pro illo celebrare deſumpto fundamento *à cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct. 1.*, quinimmò cum dicatur, *ſufficit*, exiſtimat *in dict. cap.* non contineri aliquam prohibitionem pluries celebrandi, adeoque poſſe Sacerdotem vna Miſſa celebrata

brata

brata aliam ſine cauſa celebrare. Sed non libentèr adhærere poſſum Gloſæ, nec in caſu neceſſitatis iterùm celebrandi pro defuncto, cuius mors contigit poſt primam celebrationem, & multo minus in caſu illius liberæ poteſtatis iterum celebrandi; & quidem incipiendo ab hoc ſecundo clariſſimè liquet Alexandrum II., qui fuit auctor illius Canonis relati *in cap. ſufficit*, per illum induxiſſe præceptum non celebrandi pluries eadem die, niſi fuerit neceſſitas, ſubdit enim ibidem idem Pontifex. *Qui verò pro pecunijs, & adulationibus ſæcularium vna die præſumat plures Miſſas facere, non æſtimo euadere damnationem*, & hoc clarius euincit *Innocentius III. in cap. conſuluiſti, & Honorius III. in cap. de referente de celebrat. Miſſarum*. Proſequendo deindè quoad primum caſum de iterata celebratione pro recentèr defuncto vix videtur hic caſus poſſe contingere; nam, vel Sacerdos præuidit mortem ſecuturam eadem die pro tempore, quo poſſet Miſſa celebrari, vel non præuidit; ſi non præuidit, certum eſt, quod celebrans primam Miſſam de die ſeruans ritus ab Eccleſia præſcriptos ſumet purificationem, & ſic non poterit amplius celebrare obſtante iure non celebrandi, niſi ieiunè; ſi præuidit, debuit abſtinere à celebratione primæ Miſſæ, & expectare, donec ille vita ceſſerit.

11 Soluũtur aliquæ rationes oppoſitæ.

Quod, ſi dicas, poſſe contingere, quod in actuali celebratione primæ Miſſæ poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei ante ſumptionem purificationis nouerit aliquem inopinato fato occubuiſſe, vel poſſe contingere neceſſitatem non expectandi vſque ad mortem periclitantis propter affluentiam ingentis populi exigentis tunc celebrationem; in quibus caſibus certè, nec impeditetur ab iterata celebratione pro defuncto ratione ieiunij violati, cum ſupponatur in vtroque caſu abſtinuiſſe à purificatione, nec quia potuerit differre celebrationem vſque ad mortem, ergo tunc ſaltem poterit pro eodem defuncto ſacrificium iterare. Si, inquam, hoc dicas, ſtatim impugnaberis, nam, licet in his caſibus ceſſent rationes à nobis ponderatæ, non ceſſat tamen alia ratio non exiſtentis neceſſitatis iterum celebrandi, ſine qua ex allegatis iuribus non poteſt licitè eſſe iteratio; non enim poteſt eſſe hæc neceſſitas ratione ſolemnitatis ſepulturæ, nec ratione ſuffragij pro defuncto; non ratione primi, quia cum vix mortuus intelligatur ex præſcripto Eccleſiæ per aliquod temporis debet cadauer inſepultum manere, & ſequenti die, quo poteſt tradi ſepulturæ, poterit Miſſa ad eandem ſolemnizandam celebrari; Deindè crebrò hæc ſepulturæ ſolemnitas in Veſperis habetur; Non ratione ſecundi, quia ſuffragia pro defunctis per celebrationem Miſſarum debent fieri prò tempore ab Eccleſia præſcripto, nec eſt neceſſe, quod citiſſimè fiant non ſeruatis Eccleſiæ ritibus, & quoad locum, & quoad tempus; cæteroqui, vt benè notat *Suarez dict. diſp. 80. ſect. 3. verſ., vt autem de huiuſmodi caſibus propè medium*, liceret etiam tribus, & quatuor ſacrificijs eodem die mortuo ſuccurrere, ne totidem diebus ſuffragia differantur.

Difficultas ſolummodò circa hoc conſiſtit in explicando textu *in dict. cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct. 1.*, vbi expreſsè hæc leguntur. *Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit*. Pro ſolutione notanda ſunt illa verba, *ſi neceſſe fuerit*, relatiuè ad prima. *Quidam tamen pro defunctis &c.*, quæ indicant non vſum, nec morem Eccleſiæ, ſed, quod aliqui faciunt extante neceſſitate. Quibus poſitis dico, quod ly, *ſi neceſſe fuerit*, non referatur præcisè ad neceſſitatem celebrandi pro defuncto, ſed ad aliam neceſſitatem, quam habet Sacerdos pluries celebrandi, vel ratione diuerſarum Paræciarum, vel magnæ affluentiæ populorum, quibus per vnicam Miſſam nequeat ſatisfacere. Deindè, quidquid ſit, quod ille textus referatur ad præciſam neceſſitatem celebrandi iterum pro defuncto, modo ille textus per contrariam conſuetudinem, & moralem praxim abrogatus eſt. 12 Explicatur textus *in c. contingit de conſec. diſt. 1.*

Rurſus *Gloſa in dict. cap. conſuluiſti de celebratione Miſſarum*, recenſet alium caſum, quo putat, Sacerdotem celebrata vna Miſſa poſſe aliam celebrare, nempè, ſi peracto primo ſacrificio ſuperuenerit aliqua magna perſona, puta Princeps, Epiſcopus, Cardinalis, Legatus, non tamen alij inferiores, qui vellent, & deberent ſacrum audire, nec alius adeſſet Sacerdos, qui poſſet celebrare. Sed neque in hoc libentèr adhærerem Gloſæ, nec eiuſdem ſectatoribus propter rationes adductas in præcedenti caſu, vel etenim Sacerdos ante celebrationem primæ Miſſæ præuidit talem aduentum, & ſic debuit expectare, non primo celebrare, vel non præuidit, & ſic in primo ſacrificio iuxta ritus Eccleſiæ debuit purificationem ſumere, cum qua non poteſt licitè compati aliud ſacrificium. Deindè, vt benè notat *Durandus in rationali lib. 4. cap. 1.*, ex *Turrecremata in dict. cap. ſufficit de conſecr. diſtinct. 1.*, nulla in hoc conſiderari poteſt neceſſitas; nullum etenim eſt inconueniens, ſi Epiſcopus, vel alia perſona magna ſacrum non audiat ex eo, quod nullus adſit Sacerdos, qui iure poſſit celebrare. 13 Per ſuperuenientiam Principis non poteſt iterũ celebrari

Sed quid erit dicendum, ſi Princeps ma-

magnus, vel Cardinalis exiſtente tantum in loco Parocho iter facturus exigeret ab eodem, vt ſummo mane celebraret, an poſſet hic, vt gratum faceret Principi, ſeu Cardinali coram eiſdem tunc celebrare, & poſtea tempore opportuno iterare ſacrificium, vt ſatisfaceret populo. Procedit difficultas in ſuppoſitione, quod dies illa ſit feſtiua, in qua populus teneatur ſacrum audire, nam, ſi eſſet ferialis, certè non poſſet facta prima celebratione coram Principe, ſeu Cardinali iterum coram populo celebrare, cum tunc nulla eſſet neceſſitas non exiſtente præcepto pro illa die ſacrum audiendi; nec ſola deuotio populi eſt ſufficiens ad deobligandum Sacerdotem ab onere bis non celebrandi. Suppoſito igitur onere in populo audiendi ſacrum ſolum vrget hæc difficultas, in qua *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 37. num. 3.*, abſolutè aſſerit poſſe; ſed falſo innititur principio; procedit enim a paritate, quando poſt celebratam primam Miſſam aduenit Princeps, ſeu Cardinalis, exiſtimans tunc licere ſacrificium iterare, quod nos falſum ſupra probauimus. Alij, item abſolutè aſſerunt, vtique poſſe, ſed alio mouentur principio, nempè, quod Princeps, ſeu Cardinalis ratione ſummæ dignitatis æquiualeat vniuerſitati populi; ſicuti ergo iuxtà prædicta, quando duo ſunt populi, vel vnus populus, ſed ingens, vt in eadem Eccleſia ſimul capi non poſsit, poteſt vnus Sacerdos alio non exiſtente ſeruato ieiunio iterare ſacrificium ad ſatisfaciendum vtrique populo, vel populo ingenti, ita, quando eſt Princeps, & Cardinalis ad ſatisfaciendum eiſdem, & populo poterit bis celebrare, quando vtriſque ſimul non poteſt ſatisfacere. Verum, ſi hæc valent, quando Princeps, & Cardinalis petunt ſacrificium ſummo mane, pro quo tempore non poteſt populus conuocari, deberet etiam valere, quando celebrata iam Miſſa coram populo, aduenirent, vel Princeps, vel Cardinalis, dummodò Sacerdos eſſet ieiunus, quod eſt contra ſuperius per nos dicta.

14 An poſſit Sacerdos ſummo manè celebrare ad inſtātiā Principis iter facturi, & poſtea iterū pro populo ſententia affirmans

15 Sentētia contraria præfertur

Ego in hoc arbitror non poſſe innixus præcedentibus principijs; ſi etenim non poteſt Parochus adueniente Principe, vel Cardinali, poſtquam iam celebrauit, iterum celebrare, quantumuis fuerit ieiunus, quia eximitur idem Princeps, ſeu Cardinalis ab onere ſacrum audiendi, quando nullus adeſt Sacerdos, qui iure poſſit celebrare; ita non poteſt ante celebrare, quando pro populo tenetur celebrare; nec obſtant ea, quæ dicebantur, quod Princeps, & Cardinalis æquiualeant vniuerſitati populi; Non obſtant, inquam, quia, licet quoad dignitates, & honores præferantur populo, non tamen quoad exemptionem onerum Eccleſiaſticorum, in quibus computantur, vt ſinguli de populo.

Computant etiam inter caſus, in quibus licet Sacerdoti pluries eadem die celebrare, quando per Parochum celebrata Miſſa ſuperuenit magna peregrinorum copia *D. Antoninus tertia part. tit. 13. c. 6. §. 5*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2 cap. 37. num. 3.*, *& alij*. Sed, nec ijs poſſum acquieſcere propter rationes ſupra adductas; nec paritas de habente duplicem Parœciam quidquam euincit, quandoquidem populi vtriuſque Parœciæ ius habent, vt in vnaquaque illarum Parochus celebret; non ſic peregrini, qui cæteroqui excuſantur ab onere audiendi ſacrum, ſi non adſit Sacerdos, qui ritè poſſit celebrare; nec item valet paritas de magno populi concurſu ratione maximæ ſolemnitatis ad aliquam Eccleſiam, in qua vnus tantum adeſt Sacerdos celebraturus, nec in eadem vniuerſus populus accurrens poteſt capi; in quo caſu ſuperius diximus, eundem Sacerdotem poſſe bis, vel pluries celebrare ad ſatisfaciendum omnibus. Non valet, inquam, quia plures concurrunt cauſæ in paritate, quæ non concurrunt in parificato, quæ ſimul coniunctæ plus vis habent, quam aliqua ſeparata; in illa etenim concurrit magna ſolemnitas, quæ ex genere ſuo populos attrahit, affluentia fidelium concurrentium, commixtio ſubditorum illius Parochi cum non ſubditis, quæ non militant reſpectu peregrinorum caſu aduentantium; vndè in illa dignoſcitur moralis quædam neceſſitas conflata ex pluribus, quæ non dignoſcitur in iſto caſu.

16 Nec poteſt iterū celebrare ob ſuperuenientiā magnæ copiæ peregrinorum.

Computant etiam plures alios caſus Doctores, in quibus licere putant pluries eadem die celebrari; primò, quando celebrata per Sacerdotem Miſſa concurrit neceſſitas communicandi per modum Viatici infirmum, &, cum non adſit Hoſtia conſecrata, debet conſecrari. Secundò, quando ex conſuetudine nuptiæ benedicendæ ſunt in Miſſa, & iam Parochus celebrauit. Tertiò, quando in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata duo ſacra ex conſuetudine, vel ex præcepto ſunt celebranda, vnum de requiem, aliud de die, vel vnum de feſto duplici, aliud de Vigilia, vel de Quadrageſima, nec alij ſint Sacerdotes ieiuni, ſed vnus ſolus, qui ſacrificauit. Sed in his omnibus caſibus arbitror, non adeſſe cauſam, ſeu neceſſitatem ſufficientem, vt idem Sacerdos pro eadem die iteret ſacrificium; cum nullo iure id cautum habeatur, ſed fundamentum tantum habeat in opinione aſſerentium; vndè ad

17 Numerantur alij caſus, in quibus ſacrificiū non poteſt iterari.

primum

primum caſum dico, illum vix poſſe contingere; nam, ſi iam celebrauit non præuiſa neceſſitate communicandi infirmum, iam ſupponitur ſumpſiſſe purificationem, adeoque non eſſe ieiunum, ſi præuiſa neceſſitate; debuit in primo ſacrificio conſecrare particulam pro infirmo. Quod, ſi ſupponas caſus, quo non præuiderit, & tamen adhuc ieiunus remanſerit poſt primam celebrationem, cum purificationem non ſumpſerit; præter quam quod hic caſus videtur omninò metaphyſicus, & vix contingibilis; adhuc tamen non poteſt iterum celebrare etiam ad finem illum miniſtrandi infirmo Viaticum obſtante præcepto non iterandi ſacrificium, & in eo caſu excuſatur infirmus à præcepto ſumendi Viaticum ob impotentiam. Ad ſecundum dico, ſine vllo iuris fundamento dici ob benedicendas nuptias poſſe iterari ſacrificium, cum iſta benedictio non ſit alligata Miſſæ, & fiat quandoque in Veſperis. Ad tertium etiam gratis dicitur, quod in Eccleſijs Collegiatis, quando ſunt duæ Miſſæ celebrandæ, altera de requiem, altera de die, vel altera de feſto duplici, altera de Vigilia non extante alio Sacerdote poſſit ab eodem vtraque celebrari; cum de hoc nullibi conſtet, &, ſi afferantur aliqui textus, hi erunt intelligendi de duplici Miſſa in eadem Eccleſia celebranda, non tamen ab eodem Sacerdote; & iuxtà hunc ſenſum intelligendus eſt *D. Thomas quæſt. 83. art. 2. ad ſecundum*, dum dixit poſt exceptionem à communi regula diei Natiuitatis Domini, *ſicuti etiam, & in alijs diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel explenda, plures Miſſæ celebrantur in die puta vna pro feſto, & alia pro ieiunio, vel de requiem*; nam, vt benè notat *Sotus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 2 art. 1.*, D. Thomas, ibi non loquitur de pluribus Miſſis dicendis ab eodem Sacerdote, ſed ſolemnitèr à Clero, & Conuentu.

SECTIO III.

Expenduntur difficultates circa illam particulam, Tardiùs.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine tarditatis. 1.
Articuli circa eandem examinandi. 2.
Aſſumpto onere celebrandi Miſſam ad finem aliquem obtinendum, ſi Miſſa diferatur vltra tempus, quo finis poſſit obtineri, dilatio eſt grauitèr peccaminoſa. 3.
Sententia aſſerens in hoc caſu reſtituendum eſſe ſtipendium acceptum. 4.
Præfertur contraria ſententia. 5.
Grauitèr delinquit, qui tot onera Miſſarum aſſumit, quibus nequeat, niſi per longum tempus ſatisfacere. 6.
Decretum Sacræ Congregationis ad rem præſentem pertinens. 7.
Hoc decretum afficit, tam Rectores Eccleſiarum, quam priuatas perſonas. 8.
Dummodo ille, qui largitus eſt eleemoſinas implicitè ſaltem non conſenſerit in illam dilationem. 9.
Ad inducendam noxam lethalem, quantum temporis requiratur, variæ ſententiæ. 10.
Sententia auctoris per varias diſtinctiones. 11.
Onera perpetua Miſſarum non ſunt de nouo ſumenda, niſi ſub certis conditionibus, & quibus. 12.
Obligatus ad celebrandas Miſſas pro diebus feſtis grauitèr peccat, ſi diferat ad dies feriales. 13.
Nomine dierum feſtorum quoad hoc veniunt feſta de præcepto. 14.

NOmine tarditatis non venit hic protractio celebrationis Miſſæ vltra horam à iure præſcriptam, hoc eſt vltra meridiem, nam hac de re latè actum eſt in præcedentibus, quæ non vacat hic repetere, ſed nomine eiuſdem venit tarda executio obligationis aſſumptæ. Hæc autem tarda executio multiplicitèr poteſt contingere; primò, quatenus aſſumpta eſt obligatio celebrandi ad impetrandum aliquid à Deo, & Miſſa celebratur elapſo tempore neceſſitatis. Secundò, quatenus tam magnus aſſumitur Miſſarum numerus, vt non niſi poſt diutinum tempus poſſit adimpleri. Tertiò, quatenus extante onere plurium Miſſarum præcedentium aſſumuntur noua onera, quæ non potuerunt adimpleri, niſi adimpletis prius aſſumptis, quod diutinam exigit dilationem. Quartò, quatenus à teſtatore obligatus ad celebrandum Miſſas in die feſto differt celebrationem in feriam ſequentem.

1 Quid ſignificet ly, *tardius*.

2 Dubia circa ipsū diſcutienda.

Aſſertio I. Qui aſſumpſit onus celebrandi Miſſam pro certo fine, puta ad impetrandum aliquid à Deo, & diſtulit celebrationem vltra tempus, quo haberi poſſet conſecutio illius finis, grauitèr peccauit *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 2. nu. 366.*, *Gauantus in rubrica Miſſalis part. 3. tit. 12. num.* 8. Hoc intelligendum arbitror, quantumuis inter aſſumptionem oneris, & celebrationem non multum temporis interceſſerit, ſi innotuerit conſecutionem finis intenti pendere ab illis temporis circunſtantijs, vltra quas non poſſet haberi.

Probatur, quia per illam dilationem fru-

3 Obligatio ob finem dilata vltra tempus finis eſt grauitèr peccaminoſa.

fruſtratur finis, ob quem tradita eſt eleemoſina, & aſſumpta eſt illa obligatio, & etiam violata eſt fides, qua Sacerdos ſe obligauit, ergo non eſt, cur iſte non contrahat culpam læthalem, & non ſolum contra fidelitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. Hinc, ſi quis erogauit Sacerdoti ſtipem ab eodem ad hunc finem acceptam, vt celebret Miſſam pro recuperanda corporali ſalute, & Sacerdos diſtulerit celebrationem poſt mortem ſecutam, certè non eximeretur à graui culpa, cum fortè mortuus non fuiſſet, ſi debito tempore pro eodem celebraſſet; atque iuxtà hunc ſenſum vltra allegatos DD. procedunt *Silueſter verb. Miſſa 1. quæſt. 10., Antonius de Corduba in quæſt. lib. 1. quæſt. 4. dub. 5. de Miſſa, Petrus de Arragona ſecunda ſecundæ quæſt. 85. art. 3. punct. 682. col. 2., Paulus Fraxinellus de obligatione Sacerd. ſect. 4. concluſ. 3. §. 2. nu. 2., Homobonus de exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 14. quæſt. 132., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 31. num. 1.*

Etiam ſi inter aſſumptionem oneris, & celebrationem modicum tempus interceſſerit.

Dixi, *quantumuis inter aſſumptionem oneris, & celebrationem non multum temporis interceſſerit*, quia latitudo ſumenda eſt non ſolum materialitèr ex temporis extenſione, ſed etiam formalitèr ex intentione finis, ad quem impoſita eſt obligatio, qui limitat tempus, vltra quod eſt latitudo ſufficiens ad inducendam grauem noxam. Dixi, *ſi innotuerit conſecutionem finis intenti pendere ab illis temporis circunſtantijs*, nam, ſi non innoteſceret neceſſitas pro tali tempore, & modica eſſet dilatio, non libentèr ſubmitterem graui culpæ ſic modicè differentem, quandoquidem illa modica dilatio ſecundum ſe non eſt grauitèr peccaminoſa, nec redditur talis ratione finis, cum non innoteſcat, finem coarctari intra illos breues terminos.

4 Secundũ aliquos inducit illa dilatio onus reſtitutionis.

Hic oritur difficultas, an in caſu, quo innoteſcente conſecutionem finis pendere ab illis temporis circunſtantijs Sacerdos vltra illas differet celebrationem non ſolum grauitèr peccaret, ſed etiam teneretur ad reſtitutionem recepti ſtipendij? Affirmatiuè reſpondent *Emanuel Rodriquez in ſumma part. 1. cap. 251. num. 7., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 2. n. 367., Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 4. concl. 5. §. 1. num. 4. verſ. amplius Sacerdos, Marchinus, & Homobonus loc. cit.*, deducta ratione ex eo, quod per illam dilationem vltra tempus aptum ad conſequendum finem intentum violetur obligatio iuſtitiæ, ex qua nemine reluctante oritur obligatio reſtitutionis. Nihilominus non abſolutè annuerem huic opinioni ſuppoſito, quod poſtea Miſſam celebrauerit, quandoquidem abſolutè Miſſa celebrata eſt pro eo, qui ſtipem erogauit, &, licet finis, ob quem erogata eſt, fuerit fruſtratus ob illam dilationem, ob quam contracta eſt grauis culpa, quia tamen hic non eſt reparabilis, non inducit onus compenſationis, cum cæteroqui Miſſa, quantumuis dilata ceſſerit in eius vtilitatem, cum pro eodem fuerit applicata, &, ſicuti ex ſuperius dictis obligatus celebrare in determinato loco, quamuis peccet læthalitèr, ſi in eodem non celebret, ſed alibi, non tamen tenetur ad reſtitutionem, vt etiam ſuſtinent *Poſſeuinus de offic. Curati cap. 2. nu. 25., Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 5. §. 3., Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. allegat. 24. num. 36. tom. 2., Bonacina de Sacram. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 4. num. 5., Gauantus in rubric. Miſſalis tom. 1. part. 3. tit. 12., & alij*, ita obligatus celebrare in determinato tempore, ſi in eodem non celebret, ſed poſtea, non tenebitur ad reſtitutionem; Neque obſtat, quod ratione illius dilationis temporis fuerit fruſtatus finis impetrationis beneficij; nam etiam ratione variationis loci fuit fruſtatus finis intentus à teſtatore venerationis loci, & tamen &c.; Quod, ſi repetas, quod finis venerationis loci fuerit finis ſolummodò ſecundarius eiuſdem teſtatoris; finis autem impetrationis beneficij fuerit finis primarius intentus ab eo, qui ſtipem erogauit, adeoque, quod non currat paritas; contra adhuc impugnaberis, quia, quidquid ſit, quod vnus fuerit finis primarius, alter ſecundarius, applicatio ſacrificij eſt onus impoſitum Sacerdoti, ratione cuius eidem erogatur ſtipendium, quo propterea onere adimpleto non eſt, cur non debeat retinere ius ad idem ſtipendium. Deindè, licet erogans ſtipendium fruſtretur fine impetrationis, conſequitur tamen finem ſatisfactionis, quem intendere vnuſquiſque præſumendus eſt, quoties non poteſt conſequi finem impetrationis.

5 Secũdum veritatẽ tamen non tenetur.

6 Non tot onera sũt ſumenda, quot nequeat ſatisfieri, niſi ad longum tempus.

Aſſertio II. Grauitèr delinquit, qui aſſumit tot onera Miſſarum, quibus non poſſit ſatisfacere, niſi poſt longiſſimum tempus. Intellige quoad Miſſas manuales, & quotidianas, nam quoad annuas ſingulis diebus celebrandas, & quoad onera perpetua ſeruanda ſunt tempora, prout in eiſdem oneribus præſcribitur, quamuis ſint in perpetuum duratura. Conſentiunt communitèr, & ſignantèr omnes præallegati in præcedenti aſſertione, & eius probatione, & vlterius *Angelus verb. Miſſa §. 52., Reginaldus in foro pænit. lib. 23. n. 136., Naldus in ſumma verb. Miſſa nu. 12., Alexius Segala de triumpho animarum purgant. cap. 6. dub. 7., Fagundez de quinque Eccleſiæ præcept. part. 1. lib. 3. c. 10. n. 1.*

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quia dilatio celebrationis ad longum tempus maximè noxia eſt fini eleemoſinas tribuentium; ſiquidem, vel illa ordinatur ad ſatisfactionem animarum purgantium, vel ad impetrationem alicuius beneficij temporalis; quocunque modo ordinetur, ſemper dilatio eſt noxia; nam, ſi ordinetur in ſuffragium animarum purgantium, certum eſt, quod diutius illæ animæ torquentur ex dilatione illorum ſuffragiorum, cum non gaudeant fructu ſacrificij, niſi prout illud peragitur; ſi verò ad impetrationem beneficij, iam ſupra dictum eſt in prima aſſertione ſic differentem non eximià graui culpa; ſed, qui tot onera Miſſarum manualium ſuſcipit, quibus non niſi ad longum tempus poſſit ſatisfacere, iam ex neceſſitate non poteſt, niſi poſt longum tempus ea adimplere, & tenetur differre, ergo grauitèr delinquit.

Illa dilatio eſt noxia.

7 Decretũ Sacrę Cõgregationis ad hanc rem pertinẽs.

Hinc ſacra Congregatio Concilij auctoritate Vrbani VIII. ad eliminandam hanc labem inter cætera hoc edidit decretum. *Eleemoſinas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis item demum ijdem accipere poſſunt, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant, alioqui omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſinis etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis.* Eadem tamen Sacra Congregatio in declarationibus ad interrogata ſuper eadem decreta reſpondens ad decimum dubium moderatur allegatum decretum aſſerens, poſſe noua Miſſarum onera ſuſcipi, etiam, ſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, modo infrà modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri.

8 Hoc decretum afficit, tam Rectores Eccleſiarũ, quam priuatos.

Ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, æquè intelligenda ſunt, ſiue recipientes ſint Rectores, ſeu adminiſtratores Eccleſiarum, Conuentuum, ſeu Monaſteriorum quoad huiuſmodi Miſſas manuales, & quotidianas, ſiue Sacerdotes priuati, prout declarauit eadem Sacra Congregatio in reſponſione ad decimum quintum dubium. Ibi. *comprehendi etiam priuatos Sacerdotes*; eadem enim ratio militat pro vtriſque.

9 Intellige, niſi largitor eleemoſinarum implicitè conſenſerit in illam dilationem

Limitanda tamen ſunt, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, in caſu, quo tribuens eleemoſinam nouerit onera iam ſuſcepta, vel ab adminiſtratoribus Eccleſiarum, vel à priuatis Sacerdotibus non poſſe infrà modicum tempus adimpleri, & nihilominus nouas eleemoſinas pro alijs celebrandis contulerit; tunc etenim præſumitur conſenſiſſe in illam dilationem, prout videtur innuiſſe eadem Sacra Congregatio in declarationibus ad vndecimum dubium. Hinc etiam euincitur, quod, ſi quis determinato Sacerdoti contulerit eleemoſinam correſpondentem pluribus Miſſis, quibus nonniſi poſt diutinum tempus ſucceſſiuè celebrando poſſit ſatisfacere, nullo modo peccet Sacerdos, niſi antecedentèr habeat alia onera adimplenda, vel noua aſſumat, per quæ illa interrumpat. Ratio ex eo deducitur, quia, ex quo tribuens talem eleemoſinam nouerit Sacerdotem non poſſe illis ſatisfacere, niſi poſt multum tempus, cum hoc exigat numerus Miſſarum, (non poteſt enim, niſi vnam ſingulis diebus celebrare) præſumitur conſentire in illam dilationem, quæ exigitur pro complemento.

Hic oritur difficultas in explicando, quantum temporis ſpacium requiratur ad hoc, vt dilatio dicatur ad longum tempus, & inducat grauem noxam in differente. Nonnulli indefinitè loquentes adſtruunt, dilationem poſt menſem dici longam, & inductiuam grauis noxæ, ſecundum quos, ſi intra menſem adimpleuerit, non dicetur eſſe in mora grauitèr peccaminoſa; & iuxtà hunc ſenſum definiuit *Rota Romana in vna Bononienſi*, relata *à Marchino d. tract. 3. de ſacrific. Miſsæ part. 2. cap. 31. num. 5.*, licere Sacerdoti noua Miſſarum onera aſſumere, ſi intra menſem poſſet vetera adimplere. Alij protrahunt ad duos menſes, inter quos *Villalobos part. 1. tract. 8. dub. 18. num. 2.*, *Diana part. 1. tract. 14. reſol. 25.*, quibus adhærere videtur *Marchinus loc. cit.*, adducta ratione, quod ſpacium duorum menſium dicatur modicum *Ripa in l. ſi Inſula num. 36.*, *ff. de verb. ſignificat.*, quod colligitur argumento eorum, quæ habet *Concil. Trident. ſeſs. 23. de reformat. cap. 1.*, vbi ſpacium duorum menſium habetur pro modico reſpectu Canonicorum, ſeu habentium præbendas in Eccleſijs Cathedralibus, ſeu Collegiatis, ſi abſint ab eiſdem Eccleſijs. Sed ego arbitror iuxtà diuerſitatem materiæ, ſeu onerum diuerſimodè eſſe iudicandum. Hinc dico primò, quod, ſi collatum fuerit ſtipendium pro vna, vel altera Miſſa ſolum, non videatur celebratio protrahenda, nec ad duos, quinimmò, nec ad vnum menſem, quia exigens non præſumitur in tantam moram conſentire, ſed exigere maiorem celeritatem; vndè in hoc caſu non extenderem tempus celebrationis vltra octo dies; quinimmò, ſi cauſa, ob quam datur tale ſtipendium, & exigitur duplex Miſſa, eſſet coarctata ad breuius tempus, intra illud duæ illæ Miſſæ eſſent celebrandæ, quia tempus tunc limitatur à cauſa. Dico ſecundò, ſi collatum fuerit ſtipendium pro pluribus Miſſis non præſcripto certo termino pro illarum celebratione, intra duos menſes eſſe celebrandas,

10 Quodnã quoad hoc dicatur longũ tempus.

11 Sẽntentia auctoris per varias diſtinctiones.

das, nec à principio poſſe maius Miſſarum onus aſſumi, quod intra illos duos menſes non poſſit adimpleri, niſi fortè ex præſumpta voluntate erogantis tales eleemoſinas iuxtà mox dicta conijciatur conceſſa maior extenſio. Hoc colligitur ex allegato decreto Sacræ Congregationis, per quod prohibentur acceptari plures Miſſæ, quæ nonniſi poſt longum tempus valeant celebrari; nomine autem longi temporis intelligitur illud, quod vltra duos menſes extenditur. Dixi, *à principio*, nam, ſi aſſumpto onere celebrandi per duos menſes iam Miſſis correſpondentibus vni menſi ſatisfactum fuerit, non renuerem, concedere poſſe onus de nouo ad alium menſem aſſumere, quod eſt, quod declarauit Sacra Congregatio ad dubium vndecimum. Dico tertiò, ſi quis aſſumpſerit onus plures Miſſas celebrandi, nec ab aſſumpto onere incæperit eaſdem celebrare, niſi poſt duos menſes, non eximitur à graui culpa. Hoc eſt, quod vetuit Sacra Congregatio, dum voluit, quod non aſſumantur onera Miſſarum, niſi intra modicum tempus celebrentur.

12 Onera perpetua Miſſarũ non ſunt ſumenda, niſi ſub certis cõditionibus.

Aſſertio III. Onera perpetua Miſſarum in Eccleſijs, ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus nequeunt de nouo aſſumi ſine facultate Epiſcopi, vel eius Vicarij Generalis, ſi Eccleſia fuerit ſæcularis, vel Generalis, ſeu Prouincialis, ſi Eccleſia fuerit Regularis, & conſtito, quod in talibus Eccleſijs illorum Sacerdotes valeant, tam nouo oneri ſuſcipiendo, quam antiquo iam ſuſcepto ſatisfacere. Hoc expreſsè habet Sacra Congregatio in decretis iuſſu, & auctoritate Vrbani VIII. editis, quod, cum ex ſe perſpicuum ſit, non indiget vlteriori diſcuſſione.

13 Obligatus celebrare Miſsas in diebus feſtis non poteſt celebrare in ferialibus.

Aſſertio IV. Obligatus ad celebrandum Miſſas in diebus feſtis de voluntate teſtatoris non poteſt illas differre in ferias ſequentes ad feſta, & ſic differens grauitèr peccat. Conſentiunt omnes, & ſignantèr *Bonacina diſp. 4. de Sacrament. Euchariſt. quæſt. vlt. punct. 7. §. 5. num. 6., Gauantus in rubric. Miſſali part. 3. tit. 12. n. 15.*

Ratio non ſolum deducitur ex dilatione vltra diem præſcriptum, & ex violatione voluntatis teſtatoris, ſed etiam ex qualitate diei feſti, quem voluit teſtator ſpecialitèr, tum ad venerationem eiuſdem, tum ad commodum populorum.

14 Quid veniat nomine feſtorum quoad hanc obligationem

Hic excitant DD. dubium, an, ſi teſtator dixerit, quod Sacerdos teneatur diebus feſtis celebrare, intelligendus ſit de feſtis de præcepto, vel de feſtis duplicibus etiam. Reſpondendum eſt, intelligendum eſſe ſimplicitèr de diebus feſtis de præcepto. *Bonacina diſp. 4. de Sacrament. Euchariſtiæ quæſt. vltim. punct. 7. §. 5. num. 6., Gauantus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod nomine feſtorum ſecundum communem acceptionem veniunt dumtaxat dies, qui ex præcepto, vel conſuetudine ſeruantur; quod, ſi etiam dicantur dies feſti, qui ſub ritu duplici celebrantur in Eccleſia, hoc eſt in ordine ad Diuinum Officium præcisè, & limitatè, non autem quoad onera audiendi ſacrum, & abſtinendi ab operibus ſeruilibus; vndè non ſunt feſti ſimplicitèr, ſed ad ſummum ſecundum quid; diſpoſitio autem concepta ſub terminis feſti intelligenda eſt quoad feſta ſimplicitèr, non præcisè ſecundum quid.

SECTIO IV.

Exploduntur dubia circa illam particulam,
Citiùs.

SVMMARIVM.

Quid veniat per ly, Citiùs *quoad rem præſentem.* 1.
Sententia aſſerens poſse anticipatè celebrari pro eo, qui primo oblaturus eſt ſtipendium. 2.
Non licet ſic anticipatè celebrare. 3.
Deus reliquit determinationem Sacerdoti celebranti. 4.
Sacrificium eſt ſolum in poteſtate ſacrificantis quando fit. 5.
Decretum Sacræ Congregationis ſuper hoc emanatum. 6.
Capellanus obligatus per certis diebus celebrare pro fundatore poteſt eas anticipatè celebrare. 7.
Niſi alitèr conſtet de mente teſtatoris. 8.

SVb hoc titulo non examinandum aſſumimus modum, quo quis nimis celeritèr Miſſam celebrat, ſed anticipatam celebrationem cum applicatione, quam Sacerdos quodammodo in incertum præſtat, applicando ſcilicet ſacrificium pro eo, qui poſtea conferret eleemoſinam, vel quem Deus præuidet primo præſtiturum, inquirentes, an licitè hoc poſſit fieri. 1 Ly, *citius* importat anticipatam ſolutionem.

2 Sentẽtia aſſerens poſſe Miſſam celebrare pro eo, qui prius eſt oblaturus ſtipem.

Non defuerunt aliqui, qui abſolutè aſſeruerunt, hoc licitum eſſe, & inter cæteros *Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 21. num. 2., Petrus de Ledeſma in ſumma part. 1. tract. de Euchariſt. cap. 18. concluſ. 157., Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 2. n. 372., Vaſquez in tertia part. diſp. 234. c. 3. n. 22., Bonacina dict. diſp. 4. de Sacrament. Euchariſtiæ quæſt. vltim. punct. 7. §. 5. n. 3.* Duabus potiſſimum rationibus ad hoc mouentur. Primò, quia licet anticipata ſolutione debitum futurum perſoluere; ſic autem Miſſam anticipare nil aliud eſt, quam debitum

bitum futurum ex ſolutione eleemoſinæ contrahendum ſoluere. Secundò, quia, cum omnia ſint Deo præſentia in æternitate, & ſacrificium illud Deo offeratur, Deus, qui habet actu præſentem illum, qui primo oblaturus eſt eleemoſinam, eidem fructum eiuſdem ſacrificij applicabit. Nihilominus ſit

3 Non licet ſic anticipatè celebrare.

Aſſertio. Non licet anticipata applicatione ſacrificium pro eo offerre, qui primo eleemoſinam erogabit. Conſentiunt *Suarez in tertia part. diſp. 79. ſect. 9.*, *Ægidius Coninchus de Sacram. quæſt. 83. art. 1. dub. 9. concluſ. 10.*, *Homobonus de exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 14. quæſt. 130.*, *Gauantus in rubrica Miſsalis part. 3. tit. 12. n. 16.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſsæ part. 2. cap. 31. num. 9.*, *& alij plures apud eundem Marchinum*.

Rationem ex eo deduco, quod, vel quando Sacerdos ſacrificium celebrat, & applicat in incertum confertur fructus eiuſdem ei, qui primo erogabit eleemoſinam, vel ſolum, quando iſte eleemoſinam erogabit; ſi primum afferatur, ſic improbatur; ſacrificium Miſſæ ita inſtitutum eſt, vt eius fructus dependeat quoad effectum ab ipſo Sacerdote offerente, qui ſua intentione determinet, cui ſit applicandus; vndè, ſi nulli applicet, fructus remanet in theſauro Eccleſiæ, ergo, ſi non determinet perſonam, cui determinatè applicet, adhuc fructus eiuſdem in eodem theſauro remanebit; Neq; dicas, ſuam intentionem determinare quoad illam perſonam, quam Deus præuidet primo oblaturam ſtipendium; contra enim impugnaberis, quia, cum Deus reliquerit determinationem applicationis Sacerdoti celebranti, debet ab eodem fieri determinatio in eadem applicatione, ſeu celebratione; Deindè, ſicuti Deus non punit, nec præmio afficit ex ijs, quæ præuidet futura, ſed iuxtà præſentem hominis intentionem, & diſpoſitionem, ita, nec confert effectus Sacramentorum ex ijs, quæ futura præuidet; Si ſecundum dicatur; ſic refellitur. Non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere effectum ſacrificij, quandoquidem poſitis omnibus requiſitis ad validitatem eiuſdem non eſt, cur immediatè non debeat ſequi effectus, quandoquidem idem ſacrificium eſt cauſa neceſſaria, cuius effectus ſuſpendi nequit, quando eſt ſubiectum capax; quod, ſi hic non adſit, effectus remanet in theſauro Eccleſiæ. Quod, ſi dicas, quod Sacerdos offerendo ſacrificium acquiſiuit ius, & fecit quodamodo ſuam illam ſatisfactionem, & ideo videtur ſemper manere in eius poteſtate illam applicare; ſtatim impugnaberis, quia, ſicuti Sacramentum ſolum eſt in poteſtate miniſtri, quando conficitur, & tunc habet effectum, quem non poteſt idem miniſter ſuſpendere, ita ſacrificium eſt tantum ſub poteſtate eiuſdem, quandiu offertur, & tunc debet applicare, & habere effectum, & ideo, ſi tunc ex aliquo defectu caret effectu, non eſt amplius in poteſtate eiuſdem illam applicare.

4 Deus reliquit determinationem Sacerdoti celebranti.

5 Sacrificiū eſt ſolum in poteſtate ſacrificantis quando ſit.

Hinc teſtibus *Cænedo qq. canon. q. 28. num. 26.*, *Diana part. 1. tract. 14. reſol. 15.*, *Homobono de exam. Eccleſ. tract. 4. cap 14. quæſt. 130.*, *Marchino tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 2. cap. 31. num. 10.*, *Fraxinello de obligatione Sacerd. ſect. 3. prænot 5. §. 5. num. 2., & 3.* Sacra Congregatio de mandato Clementis VIII., alij volunt Pauli V. in controuerſia ſuper hoc nouitèr excitata inter Theologos in Hiſpania die 5. Nouembris 1605. ſic decreuit. *Superioribus diebus ſignificatum fuit S. D. N. paucis ab hinc annis in Hiſpania nouam conſuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione innixam ſenſim receptam in dies magis inualuiſſe, vt Sacerdotes Miſſam celebrantes eius valorem generalem applicent ijs, qui poſtea Miſſæ celebrationem poſtulaturi, aut pro ea eleemoſinam præbituri ſunt; tametſi antequam Miſſa ſacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogaſsent, neque ei hac de cauſa eleemoſinam præſtitiſsent. Quamobrem, cum Sanctitas ſua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum pro materiæ grauitate examinandam reiecisſet, in ipſa Congregatione, primo de ea actum eſt diligentiſſimè, & deindè relatum ad Sanctitatem ſuam, quæ ex huiuſmodi Congregationis ſententia huiuſmodi conſuetudinem, tamquam plurimis nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ morè nimium oberrantem exploſit; atque improbauit.*

6 Decretū Sacræ Congregationis ſuper hoc emanatū.

Soluūtur rationes oppoſitæ.

Neque obſtant, quæ pro contraria ſententia afferebantur; non primum de anticipata ſolutione debiti, quia, quidquid ſit, quod anticipata ſolutio ſoluat debitum futurum in alia materia, hoc non ſubſiſtit in præſenti materia, quia, vt diximus, effectus ſacrificij antecedentèr applicati non poteſt ſuſpendi, nec referri ad tempus, pro quo debitum per erogationem eleemoſinæ contrahitur; Non ſecundum, quia Deus determinationem reliquit Sacerdoti, ſine qua effectum ſacrificij non confert.

Aſſertio II. Capellanus, qui onus habet certis diebus celebrandi pro fundatore poteſt anticipatè præueniendo illas celebrare, niſi ipſe fundator aliud, ſiue implicitè, ſiue explicitè ſtatuerit, *Toletanus de reſtitutione lib. 2. cap. 2. num. 171.*, *Aloy-*

7 Capellanus obligatus celebrare pro certis diebus pro fundatore, poteſt eas anticipatè celebrare. ſius Riccius in praxi deciſ. 400. in prima edit., & reſol. 338. in ſecunda, Gauantus inrubric. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 16., Marchinus dict. tract. 3. de ſacrific. Miſsæ part. 2. cap. 31. num. 11., qui alios plures pro hac ſententia allegat.

Ratio eſt, quia ex vna parte illa anticipata celebratio non cadit in incertum, nec ſuſpendit effectum eiuſdem ſacrificij, cum ſint omnia requiſita, & ſit determinata perſona, ſupra quam cadit idem effectus; ex alia parte potius ſuffragatur fundatori, quam noceat, ſiquidem pro eius ſalute, quo citiùs ſit immolatio hoſtiæ ſalutaris, eo citiùs ſubleuatur à pænis purgantibus, ergo non eſt, cur aliqua labe inficiatur huiuſmodi accelerata celebratio, non enim eſt aſſignabilis alia cauſa ex qua labes poſſit conſurgere.

8 Niſi aliter cõſtet de mente fundatoris. Dixi, *niſi ipſe fundator aliud, ſiue implicitè, ſiue explicitè ſtatuerit*, ſi etenim expreſsè in fundatione Capellaniæ expreſsè dixiſſet. Celebrentur tot Miſſæ ſingula hebdomada, nec vlla ex ijs in ſingula omittatur, vel ſuam mentem direxiſſet ad continuatam venerationem talis loci, vel vt populus in qualibet hebdomada commodum haberet audiendi ſacrum, tunc certè non poſſet anticipatè celebrare, quia violaret mentem eiuſdem teſtatoris, & fraudaret populum iure, quod ex eiuſdem teſtatoris voluntate haberet ſacra audiendi in omnibus anni hebdomadibus.

SECTIO V.

An vtiliùs ſit curare ſibi Miſſas celebrari poſt mortem, vel anticipatè in vita, & , an melius ſit curare, vt plures Miſsæ ſibi vna die applicentur, an verò ſucceſſiuè.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes vtilius eſſe, vt celebrentur poſt mortem. 1.
Vtilius eſt curare, vt celebrentur in vita. 2.
Miſsæ in vita non ſolum ſunt ſatisfactoriæ, ſed etiam propitiatoriæ. 3.
Vtilius eſt, vt bonum, quod quis ſperat fieri per alios pro ſe, ipſe agat. 4.
Quando eſt in vita poteſt magis diſponi ad fructum. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 6.
Vtilius eſt animabus in purgatorio exiſtentibus, vt eadem die celebrentur, quam celebrentur ſucceſſiuè. 7.
Ad cultum Dei plus conferunt, quod celebrentur ſucceſſiuè. 8.

Occaſione eorum, quæ dicta ſunt in præcedenti titulo excitatur præſens difficultas, quæ etiam pertinet ad anticipatam applicationem, circa quam videtur prima fronte dicendum, quoad ſatisfactionem potius curandum eſſe, vt poſt mortem celebrentur, quam in vita, quandoquidem, ſi celebrentur in vita immediatè confertur fructus ſatisfactorius, qui propterea prodeſt quoad pænas pro culpis præteritis, non autem futuris poſt eandem celebrationem; ſi verò celebrentur poſt mortem poſſunt prodeſſe pro omnibus, cum poſt eandem nullæ poſſint labes contrahi; ſicque celebratis Miſſis in vita pænæ adhuc remanent expiandæ, quæ remanent pro culpis poſt celebrationem earundem Miſſarum commiſſis; & licet, vbi ante mortem non fuerint Miſſæ celebratæ, pænæ omnium culparum remaneant expiandæ, attamen iſtæ remitti poſſunt per Miſſas eaſdem poſt mortem celebrandas, quæ verificari non poſſunt per Miſſas in vita celebratas ſaltem quoad pænas pro culpis poſtea commiſſis, niſi aliæ Miſſæ poſt eandem mortem celebrentur. Nihilominus ſit 1 Rationes ſuadentes vtilius eſſe, vt poſt mortem celebrentur.

Aſſertio I. Vtilius eſt curare, vt Miſſę pro ſe celebrentur in vita, quam inſtituere, vt celebrentur poſt mortem. Conſentiunt *Lucas Pinellus in tract. de Miſſa part. 2. cap. 7., Homobonus de exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 14. quæſt. 128., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 34. per totum, Alexius Segala in triumpho animarum purg. cap. 6. dub. 9.* 2 Vtilius eſt curare, vt celebrentur in vita.

Rationes plurimas pro hoc aſſerto aſſigno; primò, quia Miſſæ in vita celebratæ non ſolum ſunt ſatisfactoriæ, ſed etiam propitiatoriæ, quatenus conferunt etiam ad remiſſionem culparum, & meritoriæ; ſed celebratæ poſt mortem, licet ſint ſatisfactoriæ, non tamen ſunt propitiatoriæ, nec meritoriæ, ergo vtilius eſt eaſdem in vita procurare, quam poſt mortem, ſiquidem plures in vita conſequuntur effectus, quam poſt mortem; Neque dicas, poſt mortem non eſſe propitiatorias, quia tunc non remanent culpæ remittendæ, ſed tantum pænæ; & quoad eſſe meritorium licet non ſint tales, quando ſit celebratio, eſſe tamen tales in earundem inſtitutione, quia Deus acceptat piam inſtituentis voluntatem; contra enim impugnaberis, quia in primis iam ſequitur, quod plus vtilitatis conſequuntur in vita, quam in morte, cum habeãt in illa effectum propitiationis vltra ſatisfactionem, quod ſatis eſt ad noſtrum intentum, cum exiſtens in vita debeat remiſſionem culparum omnibus viribus inquirere. Deinde licet diſponens de Miſſis poſt mortem celebrandis in illa 3 Celebratę in vita ſunt etiã propitiatoriæ.

diſpo-

diſpoſitione mereatur apud Deum, denegari tamen non poteſt, quin magis mereatur apud eundem erogando in vita ſtipendia pro Miſſis ſunt celebrandis, tum quia non ſolum habet meritum in illa erogatione, ſed etiam, quia ipſe in ſtatu quo mereri poteſt, ſe diſponit quodamodo offerendo cum Sacerdote celebrante, & per alios pios mentis affectus; tum quia magis meritorium videtur ſe ſpoliare bonis, quando eorum commodè frui poteſt, quam quando debet ea relinquere.

4 Melius eſt, quod quis ſperat agi per alios, agat per ſe.

Secundò, quia, vt inquit *D. Gregorius libro 4. Dialog. cap. 58.* Tutior eſt via, vt bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe per ſe. Beatius quippè eſt liberum exire, quam poſt vincula liberationem quærere. Accedit, quod magis certus eſſe poteſt de Miſſarum celebratione per ſe viuentem procuratarum, quam de celebrandis poſt mortem, quandoquidem ex incuria hæredum, vel Miſſæ non adimplentur, vel nonniſi poſt diutinam moram.

5 Dum eſt in vita poteſt magis ſe diſponere per proprios actus.

Tertiò, quia quo magis eſt diſpoſitum ſubiectum per concomitantes actus pietatis, & feruentes animi affectus in conſecutione, Sacramentorum, eo maiores fructus eorundem conſequitur, quod idem ſentiendum eſt in applicatione ſacrificij; ſed quando quis eſt in vita, & per ſe celebrari curat ſacrificia poteſt magis, & magis ſe diſponere per actus pietatis ad illorum fructus, ergo &c.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem licet fructus ſacrificij quantum eſt ex parte meritorum Chriſti ſint infiniti valoris, & ſecundum ſe remiſſiui cuiuſcunque pœnæ, prout tamen applicantur, ſiue viuis, ſiue defunctis nonniſi quoad limitatum effectum conferuntur iuxtà maiorem, vel minorem diſpoſitionem. Cum igitur nonniſi limitatè conferantur, ſiue in vita, ſiue in morte, pœnæ, quæ remittuntur per ſatisfactionem ſacrificiorum in vita non remanent poſt mortem ſoluendæ; vndè ſolum poſt eandem erunt ſoluendæ illæ pœnæ, quæ contractæ fuerunt per culpas commiſſas poſt remiſſionem primarum; vbi verò nulla in vita fuerunt peracta ſacrificia pœnæ omnes erunt luendæ, quæ nonniſi per multa ſacrificia poſt eandem mortem erunt remittendæ; quinimmò, cum in vita poſſint eſſe maiores diſpoſitiones in ſubiecto, quæ non poſſunt eſſe poſt mortem, vberiorem effectum conſequentur.

Aſſertio II. Quoad beneficium, & vtilitatem animarum in purgatorio exiſtentium plus conferunt plures Miſſæ eadem die celebratæ, quam æædem celebratæ per plures dies; quoad honorem autem extrinſecum Dei, & cultum plus conferunt plures Miſſæ ſucceſſiuè continuatæ per plures dies, quam æædem eadem die celebratæ *D. Antoninus prima part. tit. 10. cap. 2. §. 5. in fin.*, *Turrecremata in cap. quia alij 13. quæſt. 2.*, *Graſſius conſ. 5. de celebrat. Miſs.*; *Fraxinellus de oblig at. Sacerd. ſect. 3. pranot. 4.*, *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Sacerd. cap. 14. quæſt. 128. in fin.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſs. part. 2. cap. 24. num. 10.*

7 Ad ſalutẽ purgantiũ magis conferũt plures Miſſæ eadem die celebratè, quam ſucceſſiuè

Prima pars ex eo euincitur, quod, cum omnes Miſſæ tunc pariant ſuum effectum ſatisfactionis, quando celebrantur, & applicantur, quo citiùs celebrantur, & applicantur, eo citiùs cauſant liberationem à flammis purgantibus; vtilius autem eſt animabus citiùs liberari, quam diutius in illis detineri, & non ſolum ob celeriorem exemptionem ab eiſdem pœnis, ſed etiam ob expeditiorem viam ad conſequendam beatificam viſionem, in qua conſiſtit vera fælicitas, nec obſtat, quod licet Miſſæ ſucceſſiuè pluribus diebus celebrentur ſint tamen vno actu, vnoque propoſito ordinatæ, & diſpoſitæ, adeoque ratione eiuſdem propoſiti effectum ſimul conſequantur; Non obſtat, inquam, quia Sacramentum habitum tantum in propoſito nunquam tantum valet ad pœnæ remiſſionem ex opere operato, quantum Sacramenta ipſa in actu.

8 Ad cultũ Dei plus conferũt, ſi celebrẽtur ſucceſſiuè.

Secunda pars, quod magis augeatur Dei cultus, & honor ex eo euincitur, quod continuatè per multos dies eidem offerantur ſacrificia, quam ſi eadem die plura ſimul, & etiam magis populorum deuotio excitatur ex illa continuatione ſucceſſiua, quam ex iterata celebratione, & ſimultanea.

SECTIO VI.

Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad particulam,
Rariùs.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Sacerdos per ſe obligatus quotidiè celebrare pro fundatore poteſt ſemel in hebdomada Miſſam omittere cauſa honeſtatis. 2.
Ratione infirmitatis, ſi tandiu duret, poteſt per menſem omittere. 3.
Si obligatio dirigatur ad locum ſententia aſſerens nullam Miſſam omitti poſſe etiam cauſa honeſtatis. 4.
Secundum Auctoris ſententiam poteſt omittere, niſi teſtator dixerit, quod vult Miſſam in tali Altari quotidiè celebrari

nulla

nulla omiſſa, vel celebrari per Capellanum, vel per alium. 5.

Soluitur argumentum oppoſitum. 6.

Non poteſt vna Miſſa in hebdomada omitti cauſa recreationis, ſeu oblectationis. 7.

Capellanus, ſeu Sacerdos obligatus quotidiè, vel per ſe, vel per alium celebrare pro teſtatore non poteſt vnam Miſſam omittere cauſa honeſtatis. 8.

In caſibus in quibus poteſt Sacerdos ſemel in hebdomada Miſſam omittere, non poteſt pro alio illa die celebrare, & accipere ſtipendium. 9.

Duplex ſtipendium pro illa die reciperet. 10.

1 Dubia diſcutiēda circa hunc titulum.

NOn eſt hic ſermo de temporibus, pro quibus Sacerdos liber ex vi Sacerdotalis ordinis tenetur celebrare, cum de his latè actum fuerit in præcedentibus; ſed de diebus, quibus ex aliqua cauſa Sacerdos obligatus quotidiè celebrare pro fundatore poteſt abſtinere à celebratione; circa quod nonnulla hic veniunt examinanda; & primò, an liceat Sacerdoti ſic obligato ad quotidiè Miſſam celebrandam quandoque licitè Miſſam omittere, & ob quam cauſam. Secundò, an, ſi fuerit, vel à iure, vel ab homine conceſſum ex aliqua cauſa quandoque Miſſam omittere, poſſit Sacerdos etiam omittere non ex illa cauſa, ſed ex alia. Tertiò, an, ſi in fundatione dictum fuerit, quod Sacerdos teneatur, vel per ſe, vel per alium quotidiè celebrare poſſit hic eodem modo ex cauſa omittere, qua poſſet omittere, ſi dictum eſſet, quod teneretur per ſe quotidiè celebrare. Quartò ex ſuppoſitione, qua poſſet ſemel, vel bis in hebdomada omittere, poſſet celebrare pro alio, à quo eleemoſinam pro illa die reciperet, & alia huiuſmodi.

2 Poteſt vnā Miſſā omittere in hebdomada cauſa honeſtatis.

Aſſertio I. Sacerdos obligatus quotidiè celebrare pro fundatore per ſe ipſum poteſt ex cauſa honeſtatis ſemel in hebdomada Miſſam omittere. Hac de re ſparſim in præcedentibus diſſeruimus. Conſentiunt *Panormitanus in cap. ſignificatum de Præbendis, & in cap. conſuluit de celebratione Miſſarum, Nauarrus in manuali cap. 25. n. 135., Homobonus tract. 4. cap. 13. quæſt. 122., Gauantus in rubrica Miſſal. part. 3. tit. 12. num. 17., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 23. num. 1.*, & alij plures ab eodem Marchino relati. Hoc expreſſe habetur *in cap. quotidiè de conſecrat. diſtinct. 2.* Extendunt *Nauarrus conſ. 6. de præbend. in nouiſs., Naldus verb. Miſſa n. 7.* hanc facultatem in Sacerdote abſtinendi à celebratione vſque ad duas vices in hebdomada ex titulo honeſtatis, & reuerentiæ Sacramenti; ſed hoc communitèr non admittitur, cum nimis cederet in præiudicium fundatoris.

3 Ratione infirmitatis poteſt per menſem omittere.

Nec ſolum titulo honeſtatis, & reuerentiæ Sacramenti poteſt obligatus quotidiè celebrare, omittere vnam Miſſam in hebdomada, ſed etiam ratione infirmitatis, per menſem, ſi infirmitas pro tali tempore perſeueret abſque eo, quod teneatur per alium ſupplere per ea, quæ ſupra dicta ſunt. Item poteſt ter, vel quater in anno pro ſe ipſo celebrare ad ſuis neceſſitatibus, ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus ſubueniendum, & hoc ex præſumpta fundatoris voluntate, qui ſi viueret, & de hoc interrogaretur, vtique non rationabilitèr renueret, prout conſiderant *Naldus verb. Miſſa num. 7., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. c. 23. n. 4.*

4 Sentētia aſſerens, quod quando obligatio dirigitur ad locum nulla Miſſa poſſit omitti.

Diſputant hic DD., an ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, intelligēda ęquè ſint, quando obligatio quotidiè celebrandi dirigitur præciſè ad Sacerdotem, an verò etiam quando dirigitur ad locum. Communius aſſerunt, quod quando obligatio principalitèr dirigitur ad locum, obligatus nullo modo poſſit omittere etiam ſemel in hebdomada celebrare in tali loco, & ſignantèr *Zanardus part. 1. de ſacrific. c. 13., Diana part. 2. tract. 14. reſol. 28., & part. 5. tract. 5. reſol. 23., Homobonus tract. 4. cap. 13. quæſt. 124. verſ. ad ſecundam, Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 23. nu. 7., Bonacina diſp. 4. de Sacram. Euchar. quæſt. vlt. punct. 7. §. 2. num. 17., Fraxinellus de obligat. Sacerdot. ſect. 4. concluſ. 4.*, & alij innumeri, tum apud Marchinum, quam apud Bonacinam locis citatis. Ad dignoſcendum autem, quando obligatio dirigatur principalitèr ad locum, & quandonam ad perſonam multas regulas ſtatuit idem *Marchinus loc. cit.*, & primo aſſerit, quod, ſi verba teſtatoris primo exprimant locum, & poſtea perſonam, tunc obligatio intelligatur ordinata ad locum principalitèr, ſi verò è contra verba primò exprimant perſonam, & poſtea locum, obligatio cenſeatur directa ad perſonam. Secundò, ſi teſtator intendat primo ſuorum peccatorum remiſſionem, & dicat volo, vt Miſſa quotidiè in tali loco in remedium animæ meæ celebretur, tunc obligatio intelligatur directa ad perſonam Sacerdotis; ſi verò intendat primo venerationem talis Altaris, vel frequentiam Diuini cultus intelligatur intentio principalis directa ad locum. Ratio, cui innituntur huiuſmodi DD. quando intentio dirigitur ab locum, ea eſt, quia cum locus ille determinatus non ſit capax morbi, nec alterius impedimenti, ſicuti eſt capax perſona, quinimmò, cum in omiſſione reſpectu illius loci non poſſit reſultare ratio illa honeſtatis, quæ reſultat in omiſſione reſpectu perſonæ, quin potius contra-

tra-

trarium; reſultat enim maior honeſtas in celebratione, quam in omiſſione, ſequitur, quod omiſſio in eodem non poſſit concedi non extantibus titulis, ob quos conceditur intuitu perſonæ.

5 Cõtraria ſententia præfertur

Ego tamen, niſi fundator expreſsè diceret, quod vult Miſſam in tali loco quotidiè nulla excepta die, vel quod Sacerdos, teneatur quotidiè in tali Sacello celebrare, vel per ſe, vel per alium, vt infrà dicam, non damnarem Sacerdotem, qui ſemel in hebdomada Miſſam omitteret cauſa honeſtatis. Rationem ex eo deduco, quod tota obligatio, ſiue dirigatur ad perſonam, ſiue ad locum dependet á voluntate, ſiue reali, ſiue præſumpta fundatoris; non eſt autem præſumendum teſtatorem, ſeu fundatorem voluiſſe obligare Sacerdotem, niſi ſalua honeſtate, &, ſicuti ratione eiuſdem honeſtatis patitur iacturam ſacrificij in remedium animæ ſuæ, quando in fundatione dixit. *Volo, vt quotidiè celebretur Miſſa in tali Sacello in remedium animæ meæ*, vt ingenuè admittit *Marchinus loc. cit.*, ita non eſt, cur ratione eiuſdem non debeat pati iacturam ſacrificij ratione venerationis loci; vtrumque etenim in tali diſpoſitione videtur exigere, & refrigerium animæ ſuæ, & venerationem loci.

6 Soluitur argumentum oppoſitũ.

Quod, ſi dicas, quod quando obligatio dirigitur ad perſonam, honeſtas perſonę ſit attendenda, quando verò dirigitur ad locum, reſpicienda ſit honeſtas loci; honeſtas autem perſonæ haberi poteſt per omiſſionem; honeſtas verò loci potius per celebrationem, quam per omiſſionem, adeoque in primo caſu admittenda ſit illa omiſſio, non ſic in ſecundo; ſtatim impugnaberis, quia, ſicuti cedit bono ſuo ratione honeſtatis perſonæ, ita cedere præſumendus eſt venerationi loci ratione eiuſdem honeſtatis, &, ſi alitèr voluiſſet, dixiſſet, vel per ſe, vel per alium, quod, cum non præſtiterit, præſumendum eſt, quod in tali diſpoſitione iuribus, & honeſtati Sacerdotis in ordine ad reuerentiam Sacramenti ſe voluerit accommodare, cætero. qui videretur iniungi obligatio ad rem illicitam.

7 Non poteſt vnã Miſſa in hebdomada omitti cauſa recreationis.

Aſſertio II. Obligatus quotidiè celebrare pro fundatore, qui cauſa honeſtatis poteſt Miſſam in hebdomada omittere, non poteſt eandem omittere cauſa oblectationis, vel recreationis. Conſentiunt *Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 4. §. 3., Riccius in ſua praxi deciſ. 403., Bonacina diſp. 4. de Sacram. Euchar. quæſt. vlt. punct. 7. §. 2. num. 16.*

Ratio ex eo deducitur, quod ex vi fundationis obligatio celebrandi vrget pro ſingulis diebus hebdomadæ, & ſolum eſt exceptio a iure conceſſa ratione decentiæ, & honeſtatis, ergo ex alia cauſa à decentia, & honeſtate non eſt concedenda exceptio, ſed obligatio ex vi fundationis in ſuo robore permanebit, cum exceptio ab obligatione quotidiè celebrandi non poſſit eſſe ex arbitrio, & libertate obligati ad celebrandum, ſed tantum à iure, quod præciſè reſpicit decentiam, & honeſtatem.

8 Obligatus quotidiè celebrare, vel per ſe, vel per alium nõ poteſt vnam Miſſam in hebdomada omittere.

Aſſertio III. Si in fundatione dictum fuerit, quod Sacerdos electus ad quotidiè celebrandum teneatur, vel per ſe, vel per alium ſingulis diebus cuiuſcunque hebdomadæ celebrare, non poteſt, nec ex titulo honeſtatis Miſſæ ſacrificium ſemel in hebdomada omittere. Conſentiunt *Graſſius tom. 2. conſil. lib. 3. difficult. 4. fol. 105., Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 3. art. 1., Henriquez lib. 9. cap. 22. num. 4., Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 4. §. 1., Gauantus in rubric. Miſs. part. 3. tit. 12. n. 17.*, & alij plures apud *Bonacinam diſp. 4. de Sacrament. Euchariſt. quæſt. vltim. punct. 7. §. 2. num. 17.*

Ratio eſt, quia in hac diſpoſitione non poteſt conſiderari ratio honeſtatis, quæ excuſet ab omiſſione celebrationis ſacrificij ſemel in hebdomada; ſiquidem, ſi ipſe titulo honeſtatis hoc eſt conſcientia ſibi ſuadente retrahitur à celebrando ex onere ſibi iniuncto, tenetur per alium celebrare, ergo vigente onere per fundatorem inducto quotidiè celebrandi, nec excuſante honeſtate vtique tenebitur quotidiè Miſſam celebrare.

Hac eadem ratione, ſi contingat Sacerdotem electum infirmitate detineri, vel alia cauſa excuſari, ſeu impediri à celebratione, tenebitur per alium ſupplere defectum, quia onus à fundatore impoſitum non reſtringitur ad ipſum electum, ſed extenditur ad alios; qui enim dicit volo, vt quotidiè celebretur per Capellanum, vel per alium, idem eſt, ac ſi diceret volo, vt Capellanus celebret, & ipſo impedito alter pro ipſo.

9 Nõ poteſt illa die pro altero celebrare.

Aſſertio IV. In caſibus, in quibus obligatus quotidiè celebrare pro fundatore poteſt ex honeſtate Miſſam ſemel in hebdomada omittere, non poteſt ab alio pro ea die ſtipendium accipere, & pro eodem celebrare *Riccius in ſua praxi deciſ. 413., Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. concl. 4. §. 3., Homobonus de exam. Eccl. tract. 4. cap. 13. quæſt. 124., Gauantus in rubric. Miſſal. part. 3. tit. 12. num. 17., & alij communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quod titulus honeſtatis, ob quem conceditur poſſe ſemel in hebdomada abſtinere à ſacrificando, eſt præciſè ad abſtinendum, vt ratione talis abſtinentiæ magis diſponatur ad dignius

cele-

celebrandum, & ad remouenda ea, quę poſſunt obeſſe digniori celebrationi, qua ratione ceſſante vrget onus à fundatore iniunctum quotidianæ celebrationis, ergo, ſi voluerit celebrare, tenebitur pro fundatore celebrare, nec illud ſacrificium poterit alteri accepto ſtipendio applicare.

Secundò, quia nequit Sacerdos pro eodem ſacrificio duplex ſtipendium acquirere, vt definiuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum in decretis de celebratione Miſſarum; ſed, ſi pro eadem die, qua ex honeſtate poteſt ſacrum omittere, celebraret, & ab alio

10 Duplex ſtipendiū pro illa die reciperet.

ſtipendium acciperet, duplex ſtipendium pro eadem Miſſa acciperet, ergo &c. Minor probatur, quia iam ſupponitur, quod à fundatore congruum ſtipendium habeat pro ſingulis Miſſis celebrandis, adeoque etiam pro illa die, qua ex honeſtate poſſet omittere; rurſus aliud acciperet ab eo, pro quo celebrare intendit, ergo duplex ſtipendium pro eadem Miſſa acciperet; Neque dicas, quod ſtipendium, quod accipit à fundatore, non ſit pro eadem Miſſa, nam, ſi Miſſam omitteret celebrare, adhuc illud acquireret, ſed pro onere quotidiè celebrandi cum iure abſtinendi ſemel in hebdomada; contra enim impugnaberis, quia licet, ſi ſemel in hebdomada ſacrificium ex honeſtate omittatur, nihilominus ſtipendium acquiratur, hoc eſt ex præſumpta eiuſdem fundatoris voluntate, qui ex cauſa illius honeſtatis præſumitur cedere, quando tamen pro illa die fit celebratio, ceſſante illo motiuo honeſtatis non præſumitur cedere, adeoque non eſt, cur ſacrificium non debeat pro ipſo cedere, & ſic ſtipendium pro eodem applicari.

SECTIO VII.

An vrgente ritu in aliqua Diœceſi, ſeu Prouincia, quod pro aliqua die non celebretur Miſſa, poſſit Sacerdos illius Diœceſis, ſeu Prouinciæ obligatus quotidiè celebrare, pro illa die in Eccleſia non obligata illi ritui celebrare, & ſtipendium acquirere.

SVMMARIVM.

Vndenam deſumptum ſit fundamentum huius quæſtionis. 1.

Sacerdos Ambroſianus, qui alio onere non premitur, poteſt diebus vetitis ritu Ambroſiano celebrare, in Eccleſia Romana celebrare, & accipere ſtipendium. 2.

Etiamſi ex vi fundationis, ſeu teſtamenti eſſet obligatus celebrare pro fundatore, ſeu teſtatore. 3.

Teſtator non intelligitur obligare pro diebus vetitis. 4.

Non currit paritas de Sacerdote celebrante die, qua poteſt omittere cauſa honeſtatis, ac de Sacerdote celebrante ritu Romano in diebus vetitis ritu Ambroſiano, & quare. 5.

Nec dici poſſet, quod pro eadem Miſſa acciperet duplex ſtipendium. 6.

EX occaſione eorum, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo ſub aſſertione IV., nempè, quod Sacerdos obligatus quotidiè pro fundatore celebrare, licet poſſit ex honeſtate ſemel in hebdomada ſacrum omittere, non tamen ab alio ſtipendium exigere, & pro eodem celebrare, & applicare ſacrificium, excitatur præſens difficultas, quæ potiſſimum locum habet in hac Mediolanenſi Diœceſi, in qua vetitum eſt Sacerdotibus celebrare quacunque feria ſexta Quadrageſimæ; circa quam inquirimus, an Sacerdotes huius Diœceſis obligati quotidiè pro fundatore celebrare, pro illis diebus, quibus ex præſcripto eiuſdem Eccleſiæ nequeunt celebrare, poſſint in Eccleſijs Regularium, vel alijs, quibus non ſeruatur ritus Eccleſiæ Ambroſianæ, celebrare, & pro illis Miſſis ab alijs ſtipendium accipere celebrando ritu Romano; & hic obitèr etiam diſcutietur, an Sacerdos Ambroſianus, qui non premitur onere quotidiè celebrandi, poſſit celebrare in eiſdem Eccleſijs exemptis, & ſtipendium acquirere. Incipiendo ab hoc ſecundo titulo.

Motiuum huius quæſtionis.

Aſſertio I. Sacerdos, qui alio onere non premitur, addictus ritui Ambroſiano, pro diebus, quibus ex ritu ſuæ Eccleſiæ non poteſt celebrare, poteſt in Eccleſijs exemptis ritu Romano celebrare, & ſtipendium acquirere. Hanc quæſtionem apud nullum Doctorem, qui typis ediderit, excitatam vidi, licet valdè controuerſam nouerim apud Sacerdotes huius Diœceſis, qui tamen paſſim ſcientibus, & non contradicentibus eiuſdem Eccleſiæ Prælatis in Eccleſijs Regularibus pro illis diebus celebrant, & conſuetam ſtipem recipiunt.

2 Sacerdos nullo onere obſtrictus poteſt in Eccleſijs Regularibus celebrare, & ſtipem recipere.

Rationem ex eo deduco, quod nullus poſſit adduci titulus, qui valeat talem celebrationem dehoneſtare, nec ſtipendium, quod pro illa recipitur; non prohibitio celebrandi pro huiuſmodi diebus, quia hæc refertur ſolum ad ritum talis Eccleſię, & in Eccleſijs eidem ritui ſubiectis; non ad Eccleſias licet in eadem Diœceſi ſitas, in quibus ſeruatur ritus Romanus, vt per ſe patet; Non qualitas perſonæ addictæ dicto ritui, quia hæc non prohibetur in Eccleſijs Romanorum ſe conformare ritui Romano præcipuè pro diebus, quibus non

poteſt celebrare ritu Ambroſiano attento etiam, quod ritus Romanus eſt vniuerſalis argumento eorum, quæ tradit *Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & iur. cap. 37. dub. 12. num. 74.*, *Caietanus in ſumma verbo Hora, §. 2.*, *Barboſa in cap. presbyter num. 10. de celebratione Miſſarum*. Neque obſtant textus *in c. de his, & cap. placuit diſtinct. 12.*, in quibus præcipitur ſub pœnis, vt omnes ſeruent ritum, quem ſeruat Eccleſia principalis, qui textus, licet procedant quoad ritum in pſallendo, ex paritate tamen rationis trahendi etiam ſunt ad ritum in miſſando; Non obſtant, inquam, quia illi procedunt dumtaxat, quando pſallendum eſt in loco, non extra locum, & quoad Miſſam, ſi quam vim haberent, haberent ad ſummum, quando eſſet proprius ritus, qui non adeſt in Eccleſia Mediolanenſi pro illis diebus feriæ ſextæ in Quadrageſima, vndè vſus obtinuit, vt Sacerdotes, quantumuis addicti ritui Ambroſiano pro illis diebus nemine diſceptante celebrent ritu Romano in Eccleſijs exemptis; Nec adduci poteſt titulus recepti ſtipendij, quandoquidem ſuppoſito ſacrificio, & applicatione eiuſdem de iure debetur, cum ſupponatur Sacerdos pro illo ſacrificio non habere aliud ſtipendium.

Rationes pro aſſerto.

3 Etiam ſi eſſet obligatus quotidiè pro fundatore celebrare.

Aſſertio II. Obligatus quotidiè celebrare ex vi fundationis, ſeu teſtamenti, in hac Diœceſi Mediolanenſi pro diebus cuiuſcunque feriæ ſextæ in Quadrageſima poteſt ritu Romano celebrare in Eccleſijs Regularium, nec tenetur ſacrificium pro illis diebus applicare pro fundatore, ſed poteſt applicare pro alio, à quo recipit eleemoſinam.

4 Teſtator non intelligitur obligare pro diebus vetitis.

Ratio ex eo deducitur, quod mens teſtatoris exigentis Miſſam quotidianam non intelligitur relata ad obligandum pro illis diebus, quibus vetitum eſt à iure celebrare, ſed dumtaxat ad dies, in quibus ſecundum ritus illius Eccleſiæ poteſt licitè fieri celebratio, quandoquidem eius voluntas, vtpotè regulata debet eſſe conformis iuribus talis Eccleſiæ, ergo nulla eſt obligatio pro illis diebus celebrandi, & applicandi pro ipſo teſtatore, ergo Sacerdos vtendo iure ſuo poterit alibi, in quo non eſt prohibitio, celebrare, & pro alio, à quo accipit ſtipendium, ſacrificium applicare; per hoc enim nullam infert iniuriam ipſi teſtatori, cum non habeat ius, vt pro illis diebus pro ſe celebretur.

Dices primò, etiam teſtator nullum habet ius, vt pro ſe celebretur pro illa die in hebdomada, in quo poteſt Sacerdos titulo honeſtatis abſtinere à ſacrificio, & tamen, ſi pro illa die celebrat, tenetur ſacrificium applicare pro teſtatore iuxtà ſuperiùs dicta, ergo etiam, quantumuis teſtator non habeat ius, vt pro illis diebus feriæ ſextæ in Quadrageſima Sacerdos celebret, ſi tamen hic celebrat, tenebitur pro teſtatore ſacrificium applicare. Sed contra; admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia illa permiſſio in primo caſu eſt dumtaxat in fauorem Sacerdotis, vt ſcilicet ſibi conſulat, & dignius ſe diſponat ad alia ſacrificia, quo titulo ceſſante ſemper viget, & in ſuo robore remanet ius teſtatoris; in ſecundo autem caſu, de quo hic loquimur, non eſt ſimplicitèr permiſſio non celebrandi in fauorem Sacerdotis, ſed abſolutè prohibitio ſecundum illum ritum, ſecundum quem impoſita eſt illa obligatio, celebrandi, & propterea nullum ius viget reſpectu teſtatoris celebrationis pro ſe pro illis diebus. Dici etiam poteſt, quod illi dies feriæ ſextæ in Quadrageſima non computentur inter dies Miſſæ quotidianę, cum ſegregentur à iure, adeoque, quod teſtator in ordine ad illos dies nullum ius habeat.

5 Non currit paritas de Sacerdote celebrante pro die qua poteſt omittere cauſa honeſtatis.

6 Nec accideret duplex ſtipendium

Dices ſecundò, quod data hac noſtra ſententia Sacerdos pro eodem ſacrificio duplex ſtipendium haberet, quod omni iure vetitum eſt. Aſſumptum autem ſic probatur, quia iam haberet ſtipendium teſtatoris, quandoquidem ſupponitur ſtipendium proportionatum quibuslibet diebus anni aſſignatum; item haberet aliud ſtipendium ab eo, pro quo applicat. Sed contra; negandum eſt, quod haberet ſtipendium pro illo ſacrificio à fundatore, nam illud ſtipendium, quod habet à teſtatore non correſponderet illi ſacrificio, ſed conflatum in vnam quodamodo maſſam correſponderet omnibus alijs ſacrificijs, ea proportionali ratione, qua ſupponitur teſtator congruum ſtipendium aſſignaſſe pro ſingulis diebus annis cumulatiuè, & tamen Sacerdos non ſingulis diebus anni celebrat puta in feria quinta in Cœna Domini, in feria ſexta Paraſceue, & in Sabbato Sancto; vndè illud ſtipendium pro illis diebus non correſpondet ſacrificio illorum dierum, cum non celebretur, ſed alijs, pro quibus celebrat.

ARTICVLVS IV.

De obligationibus Sacerdotis ratione ritus.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.

Sententia aſſerens, quod, ſi Sacerdos celebret Miſſam diuerſam ab ea, quam petijt erogans ſtipem grauitèr peccet. 2.

Variæ conſiderationes circa præſentem quæſtionem. 3.

Si obligatio talis Miſſæ ex mente erogantis eleemoſinam ſit affixa diei, in qua non poſſit illa Miſſa celebrari, Sacerdos celebrans de illa die non peccat. 4.

Si obligatio ſit affixa diei non impeditæ celebranda eſt Miſſa iuxtà mentem erogantis eleemoſinam. 5.

Excipe, niſi illa die eſſet maxima deuotio populi erga aliquem ſanctum. 6.

Quæ dicta ſunt ſeruata proportione æquè procedunt de Miſſa de requiem, & de Miſſa votiua requiſita ab erogante eleemoſinam. 7.

Reijcitur opinio Marchini volentis in die magnæ deuotionis populi erga aliquem ſanctum poſſe omitti Miſſam de requiem, non ſic votiuam. 8.

Orationes Miſſæ votiuæ ſuppleutur per alia, & quomodo. 9.

Inſtantia Marchini pro Miſſa votiua diſſoluitur. 10.

1 In quo ſenſu procedat titulus.

NOn eſt hic ſermo de ritibus, qui ſeruandi ſunt in celebratione Miſſæ, ſiue conſiſtentes in actionibus, ſiue in verbis, cum de illis latè actum fuerit in præcedentibus, ſed de ritibus certarum Miſſarum, qui exiguntur ab erogantibus ſtipendia, puta, ſi ab eiſdem exigantur Miſſæ votiuæ, vel de requiem, vel de ſancto, & de his hic inquirendum venit, an, ſi Sacerdos, qui accepit ſtipendium pro celebranda Miſſa votiua, vel de requiem, celebret Miſſam de die currenti grauitèr peccet.

2 Celebrãs Miſſam diuerſam à petita ab erogante ſtipem ſecundum aliquos grauitèr peccat.

Grauitèr peccare, docuerunt *Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 24. num. 6., Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitutione num. 248., Petrus de Arragona ſecunda ſecundæ qu. 85. art. 3. notab. 3. in fine, Ildephonſus Perez de anniuerſ., & Capel. lib. 2. cap. 8. n. 33., Ioannes Baptiſta Scortia de ſacrific. Miſſæ lib. 2. cap. 17. num. 4., Graſſius conſil. tom. 2. conſ. 3. num. 3., & alij plures*, qui ea potiſſimum ratione mouentur, quod obligatio, tam impoſita ab erogante eleemoſinam, quam acceptata à Sacerdote eſt affixa determinatæ Miſſæ, vel votiuæ, vel de requiem, ergo, nonniſi per illam Miſſam votiuam, vel de requiem poteſt adimpleri, cæteroqui ne dum fides, ſed quoquo modo etiam iuſtitia violaretur, cum inuito creditore ex vulgatis iuribus vnum pro alio nequeat ſolui.

Ego pro reſolutione huius quæſtionis plura conſideranda exiſtimo; & primò, an illa obligatio celebrandi Miſſam votiuam, vel de requiem ex voluntate erogantis eleemoſinam ſit alligata certæ, & determinatæ diei, quatenus dixerit volo, vt hodie prò me celebres Miſſam votiuam, vel pro patre meo defuncto Miſſam de requiem, vel ſit alligata diei ratione neceſſitatis tunc vrgentis, ob quam exigitur illa Miſſa; an verò illa obligatio ſit ſine reſtrictione ad diem determinatam; Secundò ex ſuppoſitione, quod illa obligatio ſit alligata diei, an illa dies ſit impedita, quatenus ſit feſtum duplex, pro quo nequeunt Miſſæ votiuæ, vel de requiem celebrari, vel non ſit impedita. Tertiò diſtinguendum arbitror inter Miſſam votiuam, & Miſſam de requiem ex diuerſa ratione, prout infrà. 3 Variæ conſiderationes circa hãc mutationem.

Aſſertio I. Si obligatio ſit alligata ex mente erogantis eleemoſinam determinatæ diei, quæ ſit impedita officio duplici, vel Dominicæ poteſt Sacerdos celebrare Miſſam de Dominica, vel de feſto duplici, & applicare ſacrificium pro cauſa, pro qua erogatum eſt ſtipendium. *Gauantus in rubric. Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 21., Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. c. 25. num. 3., Hoſtrienſis lib. 3. de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris num. 15., D. Thomas in quarto diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncul. 1. ad tertium, & in addit. ad tertiam partem quæſt. 71. art. 9. ad quintum, Suarez de Sacrament. diſp. 83. ſect. 3. verſ. in quo eſt magna, Bonacina de Sacrament. Euchariſtiæ diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7 §. 3. num. 4., Homobonus de exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 14. quæſt. 126.*, qui omnes procedunt etiam in laxioribus terminis, quando dies non eſt impedita officio duplici, vel de Dominica, dum aſſerunt, quod poſſit Sacerdos ſe conformare ritui Eccleſiæ concordando Miſſam cum Officio, & reprenſibile eſſe, Sacerdotes ad inſtantiam laicorum dimittere Miſſas proprias. 3 Si obligatio ſit affixa diei, qua adimpleri nõ poſſet, Sacerdos non peccaret, ſi celebraret Miſſam de die.

Ratio ex eo deducitur, quod potius regulis, præceptionibus, & rubricis Miſſalis parendum eſt, quam priuatæ petentium voluntati, quæ omninò inutilis eſt, dum aduerſatur ritibus, & iuribus Eccleſiaſticis, vt benè notat *Panormitanus in cap. quidam laicorum de celebratione Miſſarum*; vndè *in rubric. Miſſalis tit. de Miſſis votiuis num. 3.*, ſic expreſsè legitur: *Quæ tamen Miſſæ, & omnes aliæ votiuæ in Miſſis priuatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum*

quo-

quocunque die Officium non eſt duplex, & in rubricis de officio defunctorum num. 2., habetur. *Miſſa autem priuata pro defunctis quocunque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & diebus Dominicis.*

4 Si mens erogantis eleemoſinam, & petentis Miſſam determinatam ſit indefinita quoad tempus poteſt differri.

Dixi, *alligata ex mente erogantis eleemoſinam, vel ex mente teſtatoris*; nam, ſi eſſet quodamodo indefinita quoad tempus, poſſet quidem Sacerdos in alteram diem non impeditam transferre celebrationem, & celebrare iuxtà mentem eiuſdem, non tamen teneretur, & potius expediret, vt celebraret prima die Miſſam de Officio duplici applicando pro erogante eleemoſinam, quam transferret in alteram diem non impeditam celebrando Miſſam votiuam, vel de requiem, cum eiuſdem valoris ſit Miſſa diei, ac ſit illa de requiem, vel votiua, & acceleratio ſit magis proficua, vel ad liberandam animam a pœnis, vel ad conſequendam gratiam; ſi verò ſit alligata ratione neceſſitatis vrgentis pro illa die, indubitati iuris videtur, quod non poſſit Miſſam transferre in alteram diem, quia celebraretur pro neceſſitate iam tranſacta.

5 Si obligatio ſit affixa diei non impeditæ tenetur Sacerdos celebrare Miſſam præſcriptam.

Aſſertio II. Si ex mente erogantis eleemoſinam ſit alligata diei, quæ non ſit impedita Officio duplici, vel de Dominica, tenetur Sacerdos per ſe loquendo celebrare Miſſam vel votiuam, vel de requiem iuxtà petitionem requirentis illam, & pro illa erogantis eleemoſinam *Angelus verb. Miſſa num. 42., Armilla eodem verb. num. 36., Bartholomæus ab Angelo de Miſſa §. 749., Bonacina de Sacrament. Eucharistiæ diſp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 3. n. 4.*, qui tamen excipit interueniente aliqua iuſta cauſa, vt infra.

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte licitum eſt pro diebus illis non impeditis Officio duplici, vel de Dominica celebrare Miſſas votiuas, vel de requiem, prout colligitur ex allegatis *rubric. Miſſalis ſub tit. de Miſſis votiuis num. 3., & ſub tit. de Offic. defunct. num. 2.*. & ex alia parte vrget voluntas erogantis eleemoſinam, quæ non aduerſatur rubricis, & iuribus Eccleſiaſticis, ergo non eſt, cur talis voluntas non ſit adimplenda; Neque obſtant ea, quæ aſſerebantur in probatione præcedentis aſſertionis, quod potius parendum ſit regulis, & præceptionibus Miſſalis, quam priuatæ petentium voluntati, & quod reprenſibile ſit Sacerdotes ad inſtantiam laicorum omittere Miſſas proprias; Non, inquam, obſtant, quia ea, quæ ibi dicta ſunt, procedunt, quando aduerſantur rubricis, & præceptionibus, vt quando pro illis diebus adeſt Officium duplex, vel de Dominica, quia tunc eſt prohibitio, non quando eſt permiſſio, vt in alijs diebus non impeditis.

6 Exceptio ad mox dicta.

Dixi, *per ſe loquendo*, non enim negauerim, quod concurrente aliqua cauſa, puta die aliqua, in qua vigeat magna populi deuotio erga aliquem Sanctum, poſſit de illo Miſſa celebrari omiſſa votiua, vel de requiem requiſita ab eo, qui eleemoſinam erogauit. Conſentiunt in hoc *Gauantus, & Marchinus loc. cit.* Ratio ea videtur eſſe, quia in hoc non videtur poſſe eſſe rationabilitèr inuitus ipſe, qui erogauit eleemoſinam, cum illa maior populi deuotio videatur præponderare illi ritui celebrandi votiuam, vel de requiem, &, ſi loquamur de effectibus ex opere operato vtraque Miſſa eſt eiuſdem valoris; ſi verò de effectibus ex opere operantis poteſt eſſe maior ex Miſſa illius diei propter maiorem deuotionem erga illum Sanctum, quam ex Miſſa votiua, vel de requiem.

Aſſertio III. Ea omnia, quæ dicta ſunt tam in prima aſſertione, quam in ſecunda æquè intelligenda ſunt ſeruata debita proportione, ſiue fuerit ab erogante eleemoſinam requiſita Miſſa votiua, ſiue de requiem, adeo vt, ſi pro die, quo vtraque eſſet celebranda, occurrat feſtum duplex, vel dies Dominicæ ſit Miſſa celebranda de feſto, vel Dominica omiſſa votiua, & de requiem; ſi verò occurrat dies non impedita, vel duplici feſto, vel Dominicæ per ſe loquendo debeat Miſſa celebrari votiua, vel de requiem excepto, quando occurreret dies magnæ deuotionis populi, erga aliquem Sanctum, licet dies illa non eſſet Officij duplicis. In hoc conueniunt omnes allegati excepto vno *Marchino d. tract. 3.*
7 *de ſacrificio Miſſæ part. 2. cap. 25. num. 12., & 13.*, qui diſcrepat in hac vltima parte aſſerens, quod, licet ob magnam aliquam deuotionem populi erga aliquem Sanctum poſſit omitti Miſſa de requiem, & recitari illa de Sancto, non tamen poſſit omitti votiua, vt celebretur illa de Sancto addita etiam ratione, quia Miſſa de requiem eſt primo, & per ſe ordinata ad ſatisfactionem pœnarum, quæ peccatis debebantur, & ſatisfactio æque habetur per qualcunque Miſſas, quia pendet ex meritis Chriſti; at Miſſæ votiuæ ex ſua natura, & inſtitutione ſunt primario ſunt ordinatæ ad impetrandum aliquod beneficium a Deo, & ideò non licet eas in Miſſam diei propriam ordinare. Hæc ille fere ad verbum. Sed

Dicta æquè procedunt de Miſſa votiua, ac de requiē.

Probatur aſſertio primo quoad omnes primas partes, in quibus non diſcrepat Marchinus, quia militant eædem omninò rationes quoad vtramque Miſſam, ſiue comparatiuè ad feſtum duplex, ſiue Dominicæ, in quibus, nec licet Miſſam votiuam, nec de requiem celebrare, cum vtraque eodem iure vetetur, nec minus illicitum eſt illis diebus celebrare Miſſam de re-

quiem, ac Miſſam votiuam, ſiue comparatiuè ad alios dies non impeditos, in quibus licitum eſt celebrare, ſiue votiuam, ſiue de requiem, & propterea vrgente lege impoſita ab erogante eleemoſinam Miſſæ, ſiue de requiem, ſiue votiua iuxtà eandem legem eſt celebranda.

8 Reijcitur opinio limitatiua Marchini. Probatur ſecundò, quoad vltimam partem, in qua diſcrepat idem Marchinus; quia vel ſacrificium, ſiue ſit votiuum, ſiue de requiem eſt conſiderandũ ſecundum virtutem ex opere operato, vel ex opere operantis; ſi ex opere operato vtrumque habet æquam virtutem, ſiue quoad ſatisfactionem, ſiue quoad impetrationem, quia vtraque virtus eſt ex meritis Chriſti Domini, nec variatur ex eo, quod cæremonialia ſint ſecundum ritum Miſſæ votiuæ, vel ſecundum ritum de requiem, cum hæc ſint merè iuris Eccleſiaſtici, quæ conferunt ad decorem, & ornatum eiuſdem ſacrificij, non ad ſubſtantiam; ſi ex opere operantis; hæc prouenit ex maiori, vel minori diſpoſitione celebrantis, quæ poteſt eſſe maior per celebrationem Miſſæ de Sancto, erga quem maiori deuotione afficitur, ac per celebrationem Miſſæ votiuæ, vel de requiem maximè intercedente illo Sancto, erga quem viget maior deuotio.

Dices primò, magis in Miſſis votiuis conducere ad finem intentum Orationes proprias, quæ pro illo obtinendo in eiſdem funduntur, tum propter ſingularem deuotionem illas exigentis, tum propter naturam earundem Orationum, quæ ordinantur ad illum finem conſequendum; cum igitur effectus ſit refundendus in eum, qui Miſſas illas exigit, magis attendenda eſt deuotio illius, quam aliorum. Sed

9 Orationes Miſſæ votiuæ ſupplentur per maiorem deuotionem. contra primò, quia hæ omninò rationes militant etiam pro Miſſis de requiem, & tamen ipſe Marchinus aſſerit, quod, quando eſt maior deuotio populi, & Sacerdotis erga Sanctum diei occurrentis poſſit de iſto Miſſa celebrari omiſſa illa de requiem, ergo hoc idem erit dicendum de Miſſa votiua non obſtantibus rationibus adductis. Secundò, quia, licet illæ Orationes Miſſæ votiuæ conferant ad finem obtinendum, compenſantur tamen tum interceſſione illius Sancti, in cuius honorem ſacrificium offertur, tum maiori populi deuotione, tum maiori diſpoſitione celebrantis, quæ omnia conferunt ex opere operantis ad finem obtinendi beneficij.

Dices ſecundò, quando obligatio Miſſæ dirigitur ad locum ratione venerationis alicuius Sancti non poteſt Miſſa alibi celebrari, etiam ſi iſte alius locus eſſet maioris deuotionis, ergo etiam quando obligatio Miſſæ eſt votiua in honorem, & venerationem alicuius Sancti non poterit de alio Sancto celebrari, quantumuis maior habeatur deuotio erga iſtum. Sed contra, quia in primis etiam in ordine ad Miſſas ad locum directas ratione venerationis loci diximus in præcedentibus licere Sacerdoti ter, vel quater in anno, quod alij extendunt ad plures dies, alio in loco celebrare ob ſuam peculiarem deuotionem, vel pro maiori ſui, & ſuorum beneficio; vndè etiam in præſenti caſu videtur dicendum ob maius beneficium erogantis eleemoſinam poſſe celebrare alio ritu præſcripto ab eodem, potiſſimum cum non ſit variatio loci, ſed dumtaxat Miſſæ de die pro Miſſa votiua, vel de requiem. Deindè id, quod in hoc caſu intendit erogans eleemoſinam eſt, vel ſatisfactio pro defunctis, vel impetratio alicuius beneficij à Deo media interceſſione Sancti, cuius Miſſa votiua exigitur; vtrumque autem æquè habetur, ſeu haberi poteſt per Miſſam de die, ſi erga iſtam Miſſam habeatur maior deuotio populi, & diſpoſitio Sacerdotis; veneratio autem Sancti, cuius Miſſa votiua exigitur, & ſit per ſpeciales collectas eſt tantum medium ad obtinendum beneficium, quod medium æquè benè, ſeu fortè melius ſuppleri poteſt per maiorem adſtantium deuotionem, & per intentionem Sacerdotis ordinantis ad eundem Sanctum ſacrificium; &, ſicuti idem Marchinus auctor huius inſtantiæ admittit, quod Orationes, quæ fieri deberent in Miſſa de requiem, quæquæ ordinatæ ſunt ex genere ſuo ad alleuiandas pœnas animarum purgantium, ſuppleantur per deuotionem adſtantium, & Sacerdotis diſpoſitionem, & intentionem dirigentis ſacrificium ad hunc effectum, ità poteſt congruentèr aſſeri, quod collectę, & Orationes, quę fieri deberent in Miſſis votiuis quęque ex genere ſuo ordinantur ad impetrationem, ſuppleantur abundantèr per illam maiorem deuotionem, & intentionem feruentiorem Sacerdotis. 10 Inſtantia Marchini diſſoluitur.

ARTICVLVS V.

An ad liberationem animæ ex conceſſione Pontificis facta Altari priuilegiato per celebrationem Miſſæ pro defuncto neceſſe ſit, vt Miſſa celebretur de requiem.

SVMMARIVM.

Refertur opinio Marchini procedentis iuxtà triplicem ſenſum diplomatis. 1.

Occurrente feſto duplici ſecundum eundem Marchinum omittenda eſt Miſſa de requiem,

quiem, nec acquiritur indulgentia. 2.
Si in diplomate dicantur, quod celebrantes Miſſam de requiem liberent animam, & celebrent Miſſam occurrentem ritu duplici, non conſequuntur effectum. 3.
Indultum intelligendum eſt iuxtà ſenſum verborum. 4.
Nonnullæ Sacræ Congregationis declarationes hoc euincunt. 5.
A fortiori non acquiritur liberatio, ſi celebretur Miſſa diei, quæ non ſit duplex. 6.
Si in diplomate dicatur præcisè. Si celebret pro defuncto, conſequitur effectum, ſi celebret de Sancto illa die occurrente, ſiue fuerit duplex, ſiue ſimplex. 7.
Verba conceſſionis non important, niſi applicationem in tali Altari. 8.
Senſus declarationis Sacræ Congregationis. 9.
Si dicatur in diplomate, ſi celebret Miſſam defunctorum ad conſequendum effectum celebranda eſt de requiem. 10.

1 Sentẽtia Marchini ſecundum triplicem ſtatum.

Iuxtà expreſſam, vel interpretatiuam Pontificis concedentis priuilegium mentem hæc controuerſia videtur dirimenda, pro cuius mentis perceptione iuxtà formam verborum, quibus concepta eſt conceſſio, tres caſus diſtinguit *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. num. 1., 2., & 3.* Primus eſt, quando Pontifex in conceſſione dicit. *Vt quandocunque Sacerdos aliquis, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis ad præfatum Altare celebrauerit pro anima defuncti, vel pro ipſo defuncto*, & tunc dicit effectum conceſſionis acquiri, ſiue Miſſa celebretur de requiem, ſiue de die, ſiue de Sancto, & pro hac ſua opinione allegat *Nauarrum conſ. 37. de Pœnitentia, & remiſs., Graſſium conſ. 3. de celebratione Miſſarum tom. 2., Rodriquez de regul. tom. 2. quæſt. 96. art. 6., Homobonum de examin. Eccleſ. tract. 4. cap. 13. quæſt. 123., & alios plures*, addita etiam ratione, quia per huiuſmodi verba non præſcribitur determinatus ritus Miſſæ, ſed Miſſæ dumtaxat applicatio. Secundus eſt, quando Pontifex in diplomatè dicit. *Vt quandoque Sacerdos ſiue ſæcularis, ſiue Regularis ad præfatum Altare celebrauerit Miſſam defunctorum pro anima cuiuſcunque fidelis &c.*, & tunc ſentit ad conſequendum effectum conceſſionis requiri, vt Miſſa celebretur in tali Altari de requiem, & rationem ex eo deducit, quia cæteroqui illa expreſſio *Miſſam defunctorum* eſſet otioſa, & carens propria ſignificatione. Tertius eſt, quando Pontifex præcisè dicit. *Qui Miſſam defunctorum ad tale Altare celebrarit*, non addendo *pro anima*, & tunc aſſerit, ad conſecutionem priuilegij Miſſam de requiem eſſe neceſſario celebrandam, & pro hoc allegat *Martinum Carillum in explicatione Miſſæ defunctorum part. 2. cap. 12. num. 27.*

2 Occurrẽte feſto duplici omittẽda eſt Miſſa de requiẽ

Addit vlterius *Marchinus loc. cit. num. 5.*, quod pro diebus, pro quibus ex præſcripto Eccleſiæ occurrit feſtum duplex, tunc teneatur Sacerdos omittere Miſſam de requiem, & propterea celebrando in tali Altari Miſſam ſub ritu duplici de feſto non conſequatur effectum conceſſionis; ex quibus clare videtur ſentire ad conſequendam animæ liberationem requiri Miſſam de requiem; ſed arbitror Marchinum procedere tantum in hypotheſi, qua Pontifex expreſsè in diplomate apponeret limitatè conditionem Miſſæ de requiem, cæteroqui ſibi directè contradiceret quoad eà, quæ tradidit in primo caſu.

3 Si diploma requirat Miſſam de requiẽ, & celebretur Miſſa de duplici nõ acquiritur indulgẽtia.

Ego circa hanc controuerſiam plura dico. Primò, quod, ſi Pontifex in diplomate dixerit, quod celebrantes in Altari priuilegiato Miſſam de requiem liberent animam à pœnis purgatorij, & pro ea die occurrat Officium duplex, pro qua Miſſa de requiem obſtantibus rubricis nequeat celebrari, celebrando Miſſam diei, non conſequantur effectum liberationis. Eſt directè iuxtà eundem Marchinum quoad ea, quæ ſubdit poſt tres caſus ab eo recenſitos contra *Nauarrum conſ. 37., quod incipit Sanctiſſimus conceſſit de Pœnit., & remiſs., Naldum verb. Miſſa num. 21.* Ratio ex eo deducitur primò, quia indulgentiæ ſunt ſtricti iuris, & per conſequens non extendendæ vltra verborum formam, per quam ſunt conceſſæ, ſed verba, quibus conceſſum eſt indultum pro Altari priuilegiato, exprimunt Miſſam de requiem, ergo vltra eandem non eſt extendendum; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, non eſſe præſumendum pro die, qua conceſſit Altari priuilegium, voluerit eo priuari ex eo, quod eadem die occurrat feſtum duplex, ſed potius præſumendum ſit, quod voluerit, quod in ea hypotheſi Miſſa de feſto duplici ſuppleat illam de requiem, ne inanis reddatur conceſſio. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum ſit priuilegium, debet accipi ſecundum expreſſam mentem concedentis, extra quam ceſſat; vndè Sacra Congregatio apud *Barboſam in col. Bul. verb. Altare, & verb. Miſſa 5., & Antonium in ſumma verb. Miſſarum ſtipendium*, declarauit priuilegium non cenſeri conceſſum, niſi pro diebus deputatis, & quando fas eſt in illis celebrari de requiem, ex qua declaratione videtur, rectè deduci poſſe, quod occurrente feſto duplici in die aſſignata pro Altari priuilegiato, debeat vacare Altare, & ſuſpendatur priuilegium.

4 Indultum intelligẽdum eſt iuxtà ſenſum verborũ.

Ratio deducitur ſecundò, quia eadem Sacra Congregatio rituum pluries declarauit permiſſiuè poſſe fieri Miſſam de re-

quiem

quiem ad Altare priuilegiatum ea die, qua occurrit feſtum duplex ad lucrandum effectum indulgentiæ, & ſignantèr in vna Pampilonenſi 1. Septembris 1607., & item 20. Iunij 1626. Ibi. *Tolerari poteſt Miſſa de requiem in die feſto duplici, quod non ſit de præcepto pro implenda voluntate defuncti*, quæ certè declarationes ad nihil conferrent, ſi celebrando Miſſam de Sancto acquireretur indulgentia, perindè, ac ſi celebraretur Miſſa de requiem. Modo autem ex alijs eiuſdem Congregationis declarationibus vetitum eſt, celebrari Miſſas de requiem in feſtis duplicibus.

5 Euincitur ex pluribus Sacræ Congregationis declarationibus. Euincitur idem tertiò ex pluribus eiuſdem Sacræ Congregationis declarationibus, & præcipuè vna ſub die prima Iulij 1601. Ibi. *Quod in Altari priuilegiato debet celebrari Miſſa de requiem, ſin minus priuilegium non ſuffragatur, nec ſatisfit indulto*.

Et ex prædictis in fortioribus terminis deducitur, quod, ſi in diebus, pro quibus indultum eſt cōceſſum Altari priuilegiato, non ſit onus celebrandi ritu duplici, & celebrans Miſſam non recitet de requiem, non conſequatur effectum indulti; Eſt contra *Nauarrum, Naldum loc. cit.*, & contra alios volentes per quamcunque Miſſam celebratam in Altari priuilegiato conſequi effectum conceſſionis, et iamſi per intentionem celebrantis non dirigatur ad hunc effectum; ſi enim eundem non conſequitur, quando non celebratur de requiem ob impedimentum feſti duplicis, multo minus poteſt conſequi, quando non celebratur de requiem ex libertate, cum poſſit de illa celebrari.

6 A fortiori non ſequitur liberatio, ſi non celebretur Miſſa de requiem cū poſſet celebrari

7 Si in diplomate dicatur ſolum, ſi celebret pro defuncto liberatur. Dico ſecundò, ſi diploma dixerit ſolummodò, ſi Miſſam ad tale Altare celebrauerit pro defuncto, vel pro anima defuncti; tunc ſiue celebret de Sancto ex neceſſitate occurrente feſto duplici, ſiue de Sancto ex libertate occurrente feſto ſimplici, vel ſemiduplici; ſiue de feria, dummodo applicet ſacrificium pro defuncto, vel anima eiuſdem conſequitur effectum conceſſionis. Hanc ſuſtinent *Zerola in praxi Epiſcopali part. 2. verb. Miſſa, §. 7., Graffius conſ. 3. de Miſſarum celebratione tom. 2., Rodriquez de Regul. tom. 2. quæſt. 96. art. 6., Idelphonſus Perez de anniuerſ., & Capel. lib. 2. c. 8. num. 34., Stephanus Fagundez de quinqu. Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. cap. 9. num. 7. in fine, Marchinus loco quo ſupra num. 2.*, quibus adhærendum cenſeo. Ratio ex eo deducitur, quod facta applicatione pro defuncto habetur quidquid ex mente Pontificis requiritur ad conſequendū effectum indulti, ſiquidem celebrare pro defuncto, vt haberi ſupponitur in eodem diplomate, appellat ſubiectum, pro quo fit ſacrificium, non ritum determinatum, ergo non eſt, cur non debeat acquiri effectus eiuſdem diplomatis; Neque dicas, quod ſecundum communem acceptionem per ly, celebrare pro defuncto, intelligatur Miſſa de requiem, quandoquidem regularitèr pro defunctis dicitur Miſſa de requiem; vndè mens Pontificis præſumenda eſt regulari, ſecundum quod communitèr intelligitur; contra enim impugnaberis, quia conceſſiones ſumuntur ſecundum quod verba earundem ſonant ſecundum germanum ſenſum, non ſecundum impropriam, & vulgarem acceptionem; celebrare autem pro defuncto non eſt præcisè celebrare Miſſam defunctorum, ſed applicare Miſſam pro defuncto, quod æquè fit, ſiue ſit Miſſa de requiem, ſiue de Sancto, vel de feria; vndè aliud eſt dicere Miſſa pro defuncto, aliud Miſſa defunctorum, vt per ſe patet.

8 Verba cōceſsionis non important, niſi applicationem.

Dices in allegata declaratione Sacræ Rituum Congregationis ſub die prima Iulij 1601. dicitur abſolutè, quod *in Altari priuilegiato debeat celebrari Miſſa de requiem, ſin minus priuilegium non ſuffragatur, nec ſatisfit indulto*; ex qua declaratione clarè conijcitur, eſſe indiſpenſabilitèr annexam Miſſam de requiem effectui conſecutionis priuilegij. Sed contra dicta Sacræ Congregationis declaratio procedit ſolummodò iuxtà terminos conſuetos, & magis vſitatos conceſſionum, ſecundum quos dicitur, ſi celebrauerit Miſſam de requiem, vel defunctorum; non ſecundum ſpecialia indulta, quibus dicitur, ſi celebrauerit in tali Altari Miſſam pro defuncto &c. 9 Explicatur Sacræ Congregationis declaratio.

Dico tertiò, ſi in diplomate dicatur. Si celebrauerit ad tale Altare Miſſam defunctorum ad conſequendum effectum conceſſionis, neceſſe eſt, vt celebretur Miſſa de requiem, nec ſufficit, ſi fiat Miſſa currens, ſiue de feſto, ſiue de feria. In hoc conſentiunt quotquot dicunt requiri Miſſam de requiem, quando in diplomate de eadem exprimitur; idem enim ſonat Miſſa defunctorum, ac Miſſa de requiem. 10 Si dicatur, ſi celebret Miſſam defunctorum, celebranda eſt de requiem.

ARTICVLVS VI.

Expediuntur nonnulla quoad Miſſas in Altari priuilegiato celebrandas ad indulgentiam conſequendam.

SVMMARIVM.

Varij articuli examinandi circa titulum. 1.

Ad conſequendum effectum regularitèr requiritur, & applicatio ſacrificij, & indulgentiæ. 2.

Niſi conſtet ex verbis diplomatis requiri ſolum

ſolum celebrationem in tali Altari, & applicationem indulgentiæ. 3.

Ex parte defuncti non requiritur aliqua praua diſpoſitio. 4.

Negatio ſollicitudinis ſuffragiorum in vita pro animabus purgantibus non obeſt. 5.

Argumenta contraria propoſita, & diſſoluta. 6.

Vbi non adeſt obex, ſuffragia proſunt. 7.

Explicatur textus in cap. æſtimemus 13. quæſt. 2. 8.

Et mens D. Thomæ. 9.

Suffragia, quæ non proſunt ijs, pro quibus applicantur, non remanent in theſauro Eccleſiæ, ſed ex Diuino beneplacito applicantur alijs. 10.

Ad applicanda illa ſuffragia probabilius Deus monetur ab alijs. 11.

A quibuſnam moueatur. 12.

Quandoque applicat magis indigentibus. 13.

Indultum conceſſum Altari pro defunctis regulariter non prodeſt viuentibus. 14.

Niſi Pontifex expreſſerit etiam pro viuis, & tunc quomodo illis proſit. 15.

Obligatus præciſè ad celebrandam Miſſam, ſi celebret in Altari priuilegiato, in quo non tenetur, poteſt quandoque applicare indulgentiam pro alio. 16.

Quandoque non poteſt, & quando. 17.

Miſſæ in Altari priuilegiato celebratæ pro cathecumenis non proſunt quoad indulgentias. 18.

Non ſufficit quoad hoc, quod ſint ſubditi Chriſto Domino. 19.

Non eſt certum, quod ſacrificium poſſit pro catechumenis applicari. 20.

Probabilius per Iubilæum anni Sancti non ſuſpenduntur indulgentiæ Altarium priuilegiatorum pro defunctis. 21.

Conceſſa Altari indulgentia pro defunctis per totam octauam commemorationis omnium fidelium defunctorum, ſi in eodem celebrentur Miſſæ de requiem, indulgentia ceſſat die Dominica illius octauæ. 22.

EX occaſione eorum, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo de Miſſis in Altari priuilegiato celebrandis, non erit abs re, ſi nonnulla attingamus, quæ pertinere poſſunt ad idem Altare, & ad effectum priuilegij conſequendum. Hic igitur examinabimus primò, an ad conſequendum effectum priuilegij neceſſe ſit, vt Sacerdos non ſolum indulgentiam, ſed etiam ſacrificium applicet pro eo, pro quo conſequi intendit priuilegium. Secundò, an, vt priuilegium proſit defuncto, pro quo celebratur ad Altare priuilegiatum, aliquid requiratur ex parte eiuſdem defuncti. Tertiò, ſi ſacrificium celebratum ad Altare priuilegiatum pro determinato defuncto illi non proſit, eo quia iam eſt in ſtatu beatitudinis, vel in ſtatu damnationis; cui nam proſit? Quartò, an Miſſa celebrata in Altari priuilegiato proſit viuentibus. Quintò, an, qui tenetur tantum celebrare Miſſam de requiem ſine onere celebrandi ad Altare priuilegiatum, poſſit applicare ſacrificium pro eo, à quo accepit ſtipendium, & indulgentiam applicare alteri defuncto. Sextò, an Miſſa celebrata in Altari priuilegiato poſſit prodeſſe cathecumenis exiſtentibus in purgatorio. Septimò, an priuilegia conceſſa Altaribus priuilegiatis ſuſpendantur per iubilæum anni Sancti. Octauò, an, ſi priuilegium conceſſum fuerit alicui Altari per totam octauam commemorationis fidelium defunctorum acquiratur effectus huius priuilegij, ſi in die Dominica intra eandem octauam celebretur Miſſa de Dominica, & non de requiem. 1 Dubia diſcutienda circa titulum.

Aſſertio I. Regulariter requiritur ad conſequendum effectum priuilegij, vt Sacerdos non ſolum indulgentiam, ſed etiam ſacrificium applicet pro eo, pro quo intendit conſequi priuilegium *Suarez tom. 4. diſp. 53. ſect. 4. n. 3., Caſtrus Palaus tom. 4. tract. 24. diſp. vnica punct. 10. n. 9.* 2 Ad conſequendū effectum requiritur, & applicatio ſacrificij, & indulgentiæ.

Ratio eſt, quia regulariter Pontifices in conceſſionibus huiuſmodi priuilegij exprimunt ſuam mentem pro applicatione ſacrificij; regulariter enim, & vt plurimum vtuntur his verbis. *Vt quandocunque Sacerdos aliquis, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis ad præfatum Altare celebrauerit pro anima defuncti, vel pro defuncto. Item, vt quandocunque Sacerdos, ſiue Regularis, ſiue ſæcularis ad præfatum Altare celebrauerit Miſſam defunctorum pro anima cuiuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit &c.*; in quem ſenſum omnes ferè conceſſiones ſolent emanare; quæ adeò vera ſunt, vt teſtibus Suarez, & Caſtro Palao locis ſupra citatis, quando etiam non conſtaret, quibus verbis conceptæ ſint huiuſmodi conceſſiones, intelligendæ ſint iuxtà hunc ſenſum, tum quia iudicandum eſt iuxtà ea, quæ, vt plurimum ſolent euenire; tum quia ſecurius eſt ſacrificium pro defuncto offerre.

Dixi, *regulariter*, nam, ſi quandoque ex verbis conceſſionis reſultaret, mentem Pontificis intendiſſe præciſè celebrationem in tali Altari, non renuerem concedere per illud opus ſolummodo celebrationis cum applicatione indulgentiæ acquiri eandem indulgentiam. Hoc contingeret, ſi Pontifex in diplomate diceret. *Dicendo Miſſam, vel ſi Miſſam dixerit in tali Altari toties liberet vnam animam à purgatorio*, & in hoc conſentiunt *Suarez loc. cit.*, *Puteus de ſacrific. Miſſ. lib. 3. diſp. 2. qu. 2. dub. 5. num. 9.*, *Quintanaduennas in Theol. mor.* 3 Excipe; niſi ex verbis cōceſſionis conſtet ſolū requiri celebrationem in illo Altari, & applicationem indulgentiæ.

mor. tom. 1. in append. tract. 1. dub. 5. n. 3., Diana tom. 9. tract. 2. de alt. priuileg. reſol. 5. Ratio exceptionis ea eſt, quia ex vno capite ad conſequendam indulgentiam pro altero non eſt neceſſe, quod opus iniunctum ſit ſatisfactorium pro eo, pro quo intenditur indulgentia, ſed ſufficere poteſt, quod ſit opus pium, & conducens ad Dei cultum, vt, ſi pro indulgentia lucranda præcipiatur ieiunium, viſitatio Templi, eleemoſina &c., non eſt neceſſe, quod fructus talium operum applicetur pro illo, ſed ſufficit, quod illa opera fiant, & medijs illis indulgentia applicetur pro eodem; ex alio capite verba conceſſionis iuxtà formam enuntiatam non important applicationem fructus ſacrificij pro eo, pro quo intenditur indulgentia; dicendo enim, *Si Miſſam dixeris in tali Altari*, non importatur applicatio, ſed præcisè celebratio in tali Altari.

4 Ex parte defuncti nō requiritur aliqua præuia diſpoſitio.

Aſſertio II. Ex parte defuncti ad conſequendam indulgentiam Altaris priuilegiati non requiritur aliqua præuia diſpoſitio, ſed ſufficit, quod non habeat obicem. Conſentiunt *Caſtrus Palaus tom. 4. tract. 24. diſp. vnica punct. 10. num. 11., Leſſius in tertia part. D. Thomæ cap. 5. de indulgentijs dub. 3. num. 41., Granadus in tertia part. controu. 12. tract. 5. diſp. 6. num. 2., Lauorius de indulgentijs part. 2. c. 30. n. 118.*

Probatur, ſi quæ diſpoſitio ex parte defuncti ad conſecutionem indulgentiæ requireretur, vel hæc eſſet præuia ad mortem eiuſdem defuncti, vt volunt *Henriquez de Gandauo quodlib. 11. quæſt. 26., Caietanus tract. 16. de indulgentijs quæſt. 5. verſ. quoad tertium, Nauarrus de indulgentijs not. 22. num. 42.*, aſſerentes prærequiri meritum aliquod conſiſtens in eo, quod anima, dum viueret, ſollicitè curaret ſatisfacere pro peccatis, & ſuis operibus, & precibus prodeſſe animabus defunctorum, ſine quo merito æquum non eſt, vt aliorum ſuffragijs ipſa iuuetur; vel hæc eſſet ponenda, dum actu exiſtit in purgatorio; Neutrum dici poteſt, ergo &c. Non primum, quia defectus illius præexiſtentis meriti non eſt impedimentum, quominus anima in gratia exiſtens ſit capax indulgentiæ, & fructus ſacrificiorum, & ſuffragiorum; nec obſtat illud Euangelij. *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur, & vobis*, quia illa verba ſolum indicant, quod, ſi ipſi negligentes fuerint in ſuffragandis animabus purgantibus, Deus permittet, quod alij negligent ipſorum ſuffragia, non autem, quod, ſi pro illis offerantur, non debeant ſuum conſequi effectum, cum huic nihil obſtet. Fateor quidem, quod, ſi defunctus ille, dum eſſet in vita, fuerit ſollicitus in ſuffragijs animarum, dici poſſit habere quandam diſpoſitionem moralem ad ſpecialem aliquem effectum obtinendum, quam non habet, qui neglexit in vita ſuffragia animabus; non tamen ex hoc ſequitur, quod ſuffragia, ſi pro illo offerantur, non debeant eidem prodeſſe, ſi non habeat obicem, cum hæc non amittant vires ſuas, niſi obice obſiſtente, qui non ponitur per illum præcedentem neglectum. Non ſecundum, quia quando anima eſt extra ſtatum viæ non eſt capax meriti, nec diſpoſitionis.

5 Negatio ſollicitudinis ſuffragiorū in vita nō obeſt.

6 Argumēta contraria, & eorum ſolutio.

Aduerſus primam partem probationis multa congerunt argumenta DD., pro contraria opinione allegati, & ſignantèr Caietanus. Primò, quod ſtatus gratiæ, in quo reperiuntur animæ purgantes, efficiat quidem, vt ſint capaces ſuffragiorum, quæ pro illis applicantur, non autem, quod iſta actu illis proſint obſiſtente indiſpoſitione negatiua conſiſtente in illo neglectu ſuffragiorum in vita non præſtitorum. Secundò, quia hoc expreſsè decernitur *in cap. non æſtimemus 13. quæſt. 2.* per illa verba. *Quamuis enim non pro quibus fiunt, omnibus proſint, ſed ijs tantum, pro quibus, dum viuunt, cooperantur, vt proſint.* Tertiò, quia, vt habet *D. Thomas in tertia part. quæſt. 52. art. 8. ad primum*, Chriſtus deſcendens ad inferos liberauit quaſdam animas ratione deuotionis præhabitæ, dum viuerent. Sed contra

7 Vbi non adeſt obex, ſuffragia proſunt.

Ad primum dicendum eſt, quod, ſi ſtatus gratiæ efficit, quod ſint capaces ſuffragiorum, quid officit, quin ſuffragia pro illis præſtita illis non proſint? Certè ſuffragia ipſa ſecundum ſe præcipuè conſiſtentia in ſacrificio Miſſæ ſunt efficacia ad cauſandum effectum in ſubiecto apto, & capaci, nec ille effectus poteſt ſuſpendi, quando obex non eſt in eodem ſubiecto, nec ſuſpenſio poteſt refundi in ordinationem Diuinam, cum de eadem nullibi conſtet.

8 Explicatur textus *in c. æſtimemus 13. qu. 2.*

Ad ſecundum dicendum eſt allegatum textum *in cap. non æſtimemus*, procedere tantum de ijs, qui in vita non ſunt cooperati, vt gratiam reciperent, & ſe redderent capaces ſuffragiorum poſt vitam præſtandorum; vndè in eodem textu ſubditur, *ſed quia non diſcernimus, qui ſint, opportet ea pro regeneratis omnibus facere.*

9 Et mens D. Thomæ.

Ad tertium deſumptum ex D. Thoma dicendum eſt, ea, quæ ibi dicit S. D. de deſcenſu Chriſti ad inferos, eſſe ex ſpeciali priuilegio ratione talis deſcenſus extraordinarij, nec valere ad conſtituendam regulam communem, & vniuerſalem. Deindè ibi dicit S. D. quid factum ſit ex actione Chriſti Domini ob ſpecialem deuo-

tio-

tionem eorum præhabitam in vita; non dicit autem, quod alitèr res ſe habeat ratione ſacrificij, per quod Chriſtus per gratiam deſcendit ſpiritualitèr ad inferos quoad liberationem animarum, quæ in vita deuotionem illam non habuerunt, exiſtunt tamen in ſtatu gratiæ.

10 Suffragia, quæ nō proſūt ijs, pro quibus applicātur proſunt alijs.

Aſſertio III. Probabilius eſt ſuffragia, quæ applicantur pro animabus, quæ non indigent eiſdem, vel quia iam ſunt in ſtatu beatitudinis, vel in ſtatu damnationis æternæ, non remanere in theſauro Eccleſiæ, ſed applicari ex Diuina miſericordia alijs indigentibus. Conſentiunt *D. Thomas in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. art. 2.*, *Corduba lib. 1. quæſt. 3. opin. 5. §. & de reſiduo*, *Fraxinellus ſect. 3. §. 11. nu. 3.*

Colligitur ex vna parte ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt *ex cap. non æſtimemus 13. qu. 2.*, vbi dicitur, quod, cum nos non diſcernamus, qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, quod non eſſet peragendum, ſi quando non proſunt ijs, pro quibus determinatè ſacrificium offertur, remanere deberet fructus eiuſdem in theſauro Eccleſiæ; ex alia parte cum tot ſint, qui indigeant ſuffragijs, non videtur congruere Diuinæ prouidentiæ, & miſericordiæ, vt fructus illorum ſuffragiorum nulli proſit.

Hic duplex oritur difficultas. Altera eſt, an Deus ſola ſua voluntate determinet animas, pro quibus applicet illa ſacrificia, an verò determinetur ab alio, & à quonam. Altera, an ſiue determinetur à ſe ipſo, vel motiuo alterius, potius applicet magis indigentibus, quam alijs. In ordine ad primam probabilius arbitror, ſaltem regularitèr loquendo, non præciſè ſua voluntate moueri ad applicandum fructum illorum ſacrificiorum potius vni, quam alteri, ſed ab alio determinari moralitèr mouente. In hoc conſentit *Diana part. 9. tract. 2. reſol. 7.* Ratio eſt, quia licet Deus ſit prima cauſa omnia mouens, & determinans, & vtique vniuerſalis, hoc tamen ex ſuo beneplacito præſtat, vt in genere cauſæ moralis moueatur ad effectus præſtandos per media ab eodem inſtituta ad huiuſmodi motiones, ſic Sacramentis indidit, vt ipſum moueant ad conferendam gratiam ex opere operato, ſine quibus non conferret, ſic præſtat beneficia ex precibus, & orationibus, ſine quibus fortè non præſtaret; hocque connaturaliori modo videtur efficere, ergo probabilius fructus applicat ſacrificiorum ex aliorum motione, quam ex propria voluntate. Si autem quæratur, à quonam in hac hypotheſi moueatur; tunc dicam moueri, vel ex interpretatiua mente ſacrificantium, vel ex voluntate illarum animarum, pro quibus determinatè fuerunt illa ſuffragia applicata, ſi iſtæ ſint in ſtatu beatifico; Nomine autem ſacrificantium non ſolum hic intelligimus ipſos Sacerdotes, ſed etiam offerentes ſtipendium pro applicatione ſacrificij, iſti enim quoquo modo dicuntur etiam offerentes, & ſacrificantes. Explicatur iam vtraque pars huius motionis, ſeu determinationis moralis. Prima fundatur in eo, quod habetur *in dict. cap. non æſtimemus 13. quæſt. 2.*, vbi cum dictum fuerit, quod, cum nos non diſcernamus, qui ſint, qui non indigent, ſtatum ſubdit, quod pro regeneratis omnibus, & ſpecialius pro neceſſarijs noſtris, hoc eſt conſanguineis ea oporteat facere; ex qua diſpoſitione euincitur, quod voluntas noſtra potius ad conſanguineos, quam ad alios referatur, hęcque ſpecialius Deum moueat. Dici etiam poteſt, quod quando conſanguinei nō extent, qui indigeant, voluntas offerentium talis intelligatur virtualitèr eſſe, vt referatur ad magis indigentes in purgatorio, prout in ſequenti reſolutione dicam. Secunda pars fundatur in eo, quod, cum illa ſuffragia fuerint determinatè applicata pro illis animabus, quæ ſunt in Cœlo, facta ſunt quodamodo earundem, ſeu ſint quaſi in diſpoſitione ipſarum, quæ propterea illa ſuffragia Deo repræſentant, vt ex ſua miſericordia eadem applicet ſecundum earum mentem. Verum hæc expoſitio non valet pro omnibus, qui non indigent, cum reſpectu damnatorum non teneat.

12 A quibuſnam moueatur

11 Deus ad determinandas animas, quibus applicet ille ſuffragia ab alijs mouetur.

In ordine ad ſecundam *D. Thomas in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. art. 2.*, aſſerit à Deo applicari huiuſmodi ſuffragia, quando nequeunt prodeſſe illis, pro quibus determinatè offeruntur, pro animabus magis indigentibus, pro quibus non fiunt ſuffragia, & mouetur auctoritate *D. Damaſceni ſermon. de dormientibus*, vbi ſic habet. *Deus tanquam iuſtus cometietur impotenti poſſibilitatem tanquam ſuſcipiens verè defectum commutationem negotiabitur*. Hæc valdè probabilia ſunt, non tamen certa.

13 Quandoque applicat magis indigentibus.

Aſſertio IV. Miſſa in Altari ſecundum conſuetam formam priuilegiato celebrata non prodeſt viuentibus ſecundum eam rationem, ſecundum quam præciſè correſpondet priuilegio illius Altaris. Conſentiunt in hoc *Garzias in ſumma mor. tract. 3. difficult. 10. dub. 7. num. 9.*, *Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 3. prænot. 4. §. 3. n. 5*, *Bordonus tom. 2. reſol. 91. quæſt. 2. num. 4.*, *Diana part. 9. tract. 2. de Altar. priuileg. reſol. 18.* Dixi, *ſecundum conſuetam formam priuilegiato*, non etenim negauerim, quod, ſi Pontifex concederet indultum in tali Altari etiam pro viuentibus, eiſdem prodeſſet; quomodo verò prodeſſet, dicam infra.

14 Indultū cōceſſum Altari pro defunctis regularitèr non prodeſt viuētibus

infrà. Dixi, *ſecundum eam rationem, ſecundum quam praciſè correſpondet priuilegio illius Altaris*, quia denegari non poteſt, quin ſecundum rationem ſacrificij, vt ſatisfactorij poſſit etiam viuentibus ſuffragari.

Probatur iam aſſertio. Indulgentiæ, vtpotè ſtricti iuris eatenùs proſunt, quatenus ſunt iuxta mentem expreſſam concedentis, nec extenduntur vltra verborum formam, quibus ſunt conceptæ; ſed conceſſæ Altaribus priuilegiatis ſecundum conſuetam formam referuntur dumtaxat ad animas in purgatorio exiſtentes, ergo illis dumtaxat poſſunt prodeſſe, nullatenus viuentibus, vtpotè non comprehenſis in priuilegio.

15 Niſi Pontifex expreſſerit etiam pro viuis.

Quod, ſi ſupponas, quod Pontifex expreſſerit ſuam mentem etiam relatam ad viuentes, non eſſet hæſitandum, quin eiſdem etiam prodeſſet; ſed tunc dubium eſſet, quomodo prodeſſet, non enim tunc liberaret eius animam à pœnis purgantibus, cum in eiſdem non adeſſet; nec videtur eius effectus ſuſpendi vſque ad mortem, cum ille indulgentiarum effectus tunc, ſeu in eo inſtanti concedatur, quo opus iniunctum conſummatur. Dicendum eſt eiſdem prodeſſe, quatenus ex tunc, quo offertur ſacrificium in tali Altari, remittuntur pœnæ, quæ eſſent poſt mortem in purgatorio luendæ. Dici etiam poteſt, quod quamuis ex conſueto effectus indulgentiarum tunc conferatur, quando opus conſummatur, ex mente tamen Pontificis concedentis poſſit ſuſpendi, donec mors ſequatur tanquam conditio ad illius conſecutionem requiſita.

16 Obligatus præciſè ad Miſſam, ſi celebret in Altari priuilegiato poteſt alteri indulgentiam applicare.

Aſſertio V. Obligatus ex ſtipendio accepto celebrare ſimpliciter Miſſam ſine onere Altaris priuilegiati, ſi celebret in Altari priuilegiato, quandoque applicato ſacrificio pro eo, à quo accepit ſtipendium, poteſt applicare indulgentiam pro aliquo defuncto ſibi bene viſo; quandoque non poteſt applicare. In hoc conſentiunt *Suarez, tom. 4. diſp. 53. ſect. 4. num. 3., Diana part. 9. tract. 2. reſol. 25.*

Explicatur, quando poteſt applicato ſacrificio pro eo, qui ſtipem erogauit, applicare pro altero defuncto indulgentiam. Si Pontifex in diplomate conceſſionis diceret. *Dicendo Miſſam in tali Altari, vel quoties dixeris Miſſam in tali Altari, toties liberes animam à purgatorio*; tunc certè ad conſequendam indulgentiam non apponeret onus applicationis ſacrificij pro eo, cui applicatur indulgentia, ſed dumtaxat onus celebrationis in tali Altari, ergo non eſſet, cur applicato ſacrificio pro vno, non poſſet pro altero fieri applicatio indulgentiæ, cum dumtaxat celebratio in tali loco ſit opus iniunctum pro conſecutione eiuſdem indulgentiæ, non applicatio ſacrificij. Antecedens non videtur pati difficultatem, quandoquidem dicere ſimpliciter Miſſam in tali Altari non importat onus applicandi tale ſacrificium.

17 Quandoque non poteſt, & quando.

Explicatur, quando non poſſit ſacrificium pro vno offerre, & applicare indulgentiam pro altero. Si Pontifex diceret in diplomate. *Dicendo, & offerendo Miſſam pro defuncto in tali Altari liberes animam à purgatorio*, certè opus iniunctum pro conſecutione indulgentiæ non ſolum eſſet celebratio in loco, ſed etiam applicatio ſacrificij pro eo, pro quo intenditur eadem indulgentia, ergo non facta applicatione ſacrificij pro eodem non acquireretur effectus eiuſdem indulgentiæ, vtpotè quod non eſſent adimpleta opera iniuncta pro conſecutione illius.

18 Quoad indulgentias non proſunt catechumenis.

Aſſertio VI. Probabilius eſt, Miſſas in Altari priuilegiato celebratas pro catechumenis eiſdem non prodeſſe quoad indulgentias. Conſentiunt *Mercerus de Sacramentis in ſupplemento ad tertiam partem D. Thomæ quæſt. 26. dub. 2. num. 3.*, *Nugnus in tertia part. tom. 2. quæſt. 25. art. 1. quæſt. 3. concluſ. 3.*, *Dicaſtillus de iure perſonarum lib. 3. cap. 6.* quidquid ex aduerſo dixerint *Amicus in curſu Theol. tom. 8. diſp. 20. ſect. 7. num. 157.*, *Trullench. in expoſit. Bullæ Cruciatæ lib. 4. dub. 6. num. 7.*, *Ludouicus à Cruce diſp. 2. dub. 8. num. 3.*, *Diana part. 9. tract. 2. reſol. 27.*

Iura probātia aſſertum.

Satis clarè videtur deduci ex textu *in d. cap. non æſtimemus 13. quæſt. 2.* Ibi- *Oportet ea pro regeneratis omnibus facere*; catechumeni autem, vtpotè non baptizati non poſſunt dici regenerati; vndè *Gloſa ibidem in verb. omnibus*, ſubdit pro Paganis, & Iudæis mortuis non eſt orandum, nec pro catechumenis, ſed pro baptizatis mortuis orandum eſt generali oratione. Ad hoc etiam plurimum confert id, quod habet *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2.*, vbi tradit, Eccleſiam in neminem actum iuriſdictionis exercere poſſe, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam ingreſſus fuerit iuxta illud Apoſtoli prima ad Corinth. 12. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Accedit textus *in cap. quod autem de pœnit., & remiſſ.*, vbi dicitur indulgentiam non prodeſſe, niſi ſubditis.

19 Non ſufficit quoad hoc, quod ſint ſubditi Chriſto Domino.

Dices, quod, quamuis catechumeni non ſint ſubditi Eccleſiæ, ſint tamen ſubditi Chriſti Domini, a quo, ſicuti fuerunt redempti quoad culpæ condonationem, ità poſſint etiam redimi quoad pœnarum liberationem. Sed contra fateor, quod per liberam condonationem poſſint à Chriſto Domino etiam quoad pœnas liberari; quoad modum tamen liberandi per conſue-

tas

tas Eccleſiæ indulgentias ità eidem alligauit poteſtatem, vt non extendatur vltra ſibi ſubditos.

Dices iterum, ſacrificium Miſſæ poſſe applicari pro catechumenis *Bartholomæus à Sancto Fauſto lib. 2. de indulgentijs quæſt. 80., Scortia de ſacrificio Miſſæ cap. 2. num. 5.*, ergo etiam pro eiſdem poterit validè indulgentia applicari; ſi etenim ſunt capaces fructus ſacrificij, non videtur, quomodo etiam nō ſint capaces fructus indulgentiarum. Sed contra; inſtantia in primis errat in fundamento; falſum etenim eſt, quod ſacrificium Miſſæ poſſit pro catechumenis offerri, ſeu applicari, vt latè tradunt

20 Non eſt certum, quod ſacrificium poſſit pro catechumenis applicari.

Vaſquez in tertia parte tom. 3. diſput. 227. cap. 3., Hurtadus de ſacrific. Miſſæ diſp. 2. difficult. 5., Laiman lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 8., Cardinalis de Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 2. num. 8.; nec incongrua ſane ratione, quandoquidem ſacrificium Miſſę, vt ſatisfactorium inſtitutum eſt pro membris Eccleſiæ, quatenus adunata per baptiſmum conſtituunt vnum Corpus viſibile, vltra quod propterea ex ſua inſtitutione non extenditur. Deindè dato etiam antecedente, numquam tamen conceſſo, non rectè infertur conſequentia, quandoquidem conceſſiones indulgentiarum pendent ex voluntate ſolummodò Pontificis concedentis; fructus autem ſacrificij pendet ex inſtitutione Chriſti Domini; poteſtas autem Pontificis non extenditur vltra Eccleſiam, poteſtas autem Chriſti Domini vltra eandem Eccleſiam, & ad quoſcunque, cum ſit Dominus omnium.

Dices iterum, ratio, quæ euincit applicationem indulgentiarum non prodeſſe catechumenis defunctis ea eſt, quia iſti ſunt extra poteſtatem Eccleſiæ, vtpotè vltrà eiuſdem gremium; ſed hæc ratio nil penitùs euincit, quandoquidem etiam baptizati defuncti exiſtentes in purgatorio ſunt extra iuriſdictionem Eccleſiæ, & tamen pro ipſis validè indulgentiæ applicantur, ergo &c.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Sed contra, quia, cum baptizati defuncti fuerint ſubditi in vita Eccleſiæ, non poſſunt dici ſimplicitèr extra iuriſdictionem Eccleſiæ, cum adhuc retineant caractherem, ratione cuius conſtituti ſunt ſubditi; vndè etiam poſt mortem, ſi contraxerint excommunicationem in vita, abſoluuntur, & in ordine ad iſtos communis Eccleſiæ conſenſus obtinuit, vt indulgentiæ per modum ſuffragij illis proſint.

21 Probabilius indulgentię Altarium pro defunctis non ſuſpendūtur anno ſancto.

Aſſertio VII. Probabilius eſt per Iubilæum anni Sancti, quod non ſuſpendantur indulgentiæ Altarium priuilegiatorum pro defunctis. *Caſtrus Palaus tom. 4. tract. 24. diſp. vnica punct. 12. n. 7., Laiman lib. 5. tract. 7. cap. vltim. in fine, Quintànaducnnas Theol. mor. tom. 1. tract. 8. appendicis dub. 14. num. 4., Lezana in ſumma qq. Reg. tom. 3. verb. Altare n. 16.*

Ratio non ſolum negatiua deducitur ex eo, quod in Bulla dicti anni Sancti nulla fit mentio talis ſuſpenſionis pro mortuis quoad Altaria priuilegiata, ſicut fit expreſſa mentio de alijs pro viuis; ſed etiam poſitiua ex eo, quod quoad huiuſmodi priuilegia Altarium pro defunctis ceſſat finis, ob quem ſuſpenduntur indulgentiæ pro viuis, hic etenim potiſſimum eſt, vt fideles pro eo anno Romam conueniant ad ſolemnizandum illum annum, & ad acquirendas ibi indulgentias; animæ autem fidelium nequeunt illuc conuenire.

Nec ſuſpendūtur indulgētiæ numiſmatū applicabiles defunctis.

Ex his oritur hic difficultas, an, ſi Pontifex ſpeciali conceſſione indulſerit alicui grano, vel cruci, vel imagini plenariam indulgentiam cum facultate illam applicandi pro mortuis, hæc intelligatur ſuſpenſa per Iubilæum anni Sancti. Sentio adhuc in hac hypotheſi nō ſuſpendi quoad defunctos, ſeu quominus proſit defunctis, ſi pro eiſdem applicetur per modum ſuffragij *Quintanaduennas dict. tom. 1. tract. 8. appendicis dub. 14. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia indulgentiæ directè pro ſolis defunctis conceſſæ pro illo anno non ſuſpenduntur, ergo, nec ſuſpenduntur viuis conceſſæ ſub ea ratione, qua ſunt applicabiles defunctis, quandoquidem ſemper ordinantur ad defunctorum requiem, & liberationem nihilo obſtante, quod vna ſit immediatè conceſſa pro defunctis, altera ſolum mediatè, cum ſemper ſit vtraque, prout relata ad defunctos per modum ſuffragij; applicatio autem per modum ſuffragij ſemper eſt pro defunctis, numquam pro viuis, quia viui ſunt ſubditi, & capaces abſolutionis, cuius defunctus non eſt capax.

Aſſertio VIII. Facta per Pontificem conceſſione, ſeu indulto indulgentiæ Altari priuilegiato per totam octauam commemorationis omnium fidelium defunctorum, ſi in eodem celebrentur Miſſæ de requiem, probabilius die Dominica infra talem octauam nequit celebrari Miſſa de requiem, & propterea Altare pro tali die vacat priuilegio. 22

Conceſſo priuilegio per totam octauam commemorationis defunctorū, ſi celebrētur Miſſæ de requiē, dies Dominicæ caret tali priuilegio.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia pro illa die Dominica vetitum eſt celebrare Miſſam de requiem obſtantibus plurimis Sacræ Congregationis Rituum declarationibus, quibus non præſumendum eſt Pontificem derogare per illam generalem clauſulam, qua concedit indulgentiam per totam octauam celebrantibus in eodem Altari Miſſam de requiem, nam clauſula generalis intelligenda eſt, vbi alia iura non obſtant, niſi illorum fiat

expreſſa derogatio; Neque dicas, derogationem intelligi ſufficiētèr factam per hoc, quod Pontifex ad totam octauam conceſſionem extenderit, & voluerit ad conſequendum indultum in tota octaua Miſſam fieri de requiem; fruſtrà enim conceſſiſſet ad totam octauam cum illa conditione celebrationis de requiem, ſi illa conditio per totam octauam non poſſet adimpleri, vndè cenſendum eſt, quod cautè eidem derogauerit, ne inanis eſſet eius diſpoſitio per totam octauam; contra enim impugnaberis, quia per clauſulas generales non comprehenduntur ea, quæ alio iure ſunt prohibita, niſi fiat expreſsè derogatio prohibitorum *Fulgoſius conſ. 146. num. 1.*, *Crauetta conſ. 109. num. 6.*, &, ſicuti ex ſuperius dictis conceſſio facta Altari priuilegij pro omnibus diebus Lunæ non extenditur ad illos dies, in quibus ratione officij duplicis non poteſt celebrari Miſſa de requiem, ità conceſſio eiuſdem priuilegij facta pro omnibus diebus octauæ commemorationis omnium fidelium defunctorum non eſt extendenda ad dies illius hebdomadæ, in quibus ratione officij duplicis, vel Dominicæ non poteſt fieri Miſſa de requiem.

Secunda pars conſecutiuè ex eo deducitur, quod ad conſequendum effectum indulti neceſſarium eſt adimplementum operum, quæ in eodem indulto præſcribuntur, ergo, cum in die Dominico non poſſit fieri Miſſa de requiem, quæ præſcribitur tanquam opus iniunctum, non poterit pro ea die effectus indulti conſequi, vndè priuilegium pro illa die ceſſabit.

ARTICVLVS VII.

De obligatione Sacerdotum ratione ritus quoad triginta Miſſas Diui Gregorij.

SVMMARIVM.

Refertur diſpoſitio D. Gregorij. 1.
Articuli circa ipſam examinandi. 2.
Non eſt neceſſe, quod ab eodem Sacerdote celebrentur. 3.
Nec item, quod omnes ſint de requiem. 4.
Etiam pro diebus non impeditis non eſt neceſſe, quod ſint de requiem. 5.
Quantum fieri poteſt debent eſſe continuæ. 6.

1 Diſpoſitio Diui Gregorij. Diuus *Gregorius Papa 4. Dialogorum 55.* præſcripſit Abbati Pretioſo, vt offerri curaret triginta Miſſas triginta diebus continuis pro Monaco Iuſto his verbis. *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo ſacrificium ſtude, vt nullus omninò prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur.* Hic ritus celebrandi has Miſſas triginta maxima in veneratione eſt in Eccleſia Dei, tum ob inſtitutionem tam Sancti Pontificis, tum ob varia priuilegia à Pontificibus ſucceſſoribus eiſdem conceſſa, tum ob reuelationes, quod illæ maximè profuerint pro animabus, pro quibus fuerunt oblatæ. Circa has Miſſas multa contingunt dubitari ſub hoc titulo. Primum eſt, an huiuſmodi Miſſæ debeant ab vno Sacerdote celebrari, an verò poſſint à pluribus. Secundum, an omnes debeant eſſe de requiem. Tertium, an debeant eſſe continuæ per illos triginta dies, an verò poſſint eſſe interpollatæ. 2 Articuli circa ipſa examinandi.

Ad primum dicendum eſt, poſſe à pluribus Sacerdotibus celebrari non quidem vna die, ſed ſucceſſiuè per dies triginta *Gauantus in rubr. Miſſ. part. 1. tit. 5. lit. D.* Ratio eſt, quia D. Gregorius in allegatis verbis non dicit offer per te ipſum, ſed *offerre ſtude*, quod æquè fieri poteſt, vel per ſe ipſum, vel per alium. Deindè nulla poteſt aſſignari ratio, ob quam neceſſe ſit illas Miſſas per vnum dumtaxat celebrari; non diuerſitas ſacrificij, quia hoc eiuſdem valoris eſt, ſiue ab vno, ſiue ab altero fiat; non diſcontinuatio ratione offerentium, quia in hoc non attenditur alia vnio, quam ſeries illa continuata ſacrificiorum, ad quam materialitèr ſe habet vnitas, vel pluralitas offerentium; non diſpoſitio alicuius iuris poſitiui, cum de hac nullibi conſtet. 3 Non eſt neceſſe, quod ab eodem Sacerdote celebrentur.

Ad ſecundum dicendum eſt, non eſſe neceſſe, quod omnes illæ triginta Miſſæ ſint de requiem, ſed poſſunt eſſe etiam de feſto *Gauantus loc. cit.*, *Beia prima part. caſ. 23. verſ. ſecundum nempè*, *Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 4. §. 5.*, & alij magis communitèr. Ratio deducitur primò ex ſuperius dictis, quod, ſcilicet quando Pontifex in diplomate Altaris priuilegiati, dicit, *ſi celebretur Miſſa in tali Altari pro defunctis liberetur anima &c.*, æquè liberetur, ſiue celebretur de requiem, ſiue de Sancto, quia celebrare pro defunctis non importat, niſi applicationem pro illis, quæ æquè eſſe poteſt, ſiue in Miſſa defunctorum, ſiue de Sanctis, ergo, cum etiam D. Gregorius dicat ſolum *Vade, offerre pro illo ſacrificium ſtude*, hoc poterit fieri, ſiue in Miſſa de requiem, ſiue in alia, cum ſolum exigatur applicatio ſacrificij. Secundò, quia, ſi ex neceſſitate omnes illæ Miſſæ deberent eſſe de requiem, non poſſent eſſe continuæ, ita vt nulla prætermittatur dies, qua pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur; ſiquidem intra illos triginta dies continuos mediant Dominicę, & regularitèr alij dies officij duplicis, pro quibus Miſſæ de requiem nequeunt celebrari 4 Nec, quod omnes ſint de requiem.

brari obſtantibus ritibus Eccleſiaſticis.

5 *Etiam, ſi dies non ſint impeditæ officio duplici.*

Hic ſuboritur difficultas, an ſaltem alijs diebus extra Dominicam, & feſta duplicis officij ſint ex neceſſitate Miſſæ celebrandæ de requiem. Videtur prima fronte affirmandum, quia ex vna parte pro illis diebus nulla eſt reſiſtentia iuris, ob quam non poſſint de requiem celebrari, & ex alia parte, cum referantur ad defunctos, videntur debere eſſe defunctorum. Nihilominus ſentiendum exiſtimo, etiam pro illis diebus extra Dominicam, & feſta duplicia poſſe celebrari Miſſas de feſto occurrenti, non duplici, vel de feria. Ratio ex eo deducitur, quod indefinitè in allegato textu D. Gregorij dicitur; *ſtude offerre ſacrificium triginta diebus continuis pro eo*, nec ponitur aliqua conditio reſtrictiua ad Miſſas de requiem; offerre autem ſacrificium pro defuncto non eſt cum neceſſaria connexione cum Miſſa de requiem, ergo indefinitè intelligendum eſt, quod, ſi offeratur ſacrificium pro defuncto, adimpleatur onus iniunctum, & non reſtrictiuè ad dies, pro quibus non poteſt ſacrificium fieri de requiem.

6 *Quãtum fieri poteſt debet eſſe continuæ.*

Ad tertium dicendum eſt, quod quantum patitur ius Eccleſiaſticum huiuſmodi Miſſæ debeant eſſe continuæ, non interpollatæ. Conſentit *Gauantus loc. quo ſupra*, quidquid ex aduerſo dixerint *Bonacina diſp. 4. de Sacrament. Euchariſtia quæſt. vltim. punct. 7. §. 3. num. 6., & 7., Fraxinellus de obligat. Sacerdot. ſect. 8. concluſ. 6. §. 5. num. 7.* Expreſsè deducitur ex verbis eiuſdem D. Gregorij inſtitutoris illius ritus. Ibi- *diebus triginta continuis.* Rurſus, vt nullus omninò prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur. Neque obſtat id, quod aſſerit Bonacina, nempè verba D. Gregorij intelligenda eſſe ſalua decentia, & honeſtate, ſecundum quam pro aliqua die poteſt Miſſa omitti ſic Eccleſia permittente. Non obſtat, inquam, quia, cum iſtæ Miſſæ ęquè iuxtà ſuperius dicta poſſint per vnum, vel per plures celebrari ſeruatis debitis conditionibus, ſuppoſito, quod vnus ex decentia, & honeſtate pro aliqua die velit Miſſam omittere, tenetur per alium ſupplere pro eadem die; ea proportionali ratione, qua ſupra dicebamus, quod obligatus quotidiè ex vi fundationis celebrare, vel per ſe, vel per alium, ſi pro die in hebdomada ex honeſtate velit ſacrum omittere, tenetur per alium ea die ſupplere.

Dixi, *quantum patitur ius Eccleſiaſticum*; ſi etenim per Eccleſiam vetitum ſit pro aliquo, vel aliquibus diebus celebrare, certè per omiſſionem ſacri pro illis diebus non induceretur diſcontinuatio contra diſpoſitionem D. Gregorij, cum hæc intelligenda ſit de continuatione ſeruato ritu Eccleſiæ. Hinc, ſi triginta iſtæ Miſſæ eſſent celebrandæ poſt medietatem quadrageſimæ, itàvt intra triginta dies interueniret triduum maioris hebdomadæ; quo ex vſu Eccleſiæ non debet celebrari, non interrumperentur quantum ad hunc effectum ex eo, quod pro illo triduo Miſſæ non celebrarentur. Idem dicendum eſt pro diebus feriæ ſextæ in quadrageſimæ iuxtà Ritum Ambroſianо, pro quibus Miſſæ non celebrantur.

Hic latè pro complemento huius quæſtionis, prout notatum eſt in principio eiuſdem agendum eſſet de obligationibus ex ſtipendio, ſed quia latè de his agendum eſt in ſequentibus quæſtionibus, ideò hic non inſiſtimus. Eſſet etiam hic agendum de obligationibus, quæ conſurgunt ratione officij, ſeu beneficij; ſed de his actum eſt *ſub hac eadem quæſtione art. 3. ſect. 1.*

QUÆSTIO XII.

De ſtipendio Miſſarum, & obligationibus Sacerdotum ex ſtipendio.

CUM ex Apoſtolo. *Qui Altari ſeruit, de Altari viuere debeat*, iuſtè inductum eſt, vt pro onere Miſſarum congrua erogentur ſtipendia, quibus Sacerdos valeat ſuſtentari; ſed quia circa huiuſmodi ſtipendia ex Sacerdotum auaritia plures in dies irrepſerunt teterrimi abuſus, eiſdem occurrere volentes Romani Pontifices, & pręcipuè Vrbanus VIII., vel per ſe ipſos, vel mediante Sacra Congregatione, plurima edidere decreta, quibus huiuſmodi abuſus, & fidelium ſcandala indè emanantia eradicare totis viribus ſtuduerunt. De iuſtitia, vel iniuſtitia huiuſmodi ſtipendij relatè ad decreta Pontificum, & Sacræ Congregationis nos in pręſenti quæſtione latè agemus approbantes, quæ iuſta ſunt, & quæ iniuſta reprobantes.

ARTICVLVS I.

Quonam titulo huiuſmodi ſtipendia erogentur.

SVMMARIVM.

Stipendium non datur pro fructu ſacrificij. 1.

Non pro obligatione celebrandi, ſeu applicandi fructum pro erogante illud ſtipendium. 2.

Nec pro labore in celebrando. 3.

Actio ſacrificatiua eſt indiſtincta ab ipſo labore. 4.

Explicatur Concil. Agatenſe. 5.

Merces indifferens eſt, vel ad ſignificandum pretium laboris, vel ſtipendium ſuſtentationis. 6.

Locatio operis non eſt pretio æſtimabilis, quando opus non eſt tale. 7.

Nec labor neceſſarius ad opus eſt vendibilis, quando opus ipſum non eſt vendibile. 8.

Intellige de labore, qui quodammodo eſt indiſtinctus ab ipſo opere. 9.

Labor diſtinctus ab opere eſt locabilis pretio. 10.

Stipendium Miſſarum erogatur in ſuſtentationem celebrantis. 11.

Qui Altari ſeruit de Altari viuere debet. 12.

Non debet eſſe in totalem ſuſtentationem, ſed partialem. 13.

1 Non eſt pro fructu ſacrificij.

PLura de hoc titulo incidentèr ex occaſione attigimus in præcedentibus; nunc ex profeſſo venit diſcutiendus; circa quem certum omninò eſt, illud non erogari pro ipſo fructu ſacrificij, quandoquidem ille fructus eſt omninò ſacer, ſupernaturalis, & ſpiritualis, & propterea ſine labe expreſſa ſimoniæ non vendibilis, nec commutabilis. Hoc adeò ex ſe clarum eſt, vt vlteriori non indigeat probatione. Quamobrem ad alios titulos eſt recurrendum. Tres præcipuos apud DD. inuenio. Primus illorum eſt, qui aſſerunt, huiuſmodi ſtipendium erogari pro obligatione, quam aſſumit Sacerdos celebrandi, & applicandi fructum ſacrificij pro offerente tale ſtipendium. Secundus illorum, qui ſtatuunt dari pro labore celebrandi, qui eſt omninò ſeparabilis ab applicatione fructus, & ex ſe pretio æſtimabilis. Tertius illorum, qui aſſerunt, dari in congruam ſuſtentationem Sacerdotis celebrantis, qui, ſicuti Altari ſeruit in vtilitatem erogantis huiuſmodi ſtipendium, ita de Altari viuere debet. Singulos hos titulos expendo.

Aſſertio I. Non eſt congruus, & ſufficiens titulus acquirendi illud ſtipendium obligatio, quam aſſumit Sacerdos celebrandi, & applicandi fructum ſacrificij pro eodem ſtipendium erogante. *Cacheranus Theol. aſſert. tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 3. §. 2. num. 32.*, quod etiam nos firmauimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimon. prænot.* 18. *num.* 6.; hocque ſuſtinent *Abbas in cap. ſignificatum de præbend. num. 8., Innocentius in cap. 3., ne Prælati vic. ſuas.* — 2 Non pro obligatione celebrandi.

Probatur primò auctoritate *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 4. ad primum*, vbi dixit, quod, quamuis liceat vendere temporalia, *ordo tamen ad ſpiritualia ſub venditionem cadere non debet*, ſed denegari non poteſt, quin illa obligatio, de qua loquimur, non ſit ordo ad ſpiritualia, nempè ad fructum ſacrificij Miſſæ, ergo non poteſt ſub obligatione pro pretio temporali cadere.

Probatur ſecundò; obligatio, vt reſpicit præcisè ſpirituale, hoc eſt fructum ſacrificij eſt eidem annexa, & ab illo recipit æſtimationem ſuam, ergo præcisè, vt talis non eſt vendibilis, ſicuti non eſt vendibile ipſum ſpirituale. Antecedens probatur, quia denegari non poteſt, quin talis obligatio referatur ad fructum ſacrificij, tanquam ad finem; ordo autem medij ad finem eſt eiuſdem rationis cum ipſo fine, & ab eodem recipit æſtimationem. — Rationes pro aſſerto.

Dices, ipſa obligatio, quam aſſumit Sacerdos ad ſacrificandum pro eo, qui obtulit ſtipendium, eſt obligatio ex iuſtitia, adeo vt, ſi non celebret, teneatur ad reſtitutionem, vndè videtur interuenire contractus innominatus inter dantem, & accipientem. *Do, vt facias*, nec vllus eſt, qui damnet talem conuentionem, ergo ideò eſt talis obligatio, quia pro illa confertur ſtipendium, quia ſine iſto non poteſt eſſe obligatio ex iuſtitia, quæ, ſi non adimpleatur, obliget ad reſtitutionem; ergo illud ſtipendium erogatur pro eadem obligatione. Sed contra; fateor oriri obligationem ex iuſtitia ad ſacrificium applicandum pro erogante ſtipendium, adeò vt, ſi non applicet, teneatur ad reſtitutionem accepti; ſed nego talem obligationem eſſe pro ſacro celebrando, ſed pro congrua ſuſtentatione celebrantis, & ſic, quod erogatur, non eſt pretium obligationis, ſed vt ſtipendium ſuſtentationis; vndè merito docet *Suarez lib. 4. de ſimonia c. 24. num. 17. in fin.*, quod, ſi obligatio pro ſacro celebrando venderetur, ſpirituale miniſterium etiam venderetur, vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis, quod non eſt dicendum. — Solutiones obiectorum.

3 Nec pro labore in celebrãdo.

Aſſertio II. Nec illud ſtipendium erogatur pro labore in celebrando. *D. Thomas in 4. diſtinct. 25. quæſt. 3. art. 2., Sotus*

lib. 9.

lib. 9. de iuſtit. art. 1., *Durandus in quarto diſtinct. 25. quæſt. 3. num. 10.*, *Abulenſis 3. Reg. 14. quæſt. 9.* Procedit de labore, qui quaſi intrinſecè adiungitur ipſi ſacro miniſterio, nam de labore, qui ſolum per accidens coniungitur, diuerſa eſt ratio, vt ſubdam infrà.

4 Actio ſacrificatiua eſt indiſtincta ab ipſo labore.

Probatur primò. Actio ipſa ſacrificatiua, vtpotè conſiſtens in actione tranſeunte haberi nequit ſine illo opere, ſeu labore, ergo non eſt ſeiuncta, imò connexa cum eodem, ergo talis labor non poterit vendi ſine labe ſimoniæ, ſicuti ſine eadem non poteſt vendi ipſa actio. Conſequentia probatur, quia non ſolum eſt materia ſimoniæ res quæcunque ſpiritualis ſupernaturalis, ſed etiam quæcunque ſpirituali annexa, &, licet illa res ſpirituali annexa ſit ſecundum ſe pretio æſtimabilis, non tamen ſine labe ſimoniæ poteſt conſequi pretium propter inſeparabilitatem, quam habet cum re ſpirituali, ea proportionali ratione, qua dicebamus in quæſtionibus de ſimonia de beneficio Eccleſiaſtico, in quo conſiderantur duo diſtincta iura, alterum ad ſpiritualia, alterum ad temporales prouentus, non tamen pro ſecundo poteſt ſine ſimonia pretium recipi propter connexionem cum primo.

5 Quomodo intelligendum ſit Conc. Agatenſe.

Neque ijs, quæ hic dicuntur, obſtat textus *in cap. fin. 21. quæſt. 2.*, deſumptus *in Concil. Agatenſi cap. 36.*, vbi ſic diſponitur. *Sanctis laboribus reddenda eſſe debita ſecundum ſeruitij ſui debitum*, ergo illi labori ex natura rei, & ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici debetur merces. Non, inquam, obſtat, quia allegatus textus ex Concil. Agatenſi intelligendus eſt non de pretio operis, ſed de congrua ſuſtentatione miniſtrantis iuxtà illud Euangelij. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua.*

Neque obſtat ſecundò, ſi dicatur, quod illud ſtipendium datur tanquam *merces*, vt innuitur ex allegato textu Euangelij, & ad proportionem non miniſterij operis ſacri, ſed laboris in eo impenſi, ergo verè confertur pro ipſo labore. Non obſtat,

6 Quid ſignificet ly, *merces*

inquam, quia nomen mercedis indiferens eſt, vel ad ſignificandum pretium laboris, vel ſtipendium ſuſtentationis, cum ſecundum ſe ſignificet totum id, quod quomodocunque eſt debitum ex iuſtitia; nec verum eſt id, quod ſubditur, quod, ſcilicet illud ſtipendium detur ad proportionem laboris; nam, vt benè notat *Cacheranus tom. 4. tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 3. §. 2. num. 32.*, multo minus dat, qui petit Miſſæ celebrationem ſine applicatione ſacrificij, ac qui petit cum tali applicatione, & tamen Sacerdos in celebratione eundem laborem impendit, ſiue applicet pro ipſo, ſiue non applicet ſacrificium. Deindè dato etiam, quod erogetur ad proportionem laboris, non proptereà ſequitur, quod detur pro ipſo labore; quandoquidem ex eo etiam, quod erogetur in ſuſtentationem, poteſt attendi talis proportio, non enim pro exiguo, & modico miniſterio exigit, ita habere ſtipendium ſuſtentationis, ſicuti pro opere diuturniori.

7 Locatio operis nõ eſt pretio æſtimabilis, quãdo opus non eſt tale.

Neque obſtat tertiò, ſi dicatur nullam eſſe repugnantiam, ſi Sacerdos locet ſuas operas in ordine ad ſacra miniſteria obeunda, ſed id, quod erogatur pro tali locatione, eſt pretium propriè eiuſdem, vt manifeſtè colligitur ex ipſo contractu locationis, *vt ex l. 2. C. locati*, ergo iuſtè poteſt pro tali miniſterio, ſeu labore in exercitio eiuſdem exigi pretium &c. Non obſtat, inquam, quia, quando actio, ad quam quis conducitur, non eſt pretio æſtimabilis, nec locatio ad ipſam peragendam eſt pretio æſtimabilis, adeoque, nec poteſt vendi, nec pro ea pretium exigi, quia totam æſtimabilitatem habet à re, ad quam quis conducitur.

8 Nec labor neceſſarius ad opus eſt vendibilis diſtinctè ab ipſo opere.

Probatur ſecundò, quia labor, qui eſt neceſſarius ad aliquod opus non eſt vendibilis diſcriminatim ab ipſo opere, ergo opus ipſum, ſi non eſt vendibile, neque erit vendibilis labor neceſſarius ad tale opus. Antecedens probatur, quia ex parte vendentis ſuas operas parum valet labor ad valorem operis; opus enim ipſum eſt ab ipſo labore inſeparabile, &, ſi quandoque reſpectu eius maior labor interueniat ad opus, opus ipſum non eſt maiori pretio meritorium. Conſequentia tenet, quia, ſi non poteſt diuerſo pretio vendi labor ab opere, ſi opus non eſt meritorium pretij, nec labor in ipſo impenſus.

9 Intellige de labore intrinſeco operi.

Dixi in aſſertione, *labor, qui quaſi intrinſecè adiungitur ipſi ſacro miniſterio*, nam, ſi per accidens coniungatur cum ipſo ſacro miniſterio ex aliqua extrinſeca circunſtantia, vtique eſt vendibilis ſine vlla prorſus labe ſimoniæ *Sotus lib. 9. de iuſtitia qu. 6. art. 1.*, *Paludanus in 4. diſtinct. 25. qu. 5.*, *Abulenſis tertio Reg. 14. quæſt. 9.* Hoc contingeret, quando quis pro alio celebraturus deberet longum iter habere, diu immorari in loco &c.; ille etenim labor eſt extra rationem formalem ſacri miniſterij.

10 Labor diſtinctus ab opere eſt locabilis.

Vide, quæ latè de hoc dicta ſunt *d. tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. prænot. 18. num. 4.*; vbi etiam inuenies, quod, ſi ille labor, qui coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio ratione ſubiecti, (quatenus ratione ſeneſcientis ætatis, vel debilioris naturæ, & complexionis non poſſit, niſi cum maiori applicatione, protractione temporis ſacrum conficere, quod alij cum minori labore

bore regularitèr obeunt) non ſit vendibilis ſine labe ſimoniæ, quia reſpectu talis perſonæ ille labor eſt neceſſario connexus cum ipſo opere ſacro.

11 Stipendiũ erogatur in ſuſtentationem Miſsantis. Aſſertio III. Illud ſtipendium, quod erogatur, eſt in partialem ſuſtentationem Sacerdotis celebrantis, & applicantis pro eo, à quo ſtipendium accipit. Conſentiunt *Suarez diſp. 86. ſect. 1. verſ. ad auctoritates verò adductas in fin.*, *Cacheranus tom. 4. tract. 9. de Euchariſtia, vt ſacrificio cap. 3. §. 2. num. 32. in fine*, & aliorum magis communitèr.

Probatur primò ex communi, & recepta praxi Eccleſiæ Prælatis eandem vbique approbantibus ex illis principijs traditis à Chriſto Domino. *Lucæ 10. Dignus eſt operarius mercede ſua*, & Apoſtolo prima ad *Corinth. 9. Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt. Qui Altari deſeruiunt, cum Altari participant, ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium enunciant, de Euangelio viuere*; Neque huiuſmodi textus intelligendi ſunt de pretio laboris, vel operis ex ſupra probatis.

12 Qui Altari ſeruit de Altari viuere debet. Probatur ſecundò, quia hoc à natura inditum eſt, vt, qui Altari deſeruit, ius habeat, vt ab illo alatur, nam hoc maximè neceſſarium eſt ad vitam tranſigendam, ergo, cum Sacerdotis præcipuum munus ſit ſacrificare, ſi hoc munus exercet in vtilitatem alterius, iure naturali ſic exigente debet ab iſto ali; neque in hoc vlla ſit iniuria rei ſpirituali, ſed potius humanæ ſubuenitur neceſſitati; neque dicas, illam obligationem alēdi miniſtrum celebrantem, ſeu eidem erogandi ſtipendium eſſe iuſtitię, quæ nequit eſſe ſine pacto inter dantem, ſeu promittentem illud, & Sacerdotem miniſtrantem, quia ille dat, vt hic faciat, hic verò facit, vt recipiat ſtipendium, hoc verò pactum videtur eſſe de ipſa actione, & receptione, adeoque dari ipſum ſtipendium pro ipſa actione, non pro ſuſtentatione; contra enim impugnaberis, quia non recuſo, interuenire implicitè pactum; nego autem hoc pactum eſſe de pretio operis, tanquam extrinſecus ſuperadditum, ſed de ſuſtentatione naturali lege miniſtris debita, in qua intrinſecè continetur pactio de huiuſmodi ſtipendio.

13 Non debet eſſe in totalē ſuſtentationem. Dixi, *in partialem ſuſtentationem*, quia, cum Sacerdos non totalitèr applicetur in illo munere, ſed valeat pro eadem die in alijs occupationibus ſibi licitis, & honeſtis applicari, quibus poſſit ſaltem ex parte ſuſtentationem acquirere, non debet illam totam exigere à ſacrificia poſcentibus, ſed partialem iuxtà Epiſcoporum taxam, & ex locorum conſuetudine inductam.

ARTICVLVS II.

An Sacerdos diues poſſit ſtipendium exigere ab eo, qui ab ipſo petit Miſſæ ſacrificium.

SVMMARIVM.

Rationes, & iura euincentia non poſſe exigere. 1.
Iuſtè poteſt exigere. 2.
Non tenetur miles diues gratis militare. 3.
Poteſt exigere, quamuis habeat aliundè bona Eccleſiaſtica pinguia. 4.
Soluuntur rationes, & iura oppoſita. 5.

Cvm ex præactis in præcedenti articulo ſtipendium Miſſarum non detur in pretium operis, aut laboris eidem operi intrinſecè adiacentis, ſed pro mera Sacerdotis ſuſtentatione, videtur ex conſequenti dicendum, quod, ſi habeat aliundè congruum, ſeu ſuperexcedens ad eandem ſui ſuſtentationem non poſſit ſtipendium pro Miſſis exigere, quod videntur ſenſiſſe *D. Thomas in 4. diſtinct. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad quartum*, *Caietenus ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 2.*, & alij apud *Suarez diſp. 86. ſect. 3. in principio*, & ad hoc facere videntur plures iuris Canonici textus, & præcipuè *in cap. illi autem 12. quæſt. 1.*, *& in cap. vltim. eiuſdem quæſtionis*, vbi dicitur, quod, ſi huiuſmodi ſtipendia à Sacerdotibus diuitibus excipiantur, non in eorum vſus, ſed in pauperum neceſſitates ſint diſtribuenda. Nihilominus ſit 1 Rationes, & iura euincentia nõ poſſe exigere.

Aſſertio. Sacerdos, quantumuis habeat bona allodialia, ſeu patrimonialia valdè pinguia poteſt iuſtè exigere ſtipendium congruum Miſſarum, quas pro alijs celebrat *D. Thomas quodlib. 6. art. 10.*, *Sotus de iuſtit. lib. 9. quæſt. 6. art. 1.*, *Nauarrus in ſumma cap. 23. num. 102.*, & alij magis communitèr.

Probatur primò, quia principia, quibus innititur hoc ius exigendi ſtipendium pro Miſſis, fundantur indiſpoſitione Chriſti Domini, & Apoſtoli. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, &, *qui Altari deſeruit, de Altari viuere debet*, ſed, quamuis Sacerdos habeat aliundè pingues facultates, operatur in vtilitatem alterius, pro quo celebrat, & verè Altari deſeruit, ergo dignus eſt mercede, & iuſtè de Altari viuere debet recipiendo iuſtum, & taxatum ſtipendium; nec illæ facultates poſſunt huic iuri obſiſtere, cum iſtæ ſint valdè extraneæ, nec poſſint reſiſtere iuri fundato in illis operationibus, & famulatu Altaris. Deindè miles, 2 Iuſtè poteſt exigere.

3 Non tenetur miles diues gratis militare. miles, quantumuis gaudeat amplis facultatibus, non tenetur gratis militare, ergo, nec Sacerdos, qui eſt miles Chriſti Domini, tenetur gratis pro alijs militare ſacrificium pro illis offerendo.

Hæc adeò vera ſunt, vt non ſolum verificentur, quando habet facultates patrimoniales, ſed etiam, quando habet facultates Eccleſiaſticas ex pingui beneficio, quod non habet annexa onera Miſſarum, prout habent *Petrus à Nauarro lib. 2. de reſtitutione cap. 2. num. 305., Suarez dict. diſp. 86. ſect. 3. verſ. dico ſecundo, Arragonius de iuſtitia quæſt. 83. art. 3., Vaſquez tertia part. tom. 3. diſp. 234. cap. 4., Coninchus quæſt. 83. art. 1. dub. 11. concluſ. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia illæ facultates, quas habet ex beneficio Eccleſiaſtico, non ſunt propter onera Miſſarum, cum independentèr à Miſſis illis gaudeat, ergo ratione Miſſarum, quas celebrat, poterit iuſtè ex illis ſtipendium recipere; non enim illæ facultates, cum ſint extraneæ, poſſunt demere ius, quod habet Sacerdos exigendi ſtipendium ex illis Miſſis. (4 Poteſt exigere, quamuis aliundè habeat bona Eccleſiaſtica)

Neque obſtant, quæ ex aduerſo oppoſita ſunt in principio huius articuli; Non *D. Thomas in quarto diſtinct. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad quartum*, quia, ne ſibi aduerſetur quoad ea, quæ dixit *dict. quodlib. 6. art. 10.*, intelligendus eſt de oblationibus, quæ illis non ſunt communicandæ, non de ſtipendijs Miſſarum; non textus *in cap. illi autem 12. quæſt. 2.*, quia ille textus, vt notat *Gloſa ibidem*, non procedit de præcepto, ſed de conſilio; Non tandem textus *in c. fin. eiuſdem cauſæ, & quæſtionis*, quia ibi ſupponitur, quod illarum oblationum Sacerdotes non acquirant dominium, ſed nudam procurationem; quod non verificatur quoad ſtipendia Miſſarum, quorum verè Sacerdos fit Dominus, vndè non tenetur ſpeciali obligatione illa ſic accepta pauperibus diſtribuere, ſed poteſt eis liberè vti; ex charitate tamen poteſt obligari, quia cum his ſtipendijs ditiores fiant, poſſunt faciliùs habere ſuperflua, quibus poſſint pauperibus ſubuenire. (5 Soluuntur rationes, & iura oppoſita.)

ARTICVLVS III.

Quodnam ſit iuſtum Miſſarum ſtipendium.

SVMMARIVM.

Pro Miſſis perpetuis antiquis ſtandum eſt ſtipendiò taxato in fundatione. 1.
Siue illud fuerit pingue. 2.
Siue fuerit tenue. 3.
Pro fundatione futura Miſſarum perpetuarum conſtituenda ſunt ſtipendia pinguiora, ac exigantur pro Miſſis manualibus. 4.
Iuſtum ſtipendium pro Miſſis manualibus illud eſt, quod eſt taxatum ab Epiſcopo, vel ab habente poteſtatem taxandi. 5.
Fundamentum talis taxationis. 6.
Ex liberalitate erogantis eleemoſinam poteſt hæc augeri. 7.
In ordine ad quod debeat fieri huiuſmodi taxa. 8.

IN ordine ad diuerſa onera poſſunt eſſe diuerſa Miſſarum ſtipendia; vel etenim onera ſunt perpetua, vel temporalia, &, ſi perpetua, vel ſunt antiqua, & iam diu fundata, vel de nouo fundanda, & conſtituenda. De ſtipendio horum omnium erit hic ſermo.

Aſſertio I. Stipendia onerum perpetuorum, quæ iam fundata ſunt, illa intelliguntur, quæ iam conſtituta ſunt, ſiue ſint pinguia, & excedentia conſuetum Miſſarum, ſiue tenuia, & inferiora conſueto ſtipendio. In hoc ferè omnes conſentiunt, & ſignantèr *Suarez in tertia part. D. Thomæ quæſt. 86. ſect. 2. in principio.* (1 Pro Miſſis perpetuis antiquis ſtandum eſt ſtipendio taxato in fundatione.)

Et quidem, ſi ſint pinguia, & excedentia conſuetum Miſſarum ſtipendium ex eo euincitur, quod iſta intelliguntur collata Eccleſiæ ad hunc finem, neque ex eo, quod ſint excedentia, vitiantur, cum prouenient ex liberalitate conferentis; non enim vetitum eſt ex liberali animo conferre redditus excedentes conſuetam taxam, cum hæc non ſtet reſtrictiuè, adeovt neque plus, neque minus liceat conferre ex titulo liberalitatis, ſed tantum reſtrictiuè quoad onus iuſtitiæ, adeo vt conferens non poſſit ad plus obligari, neque recipiens ad celebrandum pro minori ſumma, ergo aſſignato illo pingui ſtipendio illud erit debitum, & conferendum Sacerdoti celebranti. (2 Siue illud fuerit pingue.)

Si verò illud ſtipendium erit tenue, & minus conſueto, adhuc pro illo tenebitur Sacerdos celebrare, ſi illud acceptauerit onus, quandoquidem ex eadem acceptatione oritur obligatio ſtandi conuentioni, ſeu oneri impoſito, &, ſicuti, ſi in Miſſis, ſeu pro Miſſis manualibus acceperit tenuia ſtipendia, & minora iuſto, tenetur Miſſas tot celebrare, quot ſunt illa minora ſtipendia, vt infrà dicemus ad mentem Sacræ Congregationis, ita, ſi acceptauit onus Miſſandi quotidiè ob tenues redditus, tenebitur onus illud adimplere. Verum tamen eſt, quod poterit Sacerdos pro reductione, & Miſſarum moderatione ad ſuperiorem recurrere, qui, an poſſit eſſe Epiſcopus, an verò ex neceſſitate debeat eſſe Summus Pontifex, infrà videbitur. (3 Siue fuerit tenue.)

4 Pro Miſſis perpetuis futuris exiguntur ſtipendia pinguiora.

Aſſertio II. Stipendia imponenda pro Miſſis futuris perpetuis debent eſſe longè maiora, ac ſint ſtipendia, quæ pro manualibus taxantur relatè ad ſingulos dies. Hoc ſæpiùs declarauit Sacra Congregatio.

Ratio ex eo deducitur primò, quia illa perpetuitas eſt onus per ſe graue, & obligat Sacerdotem ad perſiſtendum in illo munere, ne ad alia fortè pinguiora poſſit ſe conferre. Secundò, quia ob temporum viciſſitudines, & rerum varietates poſſunt ſubeſſe dimminutioni. Tertiò, quia exigunt inueſtimẽtum in fundo fructifero, qui ſubiacet grauibus periculis &c. Quamobrem, vt mihi ex fide dignis, & in Curia Romana verſatis expoſitum eſt, Sacra Congregatio pluries declarauit ſtipendia pro Miſſis perpetuis relata ad ſingulos dies debere eſſe duplo maiora, ac ſint illa pro Miſſis, quæ dietim offeruntur, ſeu prò Miſſis manualibus.

5 Iuſtum ſtipendiũ Miſſarũ manualiũ quodnam ſit.

Aſſertio III. Iuſtum Miſſarum ſtipendium, quod offertur pro Miſſis, quæ pro alijs dietim applicantur, eſt illud, quod taxatum eſt per Epiſcopos, vel per habentes poteſtatem ad hoc, adeo vt maiora non poſſint iuſtè exigi. Conſentiunt in hoc *Suarez in tertia part. D. Thomæ diſp. 86. ſect. 2. verſ. de quibus primo dicendum eſt*, *Nugnus quæſt. 83. art. 1. dub. 9. concluſ. 1.*, *Aragonius ſecunda ſecundæ qu. 85. art. 3. verſ. ſed dubitabit aliquis*, *Reginaldus lib. 23. num. 232.*, *& alij*, vbi verò non fuerit taxatum per Epiſcopum, illud iuſtum cenſendum erit, quod per conſuetudinem communem inductum eſt, ſeu, quod à viris prudentibus, & Deum timentibus communitèr peti, aut dari ſolet.

Ratio in vniuerſum in eo ſita eſt, quod pretia rerum, ſeu actionum communitèr per legem Principis taxantur, vel ea deficiente, ex vſu fori, vel per praxim in negotiatione earundem rerum, ſeu actionum verſatorum, ergo etiam ſtipendia Miſſarum iuſta habenda ſunt, quæ per legem Epiſcopi tanquam Principis Eccleſiaſtici, vel per conſuetudinem in tali loco receptam, vel per iuditium prudentum, & timoratorum virorum taxata remanent. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi Miſſarum ſtipendia non habeant rationem pretij, adeoque, nec ad normam, & menſuram pretij ſint regulanda. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, licet re vera non habeant rationem pretij, ſunt tamen debita ex iuſtitia, adeovt ciuilitèr etiam in iudicio exigi poſſint; ſeruant enim quandam proportionem cum ipſo, & exigunt medium æqualitatis, ſine quo non poteſt eſſe ratio propria iuſtitiæ.

Ratio ſecundò ex eo poteſt deſumi, quia niſi taxatio quoad huiuſmodi ſtipendia conſtitueretur, innumera orirentur ſcandala, nam Sacerdotes inhiantes lucris ex arbitrio extorquerent, quod ſibi beneplacitum eſt, non iuſtum, & ſupra æqualitatem, pleræque inſurgerent diſſenſiones; vndè iuſtum fuit ità huiuſmodi ſtipendia taxari, vt Sacerdotibus non liceat maius exigère, neque fidelibus minus dare ex obligatione. 6

6 Fundamentum talis taxationis.

Dixi, *ex obligatione*, non enim renuerem, quod conſtituta etiam tali taxa, vel per Epiſcopum, vel per vſum fori, vel per iudicium prudentum poſſint fideles ex liberalitate ſupra talem taxam retribuere, vel Sacerdotes ex eadem liberalitate minus exigere; non enim talis lex taxatiua aditum occludit pijs miſericordiæ, aut liberalitatis, aut Religionis operibus; neque cenſendum eſt, huic legi taxatiuæ aduerſari *D. Thomam ſecunda ſecundæ qu. 100. art. 3. ad ſecundum*, quatenus ibi dicit illicitum eſſe, ſi in aliqua Eccleſia talis lex feratur, vt pro nullo fiant ſuffragia, niſi tali ſtipendio dato; quandoquidem D. Thomas ibi non damnat legem taxatiuam iuſti ſtipendij, ſed ſolummodò ſtatuta particularia aliquarum Eccleſiarum, quæ ſupra communem taxam exigunt maius ſtipendium, vt in ipſis Miſſa celebretur. 7

7 Ex liberalitate erogantis eleemoſinã poteſt maior erogari.

Aſſertio IV. Lex taxatiua iuſti ſtipendij, non debet eſſe ad normam exigentiæ congruę ſuſtentationis Sacerdotis celebrantis *Suarez dict. diſp. 86. ſect. 2. verſ. dico tertiò*, vbi citat Cordubam, Medinam, & Nauarrum, & in hoc magis communitèr conſentiunt aduerſus Sotum, & alios volentes integrum Sacerdotis miniſterium in Miſſa conſiſtere.

Probatur, quia ex ſuperius dictis huiuſmodi ſtipendium non alio titulo Sacerdoti confertur, niſi in eiuſdem ſuſtentationem iuxtà illud. *Dignus eſt operarius mercede ſua, &, qui Altari deſeruiunt, de Altari viuere debent*, ergo ſuſtentatio ipſa debet menſurari ad normam quantitatis operationis, & ſeruitutis, non quod ſit pretium earundem, vt ſupra dicebamus, ſed, quod menſuretur quodamodo ad quantitatem eiuſdem ſeruitij, & operationis; ſed operatio, & ſeruitus, quæ per ſolam Miſſæ celebrationem exhibetur, eſt modificata ad modicum diei tempus, ergo non exigit ſuſtentationem pro toto tempore eiuſdem diei. Confirmatur, quia Sacerdos non ſolum habet hoc miniſterium Miſſandi, ſed poteſt exercere alia munera, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ciuilia honeſta, quibus poteſt ſibi acquirere, vel integram ſuſtentationem, vel maiorem eiuſdem partem, ergo ratione ſolius Miſſæ celebrationis non eſt eidem taxanda integra ſuſtentatio. 8

8 Lex taxatiua ſtipendij nõ debet eſſe ad normã exigentię congruæ ſuſtentationis.

AR-

ARTICVLVS IV.

An Sacerdos pauper poſſit acquirere duplicata, vel pinguiora ſtipendia.

SVMMARIVM.

Sententia concedens poſſe plura, vel pinguiora ſtipendia exigere cum eius fundamentis. 1.
Non poſſunt plura, vel pinguiora ſtipendia exigere. 2.
Qui tenuia ſtipendia recepit, non poteſt, ea reducere ex propria libertate ad congrua, & ad ratam congruorum ſolum Miſſas celebrare. 3.
Paupertas non tribuit ius exigendi ſupra debitum. 4.
Soluuntur argumenta oppoſita. 5.

1 Sentẽtia aſſerens, Sacerdotes poſſe plura, vel pinguiora ſtipendia exigere. — NOn defuerunt DD., qui aſſeruerunt, Sacerdotes pauperes poſſe tot ſtipendia Miſſarum pro vna Miſſa exigere, quot ſufficiant ad congruam ſui ſuſtentationem, quinimmò etiam ad alendam ſuam familiam, & conſanguineos, qui ſub illorum cura ſunt, ſi fuerint indigentes. Iſti ſunt *Canus 12. de locis c. 13. ad 10.*, *Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 3. art. 1. in fin.*, *& in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 1. in fin.*, qui eo principio innituntur, quod integrum miniſterium Sacerdotis ſit Miſſam celebrare, adeoque ratione eiuſdem poſſit integram ſuſtentationem exigere iuxtà illud Apoſtoli. *Qui Altari deſeruit, de Altari viuere debet*, nec congruum ſit, vt, qui Altari deſeruit, teneatur ſordidam artem exercere, vel turpitèr emendicare contra diſpoſitionem *Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 2. de reformatione*. Eorum fundamentum — Addunt etiam, quod exiſtente paupertate non ſit intrinſecè malum exigere, & recipere pro eodem ſacrificio plura ſtipendia neceſſaria ad congruam ſuſtentationem, nam per plures Pontifices reperitur conceſſum pauperibus Religioſis, & Eccleſijs, vt per vnicam Miſſam poſſint pluribus Miſſarum oneribus ſatisfacere, quod facere non potuiſſent, ſi eſſet intrinſecè malum per vnum ſacrificium ſatisfacere pluribus. Si igitur non eſt intrinſecè malum, non videtur hæſitandum, quin exiſtente paupertate, & neceſſitate congruæ ſuſtentationis poſſit Sacerdos per vnum ſacrificium acceptis pluribus ſtipendijs eiſdem ſatisfacere. His tamen non obſtantibus ſit

2 Non poſſunt plura exigere. — Aſſertio. Non licet Sacerdotibus pauperibus pro vna Miſſa plura ſtipendia recipere. Conſentiunt *Suarez dict. diſp. 86. ſect. 4. verſ. dico ergo*, *Nauarrus in manuali cap. 25. num. 92.*, *Corduba quæſt. 4. dub. 2.* De hoc non videtur ampliùs ambigendum ſtante decreto Sacræ Congregationis Concilij Vrbani VIII. auctoritate edito, quo ſtatuitur, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſinæ præſcriptæ fuerint, ita vt alioqui ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò grauitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur, quod decretum abſolutè procedit, reſpectu omnium ſine limitatione ad Sacerdotes pauperes.

Probatur, quia taxa, vel per legem, vel per conſuetudinem inducta eſt iuſta, & certa regula limitatiua iuſti ſtipendij pro vnaquaque Miſſa, & vtique illimitata reſpectu omnium, non modificata in ordine ad certas perſonas, qualitate paupertatis, vel diuitiarum affectas, ergo illimitatè ab omnibus eſt ſeruanda, adeoque pro vna Miſſa nequeunt plura ſtipendia accipi, nam quod vltra vnum acciperetur, eſſet vltra æqualitatem iuſtitiæ.

Dices, poſita hac ratione, ſi à pluribus eidem Sacerdoti plura ſtipendia, ſed inferiora taxæ tribuerentur, vel ab eodem plura inferiora eidem taxæ, ſed cum onere plurium Miſſarum, poſſet hic Sacerdos vnica Miſſa pro tot ſtipendijs ſatisfacere, quot complerent congruam, & taxatam eleemoſinam pro vna; ſed hoc eſt expreſsè damnatum per eandem Sacram Congregationem. Ibi - *Vbi pro pluribus Miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerint &c.*, ergo allata ratio non euincit abſolutè, quod nequeant plura ſtipendia pro eodem ſacrificio recipi, cum nequeant etiam recipi, quantumuis adæquent vnum tantum congruum, & taxatum ſtipendium. Sed contra *Suarez loc. cit. verſ. vndè conſequentèr infero*, propter hanc rationem aſſerit, poſſe Sacerdotem, ſi talia ſtipendia non ſint integra, qualia lege, vel conſuetudine taxata ſunt, tot ſtipendia pro vna Miſſa accipere, quod ſufficiant ad iuſtum ſtipendium, & lege taxatum conficiendum. Sed in hoc danda eſt venia Suarez, cum pro eo tempore, quo ſcripſit, nondum emanauerint decreta Sacræ Congregationis, de quibus infrà latè agendum erit. Quamobrem ad inſtantiam dico, ſtipendia Miſſarum taxari quidem per legem, vel per conſuetudinem regularitèr loquendo; per hoc tamen non tolli, quin per dantem, & recipientem poſſit ex propria voluntate talis taxa moderari. Eo autem ipſo, quo Sacerdos acceptauit onus celebrandi Miſſas cum illo minori ſtipendio, iam ex eius voluntate illud minus — 3 Qui tenuia ſtipendia recepit nõ poteſt Miſſas minuere.

ſtipendium taxatum, intelligitur pro integra Miſſa, adeoque &c.

4 Paupertas non tribuit ius accipiendi ſupra debitum.

Probatur ſecundò; paupertas Sacerdotis non tribuit ius accipiendi rem alienam inuito Domino, aut detinendi id, quod eſt ſupra æqualitatem iuſtitiæ, vt per ſe patet, nam, licet quis in extrema neceſſitate poſſit ſibi de rebus neceſſarijs conſulere, cum in eo ſtatu omnia intelligantur communia, hoc eſt titulo extremæ neceſſitatis, non tamen hoc poteſt pręſtare ex titulo celebrationis Miſſæ, qui non tribuit ius, niſi ad taxatum ſtipendium. Deindè in hoc caſu non ſupponitur extrema neceſſitas in Sacerdote, quæ ſola tribuit ius indigenti ſibi conſulendi, & ſi hæc extaret, non tribueret ius præcisè ad plura ſtipendia pro eadem Miſſa accipienda, & ex titulo Miſſæ, ſed ex titulo iuris in rebus omnibus, quæ ſibi neceſſaria ſunt.

Neque obſtant, quæ ex aduerſa parte afferebantur; non primum, quod, ſcilicet ſit integrum miniſterium Sacerdotis celebrare Miſſam; hoc etenim falſum omninò eſt, quandoquidem poteſt Sacerdos alijs miniſterijs, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue laicalibus honeſtis ſibi victum ſimul cum illo modico ſtipendio acquirere, vt habetur *in cap. Clericus victum diſtinct. 91. ex Concil. Cartaginenſ. IV. cap. 52.* Non ſecundum, quia ne teneatur victum ſibi acquirere, vel mendicando, vel per ſordidam artem, Eccleſia prouidit, ne quis ad ſacros ordines promoueatur, niſi habeat ſufficiens beneficium, vel congruum patrimonium, &, ſi Epiſcopus quemquam promouerit non habentem aliquem ex his titulis, obligat ipſum ad promoto cõtribuendam congruam ſuſtentationem. Non tertium, quia non eſt quidem malum ſuppoſita Pontificis diſpenſatione pro vnica Miſſa plura ſtipendia accipere; nam, vel malitia conſurgeret ex eo, quod contribuentes eleemoſinam fraudarentur fructu eiuſdem ſacrificij, & hoc non, quia cum ſacrificium ſit valoris extenſiuè infiniti, vt ſupra latè probauimus, ex eo, quod pro pluribus applicetur, non minuitur in ſingulis; Deindè dato etiam, quod valor ſacrificij Miſſæ non eſſet infinitus extenſiuè, adhuc tamen non fraudarentur fructu illi, qui eleemoſinam contribuerint, quia in caſu, quo Pontifex conceſſerit per vnicam Miſſam ſatisfieri pluribus ſtipendijs, vel ab vno, vel à pluribus oblatis, intelligeretur ex theſauro Eccleſiæ applicare quidquid ſatisfactionis in eo caſu minuitur ijs, qui ſtipendia Miſſarum contulerunt; vel malitia conſurgeret ex eo, quod Sacerdos fidem frangeret ijs, qui illa ſtipendia contulerunt, cum præſumantur voluiſſe pro ſe tantum applicationem illius ſacrificij; & hoc etiam non, quia irrationabilitèr eſſent inuiti, quod alijs etiam applicaretur, cum talis applicatio non ipſis obeſſet. Eſt igitur dumtaxat malum, quia eſſet contra diſpoſitionem Eccleſiæ, quæ ſtatuit hoc fieri non debere, cum ingereret ſcandalum, & turpem Sacerdotis auaritiam; hoc autem non contingeret diſpenſante Romano Pontifice maximè interueniente paupertate Eccleſiarum, & Monaſteriorum. Contingeret autem, ſi hoc fieret propria auctoritate Sacerdotis, & reluctante Eccleſiæ præcepto.

5 Soluuntur argumenta oppoſita.

ARTICVLVS V.

De Pœnis contra eadem die pluries celebrantes contra ſtatuta Eccleſiæ.

SVMMARIVM.

Non poteſt Sacerdos vltra dies à iure permiſſos bis celebrare eadem die. 1.
Sub pœna damnationis. 2.
Pluries eadem die celebrans ſubditur pęnis Iudici Eccleſiaſtico arbitrarijs. 3.
Non ſubit tamen pęnas ſimoniacorum, & quare. 4.
Textus in cap. ſufficit de conſecrat. diſt. 1. *importat vltra damnationem aliam pęnam.* 5.

NOn ſolum vetitum eſt per Eccleſiaſtica præcepta, pro vna, & eadem Miſſa plura ſtipendia accipere propter auaritiam ſordidam Sacerdotum, quæ indè reſultaret, ſed etiam plures Miſſas pro eadem die celebrare in ordine ad plura ſtipendia acquirenda. De hac prohibitione pluries celebrandi eadem die exceptis caſibus in iure permiſſis latè actum eſt in præcedentibus. Nunc ſolum agendum remanet de pœnis, quæ contra tranſgreſſores huiuſmodi prohibitionis à iure Eccleſiaſtico impoſitæ ſunt. Hoc in primis certum eſt, Sacerdotem ſic pluries celebrantem eadem die, non euitare damnationem, prout habetur *in cap. ſufficit de conſecratione diſt. 1.* Ibi. *Qui pro pecunijs plures Miſſas vna die facere præſumunt, non euadunt damnationem.* Sed hæc eſt pœna, quæ reſpicit forum internum, prout coniungitur cum ipſa culpa. In præſenti agendum eſt de pœnis, quæ per ius Eccleſiaſticum afficiunt delinquentes vltra pœnam internam, quę reſultat ex peccato, de quibus latè agunt *Ianuenſis in praxi Neapol. cap. 64., Riccius in praxi deciſ. 351., Bernardus Diaz in pract. Canonica cap. 35., Menochius de arbitrar. caſ. 407.*

1 Non poteſt Sacerdos eadem die pluries celebrare.

2 Sub pœna damnationis.

Et quidem conſiderato præcisè textu *in dict.*

dict. cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct. 1., nulla alia videtur impoſita pœna diſtincta ab illa damnationis, quinimmò, nec iſta, quando plures Miſſæ eadem die ab eodem Sacerdote celebrarentur non pro pecunijs, aut adulationibus ſæcularium, ſed, vel ex præſumpta deuotione, vel alio titulo; ibi enim ſolummodò dicitur. *Qui verò pro pecunijs, aut adulationibus ſæcularium vna die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo euadere damnationem.* Cum igitur textus ſolum comprehendat ſic celebrantes pro pecunijs, & adulationibus, videtur excludere celebrantes ex alio titulo, vel præſumptæ deuotionis, vel alterius apparentis honeſtæ cauſæ.

3 Subditur pœnis arbitrarijs Iudici

Nihilominus ſentiendum eſt, pluries eadem die celebrantes vltra, ſeu extra dies à iure permiſſos, non euadere pœnas arbitrarias Iudici Eccleſiaſtico. Dixi, *arbitrarias*; non enim inuenio in iure impoſitam aliquam determinatam pœnam. Quod, ſi dixeris, cum *Hoſtienſi lib. 3. ſummæ in rub. de conſecratione Eccl. ſeu Altaris num.* 15., talem celebrationem plurium Miſſarum eadem die pro pecunia, ſeu adulationibus ſæcularium ſimoniacam eſſe, adeoque Sacerdotes in hoc delinquentes ſubire pœnas determinatas aduerſus ſimoniacos illatas; ſtatim impugnaberis, quia non ſupponitur, quod ſic celebrans pecuniam recipiat pro ipſo ſacrificio, tanquam pretium eiuſdem, ſed tanquam ſtipendium ſuſtentationis, licet indebitæ, vndè committeret quidem graue peccatum contra iuſtitiam, non contra Religionem; & quando etiam in tali celebratione plurium Miſſarum conſiderari poſſet quædam ſimoniæ ſpecies, hæc eſſet ad ſummum ſimilitudinaria, pro qua non eſt impoſita certa, & determinata pœna. Deindè, vt latè probauimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimon. prænot. 13. ſect. 5.*, nulla determinata pœna impoſita eſt pro ſimonia, niſi in beneficijs, ordine, & Religione, vt etiam notant *Suarez lib. 4. de ſimon. diſp. 55. num. 5., Nauarrus cap. 23. n. 111. verſ. ſexto, & ſeptimo, & alij*.

4 Non tamen ſubditur pœnis cōtra ſimoniacos illatis

5 Textus in c. ſufficit de conſec. diſtinct. 1. importat vltra damnationem æternam aliam pœnam.

Probatur iam, non euadere pœnas arbitrarias, quia in primis textus *in d. cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct.* 1., per ly, *non euadunt damnationem* non eſt præcisè intelligendus de damnatione æterna, cum hæc ſit indita peccato læthali ex genere ſuo, nec ambigendum eſt de tali peccato, cum talis repetita celebratio pro eadem die ſit contra ſacros Canones, & præcepta Eccleſiaſtica, ſed de aliqua alia damnatione quoad pęnas, quæ, cum non ſint in iure determinatæ, intelligi debent de arbitrarijs. Deindè non eſt præſumendum, quod Eccleſia voluerit huiuſmodi delicta remanere impunita, cum grauia ingerant ſcandala in Chriſtiana Republica; vndè, licet nulla pęna ipſo iure incurrenda lata ſit contra huiuſmodi delinquentes, intelligi tamen debet per ſententias ferenda.

ARTICVLVS VI.

An Regulares gaudeant aliquo priuilegio quoad Miſſarum numerum dimminuendum.

SVMMARIVM.

Decretum reuocatorium priuilegiorum. 1.
Ceſſat priuilegium Iulij II. conceſſum Generalibus ordinum Mendicantium diſpenſandi, vt per vnam Miſſam cum nouem collectis ſatisfaciant pro nouem Miſſis. 2.
Item Leonis X. per vnam Miſſam ſatisfaciendi pluribus eleemoſinis paruis. 3.
Decretum reuocatorium intelligendum eſt de Miſſis ſuſceptis poſt priuilegium. 4.
Niſi eiſdem fuerit ſatisfactum ante reuocationem. 5.
Priuilegium conceſſum ab Vrbano VIII. Fratribus Minimis Conuentus Ianuenſis poſt reuocationem an verè exiſtat. 6.
Suppoſito, quod ſit non eſt extendibile ad alios. 7.

NOn eſt in præſenti hæſitandum, quod priuilegium, ſi quod eiſdem intelligatur conceſſum, non poſſit eiſdem prodeſſe, cum omnia intelligantur reuocata per Sacram Congregationem in decretis circa celebrationem Miſſarum iuſſu Vrbani VIII. editis, cum inter cætera hoc legatur. *Id verò, vt deinceps obſeruetur Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſijs, & locis pijs, tam ſæcularibus, quam Regularibus cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & inſtituti quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.*

1 Decretū reuocatorium omnium priuilegiorum.

Hinc corruit primò priuilegium Iulij II. *Conſtitut.* 7., & Leonis X. *Conſtitut.* 8. apud *Confectum in collect. priuil., & tit. 19. de Diuinis officijs cap.* 3., quo Generalibus Ordinum Mendicantium conceditur facultas diſpenſandi cum ſuis Religioſis, vt celebratione vnius Miſſæ cum nouem collectis poſſint ſatisfacere pro nouem Miſſis, etiam ſi particularitèr de requiem, vel de Sanctis eſſent celebrandæ.

2 Ceſſat priuilegiū Iulij II. conceſſum Generalibus ordinum.

Corruit ſecundò priuilegium conceſſum Minoribus à Leone X., vt poſſint paruas eleemoſinas acceptas prò Miſſis coniungere

3 Item Leonis X. re ad ſummam vnius Iulij, & per vnicam Miſſam omnibus ſatisfacere, de quo priuilegio loquuntur *Capuccinus verb. Miſſa 3., Rodericus tom. 1. quaſt. 43. à n. 17.*

4 Decretū intelligendum eſt de Miſſis receptis poſt priuilegium. Difficultas ſolummodò eſt circa hoc decretum reuocatorium, an intelligendum ſit de Miſſis ſuſcipiendis poſt priuilegium, an verò dumtaxat de ſuſcipiendis poſt reuocationem eiuſdem per hoc decretum, adeo vt ſolummodò recipiendæ poſt reuocationem cadant ſub huiuſmodi reuocationem, an verò etiam ſuſceptæ poſt priuilegium ante reuocationem? Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata ad ſextum dubium excitatum reſpondit, intelligendum eſſe de ſuſceptis poſt priuilegium; ex qua reſponſione elucet, quod, ſi ante hoc decretum, ſed poſt priuilegium Miſſæ fuerunt ſuſceptæ, non poſſint ex vi priuilegij moderari, nec per vnicam cum nouem collectis ſatisfieri pro nouem Miſſis.

5 Intellige, niſi eiſdē ante reuocationē fuerit ſatisfactū. Hoc tamen intelligerem de Miſſis ſuſceptis poſt priuilegium, & ante reuocationem, quando ante eandem reuocationem non eſſet eiſdem ſatisfactum iuxtà normam priuilegij, nam, ſi iam eſſet ſatisfactum, ſuper eaſdem non videtur cadere reuocatio, cuius robur non incipit, niſi poſt eiuſdem promulgationem, non ſuper onera iam antecedentèr adimpleta.

In ordine tamen ad huiuſmodi priuilegia aduerte, quod *Laurentius de Poirinis ad Conſtit. 5. Vrbani VIII. pag. 494. tom. 1. priuileg. Ordinis Minimorum, & Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſ. part. 2. cap. 20. in fine*,

6 Priuilegium Vrbani VIII. conceſſum Minimis Conuentus Ianuenſis. referunt eundem Vrbanum VIII. anno immediatè ſequenti poſt promulgationem decretorum Sacræ Congregationis conceſſiſſe Fratribus Conuentus Ianuenſis Minimorum, vt legata Miſſarum perpetua exigua, & oneri impoſito imparia poſſint reducere ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet Miſſa quotidiana, & inſimul decreuiſſe per celebrationem Miſſarum ſic reductarum ſaluti animarum eorum, quorum intentione Miſſæ fundatæ fuerunt, ſuffragari, perindè ac ſi illæ verè, & realiter omnes, vt ſunt impoſitæ cum effectu celebrarentur. Hoc priuilegium extendit *Marchinus loc. cit.*, non ſolum ad omnes eiuſdem Ordinis Conuentus, ſed etiam ad alios omnes Ordines communicantes in priuilegijs Minimorum.

7 Hoc priuilegium non eſt extēdibile ad alios. Sed quidquid ſit, an hoc priuilegium conceſſum ſit Cœnobio Ianuenſi PP. Minimorum, & apud illos vigeat (quod mihi alitèr non conſtat) non auderem tamen illud extendere ad alios Conuentus eiuſdem Ordinis, & minus ad alios aliorum Ordinum, cum illa conceſſio, ſi verè fuit, ſit per modum ſpecialis reductionis quoad Miſſas iam aſſumptas auctoritate eiuſdem Pontificis, & ex ſpeciali ratione.

ARTICVLVS VII.

De reductione Miſſarum.

SVMMARIVM.

Diſpoſitio Concilij Tridentini circa huiuſmodi reductiones. 1.
Moderatio huius diſpoſitionis per Sacram Congregationem. 2.
Epiſcopi, & Generales non poſſunt amplius moderari Miſſas poſt Concil. Trident. receptas. 3.
Nec impoſitas ante idem Concilium in limine fundationis. 4.
Satisfit rationibus oppoſitis. 5.

Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 4. de reformatione*, hæc expreſsè habet. *Sancta Sinodus cupiens hæc ad pios vſus relicta, quo plenius, & vtilius poteſt, impleri, facultatem dat Epiſcopis, vt in Sinodo Diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus, vt in ſuis Capitulis Generalibus re diligentèr perſpecta poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſijs, quas pro hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, & Eccleſiarum vtilitatem nouerint expedire.* 1 Conceſſio Concil. Trid. circa huiuſmodi reductiones

Hoc decretum moderata eſt Sacra Cōgregatio in decretis iuſſu Vrbani VIII. editis circa celebrationem Miſſarum in hunc, qui ſequitur modum. *Primo diſtinctè prohibet, & interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Sinodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, aut commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurrant, quæ re diligentèr perſpecta id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioqui reductiones, moderationes, aut commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huiuſmodi prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.* Cum autem in hoc decreto dicatur, *aut poſt idem Concilium impoſita*, ſequitur, quod impoſita ante ipſum poſſint Epiſcopi in Sinodo, & Generales in comitijs Generalibus reducere, cum per hanc Sacræ Congregationis declarationem facultas non ſit eiſdem ſublata. 2 Moderatio talis cōceſſionis per Sacram Congregationē.

Difficultas ſolummodò videtur in eo verſari, an huiuſmodi Sacræ Congregationis decreta per ly, *aut in limine fundationis*, referatur, ſeu coniungatur cum par-

3 Epiſcopi, & Generales non poſſunt Miſſas poſt Cõcilium acceptas moderari

particula præcedenti, *aut poſt idem Concilium*, adeo vt ſenſus ſit, quod non poſſint reduci Miſſæ impoſitæ in limine fundationis poſt idem Concilium, an verò etiam impoſitæ in limine fundationis ante ipſum Concilium. Videtur prima fronte dicendum, coniungi cum illis alijs *poſt idem Concilium impoſita*, adeovt, ſicuti onera Miſſarum ante Concilium impoſita poſſunt reduci, & moderari per Epiſcopos in Synodo, & per Generales in commitijs Generalibus, ita etiam impoſita in limine fundationis ante idem Concilium. Ratio huius opinionis videtur in eo fundari, quod Concilium ipſum tribuens facultatem reducendi, ſeu moderandi loquitur etiam de Miſſis in limine fundationis præſcriptis à teſtatoribus. Ibi. *Vt illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis*; Sicuti igitur Sacra Congregatio non limitat facultatem in ordine ad Miſſas ante idem Concilium impoſitas, ita, nec videtur limitare in ordine ad eaſdem in limine fundationis impoſitas ante idem Concilium.

4 Nec impoſitas in limine fundationis, quãuis ante Conciliũ.

Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe Epiſcopos in Diœceſana Synodo, nec Generales in Capitulis Generalibus moderari Miſſas in limine fundationis impoſitas, quantumuis ſint impoſitæ ante ipſum Concilium. Colligitur expreſsè ex verbis eiuſdem Sacræ Congregationis. Ibi. *Ne reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis*, vbi nota illam particulam diſiunctiuam, *Aut*, quæ importat diuerſam diſpoſitionem à primo diſiuncto, nec congruè poſita fuiſſet illa diſiunctio, ſi ſecundum membrum diſiunctum contineretur in primo; ſatis enim fuiſſet, ſi ſacra Congregatio dixiſſet, *poſt idem Concilium impoſita*, ſi etiam in limine fundationis impoſita coarctarentur ad tempus poſt idem Concilium.

5 Soluuntur argumenta oppoſita.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; nam, licet Concilium etiam referatur ad Miſſas in limine fundationis impoſitas per allegata verba. *Illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis*; Sacra tamen Congregatio Cardinalium eiuſdem Concilij interpretum conſulere volens pijs teſtatorum mentibus, ne facilè fraudentur, Sedi Apoſtolicę facultatem eas moderandi reſeruauit, etiam ſi onera in limine fundationis ante dictum Concilium ſint impoſita; vndè in hoc audiendum non eſſe arbitror *Marchinum tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 19. nu. 31.*, dum dixit non cenſeri per hoc decretum reuocatum priuilegium moderandi Miſſas, & Anniuerſaria ante Tridentinum impoſita.

ARTICVLVS VIII.

De onere Miſſarum adaucto, vel dimminuto ſtipendio.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Sententia aſſerens, poſſe in hac hypotheſi Sacerdotem ex ſe Miſſas reducere. 2.
Hæc opinio non cohæret cum decretis Sacræ Congregationis. 3.
Sententia aſſerens pereunte in totum fundo ceſſare onus Miſſarum. 4.
In hoc conſulenda eſt Sacra Congregatio. 5.
Tot Miſſæ ſunt celebrandæ, quot eleemoſinæ pro illis datæ, quamuis iſtæ ſint tenues. 6.
Decretum quoad hoc Sacræ Congregationis. 7.
Quid importent illæ particulæ etiam eiuſdem qualitatis *in decreto appoſitæ.* 8.
Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ. 9.
Illæ particulæ, quot præſcriptæ fuerint, *intelliguntur ab offerentibus eleemoſinas, non à taxa Epiſcopi, vel conſuetudinis.* 10.

1 Senſus tituli expoſitus.

SEnſus propoſiti tituli hic eſt. Pro tempore impoſitionis oneris celebrandi tot Miſſas aſſignatum eſt congruum ſtipendium pro eiſdem, quod poſtea factum eſt deterius, vel quatenus proceſſu temporis Miſſarum ſtipendium fuerit adauctum, vel quatenus ex fundo aſſignato fructus facti fuerint tenuiores. In hac hypotheſi quæritur, an poſſit Sacerdos, vel per ſe ipſum, vel per Epiſcopum Miſſas reducere ad ratam fructuum, qui percipiuntur, vel ad ratam ſtipendij nunc currentis.

2 Sentẽtia Bordoni aſſerens poſſe Sacerdotem ex ſe Miſſas reducere.

Bordonus in conſil. Regul. reſol. 25. n. 37. ſentit, poſſe Sacerdotem ex ſe Miſſas moderari, & tot dicere, quot fructus colliguntur habito reſpectu ad incrementum ſtipendij, & ad deteriorationem fructuum, quando alias ſtipendium ab initio aſſignatum non excedebat taxam conſuetæ eleemoſinæ.

3 Reijcitur hæc opinio.

Sed abſolutè contrarium ſentiendum eſt poſt emanata Sacrę Congregationis decreta iuſſu Vrbani VIII. per quæ non ſolum præcipitur recurſus ad Sedem Apoſtolicam pro huiuſmodi reductione, & moderatione, ſed etiam, vt *abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem atributæ eleemoſinæ fuerint præſcriptæ.* Hinc *Genuenſis de Eccleſ. tricen. 6. quæſt. 179.*, dixit etiam independentèr à dicto Sacræ Congregationis decreto, quod, ſi legata pecunia pro tot Miſſis celebrandis augeatur merces, aut eleemoſina Sacerdotibus eroganda,

non

non ſit numerus Miſſarum dimminuendus, quod latè probat, & reſpondet contrarijs.

4 Sed hic ſuboritur difficultas; an, ſi fundus pro Miſſis aſſignatus caſu pereat quoad totum, ceſſet onus Miſſarum ſine alio, adeovt Sacerdos ex ſe poſſit abſtinere à celebratione Miſſarum nullo habito recurſu ad Sedem Apoſtolicam. *Bordonus loc. cit.*, & *item Genuenſis loc. cit. in fin.*, aſſerunt, poſſe abſolutè abſtinere à tali celebratione, quorum rationem eam eſſe arbitror, quod ſine ſtipendio non poſſit onus vrgere, nec defectus ſtipendij poſſit Sacerdoti imputari, cum fundus, ex quo illud eſſet extrahendum, non culpa eiuſdem, ſed caſu ſupponatur perijſſe. Nec obſtat, ſi dicatur, quod, ſi fundus etiam caſu factus fuerit deterior, & tenuiores fructus reddat, non poſſit ex ſe Sacerdos Miſſas dimminuere ad ratam dimminutionis eorundem fructuum, ergo, etiamſi in totum caſu perierit, non poterit Sacerdos ex ſe Miſſas in totum dimittere argumento partis ad totum, & totius ad partem *in l. quæ de tota ff. de rei vendic.* Non obſtat, inquam, quia, quando fundus deterior factus eſt, remanent reditus, licet tenues, qui, quamuis ius tribuant ad dimminutionem Miſſarum concedendam per habentem legitimam poteſtatem, non demunt tamen onus

Pereunte in totum fundo ceſſare onus Miſſarum aliqui ſtatuunt.

5 ſecundum ſe; vndè etiam Sacra Congregatio ſtatuit, quod, licet eleemoſinæ ſint tenues, tot Miſſæ ſint celebrandæ, quot eleemoſinæ, licet exiguæ, ſiue ab eodem, ſiue à pluribus ſint attributę; quando verò fundus in toto caſu perijt, non ex culpa, ſicuti perijt fundamentum iuris, ita perijſſe cenſendum eſt onus. In hoc attendendum eſſe arbitror oraculum Sacræ Congregationis, in cuius obſequium calamum contineo, ne prætergrediatur limites ab eadem præſcriptos non interpretandi.

In hoc attendendũ eſt oraculum Sacræ Congregationis.

6 Ex occaſione eorum, quæ dicta ſunt de non minuendo numero Miſſarum ex augmento ſtipendij, & dimminutione fructuũ ex fundo pro eiſdem aſſignato remanet hic inquirendum, an, ſi tenues eleemoſinæ pro ſingulis Miſſis fuerint aſſignatæ, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis, poſſint Miſſæ auctoritate propria Sacerdotis, ſeu Eccleſiæ, cui fuerunt aſſignatæ, reduci ad ratam iuſti, & congrui ſtipendij. Abſolutè negandum eſt, prout expreſsè definiuit eadem Sacra Congregatio per hæc verba.

Tot Miſſæ celebrandæ, quot eleemoſinæ quãtumuis tenues

7 *Deindè, vbi pro pluribus Miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantuncunque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs, quibuſcunque, tam ſæcularibus, quam Regularibus Sacra Congregatio ſub obteſtatione Diuini iuditij mandat, & præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem atributæ eleemoſinæ praſcriptæ fuerint, ita vt alioqui ij, ad quos pertinet, ſuis obligationibus non ſatisfaciant, quinimmò grauitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur.*

Decretũ quoad hoc Sacrę Congregationis.

Sed circa hoc decretum, quod manifeſtè euincit, non poſſe Miſſas dimminui ex tenuitate ſtipendij, duo remanent inquirenda. Primum, quid intelligat Sacra Congregatio per illa verba; *etiam eiuſdem qualitatis*. Secundum, an illæ particulę, quot præſcriptæ fuerint, referatur ad pręſcriptionem factam ab ordinario, an verò ab ijs, qui eleemoſinam contulerunt.

In ordine ad primum dico, Sacram Congregationem voluiſſe abolere quorundam opinionem, quæ pro eo tempore vigere incipiebat, qui, quamuis aſſererent tot Miſsas celebrandas, quot ſtipendia fuerint collata, licet incongrua, accipiebant tamen, quando Miſsæ impoſitæ erant eiuſdem qualitatis; nam tunc iuxtà ipſos poterant Miſsæ ad minorem numerum reduci, & ſic aſſerebant, quod, ſi ab eadem perſona fuerint plura incongrua ſtipendia collata pro tot Miſſis de requiem, poſſent Sacerdotes, quibus collata erant reducere Miſſas ad tot, quot correſponderent congruo, & taxato ſtipendio pro ſingulis, ſed qua ratione mouerentur, non inuenio. Merito autem Sacra Congregatio, hanc opinionem damnare voluit, cum ſit eadem ratio de pluribus Miſſis, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ qualitatis, & non minus intelligatur offerens talia ſtipendia pro tot Miſſis, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ qualitatis velle tot integra ſacrificia, cum pluris habeantur plura ſacrificia eiuſdem qualitatis, ac vnum tantum, vel minora; ſingula enim conferunt ſuum fructum ex opere operato, & vtique diſtinctum. 8

Quid importent illæ particulæ *etiã eiuſdem qualitatis.*

Quod, ſi dixeris, quod, quando Miſſæ impoſitæ ſunt diuerſæ qualitatis habeant preces, & ritus quoquo modo diuerſos, exigant earundem Miſſarum diſtinctionem iuxtà mentem expreſſam offerentium ſtipendia, licet incongrua, quando verò Miſſæ præſcriptæ ſunt eiuſdem qualitatis, & ab eadem perſona impoſitæ, non videantur talem diſtinctionem exigere, cum habeant eaſdem omninò preces, & ritus; ſtatim impugnaberis, quia diuerſitas precum, quæ in diuerſis, ſeu diuerſæ qualitatis Miſſis adhibentur, non augent, nec minuunt valorem intrinſecum, & ex opere operato earundem Miſſarum, tantumque fructum cauſant Miſſæ eiuſdem, ſiue diuer- 9

Solutio obiecti.

diuerſæ qualitatis, & plures, ſiue in vno genere, ſiue in alio plus proſunt, quam minores.

10 Illæ particulæ, *quot præſcriptæ* fuerint referuntur ad erogantes eleemoſinam.

In ordine ad ſecundum dicendum eſt, illas particulas, *quot præſcriptæ fuerint* referri ad præſcriptionem offerentium eleemoſinas, licet incongruas, non ad illam Ordinarij. Hoc expreſsè ſtatuit eadem Sacra Congregatio, dum interrogata ſupra ſecundum articulum in hæc verba reſpondit. *Ad ſecundum reſpondit, intelligendum eſſe de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſinam tribuit, non ab Ordinario.*

ARTICVLVS IX.

An, ſi redditus per teſtatorem aſſignati facti fuerint deteriores, & minus congrui pro Miſſis ab eodem præſcriptis teneatur hæres ſupplere deteriorationem.

SVMMARIVM.

Sententia indefinitè aſſerens, quod vbicunque teſtator expreſſerit quantitatem, hæres non teneatur, niſi ad illam. 1.

Theorica Bartoli diſtinguentis, quando quantitas eſt adiecta oneri, vel cauſa taxationis, vel cauſa demonſtrationis admittitur. 2.

Regula prima, qua dicitur, quod quantitas adijciatur demonſtratiuè, quando adijcitur diſtincta propoſitione ab illa, qua adijcitur onus. 3.

Hæc regula reijcitur. 4.

Secunda regula, quando intelligatur adiecta demonſtratiuè, quando diſpoſitio incipit ab onere, taxatiuè, quando incipit à quantitate. 5.

Si diſpoſitio incæperit à quantitate, ſed indeterminata, & hæc fuerit maior pro tempore executionis, maior eſt tribuenda. 6.

Si tempore executionis ſtipendium fuerit dimminutum, & poſtea creuerit, per hæredem eſt augendum. 7.

1 Si teſtator expreſſerit quantitatem ſententia aſſerens hæredem non teneri, niſi ad illam.

BRixianus *in repertorio Borgnini verſ. verba in dubio præſumuntur num.* 5. reiecta diſtinctione, qua communitèr vtuntur ſcribentes de qualitate, & quantitate adiecta oneri taxatiuè, vel demonſtratiuè aſſerit, quod, vbicunque teſtator expreſſerit quantitatem ab hærede ſoluendam ad celebrandam Miſſam quotidianam, non teneatur idem hæres, quando quantitas legati eſt, vel ſit tenuis, ad ſupplementum, ſed ſolum ad quantitatem per teſtatorem expreſſam, & tunc debeat per Epiſcopum illa quantitas in alium pium vſum conuerti, vel Miſſæ reduci.

Nihilominus retenta illa communi diſtinctione, quam approbant *Bartolus in l. Lucius num. 3. de aliment., & cibar. leg., Surdus de aliment. tit. 1. quæſt. 26. num. 5., Felinus in cap. ſuper literis de reſcript., Moneta de commut. vltim. volunt. cap. 6. quæſt. 3. num. 173., & alij magis communitèr*, aſſerendum eſt, quod, ſi eleemoſina pro celebranda Miſſa quotidiana, vel anniuerſaria fuerit tenuis, & adiecta oneri cauſa demonſtrationis, & non taxationis, poſſit compelli hæres ad ſupplendum id, quod deficit ad congruam, ſeu taxatam eleemoſinam *Idelphonſus Perez de anniuerſ., & Capel. lib. 1. cap. 15. ad fin., Gratianus diſcept. forenſ. cap. 256. num. 1., Moneta de commut. vltim. volunt. cap. 5. quæſt. 15. num. 271.* Ratio huius noſtri dicti ex eo deducitur, quod, quando quantitas legati, ſeu ſtipendij appoſita eſt demonſtratiuè, non intelligitur ex mente teſtatoris reſtricta, ſed appoſita præciſè ad indicandum ex quo, vel à quo illa quantitas ſit eroganda, quod contingeret, quando teſtator diceret. *Aggrauo hæredem meum ad dandum Sacerdoti aureos vigintiquinque quos iubeo ex tali fundi redditibus perſolui*, ergo, ſi talis quantitas non fuerit congrua, ſed inſufficiens, hæres tenebitur ad ſupplementum. Quod, ſi deindè talis quantitas appoſita ſit oneri adiecto cauſa taxationis, non ſit per hæredem ſupplenda, ex eo euincitur, quod non intelligitur teſtator voluiſſe hæredem aggrauare vltra illam quantitatem præſcriptam, quam propterea ſic taxauit; vndè in hoc caſu onus Miſſarum erit moderandum per Sedem Apoſtolicam. Prima pars etiam euincitur *ex d. l. Lucius, ff. de alim., & cib. leg., & l. nemo debitoris, §. vni ex hæredibus, ff. de legat. 3.*

2 Sententia diſtinguens, quando quantitas eſt adiecta oneri, vel cauſa taxationis, vel cauſa demonſtrationis.

Difficultas ſolummodò in hoc vrget in inquirendo, quandonam quantitas intelligatur adiecta oneri cauſa demonſtrationis, & quandonam cauſa taxationis. Plures regulas aſſignant DD. Prima illorum eſt, qui aſſerunt, talem quantitatem pro onere adiecto intelligi appoſitam demonſtratiuè, quando, & onus adiectum, & quantitas appoſita duabus diſtinctis propoſitionibus exprimuntur, quando verò vna propoſitione exprimuntur intelligatur quantitas adiecta taxatiuè; vndè aſſerunt, quod, ſi teſtator dixerit. *Aggrauo hæredem meum ad dandum Sacerdoti aureos triginta, quos iubeo ex talis fundi redditibus perſolui*, intelligatur quantitas adiecta oneri demonſtratiuè, quia eſt concepta diſtincta propoſitione ab onere adiecto; ſi verò dicatur. *Aggrauo hæredem meum ad dandum Sacerdoti triginta aureos ex fructibus talis fundi pro onere Miſſæ quotidianæ*, intelligatur

3 Regula prima, quando intelligatur adiecta demonſtratiuè.

appoſita taxatiuè, quia vna propoſitione exprimitur. Sed non libentèr acquieſcerem huic regulæ, quandoquidem ſiſtendo in allegatis exemplis quantitas adiecta oneri, ſiue vna propoſitione, ſiue duabus in ſubſtantia ſignificationis non variatur; vna etenim propoſitio expreſſa ſimul cum onere poteſt reſolui in duplicem, & expreſſa duplici poteſt in vnam reſtringi non variata ſignificatione. Quid enim eſt dicere. *Aggrauo hæredem meum ad dandum Sacerdoti triginta aureos pro onere Miſſæ quotidianæ quos volo ex fructibus talis fundi perſolui*, niſi dicere. *Aggrauo meum hæredem ad perſoluendum ex fructibus talis fundi triginta aureos pro onere talis Miſſæ*. Certè in vtraque importatur eadem ſignificatio.

4 Hæc regula reijcitur.

5 Secunda regula explicatur.

Secunda illorum eſt, qui dixerunt, & quidem congruentius, & magis aptè quantitatem adiectam oneri eſſe per modum demonſtrationis, quando diſpoſitio teſtatoris incipit ab onere; per modum verò taxationis, quando incipit à quantitate; atq; iuxta hanc regulam procedunt *Felinus in cap. ad audientiam 2. num. 7. de reſcriptis*, *Paulus de Caſtro conſ. 338. num. 3. vol. 1.*, *Moneta de commut. vltim. vol. cap. 6. qu. 3. num. 179.* Ratio ex eo deducitur in vniuerſum, quod illud intelligitur principalius, & primo volitum à teſtatore, quod primo loco eſt diſpoſitum, vt latè pluribus adductis exemplis probat *Euerardus in loco legati ab ordine ſcripturæ num. 7., & 11.*, ergo, ſi prius fuit diſpoſitum de onere hoc intelligitur principalius volitum, & quantitas minus principalitèr, adeoque illud erit adimplendum, & hæc, ſi fuerit minus congrua, ſupplenda. Si verò fuerit prius quantitas diſpoſita, & deindè onus adiectum, prius illa intelligatur volita, & principalius; iſtud verò ſecundario, & minus principalitèr.

Hinc deduces, quod, quando prius eſt diſpoſitum de onere, poſſit hæres compelli ad augendam quantitatem vſque ad congruam, ſi aſſignata fuerit minor congrua, quia ſupponitur teſtàtor abſolutè voluiſſe adimplementum totius oneris adiecti, quod non eſt impediendum ex quantitate volita ſecundario, & acceſſoriè; Quando verò eſt prius diſpoſitum de quantitate, hæc videtur abſolutè volita, & taxata; vndè onus ſecundario adiectum, vel erit ſimplicitèr adimplendum, vel moderandum, & reducendum per Sedem Apoſtolicam.

Sed quid erit dicendum, ſi teſtator quidem incæperit à quantitate non tamen determinata, ſed indeterminatè, vt, ſi dixerit. *Obligo hæredem meum ad erogandam congruam eleemoſinam pro tot Miſſis Sacerdoti pro me celebrandis*, & pro tempore diſpoſitionis conſueta eleemoſina fuerit minor, & pro tempore executionis fuerit maior, an, tunc per hæredem erit eleemoſina contribuenda iuxtà tempus diſpoſitionis, pro quo ſupponitur minor, an pro tempore executionis, pro quo eſt maior. 6

6 Si diſpoſitio incipiat à quantitate, ſed indeterminata, & tempore executionis fuerit maior, maior eſt per hæredem eroganda.

Reſpondendum eſt, hæredem teneri contribuere eleemoſinam currentem tempore executionis *Ianuenſis in ſuis partic. Eccleſ. quæſt. 179.*, *Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſt. Epiſc. allegat. 29. num. 7.* Ratio ex eo deducitur, quod, licet diſpoſitio incipiat à quantitate, quia tamen hæc eſt indeterminata, debet determinari ab onere, cum detur propter ipſum; opus autem conſiſtit in executione, ergo à tempore executionis determinanda eſt quantitas; ex quo etiam à contrario ſenſu deducitur, quod, ſi à tempore executionis ſtipendium Miſſarum fuerit dimminutum, poſſit hæres illud determinare ad minus ſtipendium, quod tunc currit.

Quod, ſi ſupponas, quod ſtipendium dimminutum pro tempore executionis ſucceſſu temporis creuerit, & quæras, an etiam per hæredem augendum ſit, ſi quantitas indeterminata fuerit per teſtatorem aſſignata, an verò poſſit Sacerdos recurrere pro dimminutione, ſeu reductione Miſſarum; Tunc dicam teneri hæredem ad augmentum, & in hoc conſentire vi detur *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 22. in fin.* Ratio eſt, quia conſtat de ennixa teſtatoris voluntate de tot Miſſis determinatè, & quantitas ſtipendij relata eſt, vtpotè indeterminata ad futuram conſuetudinem. 7

7 Si tempore executionis ſtipendiũ fuerit dimminutum, & poſtea creuerit eſt augẽdum.

Neque dicas, quod, quando ſemel quantitas determinata eſt, non poſſit tractu temporis variari, &, cum fuerit determinata iuxtà conſuetum curſum pro tempore executionis, non videatur poſſe exigere augmentum; contra enim impugnaberis, quia etiamſi ipſe teſtator quantitatem determinauerit, & poſtea ſtipendium adauctum fuerit, tenetur hæres idem augere, quando primo, & principalitèr à teſtatore intentum eſt onus Miſſarum, & quantitas ſolum acceſſoriè, & minus principalitèr.

AR.

ARTICVLVS X.

An accepta pinguiori eleemoſina pro Miſſa celebranda poſſit celebrari per alium erogata minori.

SVMMARIVM.

Sacerdos, qui pinguiorem accepit eleemoſinam pro Miſſa non poteſt alteri tribuere minorem, vt illam celebret, quamuis hic fuerit conſcius pinguioris. 1.

Etiamſi tribuat congruam taxatam ab Epiſcopo. 2.

Beneficiarij, qui per alium celebrant, non tenentur, niſi congruàm eleemoſinam erogare. 3.

Quid dicendum de adminiſtratoribus Eccleſiarum. 4.

Refertur decretum Sacræ Congregationis. 5.

Non poſſunt adminiſtratores aliquam portionem retinere, ſi alios redditus habeant aliundè. 6.

Si habeant aliundè redditus, ſed alligatos alijs oneribus poſſunt retinere. 7.

Si non ſint alligati alijs oneribus, ſed neceſſarij ad alia etiam poſſunt. 8.

Si, nec alligati, nec neceſſarij non poſſunt. 9.

Quænam dicantur neceſſaria pro ipſo Miſſarum ſacrificio. 10.

Quamuis autem poſſit dimminui ſtipendium non poſſunt Miſſæ dimminui. 11.

An portio dimminuenda ſit de manualibus, an de perpetuis. 12.

Sententia aſſerens proportionalitèr de vtriſque detrahendam. 13.

Sententia aſſerens de manualibus tantum eſſe detrahendam cum ſuis rationibus. 14.

Sententia aſſerens detrahendam eſſe de antiquis perpetuis. 15.

Sententia auctoris, quod de vtriſque ſit detrahenda promiſcuè. 16.

1 Qui accepit pinguiorem eleemoſinam non poteſt tribuere alteri minorem, quamuis hic alter fuerit cōſcius pinguioris.

PLura dubia ſub hoc titulo veniunt examinanda. Primum eſt, an, ſi Sacerdos, cui ille, qui recepit pinguius ſtipendium, minus tribuit fuerit cōſcius illius pinguioris ſtipendij, & nihilominus ſe obliget ad celebrandum pro minori quodamodo cedendo illi exceſſui, poſſit ille, qui recepit pinguius, ſibi exceſſum iuſte retinere.

Reſpondeo probabilius non poſſe. Ratio deducitur ex decreto Sacræ Congregationis, vbi *prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſina, ne eandem alteri parte eiuſdem eleemoſinæ ſibi retenta celebrandam committat*, & hoc aſſerit præſtare ob omne abominabile lucrum ab Eccleſia Dei remouendum; quo poſito ſic argumentor. Finis ſpecialitèr intentus à Sacra Congregatione fuit ad lucrum euertendum illius, qui minorem ab accepta offert eleemoſinam. Ibi. *omne deteſtabile lucrum ab Eccleſia remouere volens*; lucrum autem reſultat ex eo, quod Sacerdos acquirat ex occaſione illius Miſſę partem eleemoſinæ ſibi collatæ, quod lucrum non tollitur ex eo, quod celebraturus eidem cedat. Secunda ratio ex eo deducitur, quod illa ceſſio non intelligitur ſimplicitèr libera, ſed inuoluntaria mixtè, nam, ſi cedens poſſet integram acquirere, certè non cederet, ea proportionali ratione, qua mutuatarius cedit lucro ex mutuo, quia non poteſt alitèr mutuum, quo indiget, recipere, nam, ſi poſſet recipere ſine onere lucri, vtique reciperet.

Secundum dubium eſt, an ea, quæ dicta ſunt in mox poſita pręcedenti reſponſione, locum tantum habeant, quando ille, qui recepit pinguiorem eleemoſinam, tribuit alteri minorem congrua, & taxata, an verò etiam, quando tribuit congruam, & taxatam.

2 Etiam ſi tribuat cōgruam taxatam ab Epiſcopo.

Reſpondeo, intelligendam etiam eſſe, quando tribuit congruam retento eo, in quo congruam ſuperexcedit. Hoc clarè etiam deducitur non ſolum ex fine eiuſdem decreti, ſed etiam ex declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis ſuper nouo dubio excitato, in quo, cum quæſitum eſſet, an Sacerdotes, quibus aliquando eleemoſina maior ſolita offertur pro celebranda Miſſa, debeat dare eandem integram eleemoſinam ijs, quibus Miſſam celebrandam committunt, reſpondit debere abſolutè *integram eleemoſinam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe*; & congrua quidem ratione hoc fuit ſancitum, quandoquidem illa pinguis eleemoſina erogata eſt propter illam Miſſam, propter quam propterea integra eſt conferenda, cum alius titulus non poſſit aſſignari, ob quem aliqua pars eiuſdem poſſit detineri ab eo, qui non celebrat. Quod, ſi dicas, illum exceſſum ſupra congruum erogatum eſſe propter qualitatem perſonæ, cui illa pinguis eleemoſina collata eſt, adeoque hanc poſſe illum exceſſum detinere; ſtatim impugnaberis, quia in primis, ſi illa qualitas perſonę, vt præfertur in inſtantia, fuit attenta, & ratione illius collata maior eleemoſina, non poſſet hæc eligere aliam perſonam ad celebrandam illam Miſſam, quia eſſet talis electio contra voluntatem eligentis illam determinatam perſonam. Deindè illa qualitas perſonæ fuit electa in ordine ad illam Miſſam, qua propterea per illam non celebrata non adeſt ius ad illum exceſſum acquirendum.

Dubium tertium, an beneficiarij, qui tenentur per alium celebrare, teneantur Sacerdoti celebranti conferre ſtipendium correſpondens rationibus, & iuribus beneficij.

3 Beneficiarij, qui per alium celebrant, nõ tenentur, niſi cõgruam ſtipem erogare.

Reſpondeo non teneri, ſed ſufficere, quod conferant ſtipendium congruum, & taxatum pro Miſſa. In his terminis reſpondit etiam Sacra Congregatio ſuper octauo dubio apud ipſam excitato, vbi aſſeruit, *non habere locum in beneficiario decretum eiuſdem, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſinam congruam iuxtà morem Ciuitatis, vel Prouinciæ*. Quod, ſi rationem quæras, ob quam beneficiarius eximatur ab onere contribuendi alteri Sacerdoti ſtipendium, per quem ſupplet celebrationem, ad ratam fructuum beneficij, dum alij Sacerdotes tenentur integram eleemoſinam, quam receperunt, alteri conferre; tunc dicam, hoc prouenire, quia beneficiarius ipſe habet plenum ius in fructibus beneficij, quos acquirit non ſolum ratione celebrationis, ſed etiam ratione oneris perpetui, quod habet celebrandi, vel celebrare faciendi, quod onus eſt ſecundum ſe meritorium alicuius mercedis ſaltem ratione perpetuitatis, quam rationem in alijs conſiderauit eadem Sacra Congregatio, dum præſcripſit, quod pro onere perpetuo Miſſarum maius ſtipendium ſit contribuendum; hoc autem onus non poteſt conſiderari in eo, qui ſupplet, vt ex ſe patet. Addi poteſt, quod regulariter beneficiarius tenetur ad manutentionem, ad quam non tenetur, qui pro eo ſupplet.

4 An adminiſtratores Eccleſiarum poſſint eleemoſinam minuere.

Quartum dubium eſt, an etiam adminiſtratores Eccleſiarum ex eleemoſinis eiſdem attributis nequeant aliquam ipſarum portionem retinere pro expenſis manutentionis, Altarium, Inſeruientium, Paramentorum &c.

5 Decretũ Sacræ Congregationis quoad hoc.

Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata reſpondit in hunc, qui ſequitur modum. *Ad nonum reſpondit permittendum non eſſe, vt Eccleſia, vel loca pia, aut illorum Adminiſtratores ex eleemoſinis Miſſarum celebrandarum vllam vtcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas habent in celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca pia alios non habeant redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, ac tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debeat excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſarum ſacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt expenſis, vt ſuprà deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſinas.*

Ex hac Sacræ Congregationis reſponſione vides primo, non poſſe Eccleſias, loca pia, aut eorum Adminiſtratores aliquam, quantumuis minimam portionem retinere pro huiuſmodi manutentione, ſi aliundè habeant redditus, quibus eidem manutentioni poſſint conſulere. Sed quid erit dicendum, ſi alios quidem habeant redditus, non tamen determinatè ad talem manutentionem deſtinatos, ſed in alios vſus ex voluntate teſtatorum, vel ex arbitrio adminiſtratorum applicandos in vſus Eccleſiarum, ſeu locorum piorum? An tunc iſtis non conſideratis poterunt aliquam Miſſarum portionem retinere pro earundem Miſſarum manutentione? Tunc dicendum eſt, quod, ſi redditus huiuſmodi ex expreſſa teſtatorum voluntate ad alios vſus fuerint determinatè deſtinati, poſſint vtrique adminiſtratores portionem aliquam detinere pro eadem manutentione iuxtà normam ab eadem Sacra Congregatione præſcriptam; Si verò redditus huiuſmodi non ſint determinatè deſtinati ex mente teſtatoris ad alios vſus ab ipſa manutentione, ſed applicandi in vſus Eccleſiæ ex arbitrio adminiſtratorum eiuſdem; tunc adhuc ſub diſtinctione procedendum eſt; vel enim vrget neceſſitas eoſdem expendendi in alios vſus ab ipſa manutentione, qui neceſſarij ſint, nec poſſint omitti ſine magno eiuſdem Eccleſiæ detrimento, & tunc poſſunt adminiſtratores aliquam Miſſarum portionem pro manutentione detinere; vel non vrget talis neceſſitas, & tunc non poterunt illam portionem retinere. Prima pars ex eo euincitur, quod, cum illi redditus ſint ex diſpoſitione teſtatoris in alios vſus deſtinati, in ordine ad manutentionem perindè eſt, ac ſi non eſſent, ergo, ſicuti, quando non ſunt alij redditus, poſſunt adminiſtratores aliquam Miſſarum portionem retinere, poterunt etiam detinere, quando ſunt, ſed ad alios vſus ſtrictè deſignati. Secunda quoad primum membrum diſtinctionis ex eo euincitur, quod, quando redditus non ſunt determinatè deſtinati ad manutentionem, ſed pendent ex arbitrio adminiſtratorum, neceſſitas ipſa, quæ ſtat pro alijs vſibus ſtricto illo modo neceſſarijs, determinat ad illos vſus, ergo perindè eſt, ac ſi eſſent ad alios vſus neceſſarios deſtinati, & propterea idem ſentiendum eſt, quod fuit dictum pro præcedente prima parte. Quoad ſecundum membrum diſtinctionis ex eo euincitur, quod non poteſt dici in hoc caſu, quod Eccleſia, ſeu locus pius non habeat aliundè redditus, quibus poſſit conſulere manutentioni ſine diminutione eleemoſinæ Miſſarum, cum redditus, quos habet, vtpotè non deſtinati, nec

6 Non poſſunt retinere, ſi habeant aliundè redditus.

7 Si alij redditus ſint deſtinati ad alia onera poſſunt detinere.

8 Si non ſit alligati alijs oneribus, ſed neceſſarij ad alia, etiam poſſunt.

9 Si nec alligati, nec neceſſarij non poſſunt.

nec ex voluntate teſtatoris, nec ex neceſſitate ſint eidem applicabiles, ergo in hoc caſu non verificatur exceptio Sacræ Congregationis. *Niſi cum Eccleſia, & loca pia alios non habeat redditus &c., quos in vſus earundem expenſarum erogare licitè poſſunt*, vbi nota illam particulam, *licitè*, quæ firmat ea, quæ ſupra dicebamus; nempè, quod, ſi fuerint alij redditus ex expreſſa mente teſtatoris ad alios vſus deſtinati, non poſſint applicari ad manutentionem Miſſarum, cum hoc nequeat licitè fieri, cum ſint contra mentem eiuſdem teſtatoris.

10 Quænam dicantur neceſſaria pro ipſo Miſſarũ ſacrificio.

Vides ſecundò, quod in caſu, quo Eccleſiæ, ſeu loca pia non habeant aliundè redditus, ex eleemoſinis Miſſarum poſſint ſolummodò adminiſtratores eorundem tantum retinere, quantum eſt neceſſarium pro expenſis, quæ pro ipſomet tantum Miſſarum ſacrificio ſunt neceſſariæ. Circa hanc diſpoſitionem modo venit inquirendum, quænam expenſæ, & in quibus debeant conſiſtere; quæ ſint neceſſariæ pro Miſſarum ſacrificio. Certum eſt primò venire Paramenta, Calices, Vrceolos, congruum Altarium apparatum, ſeu ornatum, Ceram, Hoſtias ſimul, & vinum, ſine quibus Miſſę nequeunt celebrari; ſecundò non venire ea, quæ non ad Altaris ornatum, ſed reliquæ Eccleſiæ pertinent, nec ſumptuoſas expenſas in Muſicis cantionibus, alijſque ſimilibus, quæ potius ad pompam, quam ad neceſſitatem ſacrificij conferunt.

11 Non poſſunt Miſſæ dimminui.

Vides tertiò non eſſe dimminuendum de numero Miſſarum, quantumuis pro neceſſitate ſacrificiorum retineatur portio aliqua, cum omnes ſint celebrandæ. Ibi *curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt vtſupra deductis abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſinas, ſed dumtaxat tantum detrahendum eſſe, quantum eſt neceſſarium pro huiuſmodi expenſis*.

12 An portio poſſit dimminui de manualibus, an de perpetuis.

Quintum dubium eſt, an in caſibus, in quibus non extantibus alijs redditibus pro manutentione Miſſarum iuxta Sacræ Congregationis declarationem poteſt detrahi aliqua portio ex eleemoſinis collatis neceſſaria pro expenſis neceſſarijs pro ſacrificijs, iſta detrahenda ſit ex eleemoſinis, quæ in dies obueniunt; an ex redditibus Miſſarum perpetuarum.

13 Aſſerentes de vtriſque eſſe dimminuendam.

Æquè ex vtriſq; detrahendam eſſe videntur ſentire *Nauarrus tom. 1. conſil. lib. 3. de celebratione Miſſarum conſ. 9. num. 9.*, *Henriquez in ſumma lib. 9. cap. 22. num. 1. lit. P.*, *Fraxinellus de obligatione Sacerd. ſect. 7. num. 3.*, *Moneta de commut. vltim. vol. cap. 5. num. 368.*, dum loquentes de auctor. Epiſc. moderandi, ſeu reducendi Miſſas, eandem æquè concedunt tum in ordine ad manuales, tum in ordine ad perpetuas, quæ affixæ ſunt Capellis erectis in titulum; ex quibus deducta paritate videtur congruè inferri, quod, quando etiam dimminuenda eſt eleemoſina ob Miſſarum manutentionem, ſeu ob expenſas faciendas circa earundem Miſſarum ſacrificium, ęquè dimminuenda ſit ex eleemoſinis manualibus, ac ex perpetuis affixis Capellis in limine fundationis.

14 Sententia aſſerens eſſe dumtaxat de manualibus detrahendam.

Ex aduerſo alij ſtatuunt, eleemoſinam dimminuendam eſſe ex illis oblationibus manualibus, quę de die in diem obueniunt, non autem de illis, quæ in limine fundationis alicui Eccleſiæ, ſeu Capellæ ſunt perpetuo affixæ *Barbatius conſ. 32. vol. 1.*, *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 29., & in collect. Bul. verb. Miſsa II.*, *Piaſeccius in pract. part. 2. cap. 3.*, *Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. cap. 53.*, quorum aliqui ea ratione mouentur, quia piæ voluntates teſtatorum ſunt ſeruandæ, cum habeantur pro lege; alij argumento à contrario ſenſu deducto ex ijs, quæ dicta ſunt pro ratione primæ ſententiæ; nam Congregatio tribuens facultatem Epiſcopis in Sinodo, & Generalibus in Capitulo Generali moderandi, ſeu reducendi Miſſas excepit de illis, quæ ſunt in limine fundationis impoſitæ, ergo, quia iſtæ non facilè cadunt ſub diſpoſitione dimminutionis. Quod, ſi dicatur, quod *Concilium Tridentinum dict. ſeſs. 25. cap. 4. de reform.* tribuens facultatem Epiſcopis, & Generalibus loquatur indefinitè de eleemoſinis omnium Miſſarum ſine vlla prorſus reſtrictione, adeoque eius diſpoſitio etiam indefinitè intelligenda ſit de omnibus, ſiue manualibus, ſiuę perpetuis; ſtatim reſpondent, quod onera impoſita in limine fundationis ſemper intelligantur excepta. Deindè Sacra Congregatio interpres eiuſdem Concilij Tridentini declarauit Miſſas impoſitas in limine fundationis non venire ſub facultate ab eodem Trident. conceſſa.

15 Sententia docens detrahendam eſſe de perpetuis antiquis.

Alij tandem ſtatuerunt potius de antiquis perpetuis portionem illam detrahendam eſſe, quam ex manualibus obuenientibus ſucceſſiuè, & de die in diem, & mouentur ex eo, quod Sacra Congregatio facultatem conceſſam à Tridentino Epiſcopis, & Generalibus Religionum reſtringit ad eas, quæ ſunt impoſitæ ante idem Tridentinum, non ad eas, quæ poſt idem ſunt impoſitæ, ex quo deducunt argumentum, quod, ſicuti faciliùs datur facultas moderandi antiquas, quam nouas, ita, & facilius concedenda ſit facultas dimminuendi elemoſinas antiquarum, quam nouarum. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

Ego

Ego in hoc arbitror promiſcuè ex omnibus eſſe portionem illam detrahendam. Ratio deducitur ex eo, quod Concilium tribuens facultatem moderandi Miſſas, nullam facit diſtinctionem inter perpetuas, & manuales. Nec obſtat, quod Sacra Congregatio in ordine ad reductionem facultatem reſtrixerit ad impoſitas ante Concilium Tridentinum, at non in limine fundationis, adeoque, quod etiam dimminutio eleemoſinæ ſit detrahenda ſolummodò ex antiquis, non ex nouitèr impoſitis.

16 Sentẽtia auctoris, quod de vtraque ſit minuenda.

Non obſtat, inquam, quia in primis aliud eſt facultas reducendi Miſſas ad minorem numerum, aliud dimminuendi eleemoſinas ipſarum propter neceſsitates ſacrificiorum; primum reſeruatur Epiſcopis, & Generalibus per Tridentinum, & per Sacram Congregationem limitatur ad Miſſas ante Tridentinum impoſitas, & non in limine fundationis; ſecundum conceditur adminiſtratoribus Eccleſiarum non exiſtentibus alij redditibus ſine vlla limitatione, ſeu reſtrictione. Deindè in hoc caſu non minuitur numerus Miſſarum; vndè non infertur præiudicium, nec offerentibus eleemoſinas manuales, nec illis, qui eaſdem obtulerint pro onere perpetuo; in caſu verò reductionis numerus Miſſarum dimminuitur, quam propterea voluit Sacra Congregatio non fieri, niſi quoad impoſitas ante Concilium Tridentinum, propter ſpeciales rationes, quæ eandem ad hoc mouerunt.

ARTICVLVS XI.

An pecuniæ, & bona mobilia relicta pro Miſſis perpetuis poſſint fundari ſuper iura feudalia, & emphyteutica.

SVMMARIVM.

Ius feudale duplex alterum directum, alterum vtile. 1.

Item, & emphyteuticum, Ibid.

Regularitèr ſuper iure directo feudi onus perpetuum Miſſarum non poteſt conſtitui. 2.

An poſſit conſtitui ſuper iure directo fundi emphyteutici remiſſiuè. 3.

Si ius emphyteuticum vtile non fuerit perpetuum non poteſt eſſe fundus Miſſæ perpetuæ. 4.

Ius feudale, & emphyteuticum aliud hæreditarium, aliud ex pacto, & prouidentia, & quid vtrumque. 5.

Ratione Eccleſiæ, in quam feudum, ſeu emphyteuſis transfertur, non poteſt in eodem conſtitui onus perpetuum Miſſarum. 6.

Ius emphyteuticum non poteſt tranſire in manus potentiores, & mortuas. 7.

Si relinquatur titulo legati, vel hæreditatis Eccleſiæ eſt intra annum per eandem vendendum. 8.

Renuente Domino directi non poteſt fundus feudalis, & emphyteuticus ſubiugari oneri perpetuo Miſſarum. 9.

Reſpectu vocatorum in iure feudali, ſeu emphyteutico, quando repugnat conſtitui onus Miſſarum perpetuum, ac quando non repugnat. 10.

ID, quod intendimus in præſenti titulo, eſt inueſtigare, an iura feudalia, & emphyteutica poſſint eſſe ſufficiens fundus, in quo poſſit inueſtiri pecunia pro onere perpetuo Miſſarum deſtinata. Pro quo

1 Ius feudale, & emphyteuticum duplex.

Aduerte primò in feudo, & emphyteuſi duo iura diſtingui, aliud dominij directi, quod remanet penes concedentem fundum in feudum, ſeu emphyteuſim; aliud dominij vtilis, quod transfertur in feudatarium, & emphyteutam. Pecuniam deſtinatam oneri perpetuo Miſſarum non poſſe inueſtiri in dominio directo videtur certiſſimum quoad feudum, cum Dominus directus, ſeu ſupremus ex genere ſuo ratione ſupremi, ſeu directi dominij non retineat ius ad fructus, qui ex tali fundo percipiuntur, ſed dumtaxat ad perſonalia obſequia, &, ſi quandoque aliqua onera vaſſallis, ſeu feudatarijs imponit etiam pecuniaria, hæc quoad effectum, de quo hic loquimur, non ſunt conſiderabilia, vtpotè extemporanea, & fructus ſucceſſiuè non reddentia;

2 Regularitèr ſuper iure directo feudi non poteſt conſtitui.

onus autem perpetuum Miſſarum debet fundari in iure perpetuo, permanente, & ſucceſſiuè reddente fructus correſpondentes oneri prædictarum Miſſarum. An verò quoad emphyteuſim talis pecunia deſtinata oneri perpetuo Miſſarum poſſit in dominio directo implicari, non ita certum videtur; cum emphyteuſis concedatur ad differentiam feudi ſub onere certarum penſionum per emphyteutam ſoluendarum, in ordine ad quas propterea videtur poſſe illa pecunia inueſtiri,

3 An poſſit conſtitui ſuper iure directo emphyteuſis remiſſiuè.

ſi penſiones, quæ indè, ſeu ex illo iure emphyteutico percipiuntur, ſint ſufficientes ad illud onus Miſſarum ſuſtinendum. Præſcindendo iam à quęſtione circa dominium directum, an, ſcilicet in ipſo poſſit fundari onus Miſſarum perpetuarum, difficultas in præſenti ſolum reducitur ad ius feudale, & emphyteuticum quoad dominium vtile, & prout reſidet penes Pheudatarium, & emphyteutam, an, ſcilicet ſuper eodem poſſit fundari onus Miſſarum, & ius perpetuum exigendi fructus pro adimplemento illius.

Aduerte ſecundò, quod, ſi ius emphyteuticum non fuerit perpetuum, ſed ad tempus

4 *Ius emphyteuticum temporaneũ nõ poteſt eſſe ſubiectũ oneris perpetui.*

tempus ex hoc præcisè capite non poſſit ſubeſſe oneri Miſſarum perpetuo deficiente qualitate perpetuitatis ex genere talis oneris, & ex mente Sacræ Congregationis requiſitæ. Suppoſita igitur perpetuitate iuris, ſiue emphyteutici, ſiue feudalis difficultas reſtat, an in eodem iure perpetuo, & feudali poſſit fieri talis implicatio, & difficultas eadem ex triplici capite vrgere poteſt. Primò ratione Eccleſiæ in quam ius illud deberet transferri. Secundò ratione Domini directi. Tertiò ratione vocatorum ad ius feudale, ſeu emphyteuticum.

5 *Ius feudale, aliud hæreditariũ, aliud ex pacto.*

Aduerte tertiò, ius emphyteuticum, ſeu feudale eſſe in duplici differentia; aliud ſcilicet quaſi hæreditarium acquiſitum, ſcilicet pro ſe, filijs, ſucceſſoribus hæredibus, & quibus dare voluerit; aliud ex pacto, & prouidentia;, quod ſcilicet competit ſucceſſoribus, vel hæredibus non ex perſona anteceſſoris, ſed iure proprio, quia ſcilicet iſti vocantur in defectum illius, eiſdemque competit, quantumuis anteceſſor inteſtatus decedat. Dicitur autem ex pacto, & prouidentia, quatenus eſt ex pacto cum Domino directo, & ex prouidentia illius, qui illa bona acquiſiuit pro ſe, & reliquis ab ipſo vocatis. De hac diſtinctione iuris emphyteutici, & feudalis loquuntur *Menochius conſ. 126. num. 11. lib. 1., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. cap. 42. nu. 15.*, & ex Theologis *Molina de iuſtit. diſp. 482. tom. 2., Thomas Sanchez tom. 2. in Decalogum lib. 7. cap. 15. num. 52., & 59.* Quibus pro notitia ſuppoſitis ſit

6 *Onus perpetuum nõ poteſt conſtitui in feudo tráſeunte in Eccleſiam.*

Aſſertio I. Ratione Eccleſiæ in quam deberet tranſire, non poteſt ius feudale, ſeu emphyteuticum ſubiugari pro onere Miſſę perpetuæ. Conſentit *Marchinus tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 2. cap. 18. reſponſ. 2. num. 8.* quidquid ex aduerſo dixerit *Sanchez tom. 2. in Decalogum lib. 7. cap. 15. num. 56.*

7 *Emphyteuſis non poteſt tranſire in manus mortuas.*

Ratio ex eo deducitur, quod habetur *in l. fin. §. ſin autem, C. de iure emphyt., & in cap. poſuit de locato*, vbi, quod ius emphyteuticum, & per conſequens etiam feudale non poſſit transferri in perſonam potentiorem, & magis priuilegiatam, ſed, ſi imponeretur eidem iuri onus Miſſæ perpetuæ, transferretur in perſonam potentiorem, nempè in Eccleſiam, quæ certè potentior eſt, magiſque priuilegiata. Neque audiendus hic eſt *Sanchez loc. cit.*, dum dicit, quod ex quo Dominus directus in conceſſione feudi, ſeu emphyteuſis expreſsè non prohibuit, nec præcauit, quod in perſonam potentiorem feudum, ſeu emphyteuſis non transferatur, non cenſenda ſit talis tranſlatio prohibita. Non, inquam, audiendus eſt, quia iam prohibitio eſt à lege, & ineſt tacitè ipſi contractui; vndè neceſſaria non eſt expreſſio prohibitiua eiuſdem Domini directi.

8 *Ius emphyteuticum legatum eſt Eccleſiæ eſt intra annũ vendendũ*

Dices, ſi legetur fundus emphyteuticus, ſeu feudalis pro onere Miſſæ non intelligitur inane legatum, nec perire, quantumuis tranſeat in perſonam potentiorem, ſeu in Eccleſiam, ergo neque, ſi implicetur pecunia pro onere Miſſæ quotidianæ relicta in fundo feudali, ſeu emphyteutico, implicatio inanis cenſebitur, nec vacua ex eo, quod fundus ille tranſiret in Eccleſiam. Sed contra; fateor tale legatum non eſſe inane, nec perire; ſed aſſero, quod fundus ille ſic legatus pro tali onere intra certum tempus debeat vendi, & transferri in perſonam capacem, & pretium ex illa venditione extractum implicari in alium fundum capacem tot fructuum, quot ſufficiant ad illud onus ſuſtinendum *Idelphonſus Perez tract. de anniuerſ., & capell. lib. 1. cap. 19. num. 14., & 16.* Idipſum ſentire videntur *Bartolus in auth. ingreſſi in 4. col., C. de ſacroſ. Eccleſ., Calderinus de renou. emphyteut. cap. 19. num. 7., Molina de iuſtitia tom. 1. diſp. 140. verſ. eandem Regulam, Leſſius de iuſtitia lib. 2. c. 41. dub. 10. n. 84.*, dum dicunt, quod, ſi emphyteuſis ex perſona Religioſi Profeſſi tranſeat in Monaſterium, vendi debeat intra annum, & tradi perſonę illius capaci recepto per Monaſterium congruo pretio.

Aſſertio II. Ratione Domini directi, eiuſque iuris non poteſt eo inuito fundus feudalis, & emphyteuticus ſubiugari oneri Miſſæ perpetuæ. Conſentit *Marchinus loco quo ſuprà*.

9 *Nõ poteſt fundus feudalis inuito Domino ſubiugari oneri perpetuo.*

Ratio ex eo deducitur, quod ille ſubiugatio cederet in deteriorem conditionem eiuſdem Domini directi non ſolum ob allegatam rationem pro pręcedente aſſertione, quod, ſcilicet tranſiret in perſonam potentiorem, nempè in Eccleſiam, ſed etiam, quia ſæpè priuaretur laudemijs, quæ ſæpè contingerent ſibi deberi, & etiam ſpe conſolidationis dominij directi cum vtili, cum Eccleſia, ſeu Monaſterium numquam pereant, &, ſi Monaſterium, ſeu Eccleſia, cui cederet ius feudale, ſeu emphyteuticum periret, tranſiret in Romanum Pontificem, ſeu vniuerſalem Eccleſiam, quæ nunquam perit; nec refragari poteſt, ſi dicatur, quod defectus ſpei laudemiorum, & conſolidationis dominij directi cum vtili poſſit ſuppleri per ſolutionem quindenniorum, de quibus poteſt fieri conuentio; Non, inquam, refragari poteſt, quia poteſt Dominus directus nolle acquieſcere illi conuentioni ob cauſam præcedentem, quod, ſcilicet ius illud tranſiret in perſonam potentiorem, quę adhuc militat etiam extante conuentione quindenniorum.

Aſſer-

Aſſertio III. Præciſis prædictis rationibus intuitu Eccleſiæ, & Domini directi non repugnat reſpectu vocatorum ad feudum, ſeu emphyteuſim, quod pecunia pro onere Miſſæ perpetuæ deſtinata implicetur in iure feudali, ſeu emphyteutico, ſi ijdem vocati ſuccedant ex perſona primi vocati, ſeu anteceſſoris iure hæreditario; ſecus, ſi ſuccedant ex perſona propria ex pacto, & prouidentia. Conſentit in vniuerſum *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 28. propoſitione prima per totum.*

10 Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod ſucceſſor in illis iuribus ſuccedit, vt hæres, & eadem iura computantur inter hæreditaria, cum fuerint acquiſita liberè ad transferendum, vt notant *Crauetta conſ. 256. num. 5., Alexander conſ. 91. num. 10. lib. 1., Peregrinus de fideicomm. art. 6., Menochius conſ. 129.* Hæres autem capta hæreditate tenetur ad onera hæreditatis.

Reſpectu vocatorũ in iure feudali, ſeu emphyteutico, an repugnet in eodem conſtitui onus perpetuum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod, quando emphyteuſis, & feudum ſunt ex pacto, & prouidentia, ſucceſſor in illis eadem capit ex perſona propria, & non vt hæres, ergo non tenetur ſuſtinere onera hæreditatis, ſed pleno iure illa acquirit; atque ſic ſentit *Rota Romana in vna Romana Montium 5. Nouembris 1570. coram Aldobrandino part. 1. deciſ. 262. n. 1. in nouiſſimis*, & cum hac *Gabr el conſ. 143. num. 6. lib. 1., Menochius de arbitrar. Iud. caſ. 560. num. 17., Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 7. cap. 9. num. 1.*

ARTICVLVS XII.

De oneribus non ſuſcipiendis ſupra vires.

SVMMARIVM.

Decretum Sacræ Congregationis per extenſum. 1.
Articuli examinandi circa tale decretum. 2.
Sententia aſſerens afficere hoc decretum ſolum Eccleſiarum Rectores. 3.
Afficit etiam ſingulares Sacerdotes. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.
Pænis comminatis contra recipientes onera perpetua Miſſarum ſubduntur non ſolum ſuperiores, ſed etiam omnes capitulariter concurrentes. 6.
Epiſcopi, & Generales non poſſunt recipere onera Miſſarum aſſignato fundo iam exempto. 7.
Suſcipientes noua onera Miſſarum manualium non prius ſatisfactis iam receptis non ſubduntur pænis impoſitis contra recipientes onera perpetua. 8.
An non remouentes capſulas ſubdantur pænis. 9.
Abſolutè ſubduntur culpæ, ſuppoſitiuè pænis. 10.
Si in Eccleſia aliqua non fuerint onera præcedentium Miſſarum, an poſſit in eadem apponi capſula, ſeu non remoueri. 11.
Rationes ſuadentes non poſſe. 12.
Rationes ſuadentes poſſe. 13.
In hoc attendendum eſt oraculum Sacræ Congregationis. 14.
An, & quomodo in Eccleſijs, in quibus maxima viget deuotio, poſſit magnus Miſſarum numerus recipi. 15.
Non adimpletis oneribus iam ſuſceptis poſſunt noua recipi, ſi intra breue tempus poſſit vtriſque ſatisfieri. 16.
Quodnam quoad hoc pro modico tempore computetur. 17.
Sacerdos grauatus onere Miſſarum poteſt alias recipere ab eo, qui ſcit ipſum eſſe grauatum, & nihilominus illas tribuit. 18.
Intellige etiam, ſi expreſſè non conſentiat. 19.

RESpiciens Sacra Congregatio futura onera, ne eiſdem pluſquam par ſit, grauentur Eccleſiæ, ſeu Monaſteria modum præſcripſit, quo, & non alitèr onera huiuſmodi ſuſcipiantur. 1 *Ad hæc Sacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs Societatibus, & Congregationibus nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſæcularium, quam Regularium ſuperioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum; ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius Vicarij Generalis, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; alioqui ſæcularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo, Regularis verò pænam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, & perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ abſque alia declaratione incurrat; eleemoſinas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant, alioqui omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſinis etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa*, elemoſina pro Miſſis, *vel alia ſimili ſub eiſdem pænis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius Generalis, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti,*

Decretũ Sacræ Congregationis per extenſum.

quiſiti, in ſingulis caſibus diligentèr inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitimè conſtiterit illius Sacerdotes, tam nouo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſſides, aut negligentes fuerint, in nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

2 Articuli examinandi circa ipſum.

Hoc decretum, vt videtis, duo potiſſimum reſpicit. Alterum onus perpetuum Miſſarum in futurum recipiendum non ſeruata forma ab eadem Sacra Congregatione præſcripta ad effectum, ne teſtatores fraudentur; alterum onus Miſſarum manualium, ne ſcilicet tot recipiantur, vt computatis oneribus præcedentèr ſuſceptarum nequat illis omnibus, niſi poſt diutinum tempus ſatisfieri. Circa vtrumque plura veniunt ſub hoc titulo ad clariorem eorum intellectum diſcutienda. Primum erit, an, cum dicatur. *Quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſæcularium, quam Regularium ſuperioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtinctè prohibet &c.*, dictum decretum prohibitiuum intelligendum ſit ordinatum ſolummodò ad Eccleſiarum Rectores, & Superiores, an verò etiam ad priuatos, & particulares Sacerdotes.

3 Sentẽtia aſſerens afficere ſolos Eccleſiarum Rectores.

Videtur prima fronte aſſerendum referri ad ſolos Eccleſiarum Rectores, & Adminiſtratores, cum ibi fiat ſolum mentio Communitatum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & reſpectiuè ad eorum ſuperiores, & moderatores, &, licet ibidem dicatur. *Alijſque omnibus, & ſingulis, ad quos pertinet*; attamen illa particula, *alijſque*, cum ſit relatiua, videtur referri ad alios ſimilis conditionis cum prędictis, quod magis explicat ly, *ad quos pertinet*, nam hoc videtur importare quandam Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum curam.

4 Afficit etiã particulares Sacerdotes.

Nihilominus ſentiendum eſt, referri etiam ad priuatos, vel particulares Sacerdotes. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quod hoc decretum, vtſupra innuebam, non ſolum reſpiciat Miſſas perpetuas in futurum recipiendas; ſed etiam manuales, quæ in dies recipiuntur; licet igitur hoc quoad Miſſas perpetuas recipiendas non videatur aptari, niſi Rectoribus, & ſuperioribus Eccleſiarum, ſeu locorum piorum, cum iſti dumtaxat poſſint obligare Eccleſias, loca pia, ſeu Monaſteria, non autem priuati Sacerdotes, qui dumtaxat poſſunt ſe ipſos obligare; quoad Miſſas tamen manuales, quæ in dies recipiuntur, poteſt etiam ſingulis priuatis Sacerdotibus adaptari, cum iſti poſſint, & Miſſarum præcedentium onere premi, & nihilominus alias aſſumere, quibus non poſſint ſatisfacere, niſi poſt diutinum tempus. Quamobrem etiam Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata ſuper decimumquintum dubium excitatum reſpondit ſub eodem decreto, *comprehendi etiam Sacerdotes priuatos*.

5 Soluũtur rationes oppoſitæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; nam ly, *alijs*, ex genere ſuo importat diuerſitatem à recenſitis, & comprehendit eos omnes, qui quoquo modo poſſunt eſſe tranſgreſſores talis prohibitionis, nec prę ſumendum eſt, Sacram Congregationem voluiſſe eas particulares perſonas excludere à pænis, quibus afficit ſuperiores, & Rectores in eo genere delinquentes; nec officit illa particula, *ad quos pertinet*, cum etiam pertineat ad priuatos Sacerdotes eleemoſinas Miſſarum recipere, & recipiendo manuales ſupra numerum, quibus nequeunt breui temporis ſpacio ſatisfacere, fiant tranſgreſſores huius decreti.

6 Pęnis recipientiũ onera perpetua Miſſarũ ſubdũtur omnes Capitularitèr concurrentes.

Secundum eſt, an hoc decretum afficiat omnes, & ſingulos Sacerdotes alicuius Eccleſiæ, ſeu Monaſterij quoad pænas in eodem comminatas, ſi omnes cum Superiore capitularitèr concurrant ad recipienda impoſterum onera perpetua Miſſarum non ſeruata forma ab eadem Sacra Congregatione præſcripta.

Ex eo, quod dicatur facta prius mentione Collegiorum, Societatum, Congregationum &c. *Nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac locorum piorum, tam ſæcularium, quam Regularium ſuperioribus*, videtur aſſerendum quoad pænas decretum hoc ſolos Superiores afficere, pręſertim cum ad ipſos pertineat Eccleſias, ſeu Monaſteria grauioribus Miſſarum oneribus non aggrauare, quibus nequeant ſatisfacere.

His tamen non obſtantibus aſſerendum eſt afficere omnes, qui capitularitèr concurrerunt ad onera perpetua ſuſcipienda non ſeruata forma Congregationis. Ratio eſt, quia decretum non ſolum dirigitur ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſuperiores, ſed etiam ad omnes, & ſingulos, ad quos pertinet, ſed regularitèr recipere huiuſmodi onera pertinet ad Capitula, & Collegia, ergo ad eadem, & ad omnes, & ſingulos eorundem illud decretum dirigitur. Adde, quod ſpecialitèr

eadem Sacra Congregatio in eodem decreto meminit Capitulorum. Ibi. *Ad hæc Sacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs &c.* Adde vlterius, quod ex declaratione ſupra allegata eiuſdem Sacræ Congregationis ſub tali decreto comprehenduntur etiam priuati Sacerdotes, ergo etiam comprehenduntur, quando capitulariter concurrunt.

Tertium eſt, an Epiſcopus, ſeu eius Vicarius Generalis quoad Eccleſias, & loca pia ſæcularia, & Generalis, vel Prouincialis quoad Eccleſias Regulares poſſint facultatem concedere ſuſcipiendi onera perpetua Miſſarum pro pecunia legata, ſeu aſſignata eiſdem Eccleſijs hac non implicata in fundo ſtabili, & fructifero, ſed aſſignato pro onere earundem fundo exempto ipſarum Eccleſiarum, quando ipſæ Eccleſiæ habent ex proprijs fundis tot redditus, quot ſufficiant non ſolum pro oneribus iam ſuſceptis, ſed etiam pro illo onere ſuſcipiendo.

Videtur prima fronte aſſerendum hoc poſſe, quandoquidem inter cætera, quæ inſtruendo præcipit Sacra Congregatio Epiſcopis, Generalibus, & Prouincialibus, eſt, vt diligentèr inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique loco pio, ſeu Eccleſiæ incumbentibus, nec antea aſſenſum præbeant, quam eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes, tam nouo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe. Quando autem aliundè tot ſunt redditus, per quos etiam oneri ſuſcipiendo poſſit ſatisfieri, & adſunt Sacerdotes ſufficientes, iam videtur eſſe, quidquid requiritur ex mente Sacræ Congregationis etiam non implicata illa pecunia in nouo fundo, adeoque &c. Nihilominus

7 Epiſcopi, & Generales non poſſunt fundare Miſſas in fundo iam exempto.

Sentiendum eſt, non poſſe non ſolum propter rationes ſuperius adductas, ſed etiam, quia hoc ſatis expreſsè deducitur ex verbis eiuſdem Sacræ Congregationis. Ibi. *præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ*, vbi nota, quod vult, quod redditus, qui relinquuntur, correſpondeant oneribus adiunctis, & ſic correſpondentia eſt adiunctorum onerum ad redditus, qui pro illis relinquuntur; redditus autem, qui iam pertinent, & poſſidentur ab Eccleſia independentèr ab hoc onere, non ſunt redditus, qui relinquuntur pro illo onere adiuncto.

Quartum eſt, an interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ reſpectu ſæcularium, & pæna priuationis omnium officiorum, & inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ reſpectu Regularium ſuſcipientium onera perpetua Miſſarum ſine licentia in ſcriptis reſpectiuè Epiſcopi, & Generalis, vel Prouincialis, æquè afficiat eoſdem, ſi non adimpletis antea impoſitis nouas manuales Miſſas acceperint, quibus nequeant, niſi per longum tempus ſatisfacere, & capſulas non auferant ab Eccleſia cum inſcriptione, *eleemoſina pro Miſſis*.

Videtur abſolutè dicendum æquè afficere, non ſolum, quia decretum de vtriſque eodem ſermone concipitur, & vtraque diſpoſitio comprehenditur ſub eodem iure, ſed etiam, quia expreſsè vtrumque ſub eiſdem pænis prohibetur. Ibi. *ſub eiſdem pænis ipſo facto incurrendis*, quæ particulæ annectuntur ſecundę clauſulæ eiuſdem decreti, per quam prohibetur, ne aſſumantur nouæ Miſſæ manuales, & quotidianæ, niſi antea impoſitis fuerit ſatisfactum.

Nihilominus Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata in duodecimo dubio, reſpondit *has pænas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis*. Sed quomodo hæc reſponſio cohæret cum decreto, quo Congregatio loquens de Miſſis manualibus prohibet acceptionem huiuſmodi eleemoſinarum etiam ſpontè oblatarum, & præcipit capſulas auferri ab Eccleſia ſub eiſdem pænis ipſo facto incurrendis? Certè contra ſuſcipientes onera perpetua non ſeruata hac forma lata eſt expreſsè huiuſmodi pæna, dum ergo renouat eaſdem pænas, non intelligenda eſt Sacra Congregatio de ſuſcipientibus Miſſas perpetuas, ſed dumtaxat manuales, cæteroqui fruſtra has pænas renouaret. Aliqui reſpondent quoad hanc partem Sacram Congregationem receſſiſſe à primo decreto re melius conſiderata, & mitius agendo, quod, an verum ſit, tu videris.

8 Recipiẽtes noua onera Miſſarũ annualiũ nõ ſatiſfactis antiquis nõ ſubdũtur pænis recipientium perpetua.

Quintum eſt, an ex ſuppoſitione, quod huiuſmodi pænæ afficiant etiam ſuſcipientes Miſſas manuales, quando iam impoſitis non ſatisfecerint, nec nouis poſſint ſatisfacere, niſi poſt longum tempus, æquè afficiant iſtos ſic delinquentes, ac non auferentes capſulas ab Eccleſia cum inſcriptione, *eleemoſinæ pro Miſſis*.

9 An non remouẽtes capſulas ſubdantur pænis.

Ex tenore verborum ęquè videntur vtrique his pænis teneri, quandoquidem, vbi dicitur. *Omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſinis etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs*, & poſtea ſubduntur pænæ. Ibi. *ſub eiſdem pænis ipſo facto incurrendis*; cum ergo vtrumque eodem modo, & per parti-

ticulam coniunctiuam, *Et*, præcipiatur, vtrumque eiſdem pænis videtur affici. Super hoc interrogata Sacra Congregatio in duodecimo dubio radicem quæſtionis, ſeu dubij abſtulit dicens, non contineri ſub decreto Miſſas manuales, ſed dumtaxat perpetuas ſine licentia Epiſcopi, vel Generalis, & Prouincialis reſpectiuè. Sed nos in hoc dubio procedimus ex ſuppoſitione, quod etiam Miſſæ manuales comprehendantur ſub tali decreto, & quamuis non comprehendantur ſub eodem quoad pænas, prout tamen comprehenduntur quoad culpam ratione prohibitionis, inquirimus, an æquè eidem culpæ ſubiaceant, qui non adimpletis Miſſis antea impoſitis, nouas aſſumunt, ac qui capſulas ab Eccleſijs non remouent.

10 Abſolutè ſubduntur culpę, ſuppoſitiuè pęnis

Reſpondeo, æquè ſubiacere ſuppoſitiuè quoad pænas, ſi non fuerit ſatisfactum Miſſis antea impoſitis, niſi capſulæ non remoueantur ab Eccleſia, abſolutè autem, & ſimpliciter quoad culpam. Ratio eſt, quia illa non remotio capſularum in hac hypotheſi eſt quaſi prouocatio, ſeu motiuum promouens ad nouas Miſſas recipiendas, & occaſionem præbet fruſtrandi pias mentes offerentium eleemoſinas; Sacra autem Congregatio in illo decreto voluit prouidè conſulere euertendo non ſolum fruſtrationem mentis offerentium, ſed etiam occaſionem fruſtrandi, & non ſolum malum, ſed etiam ſpeciem mali. Accedit, quod eadem Sacra Congregatio ſuper tertio decimo dubio, an ſcilicet in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & vulgo dicuntur: *caſſe de morti*, reſpondit, comprehendi, ex quibus, ſeu qua reſponſione clare liquet Sacram Congregationem voluiſſe ſimpliciter remotionem talium capſularum.

Sextum eſt, an, ſi in Eccleſia aliqua non fuerint onera Miſſarum manualium præcedentium, & apponatur, ſeu non remoueatur capſula contrahatur culpa, & ſuppoſitiuè pænæ.

11 Vbi onera Miſſarum non exiſtunt, an poſſet apponi capſula.

Ex ijs, quæ mox diximus, quod ſub decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ex quo arguimus Sacram Congregationem voluiſſe ſimpliciter remotionem talium capſularum, videtur congruè deduci etiam in hac hypotheſi, de qua loquimur, contrahi culpam ob appoſitionem, ſeu non remotionem earundem, cum hoc comprehendatur ſub tali decreto.

12 Rationes ſuadentes non poſſe

Nihilominus attento fine, ex quo mota fuit eadem Sacra Congregatio ad edendum huiuſmodi decretum dici poſſe videtur, quod hoc non comprehendatur ſub eodem. Ratio ex eo deduci poſſe videtur, quod finis ab eadem Sacra Congregatione intentus fuit, ne exiſtentibus oneribus præcedentibus Miſſarum per receptionem nouarum difficilis redderetur ſatisfactio pro omnibus, vel ſaltem diutina, & longæua; ſed hæc ratio ceſſat nullis exiſtentibus oneribus præcedentibus, & quando in capſulis non recipiuntur tot Miſſæ, quibus breui temporis ſpacio non poſſit ſatisfieri, ergo ceſſante hoc fine ceſſare debet, & diſpoſitio, quæ ex eodem fine inducta eſt.

13 Rationes ſuadentes poſſe.

Accedit, quod non exiſtentibus oneribus præcedentibus Miſſarum non vetitum eſt adminiſtratoribus Eccleſiarum, quin poſſint Miſſarum ſtipendia inquirere, & procurare, vt in eiſdem debitus, & frequens Deo cultus exhibeatur, ergo, nec vetitum erit nullis exiſtentibus oneribus, quibus ſit ſatisfaciendum, etiam per capſulas inquirere, & procurare. Nec obſtare videntur, quæ dicta ſunt de capſulis in Eccleſijs in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quandoquidem illæ procedunt, vel quando alia præexiſtunt onera, vel quando tantus Miſſarum numerus percipitur, quibus non poſſit ſatisfieri, niſi poſt longum tempus.

14 Conſulenda eſt Sacra Congregatio.

Dixi, *dici poſſe videtur*; non enim abſolutè hoc aſſero, ſed deciſionem remittendam arbitror oraculo Sacræ Congregationis, nec conſulerem retinendas eſſe; nam, quamuis non eſſet contra mentem Congregationis, & contra decretum eiuſdem, (quod non auſim ſimpliciter affirmare) ingerunt tamen aliquam ſpeciem ſuſpicionis, & nimiæ auiditatis ad lucrum, & quod de Miſſis fiat negotiatio.

Septimum eſt, an in Eccleſijs, in quibus viget maxima deuotio, & concurſus populorum poſſint adminiſtratores earundem eleemoſinas omnes, quæ offeruntur, accipere, ſi eiſdem Miſſis, nonniſi poſt longum tempus nequeant ſatisfacere, & hoc ad effectum, ne alias cultus Eccleſiæ, & deuotio, & concurſus fidelium minuatur.

15 An, & quomodo in Eccleſijs, vbi viget maxima deuotio poſſit recipi magnus Miſſarum numerus.

Cum diſtinctione ad hoc reſpondendum exiſtimo, vel etenim Miſſæ illæ recipiuntur cum expreſſa, vel etiam interpretatiua conditione, vt in eiſdem Eccleſijs, quibus illæ eleemoſinæ offeruntur, celebrentur, vel liberè, & ſine vlla conditione recipiuntur, adeo vt poſſint alibi celebrari. Iuxtà primum membrum diſtinctionis adhuc ſubdiſtinguendum cenſeo, vel etenim conuocatis alijs Sacerdotibus poſſunt in eiſdem intra modicum tempus celebrari; & tunc aſſero, vtique poſſe recipi, ſi reuera alij Sacerdotes ad adimplendum hoc onus conuocentur, quia per hoc ſatisfit intentioni,

tioni, & deuotioni offerentium; non enim exigunt, vt per hos, quam per alios Sacerdotes fiant ſacrificia petita, ſed ſolum, quod fiant in tali Eccleſia, vel non poſſunt alij Sacerdotes conuocari, vel etiam, ſi conuocentur non poteſt ob earum numerum intra breue tempus omnibus ſatisfieri; & tunc aſſero, non poſſe recipi; & iuxta hunc ſenſum reſpondit Sacra Congregatio ſuper decimoquarto dubio interrogata in hæc verba, *Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſinas tribuunt*, & ratio eſt, quia tunc inferretur præiudicium offerentibus eleemoſinas in dilatione. Iuxtà ſecundum membrum diſtinctionis non video, cur non poſſint recipi, dummodò immediatè eleemoſinæ receptæ, quæ ſuper ſunt ijs, quæ adimpleri poſſunt in his Eccleſijs, conferantur pro debita celebratione in tempore opportuno; non enim in hoc præiudicium aliquod ingeritur offerentibus eleemoſinam, cum debito tempore Miſſæ celebrentur, nec alligentur determinatè talibus Eccleſijs.

Octauum eſt, an hoc decretum ita abſolutè coarctet ad non recipiendas nouas eleemoſinas primis adhuc non ſatisfactis, vt nunquam liceat eas accipere.

16 Non ſatisfactis primis poſſunt aliæ Miſſæ recipi, ſi intra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri.

Reſpondet Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata in decimo dubio, & quidem rectè in hunc, qui ſequitur modum. *Ad decimum reſpondit non prohiberi abſolutè, ne propterea oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint poſſe tamen etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum modo infrà modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.*

Nonum eſt in explicando, quantum poſſit eſſe illud modicum tempus intra quod licitè ſeruata forma Sacræ Congregationis poſſint omnibus ſatisfacere. Hoc Sacra Congregatio non definiuit, vndè DD. in varias abiere ſententias.

Ledeſma in ſumma tom. 1. cap. 18. concluſ. 17., *Villalobos in ſumma parte prima tract. 18. dub. 18. num. 2.*, *Diana part. 5. tract. 14. reſolut. 25.*, ſuſtinent breue tempus in hoc computari illud, quod clauditur intra quinquaginta dies, illud verò longum, quod extenditur vltra illos, quod idem relato decreto eiuſdem Sacræ Congregationis ſuſtinet *Cardinalis de Lugo de Euchariſtia diſp. 21. ſect. 2. num. 34.*

17 Quodnā quoad hoc pro modico tempore computetur.

Alij, verò inter quos *Theſaurus in praxi part. 2. verb. Miſſarum onera cap. 1. in fine*, reſtringunt breue hoc tempus ad octo, vel ad ſummum ad decem dies, & non vltra. Alij, extendunt ad menſem. Quid iam in hoc concludendum?

Prima opinio nimis laxa videtur. Secunda nimis ſtricta. Tertia magis conſona æquitati. Quia tamen ex varietate circunſtantiarum poteſt oriri iuſta ratio maioris extenſionis, vel etiam fortè maioris reſtrictionis, ideò cum *Lezana tom. 4. ſummæ qq. Regul. verb. Miſſa n. 39.*, dici poteſt extenſionem, vel reſtrictionem huiuſmodi remittendam eſſe regulato arbitrio prudentis, qui penſatis omnibus circunſtantijs loci, temporis, Miſſarum celebrandarum, & Sacerdotum diudicet æquitatem extenſionis, vel reſtrictionis. Hoc vnum tamen moneo, quod, ſi eleemoſinæ datæ ſint ad certum, & determinatum effectum, qui reſtringatur ad certum, & determinatum tempus, Miſſæ non poſſint protrahi vltra idem tempus.

Decimum eſt, an, ſi offerentes eleemoſinas optimè nouerint Eccleſiam, ſeu Sacerdotem grauatam, ſeu grauatum eſſe pluribus Miſſarum oneribus, quibus nequeant, niſi poſt multum temporis ſatisfacere, & nihilominus eleemoſinas plures eiſdem tribuant, poſſit Eccleſia, ſeu Sacerdos illas acceptare, & diferre illarum ſatisfactionem, donec primis ſatisfecerint.

Reſpondendum eſt, vtique poſſe in hac hypotheſi, & acceptare, & diferre. Ratio eſt, quia in hoc caſu nullum infertur præiudicium eiſdem offerentibus ex vulgata regula, quod ſcienti, & conſentienti non inferatur iniuria; vndè etiam Sacra Congregatio ſuper hoc interrogata in dubio vndecimo, reſpondit in hæc verba. *Quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſinam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſina ſuſcipiatur pro eiſdem Miſſis iuxtà benefactorum conſenſum celebrandis.* 18

18 Sciens aliquem eſſe grauatum Miſſis, & nihilominus, ei alias tribuens cenſetur cõſentire dilationi.

Difficultas ſolummodò aliqua in hoc videtur eſſe, quod Sacra Congregatio in ea declaratione ſupponit, quod offerens eleemoſinam de nouo, non ſolum ſciat onera præcedentia, & expreſsè conſentiat, quod Miſſæ, pro quibus ipſe eleemoſinam erogat, differantur vſquequo præcedentia onera fuerint adimpleta; Quid verò erit ſentiendum, ſi verè offerens ſciat Sacerdotem, ſeu Eccleſiam, quibus offert eleemoſinas pro alijs Miſſis celebrandis premi pluribus oneribus præcedentibus, non tamen expreſsè conſentiat dilationi, vſquequo fuerit illis ſatisfactum, ſed ſolum non obſtante cognitione illorum onerum pecuniam pro nouis Miſſis celebrandis eroget, an tunc poterit Eccleſia, ſeu Sacerdos illas acceptare, & diferre celebrationem iſtarum? Affirmatiuè reſpondendum cenſeo. Ratio eſt, quia ex quo offerens illas eleemoſinas nouit onera præcedentia, & nihilominus nouas eleemoſinas attribuit 19

19 Etiam, ſi expreſsè non conſentiat.

non

non excipiendo, ſe velle immediatam celebrationem iſtarum præſumitur conſentire illi dilationi; nam ex vna parte nouit ordinem exigere, vt prius ſuſcepta prius celebrentur, ex altera eidem ordini non reſiſtit, & propterea videtur illi cedere.

ARTICVLVS XIII.

Quinam ſit fundus proportionatus oneri perpetuo Miſſarum.

SVMMARIVM.

Pecunia deſtinata pro onere perpetuo Miſſarum non poteſt inueſtiri in bonis exemptis, & Eccleſiæ incorporatis. 1.
Per inueſtimentum in fundo exempto non haberetur finis à Sacra Congregatione intentus. 2.
Probabilitèr poteſt implicari in redemptione fundi venditi cum pacto retrouenditionis. 3.
Illa redemptio eſt propriè emptio. 4.
Dato etiam, quod eſſet diſſolutio prioris contractus, haberetur quidquid requiritur ex mente Sacræ Congregationis. 5.
Soluitur obiectum Marchini. 6.
Pecunia deſtinata ad onus perpetuum Miſſarum poteſt implicari in ſoluendo reſiduo pretio fundi empti. 7.
Poteſt implicari in extinctione cenſus paſſiui. 8.
Saltem virtualitèr implicaretur illa pecunia in fundo fructifero. 9.
Poteſt inueſtiri in emendo cenſu, vel alio redditu perpetuo. 10.
Cenſus computatur pro re immobili. 11.
An ius habitationis poſſit computari pro parte redditus. 12.
Poteſt, ſi habitatio ſit neceſſaria Sacerdoti, vel locabilis. 13.
Secus; ſi non ſit neceſſaria, nec locabilis. 14.
Soluitur obiectum Marchini. 15.

CErtum eſt, quod, cum onus ſit perpetuum, exigat fundum, qui aptus ſit ſuſtinere illam perpetuitatem, & reddere fructus oneri eidem impoſito proportionatos. Circa ipſum iam plura veniunt diſcutienda, quæ breuitèr propono per ſubſequentes dubitationes, & per ſuas reſpectiuè reſponſiones diluo.

1 Onus perpetuũ Miſſarũ, nõ poteſt fundari in bonis exemptis, & Eccleſiæ incorporatis.

Primum dubium eſt, an onus iſtud Miſſarum perpetuum poſſit inueſtiri in bonis exemptis, & iam Eccleſiæ incorporatis.

Reſpondeo negatiuè. Idipſum ſentiunt *Paſqualigus in qq. Canon. cent. 2. qu. 171.*, *Bordonus in conſ. Reg. tom. 1. reſol. 25. n. 34.*, *Lezana in ſumma qq. Regul. tom. 4. verb. Miſſa n. 37.*, *Diana part. 9. tract. 6. Miſcel. reſol. 26.*, quidquid ex aduerſo dixerit *Peirinus in Fomul. lit. A, cap. 11. n. 2.* Ratio ex eo deducitur primò, quia bona exempta, & incorporata Eccleſiæ, ſeu Monaſterio ſunt bona Eccleſiaſtica inalienabilia, nec ſecundum ſe ſubijcienda alicui oneri, nec hypothecæ ſine neceſſitate, aut euidenti vtilitate, & non ſeruatis iuris ſolemnitatibus, ergo nec ſubijci poterunt oneri Miſſæ perpetuæ. Secundò, quia ex genere ſuo implicatio importat acquiſitionem nouorum fructuum ex re fructifera ab alio empta, ſeu acquiſita, quæ antea non erat implicantis, cæteroqui eadem importaret onus ſine commodo, ſed, ſi fieret in fundo, qui iam eſt proprius Eccleſiæ, ſeu Monaſterij fieret ſine vllo commodo Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, cum iam ille fundus eiſdem pareret fructus, ergo non poteſt fieri illa implicatio, nec onus imponi ſuper illo fundo exempto, & incorporato.

Dices ex *Marchino tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 2. cap. 15. num. 28. verſ. tertia ratio, eaque firmiſſima,* Sacram Congregationem in decretis de celebratione Miſſarum iuſſu Vrbani VIII. editis non exigere nouam rerum immobilium emptionem ex illa pecunia, ſed ſolum eam inueſtiri in re immobili fructifera; inueſtiri autem pecuniam in re immobili fructifera ex ipſa nominis ethimologia aptè dicitur, ſiue fiat in acquiſitione noua rei fructiferæ, ſiue collocetur in re immobili fructifera exiſtente apud inueſtientem, cum res illa nouo onere veſtiatur. Sed contra, quia, quidquid ſit de vi nominis, & de cortice verborum; ex mente Sacræ Congregationis ſatis apertè colligitur, illam inueſtituram, ſeu implicationem debere eſſe in re fructifera nouitèr acquiſita. Quid enim aliud voluit eadem Sacra Congregatio, niſi, quod res illa fructifera, in qua fit inueſtimentum, pareret fructus correſpondentes oneri Miſſarum impoſito, qui non eſſent aliundè debiti? Fructus autem bonorum propriorum talis Eccleſiæ, ſeu Monaſterij iam erant aliundè debiti. Vide in hoc *Bordonum loc. cit.*, qui hanc noſtram opinionem validis corroborat argumentis, & vindicat ab obiectis, quæ contra ipſam fieri poſſunt.

2 Per illud inueſtimentum nõ adimpleretur finis Sacræ Congregationis.

Secundum dubium, an pecunia deſtinata ad onus perpetuum Miſſarum poſſit implicari ad redimendum fundum ab Eccleſia venditum cum pacto gratiæ.

3 Probabilitèr poteſt implicari in redemptione fundi venditi cum pacto gratiæ.

Reſpondeo, valdè probabile eſſe poſſe pecuniam illam implicari in illo fundo redimendo. Eſt directè contra *Marchinum tract. 3. de ſacrificio Miſſæ part. 2. cap. 15. num. 26. verſ. quæro igitur primo.* Ratio eſt

eſt, quia illa redemptio predij prius venditi, quantumuis cum pacto gratiæ, eſt noua acquiſitio dominij cum iure percipiendi fructus, quod prius non erat apud eandem Eccleſiam, ſeu Monaſterium, ergo habet ea omnia, quæ exigit Sacra Congregatio in inueſtimento illius pecuniæ; non enim aliud intendit, niſi, quod implicetur in fundo, ex quo percipiantur fructus correſpondentes oneri aſſumpto Miſſarum. Antecedens probatur, quia denegari non poteſt, quod per venditionem priorem factam ab Eccleſia, licet cum pacto retrouenditionis, translatum fuerit in emptorem dominium cum iure percipiendi fructus ex illo fundo vendito, ergo per illam redemptionem de nouo acquiritur dominium iam translatum cum iure &c. Neque dicas, quod ratione pacti adiecti retrouenditionis in prima venditione non fuerit plenè translatum dominium, ſed reuocabilitèr, adeoque, quod redemptio non ſit plena acquiſitio dominij &c.; Contra enim impugnaberis, quia reuocabilitas non efficit, quod plenè non fuerit dominium translatum in emptorem; Quid enim eſt dominium, niſi ius percipiendi fructus ex fundo acquiſito? Quod, ſi repetas, quod emptor durante illo pacto non poſsit de illo fundo diſponere; hoc non officit rationi dominij, cum hoc dicatur ius diſponendi de re, niſi lex obſiſtat, aut conuentio prohibeat; quod igitur non poſſit diſponere, non eſt defectu iuris, ſed ratione conuentionis, quæ non obſiſtit dominio. Cæterum, ſi ratione eiuſdem reuocabilitatis non poſſet implicari pecunia in redemptione venditi cum pacto retrouenditionis, nec poſſet implicari in redemptione cenſus paſſiui Monaſterij, ſeu Eccleſiæ, cum etiam hic ſit redemibilis, quantum eſt ex parte venditoris illius, & tamen idem *Marchinus loc. cit. verſ. pro parte affirmante, cui adhæreo*, abſolutè aſſerit, poſſe implicari in tali cenſus redemptione.

Acquiritur ius ad percipiēdos fructus.

Dices primò ex eodem *Marchino loc. cit. verſ. quæro ergo primo*. Redemptio prædij facta vigore pacti de retrouendendo non eſt propriè emptio, ſed diſſolutio prioris contractus, vndè redimens prædium alias venditum, licet acquirat denuò perfectum eiuſdem dominium, illud tamen acquirit vigore prædicti pacti; non vigore noui contractus, quod aſſerit eſſe ante oculos habendum. Sed contra primò, quia denegari non poteſt, quin prima venditio ex parte venditoris fuerit vera venditio, & reſpectu ementis vera, & propria emptio, cum fuerit cum vera translatione, & reſpectiuè cum vera acquiſitione dominij, ergo, & ipſa redemptio reſpectu redimentis erit vera emptio, & reſpectu reuendentis vera venditio, cum vtraque ſit cum acquiſitione, & translatione dominij reſpectiuè loquendo. Secundò, quidquid ſit, quod ſit vera emptio, an verò ſimplex diſſolutio prioris contractus, denegari non poteſt, quin redimens acquirat verum dominium, quod antea non habebat, cum iure perpetuo percipiendi fructus, quod præcisè intendit eadem Sacra Congregatio in illo præcepto inueſtimenti; Quod deindè hoc acquiratur, vel per emptionem, vel per diſſolutionem prioris contractus eſt extra mentem eiuſdem Sacræ Congregationis, quæ non curat de modo, dummodò habeatur effectus ab ipſa intentus; Tertiò, quia etiam in redemptione cenſus paſſiui poteſt dici, quod diſſoluatur prior contractus, & tamen per eundem Marchinum auctorem huius inſtantiæ ſtatuitur, quod legitimè implicetur pecunia in illa redemptione, quantum ad effectum conſtituendi ius ad fructus pro onere perpetuo Miſſarum, ergo etiam &c.

4 Illa redemptio eſt propriè emptio.

5 Etiam ſi eſſet diſſolutio cōtractus haberetur finis.

Dices ſecundo ex eodem. Per illam redemptionem non aptè conſulitur ſecuritati implicationis, quandoquidem facta pecuniæ implicatione in illa redemptione poſſent inſurgere creditores hypothecarij anteriores, quorum ius non eſt demptum per retrouenditionem, & fundum illum ratione propriæ hypothecæ à redimente vendicare, & ſic ceſſante dominio ceſſaret onus Miſſarum; hoc autem non poteſt euenire in noua emptione alterius fundi, qui nunquam fuit venditoris, ſiquidem emptor poteſt expreſsè apponere in inſtrumento emptionis, quod ille fundus fuerit emptus ex pecunia propria, & ſibi ſpecialitèr hypothecata, quo caſu præfertur anterioribus per textum *in l. licet, C. qui pot. in pign. hab.* Sed contra primò, quia vel ius illud hypothecarium creditorum anteriorum ſupponitur affixum illi fundo ante venditionem eiuſdem cum pacto retrouenditionis, vel ſolum poſt eandem durante eodem pacto; Si primum ſupponatur; vix hoc videtur poſſe præſumi, nam, cum fundus ille eſſet ſub dominio Eccleſiæ vendentis ante illam venditionem cum pacto retrouenditionis optimè nouiſſe cenſenda eſt præextitiſſe illud ius hypothecarium, & per conſequens non præſumenda, quod voluerit emptorem decipere non manifeſtando illam hypothecam, & dato etiam, quod deceperit, non eſt credendum, quod voluerit iterum decipere ius fundatoris Miſſæ implicando eiuſdem pecuniam in redemptione illius fundi, quem nouit obnoxium hypothecæ anteriori; Si ſecundum ſupponatur; ſicuti emptor cum pacto retrouenditionis eodem perſeue-

6 Soluitur aliud obiectum Marchini.

ſeuerante non poteſt alteri vendere, &, ſi vendatur, poteſt à primo venditore vendicari per ea, quę diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione pran. 4. num. 11.*, & tradit *Coaruuias lib. 3. var. cap. 8. num. 2., & 3.*, ita, nec poteſt alteri hypothecare, nam prohibita alienatione cenſetur etiam prohibitus quicunque actus, ex quo poſſit ſequi eadem alienatio. Secundò, quia data hac ratione vix dari poſſet ſecuritas implicationis, cum etiam in emptione noui fundi poſſent eſſe creditores anteriores hypothecarij. Tandem textus allegatus *in d. l. licet, C. qui pot. in pig. habeantur* non eſt applicabilis huic caſui; non enim in eadem dicitur, vt legenti ſit manifeſtum, quod fundus emptus ex pecunia propria quomodocunque conferat prælationem aduerſus omnes creditores anteriores, ſed ſolum, quod, ſi fundus fuerit ſpecialitèr obligatus creditori, quatenus poſt hypothecam generalem aliorum fuerit nouus fundus à debitore emptus pecunia alterius, & eidem ex hac cauſa ſpecialitèr hypothecatus, hic anterioribus in eo fundo præferatur; in hoc autem caſu non ſupponuntur alij creditores emiſſe propria pecunia, ſed potius Eccleſia redemiſſe; vndè ipſa eſt pręferenda.

Tertium dubium, an poſſit pecunia deſtinata ad onus perpetuum Miſſarum implicari in ſoluendo reſiduo pretio prędij empti ab ipſa Eccleſia, ſeu Monaſterio.

7 Poteſt implicari in ſoluēdo reſiduo pretio fundi empti.

Reſpondeo, poſſe licitè, & iuſtè ſic implicari. In hoc conſentit *Marchinus loc. cit. verſ. quaro ſecundo, & ſeq.* Ratio ex eo deducitur, quia, vel venditor illius fundi pro illo reſiduo pretio ſibi reſeruauit dominium eiuſdem, donec illud reſiduum fuerit perſolutum, vel non reſeruauit retenta dumtaxat ſibi hypotheca generali, donec &c. Si primum dicatur; iam per illam implicationem pecunię Eccleſia ſibi acquirit dominium cum iure ad fructus, quod ante non habebat, & per conſequens habet, quidquid requiritur ex diſpoſitione Sacræ Congregationis ad iuſtam implicationem pro effectu, qui intenditur; ſi ſecundum aſſeratur; quamuis Eccleſia ſoluens illud reſiduum pretij non acquirat dominium, cum hoc iam acquiſierit per conuentiones, & traditionem fundi, acquirit tamen ius ad percipiendos fructus perpetuos liberos, qui ante erant obnoxij ſolutioni interuſuriorum illius reſidui non ſoluti, quod ſatis eſt ad adimplendam mentem Sacræ Congregationis, quæ aliud non intendit, niſi, vt acquiratur per illam implicationem ius perpetuum præcipiendi fructus correſpondentes oneri adiecto, ne ſcilicet hoc ex defectu reddituum depereat.

Confirmatur quoad hoc ſecundum membrum. In redemptione cenſus paſſiui facta, ſeu facienda ab Eccleſia nullum dominium ab eadem acquiritur, cum iam dominium fundi ſubiugati eidem cenſui eſſet penes eandem Eccleſiam, quia tamen per illam redemptionem eximitur eadem Eccleſia ab onere annuorum cenſuum, rectè pecunia pro onere perpetuo Miſſarum relicta inueſtitur in eadem redemptione per ea, quæ ſupra innuimus, ergo etiam, quantumuis in ſolutione illius reſidui pretij non acquiratur dominium in fundo empto cum hoc iam fuerit antecedentèr acquiſitum per conuentionem, & traditionem eiuſdem, quia tamen per ſolutionem eiuſdem eximitur ab onere ſoluendi interuſuria rectè dicenda eſt ſolutio illius pretij inueſtita pro onere illarum Miſſarum. Euincitur etiam paritate.

Quartum dubium, an poſſit pecunia illa implicari in extinctione cenſus paſſiui, quo premitur Eccleſia, ſeu Monaſterium.

8 Poteſt implicari in extinctione cenſus paſſiui.

Reſpondeo affirmatiuè, & ſecundum hunc ſenſum procedunt *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſa part. 2. cap. 15. num. 28. verſ. quaro quarto, Peirinus in formul. lit. A. cap. 11., Martha in deciſ. vot. 243. nu. 3., & 5.* Intellige, ſi cenſus ille, qui extingui intenditur, fuerit impoſitus ſuper aliquo fundo ſtabili, & fructifero. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi ſaltem virtualitèr poſſet dici, quod pecunia illa implicaretur in fundo fructifero, ſiquidem Eccleſia, ſeu Monaſterium acquireret ius vtile in eodem, quod antea non habebat, & per hoc accreſcerent fructus Eccleſiæ, ſeu Monaſterio, illi ſcilicet, qui expendebantur in ſolutione reddituum cenſus, qui in re ità ſe habent, ac ſi eidem Eccleſiæ, ſeu Monaſterio perſoluerentur.

9 Saltem virtualitèr implicatur illa pecunia in fundo fructifero

Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, per illam redemptionem cenſus non acquiri rem aliquam immobilem, & fructiferam, cum fundus iam eſſet ſub dominio eiuſdem Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, nec eidem redemptioni poſſe adaptari illa verba decreti Sacræ Congregationis, *quod, ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium ab eadem perſona, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat*; non poteſt autem idem cenſus redemptus alienari, cum amplius non ſit; quando autem verba diſpoſitionis caſui non adaptantur, ceſſat eadem diſpoſitio; Non, inquam, obſtare poteſt; non primum, quia illud ius vtile, quod acquiritur, habet rationem fundi fructiferi, quantum ad id, quod requiritur ex mente

Sa-

Sacræ Congregationis, cum aliud non intendat, niſi, vt acquiratur ius perpetuum percipiendi fructus proportionatos oneri; Non ſecundum, quia illa verba ſunt ſubſidiariè appoſita in caſu, quo bona alienarentur, quia ſcilicet intendit Sacra Congregatio, quod ius teſtatoris debeat permanere, ſi non in fundo prius empto, in alio ſubſtituendo; cæterum, vbi ius eſt inalienabile, illa diſpoſitio ſubſidiaria non habet locum, non quia non ſubſiſtat illa redemptio, ſed quia non eſt caſus illius ſubſidiariæ diſpoſitionis. Deindè dici poteſt, quod quoquo modo acquiratur ille fundus, qui erat cenſui ſubiugatus, vndè, ſi ille fundus alienaretur, eſſet capitale illius cenſus in alijs bonis ſtabilibus inueſtiendum.

10 Poteſt implicari in emptione cenſus.

Quintum dubium, an pecunia illa poſſit iuſtè, & licitè inueſtiri in emendo cenſu, vel alio redditu perpetuo.

Reſpondeo, poſſe licitè ſic implicari. Ratio eſt, quia finis à Sacra Congregatione intentus ille eſt, vt Eccleſia acquirat ius perpetuum ad redditus annuos percipiendos, quibus ſuſceptum onus Miſſæ perpetuæ poſſit vtilitèr, & perpetuo adimpleri, ſed per emptionem cenſus hoc ius perpetuum acquirit, ergo ſufficientèr adimplet finem à Sacra Congregatione intentum. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur cenſum non eſſe bonum ſtabile, & fructiferum, vt notant *Molina de hiſp. primog. lib. 21. cap. 10. nu. 6.*, *Antonius Gomez de cenſibus cap. 3. n. 4.*, *Vgolinus de offic. Epiſc. cap. 26. §. 10. num. 2.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cenſus actiuus acceptus pro iure exigendi penſionem ex fructibus fundi cenſiti, inter immobilia bona computatur, *Clem. exiui de Paradiſo, §. cum quo annui redditus de verb. ſignific.*, hocque etiam relatis pluribus rationibus, auctoritatibus, & Rotæ Romanæ deciſionibus tradit *Cencius de cenſibus part. 1. cap. 3. quæſt. 1. art. 2. à num. 4. ad 34.*; nec certè incongrua ratione, quia cenſus adhæret rei immobili ratione hypothecæ eidem affixæ; quod autem rei immobili adhæret participat qualitatem illius, & pro immobili computatur. Neque item obſtare poteſt, quod ad arbitrium debitoris poſſit cenſus redimi, quandoquidem tunc viget onus pecuniam indè extractam implicandi in aliam rem immobilem, & fructiferam.

11 Cenſus computatur pro re immobili.

12 An ius habitationis poſſit computari pro parte reditus.

Sextum dubium, an poſſit inueſtiri pecunia ſecundum ſe ſufficiens pro onere perpetuo Miſſæ quotidianæ in fundo, qui dempta habitatione non reddit tot fructus, quot ſufficiant ad illud onus, ſufficiant tamen computata eadem habitatione.

Reſpondeo; poſſe, ſi Sacerdos electus ad adimplendum illud onus indigeret habitatione, quam, ſi non haberet in illo fundo, teneretur conducere erogata mercede, vel poſſet facilè locare. Videtur eſse expreſsè contra *Marchinum tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 15. num. 28. verſ. reſpondendum exiſtimo*. Ratio ex eo deducitur, quod illa habitatio ſimul cum redditibus, qui ex illo fundo percipiuntur, adæquat integrum ſtipendium debitum pro onere Miſsæ quotidianæ, ergo implicatio in illa ſimul cum fundo erit ſufficiens ad id, quod Sacra Congregatio intendit in præcepto huiuſmodi implicationis. Antecedens probatur. Demus, quod redditus ſufficientes ad onus Miſsæ quotidianæ ſint tercentum libræ imperiales cum quinquaginta ſecundum ſe ſine alio, adeo vt Sacerdos electus ad adimplendum illud onus ex illis teneatur ſibi de habitatione conſulere, & de alijs alio non requiſito, cum illud ſtipendium pro illo onere ex taxatione Eccleſiæ, vel ex conſuetudine in illo loco recepta ſit iuſtum; certè hic partem illorum reddituum debet inſumere in conducenda habitatione. Demus modo, quod fundus acquiſitus ex illa pecunia implicata reddat tercentum dempta habitatione, & hac comprehenſa tercentum quinquaginta, poſtea ſic arguamus. Implicatio pecuniæ facta in fundo reddente fructus ad valorem tercentum quinquaginta eſt iuſta ad normam præſcriptionis Sacræ Congregationis, & illa tercentum quinquaginta cenſentur iuſtum ſtipendium pro onere Miſsæ quotidianæ, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, exigerentur æquiualentèr ex illo fundo empto fructus ad valorem tercentum, & quinquaginta, ergo implicatio facta in illo fundo eſset ritè, & legitimè facta. Minor, in qua ſita eſt tota difficultas, ſic euincitur. Iam ex ſuppoſitione liquidè ex illo fundo tercentum percipiuntur, & deindè ratione illius habitationis non inſumuntur quinquaginta, quæ eſsent inſumenda in alia habitatione conducenda, ſi illa non adeſset, ergo perindè eſt, ac ſi tercentum, & quinquaginta exigerentur. Rurſus illa habitatio ſupponitur locabilis independentèr ab alio fundo, cum ſit ciuilitèr fructifera, & vtique pretio quinquaginta librarum imperialium, ergo illa pecunia inſumpta ſaltem partialitèr pro acquirenda domo habitationis erit legitimè implicata, vtpotè in fundo immobili ciuilitèr fructifero.

13 Poteſt, ſi ſit neceſſaria, vel locabilis.

14 Secus, ſi non ſit neceſſaria, nec locabilis.

Dixi, *ſi Sacerdos electus ipſa indigeret, vel poteſt facilè locari*; nam, ſi nec ipſe indigeret, nec poſset habitatio illa locari, certè pecunia illa non eſset inueſtita ad normam intentionis Sacræ Congregationis, quandoquidem in illa parte in ordine ad fructus perindè eſſet, ac ſi illos non red-

red.

redderet, vndè ex illo fundo acquiſito non poſſent percipi tot fructus, quot requiruntur ad onus Miſſæ quotidianæ.

15 Soluitur obiectum Marchini.

His omnibus non acquieſcit *Marchinus loc. cit.*, ſed aſſerit, quod, ſi reuera illa habitatio locetur ſub illa mercede, computetur pro re fructifera, cum reddat illos fructus, non autem, ſi inhabitetur ab ipſo Sacerdote electo ad illud onus, cum tunc prouentum non afferat; vndè Sacerdos ſuſtentari valeat, quem ſolum prouentum reſpicit Sacra Congregatio. Sed in hoc diutius immorandum non cenſeo; cum ſatis apertè conſtet, commodum illud habitationis æquiualere fructibus, qui eſſent inſumendi in conducenda alia domo pro habitatione ipſius Sacerdotis electi ad illud onus, & propterea in hac hypotheſi perindè res ſe habet, ac ſi pecunia ad onus Miſſarum deſtinata eſſet implicata in fundo, qui redderet libras tercentum quinquaginta, cum quinquaginta eſſent inſumendæ in conductione alterius domus, ſi illa non adeſſet.

ARTICVLVS XIV.

An Sacerdos pro eadem Miſſa poſſit duplex ſtipendium accipere applicando pro offerente eleemoſinam vltra fructum medium etiam proprium, & ſpecialiſſimum.

SVMMARIVM.

Non poteſt pro eadem Miſſa exigi duplex ſtipendium, alterum pro fructu medio, aliud pro ſpecialiſſimo. 1.
Stipendium non datur pro fructu. 2.
Fructus ſpecialiſſimus eſt perſonalis non abdicabilis. 3.
Contraria ſententia eſt damnata per Alexandrum VII. 4.

1 Non poteſt illud duplex ſtipendiũ exigi.

EX multis capitibus clarè euincitur, non poſſe exigi pro eadem Miſſa duplex ſtipendium, etiam ſi Sacerdos pro offerente vnam eleemoſinam applicet fructum conſuetum, & medium, & pro altero aliam eleemoſinam offerente applicet proprium, & ſpecialiſſimum. Primò, quia certum eſt, ſtipendium non tribui pro ipſo fructu formaliter, cæteroqui apertè ſimonia contraheretur, ſed pro congrua Sacerdotis ſuſtentatione; congrua autem ſuſtentatio,

2 Stipendiũ nõ datur pro fructu.

prout debetur ex onere Miſſæ, intelligitur ad vnum ſtipendium taxata; non enim adæquata ſuſtentatio debetur ex Miſſa, cum Sacerdos per alia opera honeſta poſſit reſiduum ſuſtentationis ſibi acquirere.

Secundò, quia dato etiam, nunquam tamen conceſſo, quod ſtipendium daretur pro applicatione fructus ſacrificij, adhuc tamen pro fructu ſpecialiſſimo, & proprio Sacerdotis non poteſt dari, nec exigi; quia talis fructus eſt perſonalis, & inabdicabilis ab ipſo Sacerdote, quandoquidem prouenit ex conditione actionis exercitæ à celebrante, qui propterea non eſt transferibilis in alterum, à quo non eſt talis actio, cui eſt affixus. Vide, quæ latè dicta ſunt circa hoc *in hoc tract. qu. 3. art. 5. dub. 5.*, quod etiam prius tradiderunt *Suarez tertia part. diſp. 79. ſect. 9. ad fin.*, *Rodriquez prima part. cap. 250. num. 2.*, *Bonacina de Sacrament. Euchariſtia diſp. 4. qu. vltim. punct. 8. nu. 16.*

3 Fructus ſpecialiſſimus eſt perſonalis.

Tertiò ex diuiſione fructus ſacrificij Miſſæ in generalem, medium, & propriiſſimum communitèr recepta; iuxtà quam pro generali non poteſt ſtipendium recipi, quia eſt affixus toti Eccleſiæ; pro medio poteſt recipi, quia eſt deſtinatus pro eo, pro quo offertur; pro propriiſſimo non poteſt recipi, quia eſt alligatus Sacerdoti offerenti.

4 Contraria ſententia eſt damnata per Alexandrum VII.

Quartò, quia contraria ſententia aſſerens duplex ſtipendium pro eadem Miſſa poſſe recipi damnata eſt expreſsè per Alexandrum VII. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria V. die 24. Septembris 1665., dum damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine octaua, quæ dicebatur: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Vrbani Octaui.*

ARTICVLVS XV.

An poſſit duplex ſtipendium pro eadem Miſſa accipi, vnum pro applicatione fructus eiuſdem, alterum pro applicatione Indulgentiæ.

SVMMARIVM.

Duplex ſenſus tituli exponitur. 1.
Si offerens ſtipendium exigit, vt Miſſa celebretur in Altari priuilegiato, non poteſt duplex ſtipendium Sacerdos exigere. 2.
Stipendium non recipitur, nec pro ſacrificio, nec pro applicatione indulgentiæ. 3.
Petens ſacrificium in Altari priuilegiato petit vtrumque fructum. 4.
Euincitur ex declarationibus Sacræ Congregationis. 5.
Quamuis non obligetur Sacerdos ad celebrandum in Altari priuilegiato, ſi tamen

celebret in eodem, non poteſt ab alia perſona exigere aliud ſtipendium pro applicatione indulgentiæ. 6.

Nec ab eodem primo, vt pro ipſo applicet indulgentiam. 7.

PLura circa hunc titulum dicta ſunt obitèr in præcedentibus, ex quibus ſatis apertè conſtare poteſt, non poſſe duplex ſtipendium accipi; quia tamen inuenio *Bordonum reſol. 25. num.* 17., contrariam opinionem docuiſſe, placet difficultatem hanc ex profeſſo hic examinare. Pro qua

1 Duplex ſenſus tituli exponitur.

Aduerto, dubium hoc ſecundum duplicem ſenſum poſſe procedere, vel quatenus offerens ſtipendium pro celebratione Miſſę expreſsè exigit, vt fiat ad Altare priuilegiatum, vel quatenus præcisè exigit, vt pro ſe ſacrificium celebretur, & Sacerdos illud celebrans in Altari priuilegiato, & illud applicat pro ipſo, à quo recepit ſtipendium, & indulgentiam, quæ eſt affixa eidem Altari, alteri applicat, à quo nouum accipit ſtipendium, vel forte, ſi ab eodem plura accipit ſtipendia pro pluribus Miſſis, pro ipſo applicat, tum ſacrificium, tum indulgentiam, & eadem Miſſa pro duabus intendit ſatisfacere.

2 Obligatus ex ſtipendio celebrare in Altari priuilegiato non poteſt aliud ſtipendium pro applicatione indulgentiæ recipere.

Iuxtà primum ſenſum abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe duplex ſtipendium accipere. Ità expreſsè *Lezana in ſumma qq. Regul. tom. 4. verb. Miſſa num. 19.*, cum communi DD. conſenſu, qui etiam dicit ſe non videre, quomodo opinio Bordoni poſſit ſuſtineri, tum propter communem ſenſum eidem aduerſantem, tum propter contrariam interpretatiuam Pontificum huiuſmodi indulgentias concedentium mentem, tum propter decreta Sacrę Congregationis prohibentia plura recipi ſtipendia pro eadem Miſſa. Sed his omnibus poſſet reſpondere Bordonus, illa ſtipendia non recipi pro eadem Miſſa, ſed vnum pro Miſſa, alterum pro indulgentia, quæ eſt quid diſtinctum à fructu ſacrificij. Nihilominus contra eundem Bordonum ſic

3 Stipendiũ nõ recipitur, nec pro ſacrificio, nec pro applicatione indulgentiæ.

Probatur primò noſtra, & communis opinio. Stipendium non accipitur, nec pro fructu ſacrificij, nec pro indulgentia; ſed pro congrua Sacerdotis celebrantis ſuſtentatione per ordinem ad miniſterium, quod exercet; pro congrua autem ſuſtentatione correſpondente exercitio illius ſacrificij vnicum eſt aſſignatum ſtipendium, ergo, niſi illud poteſt licitè, & iuſtè recipere. Neque dicas, ſtipendium pro ſuſtentatione, quod erogatur pro exercitio Miſſæ non obſiſtere, quo minus in ordine ad alia opera diſtincta poſſit exigi ſtipendium eiſdem correſpondens; applicatio autem indulgentiæ eſt opus diſtinctum ab applicatione fructus ſacrificij; contra enim impugnaberis, quia licet huiuſmodi applicationes ſint diſtinctæ quoad effectum, quoad exercitium tamen nõ ſunt disiunctæ, nec poteſt eſſe indulgentia ſine ſacrificio, & Pontifices huiuſmodi indulgentias concedentes non alitèr intendunt concedere, niſi per ſacrificium in tali Altari; quando autem vna actio eſt ab altera indiſtincta, non exigit diſtinctum ſtipendium ab illa. Deinde, ſi ſumatur indulgentia ſecundum ſe, applicatio eiuſdem, potiſſimum, ſi non ſit coniuncta cum alijs operibus, ſecundum communem acceptionem non eſt talis, vt exigat ſtipendium, & ſuſtentationem.

4 Petens ſacrificiũ in Altari priuilegiato petit vtrũq; fructum.

Probatur ſecundò, offerens ſtipendium pro celebratione Miſſæ in Altari priuilegiato non ſolum intendit pro defuncto applicationem ſacrificij, ſed etiam indulgentiæ, quæ eſt annexa eidem ſacrificio, & Altari, & Sacerdos illud accipit ſub tali onere, ergo ex vi illius ſtipendij tenetur vtrumque præſtare; eo etenim ipſo, quo acceptauit onus celebrandi in Altari priuilegiato, intelligitur acceptaſſe, vt defunctus, pro quo fuit illud ſtipendium erogatum, conſequeretur quidquid vtilitatis ex celebratione in tali Altari eidem poteſt prouenire.

5 Euincitur ex declarationibus Sacrę Congregationis.

Probatur tertiò, ex decreto Sacræ Congregationis, quo ſtatuitur, vt pro eadem Miſſa non poſſint recipi plura ſtipendia, ergo pro vna Miſſa in Altari priuilegiato celebrata non poteſt duplex accipi ſtipendium. Neque obſtat, quod alterum ſtipendium non ſumatur pro Miſſa, ſed pro applicatione indulgentiæ; Non obſtat, inquam, quia hoc ſubterfugium ſupra occluſum eſt; indulgentia etenim ipſa non acquiritur ſine celebratione Miſſæ, nec indulgentia ipſa ſecundum ſe exigit ſtipendium.

6 Nec etiã poteſt exigere aliud ſtipendium ab alio, quamuis non teneatur pro celebratione in Altari priuilegiato.

Iuxtà ſecundum ſenſum etiam abſolutè aſſero, non poſſe duplex ſtipendium accipi, neque ab eodem, neque à diuerſis perſonis. Arbitror ab hoc neminem diſſentiri excepto Bordono ſupra allegato. Probatur primò, quod nequeat duplex ſtipendium exigi à duabus perſonis, quarum vni applicet ſacrificium, alteri indulgentiam. Indulgentia non eſt applicabilis, niſi cui applicatur ſacrificium, ergo, quantumuis pro applicatione indulgentiæ ſecundum ſe poſſet exigi ſtipendium, quod tamen falſum ſupponitur, non poterit exigi ſtipendium ab eo, pro quo offertur ſacrificium, & alterum ab eo, cui applicaretur indulgentia, cum hæc non ſit eidem applicabilis. Antecedens probatur, quia indulgentia non ſolum affixa eſt Altari, ſed etiam Miſſæ, ergo non eſt applicabilis, niſi cui Miſſa applicatur; nam, ſi

appli-

applicaretur indulgentia alteri ab eo, cui applicatur Miſſa, perindè eſt in ordine ad illum, ac ſi Miſſa non celebreretur. Conſequentia etiam probatur, quia non poſita applicatione indulgentię non eſt titulus, ratione cuius poſſit ſtipendium exigi.

7 Nec ab eodem primo, vt pro ipſo applicet indulgentiam. Probatur ſecundò, quod etiam nequeat ob eadem perſona exigi duplex ſtipendium ex eo, quod Sacerdos celebret in Altari priuilegiato, & pro eadem offerat, & ſacrificium, & applicet indulgentiam, quantumuis non teneatur in illo Altari celebrare, nec indulgentiam applicare. Probatur, inquam, quia, quantumuis ex conuentione teneatur in tali Altari celebrare, & applicare indulgentiam, non tamen per ſuperius probata poteſt duplex ſtipendium accipere, nec exigere, ergo, nec poterit illud exigere, ſi ex propria libertate celebret in tali Altari, quod enim liberè præſtat, & ex propriæ voluntatis arbitrio, alterum non obligat, nec eſt cum onere retributionis. Deindè ex ſupra probatis indulgentia Altaris priuilegiati non eſt digna diſtincta ſtipe ab ea, quæ confertur pro celebratione Miſſæ.

ARTICVLVS XVI.

An pro Miſſa cantata poſſit exigi duplex, vel ſaltem maius ſtipendium.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens, poſſe exigere duplex, vel maius ſtipendium. 1.

Sententia oppoſita negans. 2.

Sententia media aſſerens poſſe exigere duplex ſtipendium poſtea erogandum, non tamen ſatisfacere pro tribus, vel duabus Miſſis antecedentèr acceptatis. 3.

Sententia auctoris aſſerentis ratione diuturnitatis miniſterij poſſe exigi maius ſtipendium. 4.

Non tamen ſatisfieri duabus Miſſis antecedentèr receptis. 5.

Etiam ratione expenſarum pro Miſſa cantata poteſt exige maius ſtipendium. 6.

1 Sentētia aſſerens poſſe exigere duplex, vel maius ſtipendium. CIrca hanc quæſtionem video DD. inter ſe diſcrepantes *Homobonus in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæſt. 120., Fraxinellus de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 1. num. 9., Bonacina de Sacrament. Euchariſtia diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 8. num. 14.*, aſſerunt poſſe exigi duplex, vel ſaltem maius ſtipendium; atque ita fuiſſe deciſum à Congregatione Pœnitentiariæ Mediolanenſis refert *Lezana in ſumma qq. Regul. tom. 4. verb. Miſſa num. 23.* Ratio huius opinionis adducitur *à Fraxinello loc. cit.*, quia, quo magis detinetur Sacerdos in miniſterio Miſſæ, maius ſtipendium pro ſua ſuſtentatione exigere poteſt.

E contra *Diana part. 2. tract. 14. reſol. 9.*, expreſsè ſuſtinet, non poſſe, nec duplex, nec maius ſtipendium exigi; ſuumque fundamentum ponit in decretis Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum ſub Vrbano VIII., in quibus indiſtinctè dicitur ſine limitatione ad Miſſas ſolemnes tot Miſſas celebrandas eſſe, quot fuerunt impoſitæ, ſeu ad præſcriptum attributæ eleemoſinæ. 2 Sentētia negans.

Lezana dict. tom. 4. qq. Regul. verb. Miſſa nu. 23., media via procedit; aſſerit enim, quod celebraturus Miſſam ſolemnem, ſeu cantatam poſſit exigere tantum ſtipendiū, quantum correſpondeat duplici, vel triplici Miſſæ priuatæ; non poſſe tamen, ſi habeat antecedentèr onus duarum, vel trium Miſſarum celebrandarum, per vnicam Miſſam cantatam illis ſatisfacere, & per hoc conciliare arbitratur vtramque priorem ſententiam extremè oppoſitam; ità vt DD. pro prima ſententia allegati intelligendi ſunt iuxtà primum ſenſum; allegati verò pro ſecunda iuxtà ſecundum ſenſum. 3 Sentētia media exponitur.

Ego autem iuxtà aliam diſtinctionem procedendum exiſtimo; vel enim illud duplex, vel maius ſtipendium exigeretur pro ipſa Miſſa ſolemni formalitèr, & ratione eiuſdem præciſè, & ſic non poteſt, vel conſecutiuè ratione adiacentium, & concomitantium, & ſic retenta etiam diſtinctione Lezanę ſentio poſſe exigi ſtipendium maius, ac exigatur pro Miſſis priuatis habita ratione diuturnioris miniſterij, non tamen per illam Miſſam ſolemnem ſatisfieri pluribus Miſſis, pro quibus fuerunt accepta proportionata ſtipendia. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod taxa ſuſtentationis deſumenda eſt ad ratam miniſterij, quod in Altari exercetur; ſed denegari non poteſt, quin longè maius, & diuturnius ſit miniſterium, quod exercetur in celebratione Miſſę ſolemnis, ac illud, quod exercetur in Miſſis priuatis, ergo pro illa maius ſtipendium poteſt pro ſuſtentatione exigi, ac exigatur in iſtis. Neque dicas, quod hac ratione poſſet exigi maius ſtipendium in vna Miſſa priuata, ac in altera, cum in vna maius ſit miniſterium, ac in altera, puta in Miſſa, in qua Paſſio Domini recitatur, vel ſeptem Epiſtolæ; contra enim impugnaberis, quia quoad Miſſas priuatas vna eſt taxa reſpectu omnium, & maior, vel minor protractio in eiſdem non eſt in conſideratione, quod ſecus eſt in Miſſa ſolemni, ſecundum quam taxæ diuerſæ ſunt inductæ, ſic refert *Bonacina dict. diſp. 4. de Sacrament. Eucha-* 4 Sentētia auctoris aſſerentis ratione diuturnioris miniſterij exigi maius ſtipendium

chariſtiæ quaſt. vltim. punct. 8. num. 13., quod in Sinodo Mediolanenſi III. taxata ſit duplex eleemoſina pro Miſſa in die feſto, & in Congregatione Pœnitentiariæ fuerit iuxta terminos huius noſtræ opinionis deciſum, poſſe duplex ſtipendium accipi pro Miſſa ſolemni, quod idem firmauit *Suarez tertia part. diſp. 86. ſect. 2. verſ. dico tertio*. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod onus ſuſceptum celebrandi duas, vel tres Miſſas ob duplex ſtipendium receptum non adimpletur per vnius Miſſæ, quantumuis ſolemnis celebrationem, vndè in hoc videtur locum habere decretum Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII., in quo præcipitur, vt tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſinæ præſcriptæ fuerint, ergo, cum eleemoſinæ proportionatæ attributæ fuerint pro duabus, ſeu tribus Miſſis, duæ, vel tres Miſſæ erunt celebrandæ, nec tali oneri ſatisfiet per celebrationem vnius, quantumuis ſolemnis.

5 Non tamen ſatisfieri duabus Miſſis ante receptis.

6 Etiam ratione expenſarũ poteſt exigi quid maius.

Vlteriùs etiam aſſero ratione expenſarum, quæ requiruntur in Miſſa ſolemni vltra eas, quæ requiruntur in Miſſis priuatis, poſſe ad ratam ipſarum quid magis recipi. In hoc arbitror neminem diſſentiri, cum æquum non ſit, vt quis in fauorem alterius maiores ſubeat expenſas ſine emolumento, ſeu compenſatione; vndè in aliquibus Diœceſibus, & ſpecialitèr, vt refert *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 16. num. 2.*, in Cremonenſi, & Florentina taxata eſt Miſſarum eleemoſina vltra Cæræ, aliorumque requiſitorum erogationem, quod ſatis indicat expenſas in eiſdem eſſe ſecundum ſe compenſabiles.

ARTICVLVS XVII.

An fieri poſſit compenſatio damni quoad emolumentum pro Miſſis iam celebratis cum emolumento pro Miſſis de nouo impoſitis.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Sententia Peyrini aſſerens poſſe fieri huiuſmodi compenſationem. 2.
Sententia negans cum ſuis rationibus. 3.
Probabilius non poteſt fieri talis compenſatio. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.
Reſtrictio Tamburini non admittitur. 6.

Senſus tituli hic eſt. Impoſuerat quis onus, ſiue Eccleſiæ, ſiue Sacerdoti celebrandi Miſſas centum cum promiſſione iuſti ſtipendij pro eiſdem. Celebratis eiſdem Miſſis, nec debitore ſoluente promiſſum, ſeu conuentum ſtipendium, Eccleſia, ſeu Sacerdos iudicialitèr egit pro conſequendo eodem ſtipendio, in quo iudicio plures expenſas fecit, & pleraque damna litis perpeſſa, ſeu perpeſſus eſt. Contigit poſtea, vt idem noua Miſſarum onera erogato iuſto ſtipendio eidem Eccleſiæ, ſeu Sacerdoti contulerit. Hic quæritur, an eadem Eccleſia, ſeu Sacerdos poſſit compenſare damnum ſibi illatum dimminuendo in his Miſſis nouitèr impoſitis id, quod conſumpſit in ſtipendio aliarum recuperando.

1 Senſus difficultatis exponitur.

2 Sentẽtia aſſerens poſſe fieri

Peirinus in addit. Conſtitut. nouiſs. num. 27., *Lezana tom. 4. ſumma qq. Regul. verbo Miſſa num. 34.*, ſuſtinent poſſe per ipſam Eccleſiam fieri huiuſmodi compenſationem, & etiam per Sacerdotem, ſi ipſe fuerit in hoc damnificatus addita etiam ratione, quod, ſicuti ipſa Eccleſia, ſeu Sacerdos accepto ſtipendio tenetur ex iuſtitia Miſſas impoſitas celebrare, ita etiam imponens huiuſmodi Miſſas tenetur conuentas, & debitas eleemoſinas erogare; ſicuti ergo hic à ſuo debito defecit non erogando debitas eleemoſinas, propter quem defectum Eccleſia, ſeu Sacerdos paſſa, ſeu paſſus eſt detrimentum, ità, & iſta poteſt deficere à ſuo debito non celebrando, vt defectus cum defectu compenſetur; in obligationibus etenim iuſtitiæ datur compenſatio huiuſmodi.

3 Sentẽtia negans cum ſuis rationibus.

Verum non facilè alij huic opinioni acquieſcunt, non ſolum, quia priuata auctoritate non permittitur compenſatio; ſed etiam, quia in hac hypotheſi illa haberet ſpeciem cuiuſdam reductionis; dimminuerentur etenim Miſſæ ad dimminutionem ſtipendij; &, ſicuti, ſi dimminuerentur redditus aſſignati pro onere Miſſarum, non propterea poſſet Eccleſia, ſeu Sacerdos aſſignatarius onus Miſſarum ex ſe dimminuere, vt ſuprà latè probatum eſt, ità dimminuto ſtipendio Miſſarum ratione expenſarum in lite factarum non videtur poſſe ex ſe Sacerdos propria auctoritate numerum præfinitum dimminuere. Accedit, quod nouæ illæ Miſſæ impoſitæ poſſunt eſſe ordinatæ in ſuffragium animarum defunctorum, quæ ſolæ fraudarentur per illam dimminutionem; æquum autem non eſt, vt fiat compenſatio cum detrimento aliorum à creditore, & debitore. Quid iam in hoc ſentiendum?

4 Probabilius non poteſt fieri.

Probabilius arbitror, non poſſe fieri talem compenſationem per dimminutionem Miſſarum de nouo impoſitarum *Diana part. 10. tract. 16. reſol. 66.* Ratio vltra adductas in probatione ſecundæ ſententiæ ex eo deducitur, quod obligatus ad factum non admittitur ad compenſandum

cum

cum ea ſumma, quæ eidem debetur ab eo, cui obligatur ad factum ad tradita per *Oinotimum ad §. in bonæ fidei num. 29. Inſtit. de action.*, *Medices de compenſ. part. 1. q. 44. num. 1.*, *Gratianus diſcept. for. cap. 356. num. 29.*, *Crauetta conſ. 893. num. 7.*, cum obligatio facti non recipiat functionem cum alio debito circa ſolutionem *Medices loc. cit. num. 2.*; obligatio autem, quæ conſurgit ex nouæ eleemoſinæ contributione ad celebrandas Miſſas ad rationem attributæ eleemoſinæ eſt obligatio ad factum, ergo &c.

Rationes pro hac ſententia

Vlterius ſic euincitur, quod ex eo, quod Eccleſia, ſeu Sacerdos acceptauit nouas illas eleemoſinas pro celebratione tot Miſſarum nihil excipiens de damnis illatis in ſolutione ſtipendij pro Miſſis præteritis, cenſetur ſe obligaſſe ad illas ſine dimminutione celebrandas, ergo tenetur illas ſine dimminutione celebrare potiſſimum ſtante decreto Sacrę Congregationis, quod Sacerdos teneatur tot Miſſas celebrare, quot ad rationem attributæ eleemoſinæ fuerunt præſcriptæ; Antecedens probatur ex eo, quod Eccleſia, ſeu Sacerdos acceptarit eleemoſinas dimminutas, ſeu tenues attenta taxatione facta, vel per legem, vel per conſuetudinem non eximitur ab onere tot Miſſas celebrandi, quot fuerint præſcriptæ ex decreto Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII., ergo neque ex eo, quod acceptauerit nouas Miſſas, nihil excipiens de damnis illatis in ſolutione ſtipendij pro præteritis, eximetur ab onere celebrandi tot, quot de nouo fuerint præſcriptæ. Hæc conſequentia probatur, quia recipere eleemoſinas dimminutas ſine exceptione reductionis, & recipere integras cum iure dimminuendi, & ſine exceptione dimminutionis quoad effectum obligandi ad tot Miſſas, quot fuerint præſcriptæ, paria ſunt, ergo &c.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque dicas, Sacram Congregationem loqui de Miſſis debitis ex ſtipendio; in præſenti autem hypotheſi Miſſæ, quæ omittuntur ad faciendam compenſationem, non poſſunt dici debitæ ex ſtipendio, quantumuis ſolutum fuerit ipſis reſpectiuè correſpondens, nam dato iure compenſationis fictione iuris non cenſetur ſolutum pro Miſſis, ſed in compenſationem damni alias iniuſtè illati; Contra enim impugnaberis; nam inprimis, vt ſupra dicebam, obligationi ad factum non datur compenſatio. Deindè, cum illud ſtipendium perſoluentem non datum fuerit titulo compenſationis, ſed cum onere tot Miſſas proportionatas celebrandi, illa compenſatio per Sacerdotem intenta haberet vim quodamodo reductionis, quæ ab ipſo fieri non poteſt.

Poſt hæc ſcripta inuenio cum mea opinione tranſiuiſſe etiam *Tamburinum de ſacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 103.*, qui tamen ex ratione per ipſum adducta videtur reſtringere aſſertum, quando Miſſæ impoſitæ celebrandæ eſſent pro anima purgante, vel pro impetranda ſanitate alicuius, cum non ſit æquum, vt hi patiantur damnum in re tam graui ob delictum debitoris illius, etiam ſi anima, & infirmus ad eundem debitorem pertineant. Sed ego etiam arbitror extendendum eſſe, quantumuis Miſſæ eſſent celebrandæ pro ipſo debitore propter rationes ſupra adductas, non enim præiudicium ſolummodò inferretur in ſtipendio, ſed etiam in rebus ſpiritualibus. 6

Reſtrictio Tamburini non approbatur

ARTICVLVS XVIII.

An Sacerdos executor teſtamenti obligatus tot Miſſas celebrare facere pro teſtatore poſſit extra locum, in quo maior eleemoſina taxata eſt, eas procurare, vbi minor taxata eſt.

SVMMARIVM.

Tituli ſeries in caſu particulari expoſita. 1.
Sententia aſſerens poſſe executorem hoc præſtare, & illud lucrum ſibi acquirere. 2.
Contraria ſententia præfertur. 3.
Rationes pro hac ſententia negante. 4.
Soluuntur argumenta contraria. 5.
Explicatur mens Sacræ Congregationis. 6.

Hic Mediolani vnaquæque Miſſa, vel per legem, vel per conſuetudinem taxata eſt ad rationem viginti ſolidorum imperialium. Placentiæ verò, v. gr. ad rationem dumtaxat quindecim. Teſtator indefinitè executori ſuo impoſuit onus celebrari faciendi Miſſas mille in ſuffragium animæ ſuæ non determinans locum, vbi ſint celebrandæ. Executor volens ex vna parte ſatisfacere menti teſtatoris, & ex alia ſibi, ſeu vtilitati propriæ conſulere illarum celebrationem procurat Placentię erogato ſtipendio quindecim ſolidorum pro vnaquaque iuxtà conſuetudinem, ſeu legem illius Ciuitatis retentis ſibi quinque, qui cum illis quindecim conſtituerent ſummam viginti, quæ deberetur, ſi hic Mediolani illæ Miſſæ celebrarentur. Quæritur, an iuſtè hoc potuerit efficere non obſtantibus decretis Sacrę Congregationis iuſſu Vrbani VIII. editis. 1

Intellectus tituli.

Affirmatiuè reſpondet *Pellizarius in manual. tom. 1. tract. 6. cap. 3. num. 23.*, cui adhæret *Tamburinus opuſ. de ſacrific. Miſſæ*

lib. 3.

2 Sentẽtia aſſerens hoc poſſe iuſtè efficere.

lib. 3. cap. 1. §. 5. num. 16., aſſerens lucrum, quod acquirit executor, imputandum eſſe induſtriæ, ea proportionali ratione, qua electus ad vendendam rem alterius, ſi ſua ſpontè illam transferat vendendam in alium locum, vbi res ſimiles cariori pretio venduntur, vtique illum exceſſum ſupra pretium, quo venderetur in loco, vbi res erat, ſibi acquireret tanquam fructum propriæ induſtriæ. Reſpondens poſtea ad decreta Sacræ Congregationis, quibus præcipitur, vt recipiens eleemoſinam volens per alium celebrare teneatur ſine dimminutione eandem tradere Sacerdoti celebraturo, dicit; illud decretum eſſe intelligendum, quando Miſſæ committuntur Sacerdoti à ſe ipſo celebrandæ, non autem, quando committuntur alteri, qui tanquam executor teſtamenti curat, vt Miſſæ præſcriptæ in teſtamento ab alijs celebrentur.

3 Sed abſolutè non poteſt.

His tamen non obſtantibus ſentiendum eſt, non poſſe, prout etiam ſentiunt *Franciſcus de Lugo de Sacrament. lib. 5. cap. 12. quæſt. 5. num. 50.*, *Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 10. num. 10.*, *Auerſa de Sacrament. Euchariſtiæ qu. 11. ſect. 7. §. tenentur etiam*, *Diana part. 10. tract. 16. reſol. 86. verſ. ſed prorſus contrariam*. Moueor primò, quia, ſi teſtator taxaſſet eleemoſinam Miſſarum pro ipſo celebrandarum ad rationem viginti ſolidorum pro ſingula, non poſſet executor eas tranſmittere celebrandas in alio loco, & minorem contribuere taxata, quantumuis minor in eo loco ſoleat erogari, ergo neque poterit in alio loco minorem contribuere, quantumuis teſtator expreſsè eleemoſinam non taxauerit.

4 Rationes pro hac ſententia negante.

Conſequentia probatur, quia, licet non ſit expreſsè, intelligitur tamen implicitè taxata talis eleemoſina; ſupponitur enim, quod mens teſtatoris referatur, ſeu ſit relata ad legem, ſeu conſuetudinem loci, in quo condidit teſtamentum. Antecedens item probatur, quia mens teſtatoris eſt adimplenda, & vbi eſt expreſſa, executor non poteſt eandem variare, nec minuere. Moueor ſecundò, quia, ex quo executor retinere ſibi intendit illos quinque ſolidos ſupra quindecim, quos erogat Sacerdoti celebraturo Placentiæ; iam ſupponit ex mente teſtatoris deberi pro qualibet Miſſa 20. ſolidos, nam cæteroqui illi quinque non eſſet extrahendi ex cumulo hæreditatis, ſi ex illa cauſa non deberentur. Quo ſuppoſito ſic ad rem noſtram arguo. Eleemoſina ex mente teſtatoris debita non alio titulo debetur, quam in congruam Sacerdotis ſuſtentationem, adeo vt etiam ſi maior præſcripta conferatur, etiam iſta intelligatur collata in titulum ſuſtentationis; ergo, neque quoad partem poteſt in aliam cauſam erogari, quia non in aliam cauſam intelligitur à teſtatore relata. Moueor tertiò, quia eleemoſinæ pro Miſſis erogandæ non ſunt lucri cauſa exponendæ negotiationi, ità vt minus offerenti ſint decernendæ; denegari etenim non poteſt, quin quædam negotiationis ſpecies in hoc interueniret, quandoquidem executor illas in alium locum transferret, vt illud lucrum ſibi acquireret.

5 Soluũtur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo opponit Pellizarius, quandoquidem eleemoſinæ pro Miſſis celebrandis non ſunt venales, nec negotiationi ad lucrum exponendæ, ſed tales tribuendæ, quales ex mente, ſiue expreſſa, ſiue tacita, & præſumpta fuerunt præſcriptæ; nam ex hoc etiam maior vtilitas reſultat teſtatori ex quantitate ſcilicet eleemoſinæ; nec valet paritas de vendente rem alienam, eamque transferente in alium locum, vbi maius exigitur pretium in venditione rerum ſimilium; Non valet, inquam, quia res illa venalis ſupponitur, & commiſſa venditioni à Domino per tertiam perſonam faciendæ pro pretio eo temporis currente in tali loco; quod, ſi deindè illa tertia perſona rem illam alio transferat, & indè maius pretium acquirat, illud, ſeu exceſſum illius ſibi acquirere cenſenda eſt etiam ex præſumpta voluntate Domini, qui contentus ſupponitur pretio currenti in loco; vndè ille exceſſus dici poteſt fructus induſtriæ; hoc autem non verificatur in eleemoſinis, vel à lege, vel à conſuetudine taxatis pro Miſſis celebrandis, quæ, cum venales non ſint, ſunt erogandæ iuxtà mentem, vel expreſſam, vel tacitam teſtatoris, nec minuendæ ex induſtria executoris, potiſſimum cum maior quantitas conferat ad maiorem vtilitatem teſtatoris.

6 Explicatur mens Sacræ Congregationis.

Ad illud, quod ſubditur de decreto Sacræ Congregationis, quod referatur ad Sacerdotem, cui commiſſum eſt onus celebrandi Miſſas, non autem ad executorem teſtamentarium, dicendum eſt intentum Sacræ Congregationis in eo decreto fuiſſe, ne quis non celebrando per ſe ipſum Miſſas, ſed ſupplendo per alium locupletetur, ſeu lucrum ex illis acquirat, & celebrans minorem acquirat eleemoſinam, ac fuerit aſſignata; hoc autem vtrumque verificatur etiam in ordine ad executorem teſtamentarium. Deindè ex eo, quod ſupponatur, quod ille, cui commiſſæ ſunt Miſſæ celebrandæ, poſſit illis per alium ſatisfacere, perindè eſt, ac ſi eſſet conſtitutus commiſſarius ad illas celebrandas, vel celebrari faciendas nomine committentis; ſicuti igitur iſte ex decreto Sacræ Congregationis non poteſt accepta pinguiori eleemoſina celebrare facere pro minori, ita

nec

nec executor, qui etiam computatur pro commiſſario, poterit retenta parte eleemoſinæ celebrare facere pro minori. Tandem, ſicuti, ſi per teſtatorem relinquatur alicui Eccleſiæ, ſeu adminiſtratoribus eiuſdem onus, celebrare faciendi tot Miſſas aſſignato determinato ſtipendio, non poſſunt iſti, quantumuis ipſis non ſint datæ eleemoſinæ, vt per ſe celebrent, retenta parte eleemoſinæ reliquum tribuere Sacerdotibus celebraturis, cum hoc directè obſtet menti Sacræ Congregationis, quæ vult, quod, nec etiam per Rectores, ſeu adminiſtratores Eccleſiarum poſſit minor eleemoſina, ac fuerit data, erogari Sacerdotibus, ita ſi per teſtatorem relinquatur onus celebrari faciendi certum Miſſarum numerum executori per ipſum electo non poterit hic retenta ſibi parte eleemoſinæ erogare minorem ab aſſignata Sacerdotibus celebraturis, quandoquidem in vtroque caſu ceſſat ratio à Pellizario aſſignata, quod, ſcilicet decretum Sacræ Congregationis intelligatur ſolum quando eleemoſina tribuitur Sacerdoti, vt per ſe ipſum celebret.

ARTICVLVS XIX.

An, quamuis executor non poſſit retenta ſibi parte eleemoſinæ celebrare facere alibi pro minori, poſſit tamen alibi celebrare facere pro minori, non extrahendo ab hæreditate, niſi illud minus, quod erogat.

SVMMARIVM.

Caſus ſecundum alios terminos expoſitus. 1.
Non omnes rationes præcedentis tituli militant pro iſto. 2.
Militat tamen ratio taxationis implicitæ, & quomodo. 3.
Probabilius etiam in hoc caſu non poteſt. 4.
Ex maiori eleemoſina reſultat maior vtilitas. 5.
Donatarius inter viuos, cui adiectum eſt onus celebrari faciendi mille Miſſas, poteſt alibi celebrare facere, vbi minus ſtipendium ſoluitur. 6.

1 SVppono, quod teſtator in ſuo vltimo teſtamento diſpoſuerit, vt in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum celebrentur mille Miſſę non taxato determinato ſtipendio, nec præſcripto loco, in quo celebrari debeant, & in executionem huius ſuæ diſpoſitionis elegerit Titium Sacerdotem, quem propterea executorem ſuæ mentis nominauit. Hic ex vna parte volens mentem exequi teſtatoris in adæquata celebratione Miſſarum diſpoſitarum, & ex alia fauere hæredi, Miſſas alibi celebrandas tranſmittit, vbi ex lege, vel conſuetudine minor eleemoſina præſcripta eſt, ac ſit in loco, vbi conditum eſt teſtamentum, nihil tamen ſibi acquiſiuit, cum tantum ſolummodò acceperit ab hærede, quantum erogauit. Modo quæritur, an iuſtè potuerit illas Miſſas illuc tranſmittere, & pro illis illud minus ſtipendium erogare.

Series facti exponitur.

2 Certum videtur primò, quod non videntur in hoc caſu militare illæ rationes, quod illæ eleemoſinæ conſtituantur venales, & quodamodo exponantur negotiationi, nec, quod ex illis executor acquirat aliquod lucrum indebitum, quæ militant pro caſu in præcedenti articulo expoſito. Militat tamen alia ratio pro hoc caſu, quæ militabat pro præcedenti, quæ eſt maior vtilitas, quæ reſultare videtur teſtatori ex maiori quantitate eleemoſinæ.

Non omnes rationes præcedentis tituli militant pro iſto.

3 Quamuis autem prædictæ rationes non militent pro caſu præſenti, videtur alia militare, quæ pro præcedenti fuit allegata, nempè, quod, quamuis eleemoſina non fuerit expreſsè per teſtatorem taxata, intelligatur implicitè per eundem determinata, quatenus præſumitur in tali diſpoſitione ſe conformare voluiſſe quoad talem taxationem diſpoſitioni iuris, vel conſuetudinis vrgenti in tali loco. Sicuti igitur in pręcedenti articulo dictum fuit, quod ratione talis implicitæ taxationis non poſſit executor retenta parte pro ſe eleemoſinæ minorem tradere Sacerdotibus in alio loco celebraturis, vbi minor eſt taxata, ita videtur dicendum in præſenti, quod ratione eiuſdem implicitæ taxationis non poſſit minorem eiſdem Sacerdotibus alibi celebraturis reſeruata parte hæredibus teſtatoris erogare. Quid ergo in hac hypotheſi concludendum?

Militant tamen ratio taxationis implicitæ

4 Aſſertio. Probabilius eſt etiam in hac hypotheſi non poſſe; nec in hoc arbitror diſſentiri *Franciſcum Lugum*, *Fagundez*, *Auerſam*, *Dianam* in præcedenti articulo allegatos; quinimmò *Diana loc. cit.*, aſſerit ſe audiuiſſe à viro fide digniſſimo contrariam ſententiam fuiſſe damnatam à Sacra Congregatione indicis in manuali Pellizarij.

Probabilius non poteſt.

5 Ratio deducitur primò ex eo, quod fuit attactum in præcedenti, quod teſtator in illa diſpoſitione præſumatur intra limites iuſti ſtipendij in loco conditi teſtamenti taxati velle, ſeu voluiſſe, quod ſibi magis proficuum eſt; magis autem proficuum eſt ipſi teſtatori, quod erogetur pro Miſſis ab ipſo ordinatis eleemoſina taxata, quam minor illa, ſiquidem maiorem fructum percipiet ex maiori quantitate eleemoſinæ,

Ex maiori eleemoſina reſultat maior vtilitas.

vt

vt aduertit *Franciſcus Lugo de Sacrament. lib. 5. cap. 12. quæſt. 5. num. 50.*

Secundò ex alia ratione ſuperius adducta ex illa tacita taxatione per conformitatem ad legem loci, vel conſuetudinem taxantem; ſi etenim quando eleemoſina expreſsè taxata eſt per teſtatorem non poteſt minui, nec videtur poſſe minui, quando implicitè taxata eſt. Nec obſtant, quod in hoc caſu non militent aliæ rationes, quæ pro dictis in præcedenti articulo adductæ ſunt, quandoquidem dato etiam, quod omnes in hoc caſu non militent, ſufficit, quod militent mox allegatæ; nam aliæ vim habebant ſecundum circunſtantias illius caſus tunc expoſiti, quibus in hoc ceſſantibus parum refert, quod vim non habeant. Deindè, nec poteſt dici ſimplicitèr, quod non militent, cum quodamodo negotiationi exponantur, ſi non in fauorem eiuſdem executoris teſtamentarij, ſaltem in fauorem hæredis.

Sed quid eſſet dicendum, ſi quis ſua bona alteri donauerit donatione inter viuos irreuocabili, ea adiecta conditione, vt donatarius mortuo donante teneretur in ſuffragium eiuſdem Miſſas mille celebrare facere, numquid poſſet donatarius, non habito reſpectu ad taxam, quæ viget in tali loco, tranſmittere alio minori pretio celebrandas? Videtur abſolutè negandum propter eaſdem rationes, quia donans intelligitur donare obligando ad illas Miſſas, vt ſibi ſint, quantum fieri poteſt, proficuæ, &, vt ſatisfiant ad ratam taxæ in illo loco vrgentis. Nihilominus in hoc ſpeciali caſu, in quo abſolutè translatum eſt dominium in donatarium, nec eſt facta ſpecialis aſſignatio bonorum pro Miſſis celebrandis, & ipſa donatio, vtpotè onerosa habet quandam vim contractus, non abſolutè damnarem donatarium, ſi ſibi quodamodo conſulens in alium locum tranſmitteret Miſſas celebrandas, vbi minor eleemoſina taxata eſt, & pro eadem minori oneri ſatisfaceret. Ratio eſt, quia in hac hypotheſi illa donatio, vtpotè onerosa videtur quodamodo habere rationem contractus, in quo refunditur obligatio in donatarium, qui propterea, cum ſit Dominus, nec obligetur potius ad celebrare faciendum in vno loco, quam in alio, poteſt ſibi quodamodo conſulens ſtatuere locum celebrationis, & iuxtà conſuetudinem eiuſdem ſtipendium taxare ea proportionali ratione, qua Dominus poteſt decernere locum celebrationis, & ſtatuere eleemoſinam iuxtà ſtilum eiuſdem; Nec obeſt, ſi dicatur, quod donans obligans donatarium ad illum Miſſarum numerum intenderit id, quod ſibi magis proficuum eſt, adeoque, quod contribuatur per illum maior eleemoſina, cum ex maiori quantitate eiuſdem ſibi maior vtilitas proueniat; Non obeſt, inquam, quia cum donationem fecerit contractu quodamodo oneroſo, in quo partes ſibi, ſeu vtilitati propriæ magis proſpiciunt, quam alteri, debet donans ſibi imputare, quod non expreſſerit quantitatem ſtipendij, nec locum celebrationis deſignarit, cum præuidere potuerit, quod donatarius factus Dominus rerum donatarum poſſet de minori quantitate in alio loco diſponere.

6 Donatarius inter viuos, cui impoſitū eſt onus celebrari faciendi Miſſas mille poteſt alibi celebrare facere pro minori ſtipendio.

ARTICVLVS XX.

An ſaltem executor poſſit cum dimminutione eleemoſinæ in alio loco celebrare facere, vt conſulat teſtatori de maiori Miſſarum numero.

SVMMARIVM.

Senſus tituli exponitur. 1.
Probabilius executor hoc poteſt iuſtè efficere. 2.
Non læditur per hoc ius naturale. 3.
Non eſt præſumendum, quod teſtator ſit inuitus ad id, quod ſibi magis proficuum eſt. 4.
Nec hoc aduerſatur diſpoſitioni Sacræ Congregationis. 5.

SVppono etiam quoad hunc titulum, quod teſtator diſpoſuerit, vt in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum mille Miſſæ celebrarentur, & in executionem huius ſuæ vltimæ voluntatis elegerit Titium Sacerdotem, nec locum celebrationis deſignauerit, nec expreſsè earundem ſtipendium, ſed præſumptiuè ſe conformauerit legi, ſeu conſuetudini loci conditi teſtamenti. Executor electus volens conſulere maiori vtilitati teſtatoris ſtatuit Miſſas præſcriptas ad alium locum tranſmittere celebrandas, in quo minor eleemoſina taxata eſt, non, vt ſibi, nec hæredi proſpiciat, ſed, vt de maiori Miſſarum numero conſulat maiori teſtatoris ſuffragio. Quæritur iam, an hoc poſſit iuſtè, & licitè præſtare. 1 Titulus exponitur in caſu particulari.

Aſſertio. Probabilius eſt, hoc iuſtè, & licitè poſſe efficere.

Ratio eſt, quia hoc non repugnat, nec iuri naturali, nec præſumptæ menti teſtatoris, nec decretis Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII.; non iuri naturali, quia hoc tantum exigit, vt qui Altari ſeruit, de Altari viuere debeat non abſolutè, ſed iuxtà normam ſeruitij, quod præſtat, & ſecundum taxam quantitatiuam loci, in quo præſtat; in loco autem, in quo 2 Probabilius executor hoc poteſt efficere.

Miſſæ

Miſſæ illæ celebrantur, taxa quantitatiua eſt ad tot, quæ de facto erogantur, non ad plura; Non præſumptæ menti teſtatoris, quia hæc præſumi debet relata ad ea, quæ ſibi magis proficua ſunt; denegari autem non poteſt, quin eidem magis proficua ſint plura ſacrificia, quam pauciora; Non tandem decretis Sacræ Congregationis, quia huiuſmodi decreta ſolum ſtatuunt, quod tot Miſſæ celebrentur, quot ad ratam attributæ eleemoſinæ percipiuntur, quinimmò, etiam ſi eleemoſinæ fuerint tenues, & minores à lege, & conſuetudine taxatis obligant ad tot Miſſas, quot fuerint præſcriptę; in loco autem, in quo celebrantur, præſcribuntur illę plures Miſſę, & quidem ad ratam eleemoſinæ in tali loco taxatę.

3 Dices primò contra primam partem probationis. Ius naturale exigit, vt ſeruetur æqualitas inter datum, & factum, quæ ſeruatur in loco, in quo facta eſt diſpoſitio, ſed in tali loco æqualitas eſt inter maius ſtipendium, & Miſſam celebrandam, ergo ius naturale exigit, vt erogetur tale maius ſtipendium. Sed contra; illa æqualitas non ſtat in indiuiſibili, ſed patitur magis, & minus iuxta voluntatem contribuentium, & recipientium nedum in diuerſis locis, ſed etiam in eodem, potiſſimum quando taxata nòn eſt per teſtatorem expreſsè. Cum igitur in præſenti caſu nec ſit locus, nec ſtipendium per teſtatorem taxatus, ſeu taxatum, & indè reſultet maior vtilitas eiuſdem teſtatoris per celebrationem ſcilicet in alio loco, in quo ſeruatur æqualitas, non eſt, cur non ſaluetur ius naturale, cum hoc non lædatur, nec reſpectu teſtatoris, qui maiorem conſequitur vtilitatem, nec reſpectu celebrantium, cum iſti acquirant congruam, & taxatam mercedem, nec reſpectu executoris, qui nec damnum, nec commodum indè recipit.

Non lædit ur per hoc ius naturale.

Dices ſecundò contra ſecundam partem eiuſdem probationis. Præſumpta mens teſtatoris eſt, vt Miſſæ celebrentur in loco proprij domicilij, & conditi teſtamenti, ergo eleemoſina eroganda eſt iuxtà taxam talis loci. Conſequentia probatur, quia quando eleemoſina expreſsè taxata non eſt per teſtatorem, intelligitur ex 4 mente eiuſdem taxata ad normam legis, ſeu conſuetudinis loci. Antecedens probatur, quia non eſt præſumendum, quod potius voluerit locum exterum, quam illum proprij domicilij. Sed contra, quia licet cæteras paribus intelligatur potius voluiſſe locum propriæ habitationis, quam alienum; attamen quando in alieno eidem reſultat maior vtilitas, præſumi debet, quod potius voluerit alienum, cum vnuſquiſque pręſumatur velle maximè in iis, quæ pertinent ad ſalutem animæ, quod ſibi magis proficuum eſt; &, ſi eidem diceretur, an velit centum Miſſas in alio loco, an verò ſeptuaginta quinque in illo propriæ habitationis, non videtur hæſitandum, quin eligeret centum in alio loco.

Præſumi debet, quod teſtator nõ ſit inuitus ad maius ſibi proficuum.

Dices tertiò contra tertiam partem probationis. Sacra Congregatio expreſsè præcipit, ne quis retineat partem eleemoſinæ aſſignatæ, ſed tota erogetur celebranti, nec curat, an illa pars retineatur in fauorem executoris, an verò ad alium finem etiam proficuum teſtatori, ergo, cum in loco conditi teſtamenti intelligatur aſſignata, ſeu taxata maior eleemoſina, illa ex mente eiuſdem Sacræ Congregationis erit eroganda, nec poterit dimminui etiam ad effectum, vt plures Miſſæ celebrentur. Sed contra; Sacra Congregatio in illo decreto ſolum intendit euertere turpe lucrum Sacerdotum, qui acceptis pinguioribus ſtipendijs per alios celebrant erogatis minoribus; non vetat tamen, quominus, quando expreſsè eleemoſina taxata non eſt, quin poſſit conueniri de minori, ſi maior non cedat in lucrum executoris, ſed in maiorem vtilitatem teſtatoris; in hoc etenim non poteſt conſiderari turpe lucrum. 5

Sacra Cõgregatio ſolum intendit euertere turpe lucrum Sacerdotum

ARTICVLVS XXI.

An Sacerdos recipiens exiguum ſtipendium pro Miſſa celebranda teneatur totum fructum applicare offerenti tale ſtipendium.

SVMMARIVM.

Sententia Tamburini aſſerentis non teneri applicare totum fructum. 1.
Tenetur applicare totum fructum. 2.
Planum decretum Sacræ Congregationis. 3.
Reijcitur explicatio Tamburini. 4.
Non fit iniuria Sacerdoti, & quare. 5.
Non currit paritas de famulo conducto minori ſtipendio. 6.
Petens Miſſam intelligitur velle quidquid poteſt ex illa conſequi. 7.

TAmburinus *opuſc. de ſacrif. Miſſa lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 53.*, ſentit, non teneri totum fructum applicare, ſed ad ratam datæ eleemoſinæ; vndè explicans Sacræ Congregationis decretum dicit, intelligendum eſſe, vt tot Miſſæ celebrentur quot ad rationem attributæ eleemoſinæ, quantumuis incongruæ, præſcriptæ ſunt, non quatenus totus earum fructus applicari debeat pro offerentibus tales incongruas eleemoſinas, ſed quatenus celebra- 1

Sententia aſſerens nõ teneri ad totum fructum.

tis omnibus præſcriptis earum fructus ad ratam prædictarum eleemoſinarum ſit applicandus. His tamen non obſtantibus ſit

2 Tenetur applicare totum fructum.

Aſſertio. Sacerdos recipiens huiuſmodi exiguum ſtipendium tenetur totum fructum pro collatore eiuſdem applicare, &, ſi plura exigua ſtipendia recipiat pro pluribus Miſſis, tenetur tot celebrare, quot acceptauit cum applicatione totius fructus omnium *Trullench. de Sacrament. lib. 3. cap. 8. dub. 11. num. 8.*, *Baſſæus in Flor. Theol. verb. Miſſa 3. num. 10.*, *Franciſcus Lugo de Sacrament. lib. 5. cap. 12. quæſt. 5. nu. 44., & ſeqq.*, *Diana part. 10. tract. 16., & Vl. Miſcel. reſol. 71.*, vbi pro ſe citat *Cardinalem de Lugo, Auerſam, & alios*.

3 Planum decretum quoad hoc ſacræ Congregationis.

Expreſsè deducitur ex decreto eiuſdem Sacræ Congregationis. Ibi. *Vbi pro pluribus Miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumuis incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur in futurum &c. Sacra Congregatio ſub obteſtatione Diuini iudicij mandat, & præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſinæ præſcriptæ fuerint, ita vt alioqui hi, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò grauitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur*, &, licet hoc decretum videatur ſolummodò directum ad Eccleſias, communitates &c., nihilominus refertur etiam ad priuatos Sacerdotes. Ibi. *Sacerdotibus &c.*

4 Reijcitur expoſitio Tamburini.

Nec obſtare videntur, quæ aſſerit *Tamburinus loc. cit.*, quandoquidem, qui petit tot Miſſas, intelligitur velle quidquid ex ſingulis poteſt conſequi, adeoque totum fructum ſingularum, & recipiens exigua illa ſtipendia pro tot Miſſis, ſeque obligans ad illas celebrandas fraudaret mentem offerentium, ſi partem dumtaxat fructus eiſdem applicaret; nec alitèr ſentire videtur eadem Sacra Congregatio in prędicto decreto, quę, dum pręcipit, vt *abſolutè* tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributę eleemoſinæ pręſcriptæ fuerint, vult, vt abſolutè eædem applicentur, hoc eſt ſecundum totum fructum offerentibus talia ſtipendia, quantumuis exigua; vndè etiam cohærentèr ad hoc decretum aſſerit *Diana part. 2. tract. 14. reſol. 7., & part. 5. tract. 13. reſol. 52.*, quod non poſſit Sacerdos vnica Miſſa ſatisfacere pro pluribus ſtipendijs paruis, quidquid ex aduerſo dixerit *Suarez tertia part. diſp. 86. ſect. 4.*

Nec item obſtare poteſt, ſi dicatur, quod, qui offert illud exiguum ſtipendium, ſi peteret totum Sacerdotis obſequium, rem iniuſtam peteręt, & faceret Sacerdoti iniuriam, nec excuſandus eſſet ex eo, quod ille Sacerdos ex illo paruò ſtipendio ſe obligaret, quia non ſe obligaret liberè, ſed quaſi neceſſitate compulſus, cum aliud ſtipendium non haberet. Non, inquam, obſtare poteſt, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria; nec admittenda videtur excuſatio, quod liberè non conſenſerit, quandoquidem, cum taxa præſcripta, vel à lege, vel conſuetudine loci non ſit coarctata, adeo vt tam dans, quam recipiens non poſſint de minori conuenire, ſi voluiſſet minori illi ſtipendio acquieſcere, debuiſſet illud reicere; vndè *Franciſcus de Lugo de Sacrament. lib. 5. cap. 12. quæſt. 5. num. 44. 46., & 57.* ſic argumentatur. Vel Sacerdos reperit maius ſtipendium oblato, vel non reperit; ſi primum, iam ceſſat ille neceſſitas, vndè debet minus reicere; Si ſecundum, non debet conqueri de iniuſtitia ſtipendij minoris, cum ob raritatem offerentium ſtipendia, & copiam Sacerdotum quærentium ſtipendium decreuerit.

5 Non fit iniuria Sacerdoti, & quare.

Neque vrgeas. Famulus conductus mercede minori iuſta poteſt damnum ſuum reſarcire nihilo releuante, quod in illam conſenſerit, cum hoc liberè non præſtiterit, ſed neceſſitate compellente, cum alium non haberet, qui ipſum conduceret, ergo etiam Sacerdos &c. Contra enim impugnaberis, quia in primis aſſumptum non eſt ità certum, vt ſupponitur, quinimmò damnatum videtur per Innocentium XI., qui in Congregatione Sanctæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita die 2. Martij 1679. reprobauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 37., qua dicebatur: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt*. Deindè dato etiam, nunquam tamen conceſſo aſſumpto non currit paritas, quandoquidem ſtipendium, quod datur famulis eſt merces operum, quod debet eſſe ad æqualitatem eorundem operum; ſtipendium verò, quod datur Sacerdoti ob Miſſarum celebrationem, non eſt pretium earundem Miſſarum, ſed in ſuſtentationem eiuſdem Sacerdotis non præciſè comparatiuè ad laborem, qui, cum modicus ſit, non exigit ſecundum ſe mercedem taxatam; hæc autem ſuſtentatio non exigit haberi præciſè per celebrationem Miſſę, cum haberi poſſit per alia opera honeſta, adeoque non exigit æqualitatem cum ſtipendio taxato ex genere ſuo; cui propterea Sacerdos cedendo non poteſt habere regreſſum ad illud, cum non ſit debitum, nec ratione laboris, cum hic ſecundum ſe non exigat tantum ſtipendium, ſed ſolummodò ratione taxæ factę à lege,

6 Non currit paritas de famulo conducto minori pretio.

à lege, vel conſuetudine in ordine ad ſuſtentationem eiuſdem Sacerdotis, qui poteſt eidem cedere.

7 Probatur ſecundò ratione aſſertio: Petens Miſſam erogato ſtipendio non intelligitur velle limitatè Miſſam quoad fructum eiuſdem, ſed quidquid poteſt conſequi ex eadem Miſſa, ſicuti petens Miſſam intelligitur velle, & quoad fructum ſatisfactorium, & quoad propitiatorium, & impetratorium, & Sacerdos acceptans tale ſtipendium intelligitur acceptare ſecundum communem vſum, quo Miſſa exigitur, niſi aliud in acceptatione exprimat, ergo tenetur applicare ſecundum modum, quo communitèr Miſſa exigi ſolet ab erogante ſtipendium, adeoque ſecundum omnem fructum non obſtante exiguitate ſtipendij erogati; nam ſi noluiſſet ſe obligare ad id, quod venit ſecundum communem acceptionem adæquatè nomine Miſſæ, debuiſſet exprimere; vndè, ex quo acceptauit ſine exceptione, intelligitur ſimplicitèr acceptaſſe.

Petens Miſſam petit totũ, quod poteſt conſequi.

ARTICVLVS XXII.

An in aliquibus caſibus liceat Sacerdoti non applicare totum fructum Miſſæ pro offerentibus ſtipendia incongrua.

SVMMARIVM.

Caſus, in quibus Diana arbitratur, poſſe Sacerdotem dimmidiatum fructum applicare, vel Miſſas dimminuere. 1.

Diana potius loquitur de dimminutione Miſſarum, quam de dimminutione fructus retento Miſſarum numero. 2.

Si Sacerdos ſolummodò indicauerit taxam, non tamen fructum ad eandem reſtrixerit, non poteſt eundem fructum dimminuere. 3.

Secus, ſi indicauerit, & ſimul reſtrixerit. 4.

In hoc caſu videtur poſſe numerus Miſſarum dimminui. 5.

Conferentibus ſimul pluribus ſtipendia incongrua pro tot Miſſis, quæ ſimul ſumpta conſtituunt iuſtam taxam pro Miſſis petitis poteſt Sacerdos illis applicare ſingulis partialitèr. 6.

Procedit ex ſuppoſitione, quod Miſſa ſit finitæ virtutis. 7.

Talis applicatio partialis nulli iuri obſiſtit. 8.

Cur potius ſint omnibus applicandæ partialitèr, quam diuiſim totalitèr ad ratam ſtipendij ab vno quoque erogati. 9.

Sacerdos rogatus celebrare decem Miſſas accepto ſtipendio in carta inuoluto correſpondente ſolum quinque, quid agere debeat. 10.

Monito eo, qui dedit illud ſtipendium, poteſt numerum Miſſarum dimminuere. 11.

Non monito tenetur Miſſas præſcriptas celebrare. 12.

Ratio, ob quam tenetur monere. 13.

Tres caſus ennumerat *Diana part.* 10. *tract.* 16., *& VI. Miſcel. reſol.* 71., in quibus aſſerit licitum eſſe non applicare totum fructum offerentibus ſtipendia incongrua. Primus eſt, quando Sacerdos dantibus huiuſmodi ſtipendia incongrua, ſignificat, vel illum monet de taxa iuſtæ mercedis, & ſic eiſdem non obſiſtentibus ad rationem talis taxæ Miſſas applicat. Secundus eſt, quando plures ſimul tribuunt ſtipendia ſinguli incongrua, quæ ſimul ſumpta conſtituunt congruam; tunc etenim poteſt Sacerdos fructum ſingularum Miſſarum pro ſingulis dimminutum applicare, ità tamen, vt omnes omnibus correſpondeat. Tertius eſt, quando Sacerdos rogatus celebrare decem Miſſas recipit inuolutam carta pecuniam putans eſſe iuſtum ſtipendium, &, poſtea reperit eſſe dimmidiatum; tunc enim idem Diana aſſerit, poſſe Sacerdotem minuere numerum Miſſarum ad ratam attributæ eleemoſinæ, vel fortè etiam fructum earundem Miſſarum, ſi omnes decem celebrentur; atque pro his omnibus caſibus allegat *Franciſcum Lugum de Sacramentis lib.* 5. *cap.* 12. *qu.* 5. *num.* 51., & arbitratur non comprehendi ſub decretis Sacræ Congregationis iuſſu Vrbani VIII. editis. 1

1 Caſus controuertibiles

Sed aduertendum hic eſt, quod *Diana, & Franciſcus Lugus*, procedunt de dimminutione numeri Miſſarum eas reducendo ad rationem taxæ, non de dimminutione fructus earundem, quod vix percipio, quomodo poſſit contingere ſtantibus decretis eiuſdem Sacræ Congregationis, quę vult, vt tot Miſſæ celebrentur, quot fuerint pręſcriptæ ad rationem attributę eleemoſinæ, licet hęc fuerit incongrua. Quamobrem nos difficultatem præciſè quoad hos caſus reducimus ad dimminutionem fructus earundem Miſſarum, ſuppoſito, quod numerus Miſſarum præſcriptarum celebretur, prò qua ſit 2

2 Diana potius loquitur de dimminutione Miſſarũ.

Aſſertio I. Si Sacerdos pręciſè taxam Miſſarum indicauerit offerenti ſtipendium minus taxato, nec ad normam illius fructum Miſſarum reſtrixerit, non poteſt fructum dimmidiare, benè tamen, ſi taxam earundem indicarit, & reſtrixerit. Quamuis expreſsè *Diana, & Franciſcus Lugus* videantur ſolum conuenire quoad ſecundam partem huius aſſertionis, arbitror tamen non diſſentire a prima in his terminis concepta. 3

3 Si Sacerdos ſolũ indicauerit taxam non poteſt dimminuere fructum.

Ratio primę partis ex eo deducitur, quod indicare pręcisè, quod lege, vel conſuetudine ſtatutum eſt, & acceptare, quod minus erogatum eſt ſine vlla exceptione, & proteſtatione, non eſt obligare ad id, quod eadem lege, & conſuetudine taxatum eſt, ſed ſolum indicare, quod poteſt exigere; illa etenim expreſſio poteſt ſolum eſſe ſignificatio liberalis animi, & officioſi, & ex eo, quod non obſtante illa manifeſtatione acceptet onus iniunctum ſine vlla exceptione, perinde ſe habet, ac ſi diceret *Merces iuſta eſt illa, quæ taxata eſt, nihilominus accepto, quod confertur*, nam, ſi nollet illud onus iuxtà modum, quo confertur, deberet exprimere, nam tunc offerens illud ſtipendium incongruum, vel acquieuiſſet, & ceſſiſſet petitioni, vel non acquieuiſſet; & reuocaſſet illud ſtipendium.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur,
4 quod ille, qui obtulit illa ſtipendia incongrua facta illa reſtrictione per Sacerdotem, & non reuocato illo ſtipendio, intelligitur acquieuiſſe illi reſtrictioni, ergo tunc Sacerdos ex conſenſu implicito eiuſdem offerentis illa ſtipendia poterit, vel numerum Miſſarum ad ratam taxæ dimminuere, vel fructum dimmidiatum ad ratam ſtipendij ſolummodò applicare; nam tunc iniuriam eidem offerenti non conferret, nam ſcienti, & conſentienti non fit iniuria.

Secus, ſi indicauerit, & ſimul reſtrixerit.

Sed, an in eo caſu, quo offerens illa ſtipendia acquieuerit illi reſtrictioni factæ per Sacerdotem ſit potius dimminuendus numerus Miſſarum, an verò ſeruato eodem numero fructus ſingularum ad ratam eleemoſinæ erogatæ dimminuendus? Ex eo, quod in decretis Sacræ Congregationis dicatur, quod, quando ſtipendia, quantumuis incongrua, fuerint erogata pro Miſſis, tot Miſſæ ſint celebrandæ, quot ad rationem attributæ eleemoſinæ fuerunt præſcriptæ; videtur dicendum, quod non numerus Miſſarum, ſed fructus earundem retento numero ſit dimminuendus; iuxtà quem ſenſum videtur procedere
5 *Tamburinus opuſc. de ſacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 53.*, qui in hoc, & ſimili caſu vult fructum poſſe dimminui. Nihilominus arbitrarer, in hac hypotheſi poſſe Sacerdotem numerum Miſſarum ad ratam taxæ dimminuere; nec in hoc poſſe habere locum decretum Sacræ Congregationis; nam tunc non poſſunt dici præſcriptæ tot Miſſæ, quot ſunt illa incongrua ſtipendia, cum ab illo numero offerens illa receſſerit, & acquieuerit taxæ per legem, vel conſuetudinem inductæ, quinimmò ex eo, quod ſe ad taxam conformauerit, videtur numero correſpondenti eidem taxę acquieuiſſe.

In hoc caſu videtur numerus Miſſarũ poſſe minui.

Aſſertio II. Conferentibus pluribus ſimul plura ſtipendia incongrua, quæ ſimul ſumpta conſtituunt iuſtam taxam pro Miſ- 6
ſis præſcriptis ab eiſdem poteſt Sacerdos illas Miſſas præſcriptas applicare ſingulis partialitèr ad ratam eleemoſinæ ab vnoquoque illorum attributæ. Hoc contingeret in caſu, quo quatuor ſimul conferrent quadraginta libras imperiales, hoc eſt vnuſquiſque ex illis decem, quæ ſimul ſumptę conſtituunt quadraginta cum onere celebrandi quadraginta Miſſas, tunc etenim Sacerdos recipiens illas libras quadraginta poſſet illas Miſſas celebrando, ad ratam eleemoſinæ ab vnoquoque erogatæ partialitèr ſingulis quoad fructum applicare. Conſentiunt in hoc *Diana part. 10. tract. 16., & 6. Miſcel. reſol. 71., Coninchus quæſt. 83. num. 194.*

Quandonam pluribus poſſet applicare partialiter;

Procedit in ſuppoſitione, quod fructus 7
Miſſæ ſit finitæ virtutis, & diuiſibilis, ſi etenim eſſet in actu ſecundo in valore infinitus, eſſet adęquatè applicabilis omnibus; quod enim infinitum eſt non minuitur in ſingulis ex eo, quod diſtribuatur in plures, vnde plerique ſtatuunt, quod ſine læſione alicuius poſſit idem ſacrificium applicari vni ex iuſtitia ratione accepti ſtipendij, & alijs ex charitate; quod, ſi pluribus ex iuſtitia non poſſit applicari, hoc non eſt, ex defectu virtutis eiuſdem, ſed ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici, quod vetat accipi plura ſtipendia ob idem ſacrificium ad vitandam auaritiam in Sacerdotibus, & turpe lucrum.

Procedit ex ſuppoſitione, quod Miſſa ſit finitæ virtutis.

Probatur iam aſſertio, quia talis appli- 8
catio partialis fructus ſingulis offerentibus incongrua ſtipendia, nec aduerſatur naturæ eiuſdem ſacrificij, nec menti offerentium, nec decretis Sacrę Congregationis. Non naturæ ſacrificij, quia eius virtus ſupponitur in actu ſecundo finita, & ſecundum ſe diuiſibilis; Non menti offerentium, quia, cum non conferant ſinguli adæquata ſtipendia pro ſingulis Miſſis, ſed promiſcuè inadæquata ad conſtituendam ſimul adæquatam mercedem pro omnibus Miſſis præſcriptis, nequeunt ſinguli iuſtè prætendere adæquatum fructum, ſed ſolummodò ad ratam attributæ eleemoſinæ; nec fit eiſdem iniuria per ſolam partialem applicationem; Non decretis Sacræ Congregationis, quæ ſolum intendit, quod tot Miſſæ celebrentur, quot fuerint præſcriptæ per conferentes eleemoſinam; quadraginta autem ſolummodò fuerunt præſcriptæ, & quadraginta celebratæ. Deindè Sacra Congregatio ſolum intendit per illud decretum auertere damnum conferentium eleemoſinas; quod nequit in hoc caſu contingere; cum omnes conſentiant, vt ſolummodò quadraginta Miſſæ celebrentur.

Nulli iuri obſtat.

Neque

9 Cur potius ſint omnibus applicandæ partialitèr.

Neque dicas, quod in hac hypotheſi eſſent quidem ſolummodò quadraginta Miſſæ celebrandæ, ſed cum ſinguli contribuerint ſolummodò ſtipendia correſpondentia decem Miſſis, decem ſolummodò pro vno eſſent applicandæ, & decem pro alio, & ſic ſucceſſiuè; contra enim impugnaberis, qui, cum omnes promiſcuè contribuerint pro omnibus quadraginta Miſſis, omnes debent participare de omnibus; vndè omnes concurrunt ad omnes, & omnes pro vnaquaque Miſſa conſtituunt adęquatum ſtipendium.

10 Quid agere debeat Sacerdos rogatus celebrare tot Miſſas accepta in carta minori ſtipe

Aſſertio III. Sacerdos rogatus celebrare decem Miſſas erogata eidem eleemoſina in carta inuoluta, quæ non correſpondet taxæ pro decem, ſed dumtaxat pro quinque, ſi poſtea inuenerit non eſſe correſpondentem decem, poteſt monito offerente, vel ſolum quinque celebrare, vel celebratis decem fructum dumtaxat ad ratam eleemoſinæ pro illis applicare; non monito verò offerente illa incongrua ſtipendia non poteſt, vel numerum Miſſarum, vel fructum earundem dimminuere, ſed tenetur illa ſtipendia reſtituere, vel conuenire cum eodem offerente. In prima parte conſentiunt *Diana loc. cit.*, *& Franciſcus Lugus de Sacramentis lib. 5. cap. 12. quæſt. 5. n. 51.* In ſecunda iſti diſſentiunt.

11 Monito offerente eleemoſinā poteſt dimminuere Miſſas.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod non tenetur ad decem celebrandas, nec ex quantitate ſtipendij, nec ex aſſenſu præſtito ad illas celebrandas; non vigore primi, quia illud ſtipendium non eſt iuſtum; non intuitu ſecundi, quia non nouit quantitatem; aſſenſus autem non fertur in incognitum; cum autem cognita inæqualitate monuerit eum, qui incongrua illa ſtipendia erogauit cum proteſtatione, quod non intendit celebrare, niſi ad ratam eleemoſinę attributæ Miſſas, vel non applicare totum fructum omnium decē, ſi hic non renuat, iam ex conſenſu intelligitur Miſſas reducere, vel fructum dimmidiare, cui propterea non infert iniuriam.

12 Eo non monito tenetur Miſſas præſcriptas celebrare.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod Sacerdos retinendo illam eleemoſinam non reclamando, nec monendo offerentem intelligitur acquieſcere petitioni eiuſdem, illamque acceptare cum onere iniuncto, &, ſicuti, ſi acceptauit incongrua ſtipendia pro tot Miſſis, tot tenetur ex decreto Sacræ Congregationis celebrare, quot fuerunt præſcriptæ, ita, ſi cognita inæqualitate eleemoſinę attributæ comparatiuè ad Miſſas præſcriptas non reclamauerit, nec monuerit, tenebitur Miſſas illas præſcriptas pro offerente celebrare, & applicare; illa etenim non reclamatio, & non monitio æquiualet aſſenſui præſtito, & acceptationi.

Confirmatur eadem ſecunda pars, quia ille, qui erogauit illa incongrua ſtipendia potuit ex aliquo titulo, vel iuſtitiæ, vel charitatis eſſe obligatus ad illas decem Miſſas celebrare faciendum, & manere in bona fide, quod illæ fuerint celebratæ, ergo ad auertendum damnum illorum, pro quibus erant celebrandæ, tenebitur ipſe Sacerdos monere offerentem de inæqualitate eleemoſinæ ad illum in mala fide conſtituendum, quo renuente obligationem, debet deponere reſtituendo oblatum ſtipendium. Ea, quæ dicuntur in hac probatione, videntur dumtaxat procedere, quando Miſſæ illæ præſcriptæ eſſent ex obligatione pręciſa reſpectu offerentis tale ſtipendium celebrandæ pro alijs, puta animabus defunctorum. Sed quid erit dicendum, ſi offerendæ eſſent pro ipſo offerente tale ſtipendium? Adhuc ſentio, quod, ſi iſte non præmoneatur, non poſſet Sacerdos ex ſe, nec numerum, nec fructum Miſſarum dimminuere, cum quidem ſit liber ad acceptandum onus illud, vel non acceptandum, non autem ad dimminuendum ſine conſenſu offerentis illud ſtipendium.

13 Ratio ob quam tenetur monere.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt in hoc, & in præcedenti articulo procedunt ex ſuppoſitione, quod fructus Miſſarum ex poteſtate Sacerdotis celebrantis poſſit in plures diuidi, quod ſatis probabile plerique exiſtimant.

QUÆSTIO XIII.

De Anniuerſarijs, & Capellanijs.

NOn abs rę materiam hanc de Anniuerſarijs, & Capellanijs coniungimus cum quæſtionibus de ſacrificio Miſſæ; cum etenim Anniuerſaria, vt plurimum conſiſtant in onere celebrandi quot annis, ſeu certo anni tempore Miſſas, & Capellaniæ eaſdem celebrandi in certis Capellis, non diſiunguntur ab earundem natura, & ratione, ac proindè, nec diſiungi debent in ordine doctrinæ, ne quid deſit, quod ad plenam ipſarum notitiam pertinere poſſit. Primò igitur erit ſermo in hac quæſtione de Anniuerſarijs. Secundò de Capellanijs, & oneribus earundem.

AR-

ARTICVLVS I.

De Natura, & Ethimologia Anniuerſariorum.

SVMMARIVM.

Anniuerſarium in genere quid ſit. 1.
Quid ſit, prout ad præſens inſtitutum pertinet. 2.
Finis, ad quem inſtituta ſunt Anniuerſaria. 3.
Mos Anniuerſariorum approbatus ab vniuerſa Eccleſia. 4.

1 Anniuerſarium in genere quid ſit.

NOmine Anniuerſariorum in generali ſua acceptione venit quidquid annuatim, ſeu per certa anni tempora eſt conficiendum, exercendum, ſeu perſoluendum, ſub qua ratione *in l. 1. C. de collat. don. lib.* 10. canones, & penſitationes quot annis perſoluendæ vocantur Anniuerſaria, & quidquid annuatim, ſiue pro Miſſis celebrandis, ſiue pro elargiendis eleemoſinis, ſiue pro alijs pijs operibus erogatum Anniuerſarium dicitur *in cap. cum creatum, & ibi Gloſa de celebratione Miſſarum* denominatione a reuerſione anni, quæ fit per ſolis curſum per duodecim zodiaci ſigna.

2 Quid ſit prout pertinet ad rem præſentem.

In præſenti ſtrictius ſumitur Anniuerſarium pro onere, ſeu adimplemento oneris impoſiti ad ſuffragia ſingulis annis pro defunctis impertienda, & regularitèr hæc ſunt impendenda ea anni die, qua recurrit mors inſtitutoris. Hæc Anniuerſaria congrua ratione inſtituta ſunt, cum etenim ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis; hoc eſt peccatorum pœnis ſoluantur, ideò ſolertes homines propriæ ſalutis, & fælicitatis æternæ pio Dei conſilio adducti conſueuerunt hæredibus ſuis onera imponere, vt quot annis pro ſe ipſis, vel pro ſuis certa officia aſſignatis certis ſtipendijs celebrare faciant. Hanc conſuetudinem approbauit Eccleſia, dum certas preces, tam in officijs, quam in Miſſis pro Anniuerſarijs præſcripſit recitandas.

3 Finis, ob quem inſtituta ſunt anniuerſaria.

Nec ſine ſano conſilio hic mos inductus eſt; cum etenim iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfaciendum ſit, vel in hac, vel in altera vita quoad pœnas temporales debitas pro delictis, nec meta iſtarum ſciri poſſit, ideò ſalubritèr ſibi conſulunt prudentes diſponentes in ſuis vltimis voluntatibus, vt quot annis in die obitus ſui hæredes ſui pro ſe celebrare faciant Miſſas, & officia; laberetur etenim nimis facilè memoria hæredum in conſulendo ſaluti ſuorum prædeceſſorum, niſi compellerentur eorum diſpoſitionibus eiſdem ſubuenire per congrua emolumenta pro eiſdem Anniuerſarijs eroganda, vel niſi ex proprijs bonis fundos, vel capitalia aſſignarent, ex quibus percipi valeant annui redditus pro eiſdem Anniuerſarijs celebrandis.

Hunc morem vniuerſa recepit Eccleſia, dum ſingulis annis anniuerſarium pro omnibus fidelibus defunctis in commemorationis die eorundem celebrat, & iuſſit vbique terrarum hunc morem ſeruari. Inualuit poſtea, vt quod Eccleſia pro omnibus induxit, priuatæ poſtea perſonæ ſpecialitèr pro ſe ipſis, vel pro ſuis in ſua familia inducerent. De his Anniuerſarijs latè agit Perez de Capellanijs, & Anniuerſarijs per integrum volumen. Nos paucioribus contenti ea ſeligemus, quæ frequentiùs in praxi occurrunt, quæque conferre poſſunt ad plenam ipſorum cognitionem.

4 Anniuerſaria vniuerſalitèr approbata.

ARTICVLVS II.

An onera Anniuerſariorum impoſita certis fundis tranſeant cum eiſdem fundis.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Motiuum dubitationis ex oppoſitione textuum in l. nihil proponi, ff. de leg. 1., & in l. fin. §. fin. de contrah. empt. 2.
Onera in fundo impoſita pro Anniuerſarijs tranſeunt cum eodem fundo. 3.
Teſtator imponendo illud onus ſuper fundum quodamodo ſegregauit illum à corpore hæreditatis, & ſubiecit illi oneri. 4.
Explicatur textus in d. l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt., *vt non aduerſans concluſioni.* 5.
Fundus obligatus pro alimentis intelligitur pro eiſdem hypothecatus. 6.

1 Senſus tituli exponitur.

COntingit quandoque, vt quis ſibi conſulere volens poſt eius obitum de congruis, & opportunis ſuffragijs in ſua vltima diſpoſitione determinet certum fundum, illumque quodamodo ſecernat à reliquo corpore hæreditatis impoſito eidem onere, vt redditus, qui ex eodem percipiuntur, vel per hæredes, vel per alios inſumantur in annuo ſtipendio Anniuerſarij pro ipſo, vel pro ſua familia celebrandi. Contingit etiam, vt quandoque ille fundus, vel per hæredes, vel per alios, quibus demandata eſt cura celebrare faciendi dictum Anniuerſarium per ſingulos annos, alienetur, vel diſtrahatur, & hinc oritur ratio dubitandi in titulo propoſito, an illud onus anniuerſarij tranſeat in eum, in quem translatus eſt ille fundus, &, an

ille fundus poſſit reuocari, & quid in eo caſu ſit agendum.

2 Oppoſitio duorũ textuum. Deciſio præſentis dubij redditur difficilis ex intellectu duplicis textus, altero *in l. nihil proponi, ff. de legat. 1.*, vbi in caſu de legato fundi, ex quo ſportulæ percipiebantur, dicitur, quod onus ſportularum tranſit cum eodem fundo vendito, vt exponit *Vulpianus lib. 2. reſponſ.* per hæc formalia verba. *Nihil proponi, cur prohibeatur hæres ædificia diſtrahere, à quorum reditu ſportulæ ſunt relictæ ſalua tamen cauſa legati*, vbi nota poteſtatem vendendi; *cur probibeatur ædificia diſtrahere*, & ſimul onus, quod tranſit in emptorem ſoluendi ſportulas. Ibi *Salua tamen cauſa legati*, vbi ly, *cauſa*, ſumitur pro onere *argum. textus in l. 1. C. rem alienam gerentibus*; altero *in l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.*, vbi cum Titius promiſiſſet de fundo ſuo centum millia modiorum frumenti annua præſtare pro prædijs Caij Seij, poſtea fundum vendidit; in quo caſu reſponſum fuit, emptorem non teneri Caio Seio ad præſtationem annuam frumenti, ex quo deducitur, quod onus impoſitum non ſequatur fundum venditum. Ex hac textuum contrarietate inextricabilis videtur fieri hæc quæſtio. Nihilominus in terminis Anniuerſarij, de quibus loquimur, ſit

3 Onera tranſeunt cũ fundo. Concluſio. Onera per teſtatorem impoſita certo fundo, ex cuius redditibus Anniuerſarium celebretur, tranſeunt in emptorem *Petrus Iacobus in pract. tit. de act. in rem determ.*, *Guido Papa deciſ. 576.*, *Salazar de vſu, & conſuet. cap. 11. n. 34.*, *Tiraquel de priuil. piæ cauſæ priuil. 63.*, *Maſcardus de probat. concl. 117. n. 54.*

4 Teſtator imponẽdo onus ſuper fũdũ ipſum fundum obligauit. Ratio ex eo deducitur, quod teſtator, ex quo fundum illum aſſignauit pro onere Anniuerſarij, vt ex eius fructibus, ſeu redditibus onus eiuſdem perſoluatur quot annis intelligitur ipſum fundum obligaſſe; per illam etenim aſſignationem quodamodo ſeparauit ipſum fundum à cætero corpore ſuorum bonorum, ſeu ſuæ hæreditatis; nec arbitrandum eſt, quod ille fundus fuerit aſſignatus cauſa demonſtrationis, non taxatiuè per modum diſpoſitionis, vt tradit *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 9. tit. 2. num. 5.*, *Peregrinus de fideicom. art. 16. num. 110.*, in quo ſenſu non intelligitur fundus affectus onere reali *argument. textus in l. quidam teſtamento, ff. de legat. 1.*, *& l. Paula Callinico, §. fin. ff. de legat. 3.* Non, inquam, hoc arbitrandum eſt, quia, cum determinatè teſtator fundum aſſignauerit pro illo onere, intelligitur pignori fundum illum ſuppoſuiſſe ad terminos *dict. l. nihil proproni*; vbi vult ſaluam eſſe cauſam legati.

Neque aduerſari poteſt allegatus textus *in dict. l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.*, quia in hoc textu facta fuit ſolummodò promiſſio de conſtituendo onere ſuper illo fundo, non actu conſtitutum; diuerſum autem eſt promittere conſtitutionem obligationis, aliud actu conſtituere, prout communitèr notant DD. *in l. in bona fidei, ff. de eo, quod cert. loc.*, *& ibi Iaſon n. 3.*, *Gamma deciſ. 13. num. 3.* 5 Explicatur textus in d. l. fin. ff. de cont. empt.

Minus obeſſe poſſe videtur textus *in l. fundi Trebatiani, ff. de vſufructu*, in quo ſic legitur. *Fundi Trebatiani reditus vxori meæ, quoad viuet, dari volo, quæro, an poſſit tutor hæredis fundum vendere, & Legatario quantitatem offerre annuam, quam viuens Paterfamilias ex locatione fundi redigere conſueuerat; reſpondi poſſe.* Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis aliqui aſſerunt, quod, quando obligatio ſuper certa re non eſt perpetua, ſed ad tempus non inducat obligationem realem, & hypothecariam; hic autem obligatio non eſt, niſi ad vitam vxoris, adeoque non perpetua. Deindè dici poteſt cum *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. c. 2. num. 22.*, *& ſeqq.* in caſu *dict. l. fundi Trebat.* ſolum fuiſſe legatam æſtimationem fructuum, quos teſtator recipere conſueuerat ex alio fundo, cum legatum interpretationem deſumat à conſuetudine teſtatoris, & ad hoc allegat *Ruinum in l. fructus num. 3. ff. ſolut. matrimon.*, *& ibi Barboſa num. 30.*

Ratio concluſionis ſecundò deduci poteſt ex eo, quod, quando teſtator aſſignat determinatum fundum, ex quo mandat alimenta præſtari, tunc fundus ille intelligatur hypothecatus pro eiſdem alimentis, vt notat *Gloſa in l. Lucius, ff. de aliment. legat.* *textus in l. 2. ff. eod. tit.*, quod idem ſtatuitur, quando aſſignatus eſt fundus pro cauſa pia *Petrus Iacobus in pract. tit. de act. in rem determ.*, & ſignanter in terminis fundi aſſignati pro Anniuerſarijs *Guido Papa deciſ. 576.*, *Salazar de vſu, & conſuet. cap. 11. num. 34.*, *Tiraquel de priuil. cauſæ piæ priuil. 63.* Hoc magis firmatur ex eo, quod, cum teſtator per illam diſpoſitionem, & aſſignationem voluerit ſibi, & propriæ ſaluti conſulere, præſumendus eſt, quod firmiori vinculo voluerit rem illam obſtringere, ne obligatio facilè dilaberetur. 6 Euincitur paritate fundi obligati pro alimentis.

AR-

ARTICVLVS III.

An, ſi teſtator hæredem ſuum obligauerit ad celebrare faciendum Anniuerſarium pro anima ſua non facta expreſſione, an pro vna vice, an in perpetuum hæres ſatisfaciat, ſi pro primo anno onus illud adimpleat.

SVMMARIVM.

Fundamentum pro vnica vice deſumptum ex l. boues, §. hoc ſermone, ff. de verb. ſignific. 1.

Dictum Bartoli circa ligatum factum Fratribus Minoribus. 2.

Probabilius intelligenda eſt voluntas teſtatoris relata ad obligationem perpetuam. 3.

Verba in ijs, quæ admittunt tractum ſucceſſiuum, non conſumantur vno actu. 4.

Textus faciens ad rem præſentem in l. annua 20. §. Atria, ff. de ann. legat. 5.

Explicatur textus in l. boues, *vt non aduerſans concluſioni*. 6.

Dictum Bartoli exploditur. 7.

In concurſu fauoris hæredis, & animæ teſtatoris præferendus eſt fauor iſtius. 8.

1 Fundamentum obligationis pro vnica tantum vice. MOuet hanc difficultatem textus *in l. boues, §. hoc ſermone, ff. de verb. ſignificat.* Ibi. *Hoc ſermone, dum nupta erit, prima nupta ſignificantur*, vbi eſt ſermo de materia fauorabili dotis; ex quibus verbis deducunt DD., quod ſermo ſimpliciter prolatus intelligatur de prima vice, & quod valet de dote, extendi etiam poteſt ad cauſam piam.

Hinc *Bartolus in l. cum quidam num. 3. ff. de annuis leg.*, aſſerit, quod, ſi teſtator diſpoſuerit in fauorem Fratrum Minorum, vt in die D. Franciſci eiſdem tribuatur certa pitantia, intelligi debeat diſpoſitio de pitantia ſemel præſtanda, quod idem firmauit *Barboſa in l. diuortio, §. quod in anno num. 13. ff. ſolut. matrim.*, vbi aſſerit Bartolum in hoc eſſe communiter receptum.

2 Dictum Bartoli pro vnica vice. Accedit, quod, quando teſtator expreſsè non aperuit mentem ſuam, hæc ita interpretanda eſt, vt minus aggreuet hæredem ſuum per textum *in l. vnum ex familia, §. ſi rem, ff. de legat. 2.*, & potius admittenda videatur inutilitas legati, quam maius grauamen hæredis *l. quod in rerum, §. 2. ff. de legat. 1., & ibi Iaſon num. 1., Aymon conſ. 22. num. 3.*, vbi loquitur de annuo legato. His tamen non obſtantibus ſit

Concluſio. Probabilius in hac hypotheſi indefinitæ locutionis teſtatoris interpretanda eſt eius voluntas de obligatione perpetua. Conſentiunt in hoc *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 3. num. 9., & ſeqq. per totum*, vbi firmat hoc aſſertum pleriſque rationibus, & iuribus, & vindicat a contrarijs, & alij plures apud ipſum.

3 Probabilius diſpoſitio intelligitur relata ad onus perpetuum. Ratio ex eo deducitur primò, quod in diſpoſitione indefinita, quando diſpoſitum eſt iterabile, non intelligitur de prima vice per textum *in l. cum quidam, ff. de ann. legat.* prout explicat *Cumanus in l. eum, qui Kalendis in princip. de verb. ſignificatione*, dies autem Anniuerſaria recipit reiterationem *Lancellotus Dec. in d. l. cum quidam*, quam explicationem elegantem dicit *Barboſa in l. diuortio, §. quod in annuo num. 11. ff. ſolut. matrim.* Adde, quod, quando diſpoſitio verſatur in materia, quæ ex conſuetudine recipit reiterationem, primus actus non conſumat diſpoſitionem *Romanus conſ. 294. Antonius Gabriel lib. 6. concluſ. tit. de legib. concluſ. 2. limit. 12.*, vbi plures refert.

4 Verba in ijs, quæ admittũt ſucceſſionem non conſummantur vno actu. Secundò, quia, vbi verba ſecundum communem conſuetudinem habent intellectum per tractum ſucceſſiuum, non conſummantur per vnicum, & primum actum, ſed ly, *Anniuerſarium*, ſecundum communem conceptum non reſtringitur ad vnum annum, vt dicit *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 1., & 3. nu. 13.* Adde, quod, vbi agitur de beneficio propriæ animæ, præſumendum eſt, quod teſtator voluerit ſibi conſulere omni meliori, & vberiori modo, &, quod in diſpoſitione indefinita non ſe reſtrixerit ad primum actum, cum adhuc eo poſito poſſit eſſe indigens vberioris actus, ergo &c.

5 Textus euincens intentum. Ad magis corroboranda, quæ circa concluſionem dicta ſunt, plurimum conferre poteſt textus *in l. annua 20. §. Atria, ff. de annuis leg.*, vbi, cum Atria diſpoſuiſſet, vt ex redditu cænaculi, & horrei ſui poſt eius obitum daretur quædam ſumma Sacerdoti, alijſque miniſtris in die nundinarum, quas ibi poſuit, reſponſum fuit, quod illa ſumma non ſemel tantum, ſed in perpetuum danda eſſet. Item textus *in l. defuncta in fine, ff. de vſufructu*, vbi, cum eſſet legata ſexta pars fructuum oleris, quam teſtator habebat in agro, dictum fuit, non pro anno, ſed quotannis intelligi relictum.

6 Soluitur obiectum deſumptum *ex l. boues*. Neque obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum deductum *ex l. boues, §. hoc ſermone, ff. de verb. ſignificat.*, quandoquidem ibi erat ſermo de dote data ab extraneo fæminæ cum ſtipulatione, & expreſſa conditione, vt ad ipſum dotantem reuerteretur ſoluto matrimonio, vel per mortem vxoris, vel per mortem viri,

in

in quo caſu ratione illius ſtipulationis dicitur primis nuptijs illa dotatio conſummata, & perfecta, itavt non perſeueret in dotante obligatio illam iterum dotandi; hic autem eſt ſermo de Anniuerſario indefinitè concepto, quod ex nominis ethimologia ſecundum communem conceptum exigit, ſeu importat ſucceſſionem, vndè per primum actum non perficitur, nec adeſt aliqua conditio, ſeu ſtipulatio limitans. Adde, quod ibi agebatur de fauore alterius, & onere proprio, hic de fauore proprio, ſeu animæ propriæ, in cuius vtilitatem facienda eſt lata interpretatio.

Non ſecundum deſumptum ex *Bartolo in l. cum quidam, ff. de ann. leg.* de pitantia legata Fratribus Minoribus in die feſto Sancti Franciſci; quia in primis Bartolo aduerſatur *Cumanus in l. eum, qui Kalendis in princip. ff. de verb. oblig.*, docens deberi ſucceſſiuè, cum illi actus ſint iterabiles. Deindè, dum dicitur in teſtamento, quod
7 pitantia ſit eroganda Fratribus in die Sancti Franciſci, illa dies intelligitur adiecta ſolutioni, cum non ſit ab ipſo teſtatore inſtituta illa dies, ſed ab Eccleſia in honorem D. Franciſci, & ſic ratione legati teſtatoris non inducitur de nouo dies reiterabilis commemorationis ipſius Sancti, quando verò ab ipſo teſtatore dies Anniuerſaria adijcitur pro celebratione Miſſarum, & Officiorum in ſuffragium animæ ſuæ, illa commemoratio cum illis qualitatibus per ipſum inſtituta eſt, intelligitur dies adiecta, vt perpetuò fiat.

Soluitur dictum Bartoli.

8 Non tertium deſumptum ex maiori grauamine hæredis, quia, licet verum habere poſſit, quod intelligatur in dubio minus voluiſſe ipſum grauare; hoc tamen fallit in concurſu fauoris ſpiritualis propriæ animæ ipſius teſtatoris, cum præſumendum ſit potius voluiſſe ſibi, & animæ propriæ cònſulere, quam hæredi ſic exigente ordine perfectæ charitatis *l. Præſes Prouinciæ C. de ſeruit., & aqu.*, & vbi agitur de fauore animæ, ſemper latior facienda eſt interpretatio, vt tradunt communitèr DD.

Fauor animæ teſtatoris præferendus eſt.

ARTICVLVS IV.

An legatum relictum pro Anniuerſario non expreſſo numero Miſſarum, nec Officij teneat, & ad quid obliget.

SVMMARIVM.

Legatum in fauore cauſæ piæ, quamuis incertum, ſuſtinetur. 1.
Signantèr pro Anniuerſario Miſſarum. 2.
Nec vitiatur incertitudine perſonarum, & rerum. 3.
Varijs iuribus euincitur. 4.
Quale debeat eſſe, & quantum hoc Anniuerſarium; taxandum eſt arbitrio prudentis viri. 5.
Adducuntur iura intentum euincentia. 6.

QVamuis generalitèr dicatur, incertitudinem diſpoſiti vitiare diſpoſitionem, vt multis cumulatis, & ad ſacietatem comprobat *Idelphonſus Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 10. ferè per tot.* Nihilominus fauore cauſæ piæ diſpoſitum, quamuis incertum ſuſtineri tradunt *Tiraquel de priuileg. cauſæ piæ priuileg. 56.*, vbi dicit omnes in hoc conuenire, & eſſe veritatem, hocque expreſsè euincitur ex textu *in l. quidam teſtamento, ff. de leg. 1.*, & firmant *Gloſa in cap. nos quidem de teſtibus, & ibi Coarruuias num. 12.*, *Meires de maior. 4. part. quaſt. 27. num. 10.* 1

Legatum pium, quamuis incertum ſuſtinetur

Hinc euincitur, legatum pro Anniuerſario non expreſso Miſſarum numero, nec quantitate eleemoſinæ erogandæ ſuſtineri, & obligare hæredem ad ipſum adimplendum. Ità expreſsè *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 10. num. 97.*, *Coarruuias in cap. iudicante num. 4. de teſtament.*, *Gloſa in cap. nos quidem de teſtament. verb. in loco.* Ratio ex eo deducitur, quod legatum incertum factum ad alias cauſas minus fauorabiles teſtatori ſuſtinetur, nec vitiatur ratione incertitudinis, ſic relictum ad reficiendam viam non expreſſa quantitate tenet per textum *in l. quidem teſtamento, ff. de legat. 1.*; ſic relictum pro dote ſine certa quantitate ſuſtinetur per textum *in l. cum poſt, §. gener, ff. de iur. dot.*, ergo, nec vitiabitur legatum incertum relictum pro Anniuerſario in ſuffragium animæ ſuæ, cum teſtator intelligatur plus diligere propriam animam, quam alias quaſcunque res ſic exigente ordine charitatis. 2

Signantèr pro anniuerſario Miſſarum.

Ruſus legatum ad pias cauſas nec vitiatur ratione incertitudinis perſonarum, nec ratione incertitudinis rerum, nec ratione incertitudinis quantitatis, ergo non eſt, cur non debeat ſuſtineri. Antecedens quoad primam partem expreſsè deducitur *argument. l. id, quod pauperibus, C. de Epiſc., & Cler.*, vbi relictum pauperibus nulla perſonarum ſpecie ſpecificata tenet; Quoad ſecundam euincitur *argum. textus in l. ſtychus 12. ff. de legat. 3.*, vbi, cum teſtator donaſſet libertatem ſeruo ſtycho adiecto onere, vt inſtrueretur in artificio nulla facta determinatione artificij, dictum fuit legatum libertatis ſubſiſtere; ex quo rectè infertur, quod, ſi legatum libertatis ſubſiſtit non obſtante incertitudine oneris, à fortiori debeat ſubſiſtere 3

Non vitiatur incertitudine rerũ, & perſonarum.

legatum Anniuerſarij in ſuffragium animæ teſtatoris non obſtante &c. Quoad tertiam etiam euincitur ex allegato textu *in l. quidam teſtamento, ff. de legat.* 1., vbi factum eſt legatum de via reficienda, nullaque eſt determinata quantitas; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur in hoc tertio caſu de incertitudine quantitatis textum *in d. l. quidam teſtamento* vim non facere, eo quia licet quantitas non ſit determinata à teſtatore, intelligitur tamen determinata ex qualitate operis iniuncti, prout conſiderauit *Cinus in l. 1. C. de dotis promiſs.*, quæ propterea adaptari nequeunt legato Anniuerſarij ſine numero Miſſarum, & ſine determinata quantitate, cum hæc ex natura operis iniuncti non determinetur, cum pendeat ab arbitrio legantis, & poſſit eſſe maior, vel minor; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt notat *Bartolus in l. ſi ita ſtipulatus num. 4 ff. de verb. obligat.*, quem ſequuntur *Vincentius in l. 1. ff. ſolut. matrimon. num. 36. in fin., & ibi Alciatus num. 112., Socin. Iun. num. 18.*, quando legatum eſt incertum ratione quantitatis, vel ſpeciei, ratione oneris adiuncti, non videtur certificatum, vt habetur *in l. 1. C. de dot. promiſ.*, vbi, quod quando non eſt expreſſa ſpecies, nec quantitas non datur actio de dote, & quoad legatum de via reficienda non eſt neceſſe, quod erogetur totum id, quod eſt neceſſarium ad viam reficiendam, ſed ſufficit, quod aliquid erogetur ad ſatisfaciendum promiſſioni, ſeu diſpoſitioni.

4 Varijs iuribus euincitur.

5 Quale, & quantum debeat eſſe.

Sed quale Anniuerſarium erit celebrandum, quo numero Miſſarum, & in qua quantitate eleemoſina eroganda? Dicendum eſt, & numerum Miſſarum, & quantitatem eleemoſinæ erogandæ taxandum, ſeu taxandam eſſe arbitrio boni viri inſpectis facultatibus defuncti *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 10. num. 98.*, & in conſimilibus terminis procedit *Gamma deciſ. 185.*, vbi, cum quis feciſſet donationem omnium ſuorum bonorum in fauorem alterius reſeruato ſibi iure diſponendi pro anima ſua nihil certum pro tunc determinans, dictum fuit determinationem ponendam eſſe arbitrio boni viri; nec in hoc hæſitandum videtur, quia in relictis ad cauſas pias arbitrium boni viri ſemper tacitè eſt connexum *Baldus in l. 3. num. 4. C. de furtis, Aluaredus de coniect. ment. teſt. lib. 2. cap. 1. num. 26., & 28.*

6 Iura varia euincentia intentum.

Ad hæc confirmanda plures deciſiones in caſibus conſimilibus adducit *Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 10. cap. 10. à n. 99. ad 101.*; & primò de legato incerto quoad quantitatem relicto ſcholaſtico pro proſecutione ſtudiorum ſuorum, quod taxandum arbitrio boni, & prudentis viri aſſerit *Rebuffus de priuil. ſcholaſtici priuil. 133.*, cum hoc etiam ſit legatum pium *Bartolus in l. 1., & ibi communitèr ſcribentes, ff. ſolut. matrimon., Tiraquel tract. de priuil. cauſæ piæ in præfat. verſ. item relictum cauſa ſtudij*. Secundò in caſu, quo quis diceret, *lego pro anima mea*, & non exprimeret quantitatem; tunc etenim concludit *Zabarella in Clement. 1. de teſtament. num. 27.*, quod quantitas taxanda ſit arbitrio boni, & prudentis viri ſecundum dignitatem perſonæ legantis, & eius facultates, in quo etiam conſentiunt *Aluaredus loc. cit. n. 28., Couarruuias in cap. indicante num. 4. de teſtament.*

ARTICVLVS V.

An Anniuerſarium relictum à teſtatore in ſuffragium animæ ſuæ celebrandum in Eccleſia, in qua ſtatuit ſepelliri ceſſet, ſi teſtator ſe ſuſpendat, vel in puteum proijciat.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Si culpabilitèr ſe ipſum interfecerit legatum Anniuerſarij in ſuffragium animæ ſuæ ceſſat. 2.
Si legatum factum fuerit in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum non ceſſat. 3.
Non conſtante de morte ſibi illata non ceſſat legatum. 4.

Procedit titulus in ſuppoſitione, quod teſtator ſibi ipſi culpabilitèr mortem intulerit violentam, vel enſe, vel laqueo, vel præcipitio in flumen, vel in puteum; ſi etenim hæc præſtiterit, cum non eſſet compos ſui propter dementiam, vel in ſomno, non videtur dubitandum, non ceſſare legatum Anniuerſarij, nec eſſet priuandus iure ſepulturæ Eccleſiaſticæ in Eccleſia ab ipſo deſignata. Procedit item in caſu, quo conſtet ſe ipſum occidiſſe, nam, ſi reperiretur gladio iugulatus, vel in flumine, vel in puteo, vel laqueo ſuſpenſus poſſet eſſe rationabilis ratio ſuſpicandi, quod ab alio fuerit talitèr occiſus, in qua hypotheſi examinabitur, an ſit, nec ne priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragijs ſibi in teſtamento antea condito relictis.

1 Senſus huius tituli.

Concluſio I. Si culpabilitèr aliquo ex recenſitis modis ſe ipſum interfecerit, ceſſat legatum Anniuerſarij conditum in ſuo vltimo teſtamento in ſuffragium animæ ſuæ, nec eſt ſepeliendus in loco ſacro, & minus in Eccleſia ab ipſo deſignata. In hoc arbitror omnes conſentire, de quo latè *Perez de Anniu., & Capell. lib. 1. c. 11. ferè per tot.*

2 Relictum in ſuffragium animæ ſuæ ceſſat, ſi culpabilitèr ſe ipſum occiderit.

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quod pro hoc ſui interfectore culpoſo nequit orari per textum *in cap. pro obeuntibus 13. quæſt. 2.*, vbi *Turrecremata*, *Guillermus Benedictus cap. Rannutius de teſtam. verb. mortuo itaque primo num. 50.*, *Menochius de arbitr. caſ. 284 num. 36.*, *Coaruuias lib. 2. var. cap. 1. num. 11. verſ. illud*; ex quo autem per Eccleſiaſticas ſanctiones oritur prohibitio orandi, & adimplendi legatum, legatum ipſum deſinit argum. textus *in l. cum tale, §. falſam, ff. de condit., & demonſt.*, *& l. ſi quis ità legauerit, §. fin. ff. de adimen. leg.*

Sed hic oritur difficultas, an, ſi teſtator diſpoſuerit in ſuo vltimo teſtamento de Anniuerſario quotannis celebrando in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum, & deindè Dæmonis fraudibus deceptus aliquo ex recenſitis modis ſe interfecerit, intelligatur peremptum legatum pro Anniuerſario? Ex eo, quod primarium intentum teſtatoris fuerit ordinatum in ſuffragium animæ ſuæ, videtur, quod hoc perempto, cum huius incapacem ſe reddiderit ob necem ſibi culpabilitèr intentatam, intelligatur etiam peremptum quoad ſuffragium aliorum, cum hoc ſit acceſſorium ad illud; deſtructo autem principali acceſſorium non poteſt per ſe ſubſiſtere. Nihilominus

3 Legatum in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorũ nõ ceſſat.

in hoc ſentiendum eſt in hac hypotheſi non intelligi legatum peremptum, quia, licet effectum non poſſit conſequi in fauorem teſtatoris, qui ſe ipſum peremit, poteſt tamen conſequi in fauorem aliorum in quorum ſuffragium eſt inſtitutum. Nec obſtat argumentum à conditione acceſſoriorum, quæ ad caſum principalis dilabuntur; Non obſtat, inquam, quia in hac diſpoſitione ęquè principalitèr veniunt ſuffragia pro ſuis, nec ſunt neceſſario connexa ſuffragia pro ſuis cum ſuffragijs pro ſe ipſo, vndè non eſt, quod ad lapſum iſtius illa etiam debeant dilabi.

4 Non conſtante de morte ſibi illata nõ ceſſat legatum.

Concluſio II. Si certo non conſtet, teſtatorem ſe ipſum culpabilitèr occidiſſe, & dubitari poſſit, quod ab alio fuerit occiſus, nec ceſſat legatum Anniuerſarij, nec eſt priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, nec Eccleſiæ ſuffragijs *Abbas in cap. ex parte 2. num. 4. de ſepult.*, *Palatius Rubeus rubr. de donat. §. 89. nu. 2.*, *Salzedo in pract. c. 17. num. 12.*, *Coaruuias lib. 2. var. cap. 1. n. 11.*, *Tiberius Decianus lib. 9. tract. crim. cap. 3. num. 3., & 10.*

Ratio ex eo deducitur, quod non ſit præſumendum pro tam enormi delicto, quod quis ſanæ mentis ſe ipſum occiderit; tum quia nemo cenſetur ſui inimicus, &, quod ſæuire voluerit in propriam carnem per textum *in cap. non æſtimemus 13. quæſt. 2.*, tum quia nec quis præſumitur immemor propriæ ſalutis æternæ per textum *in l. vltim. C. ad leg. Iul. cap. ſancimus 1. quæſt. 7.*, tum quia Eccleſia in dubijs, & incertis nunquam pręſumit pro peccato, & propterea in tali dubio, & incertitudine non priuat inuentum ſic mortuum, nec ſepultura, nec ſuffragijs Eccleſiaſticis.

Quamobrem in tali dubio non ceſſat legatum per ipſum ordinatum Anniuerſariorum, ſicuti non ceſſat, quando quis decedit in peccato læthali, de quo non conſtat Eccleſiæ, cum non ſit notorium, &, quamuis ſit notorium, non conſtat, quod de eodem actum contritionis non elicuerit; vndè in dato caſu dubij, ſeu ignorantiæ, an ſe ipſum occiderit, vel fuerit ab alio occiſus, adimplendum eſt legatum, quod, ſi nequeat ipſi prodeſſe, proderit alijs iuxtà beneplacitum Diuinæ voluntatis.

ARTICVLVS VI.

Quonam tempore anni facienda ſit ſolutio legati pro Anniuerſario.

SVMMARIVM.

Variæ ſententiæ circa tempus ſolutionis legatorum. 1.
Solutio legati pro Anniuerſario facienda eſt pro tempore, quo Anniuerſarium celebratur. 2.
Debitor legati ſecundum aliquos non poteſt illud anticipatè ſoluere. 3.
Congruentius poteſt. 4.
Se ſubijcit tamen periculo iterandi ſolutionem, ſi legatum pereat. 5.

QVamuis lata ſit diſputatio inter DD. de tempore, quo facienda eſt ſolutio legatorum, dum aliqui contendunt, faciendam eſſe in fine anni iuxtà textum *in l. qui hoc anno, ff. de verb. oblig.*, quod æquè valet in debitis ex vltima voluntate per textum *in l. cum tempus 17. ff. de reg. iuris*; alij verò afferant, faciendam eſſe in principio cuiuslibet anni per textum *in l. in ſingulos annos, ff. de ann. legat.*, *& in l. nec ſemel in princip. ff. quando dies leg. cedat*, alij diſtinguentes, quando plures faciendæ ſunt præſtationes, &, quando vna dumtaxat, aſſerunt, quod, quando faciendæ ſunt plures præſtationes, cum tempus adijciatur cauſa multiplicandæ obligationis, & ſic fauore creditoris, tunc quælibet pręſtatio facienda ſit initio cuiuslibet anni, quando verò vna tantum eſt facienda, cum tunc tempus intelligatur adiectum cauſa differendæ ſolutionis, ſit facienda in fine anni, atque iuxtà hanc diſtinctionem procedunt *Bartolus, & Al-*

1 Variæ ſententiæ circa tẽpus ſolutionis legatorum.

bericus in d. l. qui hoc anno, ff. de verb. oblig.; Alij alitèr diſtinguentes inter promiſſum hoc anno, vel quolibet anno, & promiſſum annuum dicunt, quod promiſſum; primo modo ſolui debeat in fine anni; promiſſum verò ſecundo modo ſit tunc ſoluendum in principio cuiuslibet anni; & iuxtà hunc ſenſum procedit *Gloſa in §., qui hoc anno Inſtit. de inutil. ſtipul.* iuxtà hæc duo carmina:

Annua, ſi debes, tunc inſpicies caput anni.
Anno, ſi debes, in fine teneberis anni.

Quamuis, inquam, in hoc lata ſit diſputatio, in præſenti tamen materia Anniuerſariorum videtur eſſe ſpecialis ratio, per quam obligatio reſtringitur ad ſpeciale tempus. Quamobrem ſit

2 Solutio legati pro Anniuerſario faciēda eſt pro tempore, quo celebratur Anniuerſarium.

Concluſio. Solutio legati facienda eſt pro tempore, quo celebrandum eſt Anniuerſarium. *Hieronymus à Laurentys deciſ. 117. num. 4., Idelphonſus Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 1. cap. 9. num. 49., & ſeqq., Barboſa in rubr. ſolut. matrimon. 4. part. n. 34.*

Ratio eſt, quia hoc videtur exigere natura, & conditio eiuſdem Anniuerſarij, per quam conditionem limitatur tempus ſolutionis; ſi etenim anticipatè fiat ſolutio, ſoluens ſubijcitur periculo iterum ſoluendi, ſi ille, qui recepit ſolutionem priꝰ moriatur ad tempus Anniuerſarij celebrandi; vndè *in l. nec ſemel, §. ſi in habitationem, ff. quando dies leg. ced.* dicitur, quod relictum annuum reſpectu certæ neceſſitatis debeatur tempore neceſſitatis.

Hæc videntur procedere in fauorem debentis ſoluere pro Anniuerſario; ſed, an poſſit anticipatè ſoluere renuntiando proprio fauori? Videtur affirmandum, cum obligatus in diem poſſit illum præuenire in ſoluendo, cum medium tempus ſit gratia debitoris *argum. textus in l. cum in diem, ff. de ſolut. l. cum tempus, ff. de reg. iur. l. in diem, ff. de condit. indeb.* Nihilominus *Idelphonſus Perez loc. cit. num. 50., & ſeqq.*

3 Quinam ſentiant non poſſe anticipatè ſoluere

aſſerit, non poſſe debitorem legati illud ante tempus perſoluere addita etiam ratione, quia, cum illa dilatio ſit in gratiam legatarij, non eſt in poteſtate debitoris illud anticipatè perſoluere per textum *in l. eum, qui ff. de ann. legat.*, vbi Bartolus hæc ſubdit. *Nec debitor poteſt præuenire diem, quando tempus adijcitur gratia creditoris*. Non dubitarem ego, aſſerere poſſe anticipatè

4 Congruētius poteſt.

ſoluere, ſed ſe ſubijcere cuicunque periculo, quod poſſet obuenire ex illa anticipata ſolutione. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illud medium tempus non eſt, nec fauore debitoris, nec creditoris, ſed ex natura, & conditione Anniuerſarij, quod exigit illum diem, vndè, cum non ſit contra ius coarctatum creditoris, non vetatur debitor illud anticipatè perſoluere, cum autem ſit præter exigentiam debiti, debebit ſibi imputare, ſi aliquod infortunij indè obuenerit, cum ſoluendo vltra, quod exigit ipſum debitum, ſibi onus illius imponat, & in hoc videtur habere locum textus *in dict. l. eum, qui ff. de ann. legat.*, vbi, quod, ſi hæres ſoluerit ante diem, & ex defectu legatarij ſolutum perierit, ipſe hæres non liberetur. 5

5 Se tamen ſubijcit periculo iterum ſoluendi.

ARTICVLVS VII.

An bona emphyteutica poſſint ſupponi oneri Anniuerſarij.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis propoſitæ. 1.
Conſiderabilia circa ipſam. 2.
Supra ius emphyteuticum conceſſum pro ſe, & quibus dederit poteſt conſtitui onus Anniuerſarij. 3.
Ex eo, quod ſubijciantur illi oneri, non ſpiritualizantur. 4.
Si ius emphyteuticum rediret ad Dominum directi onus Anniuerſarij ceſſaret. 5.
Feudum alteratum poteſt ſubijci oneri Anniuerſarij. 6.
Bona emphyteutica obnoxia oneri Anniuerſarij tranſire nequeunt irreuocabilitèr in Eccleſiam. 7.
Iura vetantia acquiſitionem Eccleſiæ non reſiſtunt acquiſitioni, ſed tantum permanentiæ. 8.
Quomodo ſe gerere debeat Eccleſia circa illud ius emphyteuticum obnoxium illi oneri, ſi in illam tranſierit. 9
Si bona emphyteutica titulo hæreditatis vniuerſalis tranſierint in Eccleſiam, onus Anniuerſarij transfertur in Eccleſiam hæredem. 10.
Tunc non tranſeunt ex facto emphyteutæ, ſed ex legis diſpoſitione. 11.
Soluitur obiectum aduerſantium, quomodo conſultum ſit iuri laudemiorum Domini directi. 12.
Dominus directus poteſt conſtituere onus Anniuerſarij ſuper ius, quod habet ad annuas præſtationes. 13.

POſſidebat quis bona plura, quæ receperat in emphyteuſim pro ſe, filijs ſuis, deſcendentibus, ſucceſſoribus cum clauſula generali, & quibus dederit, præter tamen &c. ad normam textus *in l. fin. C. de iur. emphyt.*; volens hic conſulere ſaluti animæ propriæ in ſuo vltimo, quo deceſſit, teſtamento, diſpoſuit de Anniuerſario perpetuo, & pro eiuſdem executione ſubiecit eadem bona emphyteutica. Quæſitum hic fuit, an iuſtè potuerit illa bona ſu- 1

1 Factum in ſuis terminis.

ſubijcere, & onus Anniuerſarij in illis ſubſiſtat.

2 Conſiderabilia circa idē. Pro ſolutione plurima hic veniunt conſideranda; primò, an teſtator præciſè appoſuerit illud onus bonis illis emphyteuticis, illaque reliquerit hæredi affecta illo onere, an verò illa bona ſecundum dominium vtile, quod in illo habebat cum poteſtate illa transferendi in alios, quibus &c. tranſtulerit in Eccleſiam ſimpliciter cum onere Anniuerſarium illud celebrandi quot annis; an tandem Eccleſiam illam hæredem inſtituerit vniuerſalem adiecto onere, vt ex redditibus, quos percipiet ſpeciatim ex illis bonis emphyteuticis, teneatur quot annis celebrare facere in ſuffragium animæ ſuæ Anniuerſarium. Secundò, an ex ſuppoſitione, quod in illis bonis emphyteuticis apponere poſſit illud onus Anniuerſarij, hoc poſſit eſſe perpetuum, an verò tantum temporaneum, quouſque bona illa in ipſa perſeuerauerint. Tertiò ex occaſione eorum, quæ dicuntur de emphyteuta, an poſſit ſupponere oneri Anniuerſarij bona emphyteutica, inquirendum erit, an Dominus directi pro iure ſuo, quod habet in illis bonis, poſſit illud onus conſtituere.

3 Supra ius emphyteuticum datū pro ſe, & quibus dederit poteſt conſtitui Anniuerſarium. Concluſio I. Si emphyteuſis ſit conceſſa Laico ſine prohibitione alienationis, & hic ſuper ius emphyteuticum, quod habet, impoſuerit onus Anniuerſarij, illudque tranſtulerit in hæredem, tenet Anniuerſarium, ità tamen, vt non officiat iuribus Domini directi. In hoc conſentit *Perez de Anniu., & Capell. lib. 1. c. 19. n. 8.*

Ratio eſſe poteſt, quia ipſe habet verè dominium vtile in illis bonis, nec per illud onus Anniuerſarij præiudicium infert Domino directi, nec illa bona mutant ſubſtantiam, neque efficiuntur ſpiritualia, nec Eccleſiæ, prout probat *Aluarus Valaſcus conſult. 60. num. 12.*, ergo non eſt, cur onus illud Anniuerſarij non poſſit, & debeat ſubſiſtere.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, ſicuti bona emphyteutica tranſire nequeūt in Eccleſiam, cum ſit priuilegiata, ita nequeant ſupponi Anniuerſarijs, cum hæc etiam ſint priuilegiata, vt notat *Guido Papa decis. 576.*, & ad hoc facit, quod tradit *Gamma decis. 214.*, &, ſicuti bona feudalia non poſſunt ſubijci Anniuerſarijs, nec alteri oneri per textum *in cap. 1. verſ. vel pro anima iudicare de prohibita feudi alien. per Federicum*, quod etiam firmauit *Rolandus conſ. 79. num. 5. vol. 2.*, ità neque bona emphyteutica, cum valeat argumentum à feudo ad emphyteuſim. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ideò non poſſunt tranſire in Eccleſiam, quia quoquo modo mutarent ſubſtantiam, & fierent Eccleſiæ, & tranſirent in manus mortuas, & quodamodo potentiores, apud quam eſſet difficilior ex actio canonum, nec poſſet eſſe in fauorem Domini directi conſolidatio dominij vtilis cum directo, quæ non militant, quando in Laicum transferrentur illa bona cum onere Anniuerſarij, cum non mutent ſubſtantiam, nec ſpiritualizentur, nec fiant Eccleſiæ, nec eſſet illa difficultas canonum exigendorum, cùm remaneant apud Laicos, & in caſibus omnibus, quibus ius emphyteuticum non affectum illo onere Anniuerſarij poſſet redire ad Dominum directi, poſſet etiam tranſire affectum eodem onere, quod tamen tunc ceſſaret, & ideò appoſui illam limitationem, *ità tamen, vt non officiat iuribus Domini directi*, ex qua limitatione etiam oritur, quod eidem Domino directo ſit ſoluendum laudemium, quotieſcunque eſſet ſoluendum, ſi non eſſet affectum tali onere.

4 Ex eo, quod trāſeunt cū illo onere non ſpiritualizantur.

5 Conſolidato dominio vtili cum directo ceſſat onus Anniuerſarij.

Ex quibus etiam tradit *Perez loc. cit.*, quod in omnem caſum, in quo emphytheuta cadit ab emphyteuſi, ceſſet etiam onus Anniuerſarij *argument. textus in l. lex vectigalis, ff. de pign.*, quod verificatur non ſolum in ordine ad emphyteutam ipſum, ſed etiam in ordine ad quemcunq; ab ipſo cauſam habentem, eo, quod reſoluto iure datoris reſoluitur etiam ius acceptoris, quod communiter acceptum teſtatur *Padilla in l. & in Prouinciali num. 10. ff. de ſeruit.*

6 Feudum alteratū poteſt ſubijci huic oneri. Neque obſtant ea, quæ dicebantur de bonis feudalibus, vt non poſſint ſubijci oneri Anniuerſarij, quandoquidem hæc ad ſummum locum habent de feudo proprio, auito, antiquo, non tranſmiſſibili ad aliquem facto vaſalli ſecundum ea, quæ notant *Rolandus conſ. 79. num. 30.*, *Oldradus conſ. 239. Incip. prælectis*, non autem de feudo alterato, quod conceditur pro ſe, & hæredibus quibuſcunque, ſeu alijs ab eo cauſam habentibus, quodque ſit tranſmiſſibile &c.

7 Ius emphyteuticum non poteſt tranſire in Eccleſiam irreuocabiliter. Concluſio II. Bona emphyteutica ſuppoſita oneri Anniuerſarij per emphyteutam tranſire nequeunt irreuocabiliter in Eccleſiam. Dixi, *irreuocabilitèr*, propter præiudicium Domini directi, qui priuaretur iure laudemiorum, & ſpe conſolidationis dominij vtilis cum directo; vndè poſſet compelli ad ius illud emphyteuticum vendendum intra annum, vel ad ſoluendum quindennium, de qua re alibi, & infrà. Hæc concluſio procedit potius ex inalienabilitate iuris emphytheutici, quam ex impoſitione oneris Anniuerſarij, vt ex ſe patet.

Ratio ex generali regula deducitur, ſecundum quam emphyteuta non poteſt ius em-

emphyteuticum transferre in potentiorem per textum *in l. fin. verſ. ſin autem, C. de iur. emphyt.*, & *cap. potuit de locat.*, de qua re latè *Corbulus in tract. de cauſ. ex quibus emphyt. iur. ſuo priu. c. de cauſa priuat. ob alienat. ampliat. 12.*, vbi alios plures refert. Dubitari autem non poteſt, quin Eccleſia ſit potentior non ſolum ob priuilegia, quibus gaudet, ſed etiam ob difficilem conuentionem, & quia vix poſſet, ſi dominium vtile in ipſam perueniret, hoc conſolidari cum dominio directo.

Sed hic dubitari poteſt, an diſpoſitio legis vetantis, ſiue titulo legati, ſiue alio quocunque iura emphyteutica transferri in potentiorem, & per conſequens in Eccleſiam, ità vetet, vt reſiſtat abſolutè in origine eiuſdem acquiſitioni, an verò ſolum permanentiæ in dominio eiuſdem Eccleſiæ, &, an in hoc caſu, quod penes Eccleſiam non poſſet permanere, anniuerſarium in iure emphyteutico fundatum ceſſaret. Quidquid ſit de hac quæſtione, an reſiſtat acquiſitioni, an verò ſolum permanentiæ, de qua latè DD.; ſtando in moderna conſuetudine, ſecundum quam ſumuntur iura, vt tantum reſiſtentia permanentiæ, ita vt Eccleſia intra annum ab acquiſitione teneatur ius illud acquiſitum in Laicos transferre, aſſerendum abſolutè eſt, anniuerſarium non ceſſare, ſed ex iure illo per Eccleſiam vendito extrahendam eſſe æſtimationem ex pretio illius iuris, illamque implicandam eſſe in proprietate idonea, ex qua percipi poſſint fructus pro implemento oneris eiuſdem anniuerſarij. In hoc conſentit *Perez de Anniuerſ.*, & *Capell. lib. 1. cap. 19.*

8 Iura vetantia nō reſiſtunt acquiſitioni, ſed tantum permanentiæ.

Ratio eſt, quia ſuppoſito, quod in iure emphyteutico poſſit imponi onus anniuerſarij ſine præiuditio Domini directi, illud onus transfertur in quemcunque ius ipſum emphyteuticum transfertur, ergo cum validè transferatur in Eccleſiam, licet reuocabilitèr, onus anniuerſarij in ipſam tranſibit, quę, cum retinere nequeat iuribus obſiſtentibus illud ius, & ex alio capite acquiſierit ius in emolumenta illius anniuerſarij, vtique transferendo illud ius emphyteuticum in perſonam non prohibitam poterit ab illa exigere pretium illius iuris alienati, illudque implicare in proprietate idonea ad exigendos redditus neceſſarios pro illo onere anniuerſarij adimplendo, quæ omnia videntur iudicaſſe vltra Perez ſupra allegatum *Bartolus in auth. ingreſſi col. 4. C. de ſacroſ. Eccleſijs*, *Calderinus de renouat. emphyt. cap. 19. num. 7.*, *Molina de iuſtitia tom. 1. diſp. 140. verſ. eandem regulam*. In hoc amplius non immoror, cum latè de eo egerim ſupra *quæſt. 11. art. 6. ſect. 6. aſſert. 1.*, & *ſeqq.*

9 Quomodo ſe gerere debeat Eccleſia circa illud ius emphyteuticum.

Concluſio III. Si bona emphyteutica affecta onere anniuerſarij tranſeant titulo hæreditatis cum vniuerſitate bonorum in Eccleſiam, vtique validè tranſeunt, & onus anniuerſarij viget apud Eccleſiam hæredem *Cardinalis de Luca de emphyt. diſcurſ. 28. num. 10.*, & *pluribus ſeqq.*, *Coſta de ſubſidiar. remed. 105. num. 3.*, & *clauſ. 77. num. 1.*, *Fulgineus de emphyth. tit. de ſucceſs. quæſt. 14. num. 12.*, *Mantica de tacit.*, & *ambig. lib. 22. tit. 19. num. 36.*, *Gabriel conſ. 76. num. 17. lib. 2.*, qui omnes procedentes in terminis ſtrictioribus pacti expreſſi, quod res emphyteutica non tranſeat in Eccleſiam, ſtatuunt hoc pactum procedere in ordine ad priuatos contractus inter viuos, non autem in ſucceſſione vniuerſali cauſa mortis. 10

10 Si ius emphyteuticū tranſierit in Eccleſiam titulo hęreditario tenetur Eccleſia ad Anniuerſariū.

Ratio ex eo deducitur, quod emphyteuſis acquiſita Eccleſiæ titulo vniuerſali vnà ſimul cum cæteris bonis, iuribus, & actionibus, & ijs, quæ iuris, & facti ſunt, non eſt alienatio ex facto emphyteutę dependens, ſed ex legis miniſterio ipſo iure tacitè facta, vt de communi teſtatur *Iaſon in l. ſi ita quis, §. ea lege num. 15. ff. de verb. obligat.*, *Corbulus de cauſa priuat. ob mort. ciuil. num. 11. in fin.*, *Simoncellus in tract. de decret. lib. 3. tit. 8. inſpect. 14. nu. 98.*, *Romanus conſ. 394. num. 6.*; iſta etenim alienatio legalis, quæ fit per ſucceſſionem vniuerſalem, nunquam ſub generali prohibitione alienationis continetur argumentum textus *in l. alienationes, ff. fam. erciſ.*, venit etenim in conſequentiam bonorum, iurium, & actionum &c.; vndè, ſicuti in ingreſſu minoris in Religionem omnia eius bona immobilia vniuerſalitèr transferuntur in Religionem etiam ſine ſolemnitate decreti, & interuentu Curatoris, quamuis per priuatos contractus inter viuos nequeat illa ſine ſolemnitate diſtrahere, vt probant *Abbas in cap. in præſentia num. 10. de probat.*, & *ibi Ancheranus n. 15.*, *Decius num. 27.*, *Berous n. 149.*, vbi hanc ſententiam communem eſſe teſtatur, & *Simoncellus in tract. de decret. lib. 3. tit. 8. inſpect. 14. num. 97.*, vbi ait neminem ab hac opinione diſcordare, ità, ſi per teſtamentum quis diſponat vniuerſalitèr de ſuis bonis in fauorem Eccleſiæ, cum illis venient etiam bona emphyteutica cum ſuo onere, quamuis per priuatos contractus non poſſent illa in eandem diſtrahi.

11 Tranſeūt ex legis diſpoſitione.

Nec obſtare poteſt, quod etiam ſi illa bona transferantur titulo vniuerſalis ſucceſſionis in Eccleſiam lædatur ius Domini directi, cum per illum tranſitum difficilior euadat exactio canonum, & ceſſet ius deuolutionis cum præiuditio laudemiorum; Non, inquam, obſtare poteſt, quia in primis, ſi emphyteuſis non ſit reſtricta ad cer-

Soluitur obiectum aduerſantium.

certas lineas, & generationes, ſed conceſſa pro quocunque hærede, & ſucceſſore cum clauſula *ad habendum, & quibus dederit*, debet ſibi imputare Dominus directus, quod cum illa generalitate, & latitudine conceſſerit, vt notat *Cardinalis de Luca dict. diſcurſ. 28. num. 6. verſ. ceſſat*. Deindè gratis dicitur, quod euadat difficilior exactio canonum, vt notat idem *Cardin. de Luca loc. cit.*, cum facilè poſſit Eccleſia conueniri per ſuos Iudices, & , vbi ipſa deficeret à ſolutione canonum per tempus à iure præfinitum, ęquè caderet in

12 Iuri laudemiorū conſultū eſt per quindennia.

commiſſum, ac priuati. Tandem quoad præiudicium laudemiorum iam prouiſum eſt per modernum vſum quindenniorum deſumptum a praxi Cancellarię Apoſtolicæ circa annatas beneficiorum perpetuo vnitorum, qui vſus modo ſine contraditione inualuit etiam quoad emphyteutas, per quem moderatus eſt rigor antiquorum iurium, vt notat *Hodierna ad Surdum deciſ. 93. num. 18.*, *De Luca d. diſcurſ. 28. num. 7.*, *& diſcurſ. 49. num. 4. verſ. opinionem*, *& diſcurſ. 48. num. 1.*

13 Dominus directus poteſt fundare Anniuerſarium ſuper ius ad annuas pręſtationes.

Concluſio IV. Dominus directus bonorum emphyteuticorum poteſt ſuper iure, quod habet ad annuas penſiones, ſi hæ ſufficientes fuerint, imponere onus anniuerſarij, quod etiam transferatur in eius hæredes. Ab hoc arbitror neminem diſſentiri.

Ratio ea eſt, quia hoc eſt ius perpetuum, fructiferum ſaltem ciuilitèr, vtpotè reddens annuatim penſiones erogandas in adimplementum illius oneris anniuerſarij, nec aliud voluit Sacra Congregatio de celebratione Miſſarum iuſſu Vrbani VIII., dum voluit bona pro oneribus perpetuis Miſſarum inueſtienda eſſe in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris &c., ergo non eſt, cur in illo iure non poſſit fundari onus anniuerſarij perpetui.

ARTICVLVS VIII.

An fundus legatus Eccleſiæ cum onere Anniuerſarij, & certarum Miſſarum, ſi augeatur in fructibus, augendus ſit numerus Miſſarum.

SVMMARIVM.

Titulus ſecundum duplicem ſenſum. 1.

Si teſtator diſpoſuerit, vt in eius Anniuerſario tot Miſſæ celebrentur, quot fructus exiguntur à tali fundo adauctis fructibus augendus eſt numerus Miſſarum. 2.

Secus, ſi diſpoſuerit de tot Miſſis determinatè celebrandis in eius Anniuerſario. 3.

Si fructus dimminuantur adhuc Miſſæ præſcriptæ ſunt celebrandæ. 4.

Circa hunc titulum conſideranda eſt mens expreſſa, vel præſumpta rationabilitèr teſtatoris; vel etenim hic dixit ſimplicitèr, vt in eius anniuerſario tot Miſſæ celebrentur, quot redditus percipientur ex tali fundo legato, nulla facta determinatione Miſſarum; vel præcisè dixit, vt celebrentur in die anniuerſarij mortis ſuæ tot determinatæ Miſſæ, & in certo, & determinato numero, & pro eiſdem impendantur redditus, qui ex tali fundo percipientur. 1 Duplex ſenſus tituli.

Concluſio I. Si teſtator diſpoſuerit pręcisè, vt in eius anniuerſario tot Miſſæ celebrentur, quot redditus percipientur ex fundo legato, vtique adauctis fructibus ex eodem fundo ſunt augendæ Miſſæ, ſicuti, ſi dimminuantur fructus, Miſſæ ſunt dimminuendæ. Ab hac concluſione neminem arbitror poſſe diſſentiri. 2 Si teſtator diſpoſuerit, vt fructus percepti ex tali fundo inſumātur in tot Miſſis auctis fructibus augendæ ſunt Miſſæ.

Ratio ex eo deducitur, quod legatum adimplendum eſt iuxtà mentem expreſſam teſtatoris, cum ex vulgatis iuribus hæc adamuſſim ſit adimplenda, ſed expreſſa mens teſtatoris eſt, vt Miſſæ ſint celebrandæ ad quantitatem redditaum, qui ex fundo percipiuntur, nulla facta determinatione numeri earundem, ergo adauctis redditibus erit numerus earum Miſſarum augendus, & eiſdem dimminutis erit dimminuendus. Augmentum autem, & dimminutio faciendum, ſeu facienda erit ad ratam taxæ factæ in tali loco per Epiſcopum, vel per conſuetudinem detractis tamen ijs, quæ exigit manutentio; & in hoc conueniunt *Marcus Antonius Genuenſis in ſuis pract. Eccl. quæſt. 179.*, *Auguſtinus Barboſa de offic.*, *& poteſt. Epiſcop. allegat. 29. num. 7.*, *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſ. part. 2. cap. 22. in fin.*

Concluſio II. Si teſtator diſpoſuerit determinatè de tot Miſſis celebrandis in anniuerſario eius obitus aſſignatis indefinitè redditibus, qui percipientur ex fundo legato pro tali onere, ſi redditus illi pro tempore excedant numerum Miſſarum præſcriptum ab eodem teſtatore Eccleſia legataria non tenebitur, niſi ad eundem numerum Miſſarum, ſi verò redditus pro tempore dimminuantur, nihilominus tenebitur ad talem numerum à teſtatore pręſcriptum. 3 Secus, ſi diſpoſuerit de tot Miſſis determinatè.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quod primarium, & principale intentum teſtatoris ſunt tot Miſſæ celebrandæ in die anniuerſaria obitus eiuſdem, ſiquidem diſpoſitio eiuſdem incipit ab onere, & proſequitur à quantitate, ergo acceptato onere, ſiue quantitas augeatur, ſiue decreſcat,

ceunt

erunt per Eccleſiam legatariam, quę illud onus acceptauit, tot Miſſæ, quot fuerunt à teſtatore præſcriptæ, celebrandæ.

4 Onus debet iuri proporrionari. Confirmatur primò, quia, ſi redditus excedant numerum Miſſarum à teſtatore præſcriptarum non ſunt Miſſæ augendæ acceptato onere quoad talem numerum præciſe, ergo etiam ſi redditus dimminuantur erunt nihilominus Miſſæ quoad eundem numerum præſcriptum celebrandæ. Conſequentia probatur, quia, qui commodum ſentit quoad augmentum redditúum, debet & incommodum ſentire quoad decrementum.

Confirmatur ſecundò, quia aſſignato certo fundo, qui pro tempore diſpoſitionis ſufficiens erat ad onus Miſſarum in certo numero præſcriptarum, ſi poſtea hic decreſcat in redditibus, non eſt in libertate eius, in cuius fauorem fuit diſpoſitus, dimminuere numerum Miſſarum præſcriptarum, ſed tenetur, vel Miſſas præſcriptas celebrare, vel recurrere ad Sedem Apoſtolicam pro reductione ex decreto Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. de celebratione Miſſarum, ergo dimminutis etiam redditibus fundi aſſignati pro onere earundem Miſſarum tenebitur adhuc Eccleſia præſcriptum numerum celebrare, quod eo fortiùs viget, quod à dauctis redditibus non tenetur numerum Miſſarum augere.

ARTICVLVS IX.

De Capellanÿs, earumque natura.

SVMMARIVM.

Reÿciuntur nonnullæ Capellaniæ ethimologiæ. 1.
Capellania vndè propriè dicta. 2.
Diuerſa genera Capellaniarum. 3.
Quænam propriè ſint Capellaniæ collatiuæ. 4.
Sunt beneficia Eccleſiaſtica. 5.
Capellaniæ gentilitiæ quænam ſint. 6.
In ÿs collatio ſpectat ad Epiſcopum. 7.
Nec mens teſtatoris poteſt obeſſe. 8.

1 Ethimologiæ Capellaniæ. Mitto varias Capellaniarium ethimologias, quas ſcribentes confingunt, qualis eſt illa, quam inducit *Fringerus in ethimologico latino verb. Capella*, dicens deſumi à verbo, *capio*, & *annus*, quaſi quod importet locum, qui capit populum, & in quo annuatim ſacra fiunt; item illa, qua alij vtuntur dicentes ethimologiam deſumi a cappa, quæ tegumentum ſignificat, eo quod, vt notant *Gloſa in cap. concedimus de conſecratione diſtinct. 1. verb. celebrari, & ibi Turrecremata num. 4.* Capellæ, in quibus ſacra fiebant antiquitus operiebantur pellibus caprinis. His denominationibus omiſſis me confero ad germanam huiuſmodi Capellaniarum, prout ad præſens inſtitutum pertinet, rationem.

Dico igitur Capellanias dici à Capellis, ideſt ſacellis, in quibus ex onere impoſito ſacra ſunt celebranda; vndè Capellani dicuntur, qui onere adſtringuntur accepto ſtipendio celebrandi in talibus ſacellis. Huiuſmodi Capellaniæ ſunt in multiplici differentia; aliæ etenim ſunt mercenariæ, aliæ collatiuæ, aliæ gentilitiæ, ſeu iuris patronatus; Mercenariæ ſunt, quæ ità inſtituuntur, vt non conferantur Sacerdoti in titulum, ſed eligatur ad implendum munus impoſitum à teſtatore, ità tamen, vt poſſit ad nutum hæredis remoueri; contingit enim, quod teſtator relinquat bona temporalia laico impoſito onere celebrari faciendi in tali Altari Miſſas à Sacerdote, quemcunque voluerit, & hac ratione Capellania dicitur mercenaria, cum Miſſæ celebrentur recepta mercede ſine titulo, & tunc bona relicta pro hoc onere remanent in ſua temporalitate; nec Epiſcopus poteſt in his ſe intromittere; licet enim talia bona ſint affecta onere Miſſarum, poſſidentur tamen a laico, & ſunt ſub eius regimine, vt notauit *Gamma deciſ. 288. num. 4. in princip. argum. textus in l. fin. C. de bon. vacant. lib. 10.* 2 Vndè propriè dicta. 3 Capellaniarum diuerſa genera.

Collatiuę ſunt, quæ ità inſtitutæ ſunt, vt conferantur in titulum, & tunc eſt, cum teſtator relinquit bona, vt ex eorum redditibus celebrari debeant in tali Altari Miſſa quotidiana perpetua, vel certus Miſſarum numerus ſingulis annis cum Epiſcopi auctoritate, quam, ſeu quas Capellanias hæres debet inſtituere intra annum *Rocchus de Curte tract. iuriſpratron. verb. conſtruxit num. 15.*, alias teneatur ſoluere redditus à morte teſtatoris *auth. de Eccleſ. tit. §. ſi autem verſ. ſi autem diſtulerit col. 9.*, & eo caſu Capellaniæ dici poſſunt beneficia Eccleſiaſtica *Gloſa in Clement. fin. de decim., Lambertinus de iure patron. lib. 2. primæ part. quæſt. 7. art. 30. n. 23., Salzedo in addit. ad Bernard. Diaz cap. 62. num. 12.* Dicuntur autem collatiuæ, quia ad Epiſcopum pertinet eas conferre, nec poteſt teſtator apponere conditionem, quod Epiſcopus ſe non intromittat ad conferendum ſuppoſito, quod ſint inſtitutæ cum recenſitis conditionibus per textum *c. ſic quidam num. 10. quæſt. 1.*, quamuis nominatio ad eaſdem Capellanias poſſit eſſe à laico, vt mox ſubdo. 4 Capellaniæ collatiuæ quænam ſint. 5 Sunt beneficia Eccleſiaſtica.

Gentilitiæ, ſeu iuriſpatronatus ſunt eiuſdem rationis cum præcedentibus hoc dumtaxàt adiecto, vt ad hæredem, vel ad alium, ſeu alios, quem, ſeu quos teſtator elegerit, pertineat ius nominandi ad 6 Capellaniæ gentilitiæ.

huiuſ-

huiuſmodi Capellanias ſeruatis, quæ in hoc genere quoad nominationem ſeruandæ ſunt; licet autem nominatio fiat à patrono, inſtitutio tamen, ſeu collatio ad Epiſcopum pertinet *Rota deciſ. 10. de teſtam. in antiquis num. 1.*

7 Licet nominatio ſpectet ad hæredes collatio tamen ſpectat ad Epiſcopum. Hæc adeò vera ſunt, vt etiam, ſi teſtator nedùm aſſerat, quod Epiſcopus non poſſit ſe ingerere, ſed etiam, quod, ſi ſe ingerat, inſtitutio Capellaniæ nullius roboris ſit, Capellania ipſa ſuſtineatur; nam quod de iure non tenet, vinculo pœnæ nequit conſtringi per textum *in l. non dubium in fin. C. de legibus, & l. quod de bonis, §. 1. ff. ad leg. falcid.*; poſtquam enim bona translata ſunt in patrimonium Eccleſię, teſtator nequit amplius de illis diſponere.

8 Nec mẽs teſtatoris in hoc poteſt obſiſtere. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod non poſſit impediri teſtator, quin rebus ſuis apponat quamcunque legem voluerit, & onera ſibi beneuiſa, cum quibus oneribus debeant tranſire; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo Capellania inſtituta eſt cum conditionibus, vt ſit vera Capellania, conditiones appoſitæ, quæ naturæ eiuſdem aduerſantur, habentur pro non adiectis *Abbas cap. nobis num. 5. de iure patron., Innocentius in cap. in Lateranenſi num. 5. de prabend., Lambertinus de iure patron. lib. 1. prima part. quaſt. 9. princip. num. 68., Sarmienſis lib. 1. ſelect. cap. 11. num. 10.*, vbi loquitur in terminis Capellaniæ.

ARTICVLVS X.

An Capellania mercenaria, ſeu amouibilis poſſit per hæredem conferri in titulum vitalitium.

SVMMARIVM.

Ad titulum Capellania mercenaria nequit quis ordinari. 1.
Rationes ſuadentes non poſſe erigi in titulum purè vitalitium. 2.
Poteſt erigi conſentiente Patrono, & Epiſcopo. 3.
Non eſt neceſſe, quod beneficia ſint perpetua. 4.
Facta erectione in titulum vitalitium non eſt, cur ille, in cuius fauorem facta eſt illa erectio, non poſſit ordinari ad eius titulum. 5.

1 Titulo Capellaniæ amouibilis, nequit quis ordinari. CErtum eſt, quod ſuper Capellania præcisè mercenaria, & amouibili non poſſit quis ordinari, cum non habeat certos redditus, quibus ſuſtentari valeat, ne emendicare, aut turpem artem exercere teneatur in magnum dedecus Ordinis Eccleſiaſtici; poteſt etenim ad nutum hæredis, vel erogatarij remoueri. Hic iam quæritur, an hæres, ſeu erogatarius poſſit illam Capellaniam conſentiente Epiſcopo conferre in titulum non abſolutè, ſed ad vitam alicuius, vt ex vi eiuſdem poſſit promoueri ad Sacros Ordines, quo poſtea decedente eadem Capellania redeat ad ſuum priſtinum ſtatum mercenariæ, & amouibilis.

Difficultas videtur in eo verſari, quod, ſi illa Capellania erigeretur in titulum, quantumuis vitalitium, conſtitueretur in eſſe beneficij Eccleſiaſtici, quia tunc ad illius titulum ordinatus diceretur ordinatus ad titulum beneficij, cum non ſit alius titulus, quo quis poſſit ordinari, niſi vel beneficij, vel patrimonij; hic autem non eſſet titulus patrimonij, ergo eſſet beneficij; quod autem ſemel inſtitutum eſt in beneficium, non poteſt amplius tranſire in reditum profanum, & laicalem. Accedit, quod non poteſt hæres alterare voluntatem expreſſam teſtatoris, qui voluit Capellaniam illam eſſe merè mercenariam, & amouibilem, ergo non poteſt conferri in titulum. His tamen non obſtantibus. 2 Rationes ſuadentes non poſſe erigi in titulum purè vitalitium.

Sentiendum eſt, poſſe accedente auctoritate Epiſcopi conferri in titulum vitalitium, quo quis poſſit ad Sacros Ordines promoueri. Hoc in praxi crebrò ſeruatur, nec eſt, quod poſſit obſiſtere; non mens teſtatoris; nam non ſupponimus, quod enixè prohibuerit erigi in titulum, ſed ſolummodò ordinauerit, quod ſit mercenaria, & amouibilis in maius commodum, & arbitrium hæredis, qui poteſt ad vitam vnius proprio fauori cedere, & quando etiam expreſsè teſtator voluiſſet non erigi in titulum, hoc intelligendum eſſet de titulo perpetuo, non autem ad vitam vnius, quæ temporanea eſt, qua elapſa redit ad priſtinum ſtatum iuxtà eius voluntatem; nec arbitrandum eſt, quod leue hoc arbitrium voluerit auferre ab eius hærede, quem maximè prædilexit, & cuius ſollicitudini commendauit executionem oneris illius Miſſæ; Non natura beneficij, quod exigat eſſe perpetuum, eo ipſo, quo factum ſit tale, quod eſt id, quod conſiderabatur in ratione dubitandi, quandoquidem non repugnat, quod beneficia aliqua non ſint perpetua, prout tradunt *Silua de beneficijs ſecunda part. quaſt. 11. num. 8., Gomezius de expectatiuis num. 44., Staphileus de lit. grat. tit. de formis expectatiuarum, §. nona forma num. 29., & alij*; vndè, ſi poſſunt eſſe beneficia, & amouibilia, non video, cur non poſſint eſſe beneficia ad vitam vnius. Verum tamen eſt, quod, vt ſint beneficia, requiratur approbatio ab ordinario, vt ſcilicet hic 3 Poteſt erigi conſentiente Patrono, & Epiſcopo. 4 Non eſt neceſſe, quod beneficia ſint perpetua.

hic approbet illam erectionem cum ſua qualitate vitalitatis dumtaxat eius, qui debet promoueri.

5 Facta illa erectione poteſt, quis ordinari ad eius titulum.

Poſita hac erectione in titulum vitalitium non eſt, cur electus ad illum non poſſit ad Sacros Ordines, ſi aliundè ſit habilis, promoueri; habet enim ea, quæ ex ſacris canonibus, & Pontificum conſtitutionibus in hac parte requiruntur; ſufficientes ſcilicet reditus ex Eccleſiaſtico beneficio, quibus decentèr ſuſtentari valeat, nec teneatur emendicare, aut ſordidam artem exercere, cum quouſque vixerit, habeat reditus illius Capellaniæ, qui ſufficientes ſupponuntur ad congruam eius ſuſtentationem.

ARTICVLVS XI.

An poſſit eligi in Capellanum non Sacerdos.

SVMMARIVM.

Ex genere ſuo prima tonſura initiatus poteſt eligi in Capellanum. 1.

Ex mente teſtatoris, quandoque Clericus poteſt eligi, quandoque non. 2.

Si teſtator dixerit. Inſtituatur Capellanus, qui Miſſas celebret, *poteſt eligi Clericus* 14. *annorum.* 3.

Si dixerit. Eligatur Capellanus, vel Sacerdos &c., *poteſt eligi Clericus tonſuratus.* 4.

Si dixerit. Eligatur Capellanus, qui celebret per ſe ipſum, *probabilius eſt eligendus Sacerdos.* 5.

Si dixerit. Eligatur Sacerdos, qui celebret, *duplex ſententia refertur.* 6.

Si diſpoſuerit per verba poſitiua, vel negatiua importantia Sacerdotium eſt eligendus Sacerdos. 7.

Si dixerit Iubeo, vt præſentetur Presbyter, *hic eſt eligendus.* 8.

1 Clericus ſecũdum ſe poteſt eligi in Capellanum.

QVamuis Capellaniæ potiſſimum inſtituantur in ordine ad Miſſas celebrandas, non eſt tamen repugnantia, quin poſſint conferri Clericis, qui ſaltem prima tonſura ſint initiati, prout habetur *in cap. cum contingat de ætat., & qual., & Clem. 2. de vita, & honeſt. Cler.*, & quando alitèr non eſt diſpoſitum, onus Miſſarum annexum Capellaniæ poteſt per alium ſuppleri.

2 Quandonã poſſit eligi ex mente teſtatoris.

Suppoſito iam, quod ex genere ſuo Capellania poſſit etiam conferri Clerico, deciſio quæſtionis excitatæ in titulo pendet ex modo, quo teſtator diſpoſuit circa electionem Capellani, ex quo modo oriri poſſunt diuerſæ rationes decidendi. Modi autem quibus regularitèr teſtatores diſponunt de huiuſmodi electionibus ad hos ferè reducuntur. Primò, ſi dicatur, inſtituatur Capellanus, qui Miſſas celebret. Secundò, ſi dicat, inſtituatur Capellanus, vel Sacerdos. Tertiò, ſi dicat, eligatur Capellanus, qui celebret per ſe ipſum. Quartò, ſi dicat ſimplicitèr, eligatur Sacerdos, qui celebret. Quintò, ſi dicat, eligatur Capellanus, qui actu ſit Sacerdos, vel nullus alius, niſi, qui eſt Sacerdos.

3 Si dixerit, *Inſtituatur Capellanus, qui celebret* poteſt eligi Clericus.

Si diſpoſuerit iuxtà primum modum dicens. *Inſtituatur Capellanus, qui Miſſas celebret*, ſentiendum eſt, poſſe eligi Clericum annorum quatuordecim, qui ſit tonſuratus *Tabiena verb. beneficium 3. §. 10.*, *Armilla verb. Beneficium num. 83.*, *Silva de benefic. part. 4. quæſt. 2. num. 3. verſ. & hoc procedit*, *Idelphonſus Perez de Anniu., & Capell. lib. 2. cap 5. nu. 8.*, *Caſtrus Palaus tom. 2. tract. 13. diſp. 1. punct. 6. num. 18.*, quidquid ex aduerſo dixerit *Gutierez conſ. 1. nu. 11.* Ratio eſt, quia per illum modum loquendi ſignificatur onus, quod imponitur præſentato, ſeu electo celebrandi Miſſas, quod adimplere poteſt, vel per ſe ipſum, vel per alium, nec adſtringit onus eidem perſonalitèr.

4 Si dixerit. *Eligatur Capellanus, ſeu Sacerdos* poteſt eligi Clericus.

Si diſpoſuerit iuxtà ſecundum ſenſum, *eligatur Capellanus, vel Sacerdos*, attenta natura, & conditione diſiunctiuorum videtur dicendum, ſufficere, quod eligatur Clericus tonſuratus, cum in diſiunctiuis ſufficiat, quod propoſitio in vna parte verificetur *Gloſa in cap. ex parte verb. perpetuò de reſcriptis*, *Staphileus de form. ex pect. §. ſexta igitur nu. 5.*, *Rota Romana deciſ. 7. de reſcript. in nouiſſimis*; Nec audiendi ſunt, qui dicunt particulam, *vel*, &, *ſeu*, non ſemper ſtare diſiunctiuè, ſed quandoque importare augmentum, & paritatem per textum *in l. ſi requiſita, ff. de aur., & argent. leg.*; vndè ſecundum præſentem hypotheſim dicunt *Alexander Raudenſis conſ. 30. nu. 29. vol. 2.*, *Afflictus deciſ. 3. num. 4.*, quod, licet Capellanus ex vi vocabuli poſſit eſſe ſolùmmodò Clericus tonſuratus habens legitimam ætatem, prout tamen coniungitur cum ly, *Sacerdos*, debeat habere qualitatem Sacerdotis; Non, inquam, audiendi ſunt, quia ſuperfluè fuiſſet appoſita illa particula, *Capellanus*, ſi hic debuiſſet eſſe Sacerdos, cum ſatis fuiſſet dicere, quod eligendus deberet eſſe Sacerdos, nam, eo ipſo, quod Sacerdos fuiſſet electus, immediatè eſſet Capellanus; atque iuxtà hunc noſtrum ſenſum proceſſit *Rota Romana in cauſa Lucana Capellaniæ 17. Decembris 1593. coram Cardinali Griptio*, quam de verbo ad verbum refert *Garzias part. 7. de benefic. cap. 1. num. 70.*

Si diſpoſuerit iuxtà tertium modum dicens,

5 Si dixerit. Elig itur Capellanus, qui celebret per ſe ipſum, eligendus eſt Sacerdos.

cens, quod eligatur Capellanus, qui celebret per ſe ipſum; tunc *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 29. num. 10.*, ſentit, non requiri, quod eligendus ſit actu Sacerdos, ſed ſufficere, quod talis ſit aptitudine, quatenus poſſit intra annum ad Sacerdotium aſcendere, quod pluribus euincere conatur; pręcipuè, quia in beneficijs Sacerdotalibus ſufficit habilitas proxima ad textum *in cap. 2. de Inſtitut. in 6.*, & ad definita *per Concil. Trident. ſeſs. 24. c. 12. de reformat.* Sed hæc omnia rectè procedunt attenta præcisè natura, & conditione Capellaniæ Sacerdotalis; non verò attenta voluntate teſtatoris, quæ exactè adimplenda eſt, vbi non habet oppoſitionem cum iure; ex eo autem, quod teſtator expreſsè dixerit, ſe velle, vt eligendus celebret per ſe ipſum, vtique ex neceſſaria conſequentia voluit, vt eligendus eſſet Sacerdos. Quamobrem verius eſt, quod in terminis talis diſpoſitionis requiratur in eligendo qualitas actualis Sacerdotij, cum Sacerdos aptitudine tantum nequeat per ſe ipſum celebrare, atque iuxtà hos terminos procedunt *Caſtrus Palaus tom. 2. tract. 13. diſp. 1. punct. 6. num. 18.*, *Idelphonſus Perez de Anniuerſ., & Capell. lib. 2. cap. 5. num. 8.*

6 Si dixerit Eligatur Sacerdos, qui celebret, quid ſentiendum.

Si diſpoſuerit ſecundum hos terminos: *Eligatur Sacerdos, qui Miſſas celebret*; tunc *Caſtrus Palaus loc. cit. num. 12.*, exiſtimat neceſſario eligendum eſſe Sacerdotem actu, cum ly, *Sacerdos*, ſine aliquo addito intelligatur de eo, qui ſit talis actu, non mera aptitudine, & cum ſubiungatur, *qui Miſſas celebret*, magis firmat actuale Sacerdotium, vt ex ſe patet. Nihilominus *Gratianus diſcept. for. cap. 133. num. 1.*, ſentit, poſſe eligi illum, qui non eſt actu Sacerdos, dummodò intra annum poſſit promoueri addita ratione, quia annexio Sacerdotij ad beneficium intelligitur facta per modum aptitudinis, & ad hoc comprobandum adducit plures Rotæ Romanæ deciſiones. Vtraque opinio probabilis eſt. Prima magis congruit verbis teſtatoris. Secunda menti præſumptæ, & interpretatiuæ eiuſdem. Elige, quæ magis placet.

7 Si diſpoſuerit per verba ſiue poſitiua, ſiue negatiua importantia Sacerdotiū Sacerdos eſt eligendus.

Si diſpoſuerit per verba affirmatiua, quæ importent in eligendo qualitatem Sacerdotij actualis, vt ſi dixerit. *Eligatur Capellanus, qui actu ſit Sacerdos*, vel per negatiua excludentia quemcunque alium à Sacerdote, vt ſi dixerit. *Non conferatur, niſi Presbytero*; tunc certum omninò videtur, quod ſolummodò Sacerdoti actu poſſit conferri. In hoc conſentiunt communitèr, & ſignantèr *Gratianus loc. cit. num. 2.* Ratio eſt, quia in huiuſmodi diſpoſitionibus habetur expreſſa mens teſtatoris exigentis qualitatem Sacerdotij actualis, à qua non eſt recedendum, & quidem in diſpoſitione affirmatiua conſtat ex verbis. *Qui actu ſit Sacerdos*; in negatiua ex eo deducitur, quod negatio, cum ſit malignantis naturę, deſtruit quidquid poſt ſe inuenerit; atque hoc verificatur, ſiue teſtator incæperit a negatiua, & deſierit in affirmatiuam, vt ſi dixerit. *Non eligatur, niſi Sacerdos, ſed præſentetur Presbyter*, ſiue incæperit ab affirmatiua, & deſierit in negatiuam, vt ſi dixerit. *Præſentetur Sacerdos, & non alius*, quia omnes hæ diſpoſitiones reſoluuntur in negatiuas, & ſenſum negatiuum inducunt, quæ propterea alium quemcunque à Sacerdote excludunt.

8 Si dixerit Iubeo, vt præſentetur presbyter nonniſi presbyter eſt præſentandus.

Si tandem diſpoſuerit per verba reſpicientia actum præſentationis, vt ſi dixerit. *Iubeo, vt præſentetur Presbyter, vel vt conferatur Capellania Presbytero*, certum videtur, quod requiratur qualitas Sacerdotij actualis in præſentando, ſeu eligendo, vt notant *Gratianus diſcept. forenſ. dict. cap. 133. num. 5.*, *Rota Romana in vna Parmenſi iuriſpatronatus 26. Nouembris 1582. coram Cardin. Blanc.*, *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. allegat. 42. num. 40.*, *Moneta de commutat. vltim. vol. cap. 10. quæſt. 4. num. 138., & 145.* Ratio eſt, quia qualitas adiuncta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi argumento textus *in l. in delictis, ff. de noxal.* Si tamen diſpoſitio refeatur poſt tempus præſentationis, & collationis, vt ſi dicatur. *Eligatur Capellanus, qui tot Miſſas in hebdomada celebrare teneatur*; tunc valdè probabile eſt, quod poſſit eligi, qui non ſit Sacerdos actu, quia perindè eſt, ac ſi diceretur. *Eligatur Capellanus, qui habeat celebrare tot Miſſas in hebdomada*; vndè in hoc caſu dicenda ſunt, quæ fuerunt dicta in prima diſpoſitione.

ARTICVLVS XII.

An Capellania poſſit conferri filijs Presbyterorum in Eccleſijs, in quibus eorum Patres fuerunt beneficiati.

SVMMARIVM.

Refertur quoad hoc diſpoſitio Concil. Trident. 1.

Filij Presbyterorum, nec poſſunt beneficia habere in Eccleſijs, in quibus habuerunt eorum Patres, nec in illis miniſtrare. 2.

Nec in ipſis habere Capellanias mercenarias. Ibid.

An, ſi Pater habuerit in illa Eccleſia Ca-

 pel-

pellaniam ſolum mercenariam poſſit eius filius in eadem habere beneficium. 3.
Inſpecto fine legis non videtur poſſe habere. 4.
Ex eo, quod hæc lex ſit pœnalis, non videtur ad hunc caſum extendenda. 5.
Probabilius non poteſt arceri. 6.
Capellania mercenaria non eſt propriè beneficium. 7.
Soluuntur argumenta contraria. 8.

1 Diſpoſitio Conc. Trident.

Concilium Tridentinum *ſeſs. 25. de reformat. cap. 15.*, hæc expreſsè habet. *Vt paternæ incontinentiæ memoria locis Deo conſecratis, quo maximè puritas, ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſijs, vbi eorum Patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere*.

2 Nec etiã poſſunt in illis miniſtrare.

Ex quibus habes propter latitudinem ſermonis, qua per Concilium concipitur prohibitio, nedum huiuſmodi filios Presbyterorum poſſe in eiſdem Eccleſijs habere beneficia propria, ſed, nec poſſe in illis miniſtrare ad notata per *Rebuffum in l. in lege cenſoria verb. miniſteria, ff. de verb. oblig.*, *Nauarrus conſ. 1. quæſt. 17. num. 46. in tit. de conſtit.*, ex quibus videtur etiam ſequi, non poſſe in eiſdem Eccleſijs habere Capellanias mercenarias, & amouibiles, cum nequeant in illis miniſtrare.

3 Filius, an poſſit habere beneficium in Eccleſia, in qua eius Pater habet, ſeu habuit Capellaniam mercenariam.

Difficultas ſolummodò aliqua videtur in eo verſari, an, ſicuti ipſi filij nequeunt habere Capellanias mercenarias, & ad nutum amouibiles in Eccleſijs, in quibus eorum Patres habent, ſeu habuerunt beneficia Eccleſiaſtica, ita ipſi filij nequeant habere beneficia Eccleſiaſtica, quantumuis eorum Patres in illis Eccleſijs habeant, ſeu habuerint tantum Capellanias mercenarias, & amouibiles. Hæc difficultas in caſu tunc contingente agitata fuit apud *Gratianum diſcept. for. cap. 397. à num. 48. ad fin.*, ſed, cum tunc probatum fuerit Patrem verè habuiſſe beneficium in illa Eccleſia, cum habuerit ſtallum in Choro, vocem, & locum in Capitulo, deciſio tunc emanata contra filium non videtur poſſe habere locum in præſenti caſu, in quo ſupponimus, Patrem non habere, nec habuiſſe propriè beneficium Eccleſiaſticum, cum habuerit in ea Eccleſia ſolum Capellaniam mercenariam, & amouibilem, quæ propriè beneficium non eſt, cum ad eius titulum nemo ad ordines ſacros promoueri poſſit, niſi inſtituatur in titulum ſaltem vitalitium, vt ſupra dictum eſt.

Inſpecto fine, ad quem lex prohibitiua Conciliaris edita, & promulgata eſt, videtur abſolutè aſſerendum, nec in hoc caſu poſſe filium in illa Eccleſia conſequi beneficium, quandoquidem ex eo, quod pater miniſtret, ſeu miniſtrauerit in illa Eccleſia, viget, nec aboletur memoria paternæ incontinentiæ, quinimmò magis vigeret ex eo, quod in eadem videatur filius exercere munera beneficij. Accedit, quod, ſi non arcetur memoria paternæ incontinentiæ ex eo, quod filius, quantumuis non intitulatus miniſtret in illa Eccleſia, ita nec videtur arceri ex eo, quod Pater, quantumuis non intitulatus in ea miniſtrauerit, ſeu miniſtret, ſi filius in eadem omninò teneat beneficium. 4 Inſpecto fine legis non videtur poſſe habere.

Ex alio capite, cum hæc lex Conciliaris ſit pænalis, videtur intelligenda ſtrictè ad normam verborum, quibus concepta eſt, nec extendenda vltra eadem etiam ex paritate rationis ex generali regula pænalium; cum autem Concilium loquatur ſolum de beneficio, quod Pater habeat, ſeu habuerit in tali Eccleſia. Ibi. *Vbi eorum Patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, vel habuerint*, nec extendatur ad nudum, & ſimplex miniſterium, ſicuti extenditur quoad filium, reſpectu cuius dicitur, *nec in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare*, videtur congruè inferendum, quod, ſi Pater non habuerit beneficium proprium, ſed dumtaxat Capellaniam mercenariam, non ſit arcendus eius filius à conſecutione beneficij in eadem Eccleſia. 5 Ex eo, quod hæc lex ſit pænalis non videtur ad hunc caſum extendenda.

Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod pro beneficio, ſeu nomine beneficij, quod Pater habet, vel habuerit in tali Eccleſia, veniat etiam Capellania mercenaria, prout euincitur ex illa particula, *aliquod*, quæ vtpotè generica verificatur in quocunque beneficio largo modo, & impropriè ſumpto ad notata per *Gloſam in Clement. vnica in verb. aut eorum parte aliqua de for. compet. auth. habita, §. hic igitur inter aliqua, C. ne filij pro patre*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum verſemur in pænalibus, verba ſunt ſumenda in propria ſua ſignificatione. Quid iam in hoc ſtatuendum?

Non ſine probabili fundamento arbitrarer, in hac hypotheſi non poſſe filium ex hoc capite, quod eius Pater habeat, ſeu habuerit Capellaniam mercenariam in tali Eccleſia, arceri à conſequendo beneficio in eadem Eccleſia; nec in hoc arbitror diſſentiri *Gratianum diſcept. for. dict. cap. 397.*, qui, quamuis in controuerſia tunc excitata concluſerit, non poſſe filium conſequi beneficium in Eccleſia, in qua Pater habuit, ſeu habet Capellaniam, non motus tamen eſt ratione, quia quæcunque Capellania quomodocunque accepta ſit ſuffi- 6 Probabilius non poteſt arceri.

ciens ad excludendum filium à beneficio, ſed quia illa Capellania erat verum beneficium Eccleſiaſticum cum canonica inſtitutione tribuens ſtallum in Choro, vocem in Capitulo, aliaque requiſita ad veram rationem beneficij, vt legenti ſit manifeſtum, &, licet idem *Gratianus loc. cit. num. 74.*, extendat diſpoſitionem Conciliarem etiam ad Capellanias non collatiuas, ſupponit tamen eas omnes conditiones requiri, quæ habent conſtituere verum beneficium Eccleſiaſticum, & ſi alitèr loquatur, reprobandus videtur, cum excedat limites pænales prohibitionis Concilij.

7 Capellania mercenaria non eſt propriè beneficiũ. Ratio noſtri probabilis aſſerti in eo conſiſtit, quod Capellania mercenaria non eſt propriè beneficium, cum non ſit per canonicam inſtitutionem, vt benè conſiderauit *Gloſa in cap. 1. in verb. obtineri de reg. iuris in 6.*, vbi, quod recipientes ſtipendia ratione obſequij præſtiti in Eccleſia non ſunt beneficiati, & non contradicente eodem *Gratiano loc. cit. num. 70., & 71.*, eorum filij non prohibentur beneficia recipere in eadem Eccleſia, ergo multominus vetabuntur ijdem filij recipere beneficia in ea Eccleſia, in qua eorum Patres habent Capellanias mercenarias, quandoquidem præcisè recipiunt mercedem ſine aliquo titulo ſpirituali, & quidem non ex prouentibus Eccleſiæ, ſed ex redditibus laicalibus remanentibus in ſuo eſſe profano, & temporali.

8 Eluduntur contraria. Nec magnam vim faciunt, quæ adducebantur pro parte aduerſa de fine legis, & de paritate filij miniſtrantis præcisè in Eccleſia, in qua Pater habet, ſeu habuit beneficium Eccleſiaſticum; Non, inquam, magnam vim faciunt, quandoquidem in pænalibus non valet argumentum ab identitate, & paritate rationis *Ioannes Andreas in reg. odia de reg. iur. in 6.*, *Gratianus diſcept. for. cap. 972. num. 13.*, vbi aſſerit hoc procedere etiam ex maioritate rationis, vt pæna non extendatur. Deindè ſpeciali quadam ratione motum præſumitur Concilium Tridentinum loco citato ad exigendum beneficium proprium in Patre, quia conſiderauit in eodem originem prohibitionis aduerſus filium, ne in eadem Eccleſia continuarentur beneficia in ipſis, & ideò voluit, vt Pater eſſet propriè de tali Eccleſia ratione beneficij proprij, vt filius excluderetur etiam à miniſterio in tali Eccleſia, quia ſuppoſito, quod Pater eſſet propriè de tali Eccleſia, indignum viſum eſt, vt filius in eadem miniſtraret, quia magis ſuſcitaret memoriam incontinentiæ paternæ, quam non ità facilè ſuſcitaret, ſi Pater non eſſet de gremio illius Eccleſiæ, nec haberet ſtallum in Choro, nec vocem in Capitulo, ſed dumtaxat nudum miniſterium celebrandi in eadem, quod poteſt eſſe commune alijs &c.

ARTICVLVS XIII.

Expediuntur nonnulla ad hanc materiam pertinentia.

SVMMARIVM.

An Capellanus poſſit Miſſas anticipatè perſoluere. 1.
Decretum Sacræ Congregationis ſub die 5. Nouembris 1605. non videtur extendi ad hunc caſum. 2.
Attenta præciſa teſtatoris diſpoſitione, & excluſo alio fine probabile eſt, quod poſſit. 3.
Si teſtator intenderit cultum Deo præſtandum in tali Eccleſia ſingula hebdomada non poteſt. 4.
An Capellanus poſſit omittere Miſſam vnam in hebdomada, & tempore infirmitatis remiſſiuè. 5.
An Capellanus mercenarius poſſit in hebdomada vnam Miſſam omittere. 6.
Attento longo, & continuato tractu temporis, quo debet pro teſtatore celebrare attentis certis conditionibus poteſt. 7.
Intellige in caſibus, in quibus poteſt beneficiarius. 8.
Item, ſi non aſſignetur ſtipendium pro ſingulis diebus, ſed in ſingulis annis. 9.

DVbium I. An Capellanus, cui iniunctum eſt onus certas Miſſas per ſingulas hebdomadas celebrandi, poſſit ad ſupplendum defectum Miſſarum, qui ſit in tali Eccleſia in aliqua hebdomada, anticipatè celebrare Miſſas, ad quas tenetur ſequenti hebdomada, illa hebdomada, qua Miſſæ deficiunt in tali Eccleſia. 1 Senſus dubij expoſitus.

2 Decretũ Sacræ Congregationis ſub die 5. Nouembris non videtur ferire hunc caſum. Sub die 15. Nouembris 1605. prodijt decretum Sacræ Congregationis, quo vetatur anticipata Miſſarum celebratio ad adimplendum onus, quod nonniſi poſt aliquod temporis obligat. Sed ex hoc capite non videtur Capellanus impediri, quominus Miſſas illas poſſit anticipatè celebrare, quandoquidem decretum illud eo dumtaxat dirigitur, vt vetet vſum, qui fuerat in aliquibus regionibus receptus, celebrandi Miſſas pro illis, qui impoſterum eleemoſinas ſubminiſtrabunt, qui certè vſus eſt omni iure damnabilis, cum Miſſæ celebrarentur pro perſonis incertis, & fructus ſacrificij quodamodo ſuſpenderetur, vſquequo perſona ſtipendium offerret; Neque poteſt dici, quod non ſuſpendatur effectus illius ſacrificij, cum Deus pro tempore immolationis illum applicet ei, quem

nouit

nouit oblaturum ſtipendium; Non, inquam, dici poteſt, quia contractus, qui fiunt inter homines, attendendi ſunt ſecundum rationem, quam exigit conditio hominum, nō ſecundum menſuram Diuinam, quæ ſe accommodat conditioni eorundem, vt notat *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. cap. 31. nu. 12.* Deindè poteſt contingere, quod ille, qui oblaturus eſt ſtipendium, pro tempore immolationis ſit in peccato læthali, & pro tempore, quo offert ſtipendium, ſit in gratia, ex quo ſequitur, quod non conſequatur gratiam, quam eſſet conſecuturus, ſi pro tempore oblati ſtipendij Miſſæ celebrarentur. Hæ autem rationes non militant, quando Miſſæ iam determinatæ ſunt pro certa, & determinata perſona, vt ex ſe patet.

Difficultas igitur ex alio capite deſumenda eſt, nempè, vel à diſpoſitione teſtatoris, qui expreſſit celebrationem in ſingulas hebdomadas, vel ex fine, qui haberi potuit in tali diſpoſitione, vt ſcilicet cultus in tali Eccleſia ſingulis hebdomadibus exhibeatur Deo, vel commoditas præbeatur populo ſingulis hebdomadibus audiendi ſacrum.

3 Præciſo alio fine probabilius poteſt.

Reſpondeo primò. Attenta præcisè diſpoſitione teſtatoris remoto alio quocunque fine non eſt improbabile, quod interueniente iuſta cauſa poſſint Miſſæ alicuius hebdomadæ anticipatè celebrari *Petrus de Ledeſma in ſumma part. 1. tract. de Euchariſtia cap. 18. num. 157., Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 2. num. 372., Petrus de Arragona ſecunda ſecundæ quæſt. 85. art. 3. dub. de illis, qui dicunt Miſſas anticipatas, Vega lib. 6. caſ. 59., Aloyſius Riccius in praxi deciſ. 400. in prima edit., & reſol. 338. in ſecunda.* Ratio ex eo deducitur, quod ſacrificium illud offertur pro vero, certo, & determinato creditore, & illa anticipata ſolutio non ei officit, ſed potius prodeſt; quo citiùs enim fit immolatio, eo citiùs teſtator ſentiet effectum immolationis, nempè refrigerium.

4 Attento fine cultus Dei in ſingula hebdomada inſpecto à teſtatore non poteſt.

Reſpondeo ſecundò. Attento fine, de quo conſtet, quod teſtator voluerit cultum Dei in ſingulis hebdomadibus in tali Eccleſia exhibendum, vel commoditatem populi in omnibus hebdomadibus, probabilius eſt, quod nequeat Capellanus illas Miſſas anticipatè celebrare, ita vt illa Eccleſia remaneat pro aliqua, ſeu aliquibus hebdomadibus inofficiata, ſeu Miſſis debitis priuata. In hoc conſentit *Marchinus tract. 3. de ſacrific. Miſſæ part. 2. c. 31. n. 11.* Ratio eſt, quia per illam anticipatam celebrationem non ſeruaretur mens teſtatoris; qui voluit cultum Dei, & commodum populi ſingulis hebdomadibus. Adde, quod, ſi Sacerdos obligatus ex diſpoſitione teſtatoris celebrare in aliquo loco non celebraret in tali loco, grauitèr delinqueret, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam ſi Sacerdos obligatus ex eiuſdem teſtatoris diſpoſitione celebrare pro certis diebus, vel hebdomadibus non celebraret in illis, grauitèr delinqueret argumento deducto à loco ad tempus.

5 An poſſit omittere Miſſam in hebdomada remiſſiuè.

Dubium II. An Capellanus obligatus quotidiè celebrare pro inſtitutore Capellaniæ poſſit quandoque ſacrum omittere, & quid pro tempore infirmitatis. In hoc non eſt immorandum, cum de eo latè egerimus in præcedentibus, quæ ſunt recolenda, non hic repetenda.

6 Quid de Capellano mercenario.

Dubium III. An dato, quod Capellanus, qui verè ſit beneficiatus, & obligatus quotidiè pro inſtitutore celebrare poſſit maioris honeſtatis gratia vnam Miſſam ſingula hebdomada omittere, idem poſſit efficere Capellanus merè mercenarius. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod mercenarius computatur, ac ſi eſſet conductus ad dietim celebrandum erogato ſtipendio ſingulis diebus per conductorem; conductus autem dietim ad celebrandum ſingulis diebus accepto pro illis ſtipendio correſpondente ſingulis non poteſt Miſſam aliquam omittere. Nihilominus

7 Exponitur quādo poſſit.

Reſpondeo, quod attento continuato tractu, quo ſucceſſiuè debet celebrare pro inſtitutore aſſignato non in ſingulis diebus ſtipendio, ſed in vniuerſum ſtipendio aſſignato à teſtatore, probabilius ſit, quod in ijs caſibus, in quibus poteſt beneficiarius omittere, poſſit etiam omittere mercenarius. Rationem ex eo deduco, quod illa facultas, quam DD. concedunt Capellanis obligatis quotidiè celebrare, omittendi vnum ſacrum in hebdomada, non eſt ratione beneficij, ſed ratione oneris quotidiè celebrandi ex benigna Eccleſię conceſſione, & præſumpta teſtatoris voluntate, & hoc ob honeſtatem eorundem Capellanorum, & Sacramenti venerationem, vt habetur *in cap. quotidiè de celebrat. diſtinct. 2.*; hæc autem ratio æquè militat quoad Capellanos beneficiarios, & mercenarios, quando ex eadem diſpoſitione teſtatoris ſunt obligati quotidiè celebrare, ergo &c.

8 In caſibus in quibus poteſt beneficiarius.

Dixi, *in ijs caſibus, in quibus poteſt beneficiarius omittere*, nam, vbi non poteſt omittere beneficiarius, multominùs poterit omittere mercenarius. Si autem quęratur, quādonam beneficiarius poſſit omittere, & quando non; dicendum eſt, hoc pendere ex expreſſa inſtitutoris voluntate. Vbi autem de hac non conſtat, tunc plures diſtinguentes dicunt, quod, quando obligatio dirigitur principalitèr ad locum, & ſecundariò ad perſonam, tunc non poſſit Capellanus omittere; quando verò diri-

dirigitur principalitèr ad perſonam poſſit omittere. Alij alitèr diſtinguentes dicunt, quod, ſi teſtator primo intenderit remiſſionem ſuorum peccatorum, poſſit Capellanus omittere; ſecus verò, ſi primò intenderit venerationem talis Capellæ; atque iuxta huiuſmodi diſtinctionem procedunt *Silueſter verb. Miſſa 1. quæſt. 7. §. 5.*, *Nauarrus tom. 1. conſ. lib. 3. de prabend. conſ. 25.*, *Suarez de Sacrament. diſp. 86. ſect. 1. verſ. de beneficijs in fin.* Sed exiſtimo has diſtinctiones procedere potiſſimum, & principalitèr in caſu infirmitatis Capellani.

9 Si ſtipendium non fuerit taxatum ad ſingulos dies.

Dixi in reſponſione *aſſignato non in ſingulis diebus ſtipendio, ſed in vniuerſum ſtipendio in ſingulis annis*. Si etenim ſupponamus, quod teſtator diſpoſuerit in hunc modum. Eligatur Sacerdos, qui celebret quotidiè, & pro ſingulis Miſſis erogetur tale determinatum ſtipendium, tunc certè non eximerem Sacerdotem ſic electum ab obligatione celebrandi quotidiè, &, ſi omitteret pro aliqua die celebrare, ſtipendium correſpondens Miſſæ illius diei non eſſet erogandum, cum ſtipendia ſint taxata ad ratam dierum.

ARTICVLVS XIV.

An Sacerdos ſubſtitutus à Capellano ad celebrandum pro teſtatore pro quo ipſe tenetur, ſi omittat celebrare cauſa infirmitatis per aliquot dies poſſit exigere eleemoſinam correſpondentem illis diebus, pro quibus omittit.

SVMMARIVM.

- *Capellanus obligatus per ſe celebrare quotidiè ratione infirmitatis excuſatur per menſem à celebratione.* 1.
- *Vbi alitèr quid diuerſum non conſtet, poteſt per alium ſatisfacere.* 2.
- *Rationes ſuadentes etiam ſubſtitutum ratione infirmitatis excuſari per menſem.* 3.
- *Subit onera Capellani.* 4.
- *Tunc magis indiget.* 5.
- *Teſtator æquè videtur indulgere ſubſtituto, ac Capellano.* 6.
- *Ratione honeſtatis poteſt ſemel in hebdomada non celebrare.* 7.
- *Subſtitutus ratione infirmitatis non celebrans non acquirit ſtipem.* 8.
- *Tenetur Capellanus per alium ſupplere.* 9.
- *Subſtitutus perindè eſt, ac ſi eſſet dietim conductus.* 10.
- *Præſtat nudum miniſterium.* 11.
- *Stipendium erogatur propter onus celebrationis.* 12.
- *Diuerſa ratio de ipſo Capellano, ac de ſubſtituto.* 13.
- *Quando onus non eſt alligatum vni, ſed poteſt adimpleri per alium ſemper viget.* 14.
- *Quandonam onus intelligatur alligatum Capellano.* 15.
- *Aſſignantur nonnullæ regulæ.* 16.

1 Capellanus ratione infirmitatis excuſatur à celebratione per menſem.

Dictum fuit in præcedentibus, & ſignantèr *quæſt. 11. art. 1. num. 12.*, quod Capellanus obligatus quotidiè celebrare pro teſtatore, ſi cauſa infirmitatis omittat per menſem in anno celebrare, non priuetur ſtipendio ſibi debito, ſeu aſſignato correſpondente omiſſis Miſſis, ſed illud conſequatur, hocque firmauimus ex *Concil. Prouinciali Mediolan. ſeptimo titulo de Miſſis*, Doctoreſque hoc aſſerentes allegauimus. Modo dubium inſurgit, an hæc facultas, quæ competit Capellano ratione infirmitatis acquirendi illos redditus correſpondentes eiſdem Miſſis omiſſis, competat etiam ſubſtituto ex eadem cauſa, qui per multum tempus celebrat nomine Capellani pro eodem teſtatore, acquirendi eleemoſinam ipſis correſpondentem.

2 Poteſt per aliũ ſatisfacere.

Non vertimus in dubium, quando teſtator expreſsè non diſpoſuit, quod Capellanus teneatur per ſe ipſum celebrare poſſit oneri Capellaniæ per alium ſatisfacere, prout declarauit Sacra Congregatio apud *Homobonum part. 1. tract. 4. c. 13. qu. 122.*, vbi etiam aſſerit, quod per Epiſcopum non poſſit compelli Capellanus ad celebrandum per ſe ipſum; hocque firmant *Gonzalez ad reg. 8. Cancell.*, *Gloſa 5. num. 84.*, *Garzias de benefic. part. 7. cap. 1. n. 85.*, *& 87.*, *Campanill. à diuerſ. iur. can. rub. 7. cap. 6. num. 9.* Sed, an hic alius ſubſtitutus ad celebrandum, ſi per tempus aliquod perſeueret in tali celebratione, & ratione infirmitatis omittat per aliquod tempus celebrare, ius habeat pro illo tempore omiſſionis exigendi congruam eleemoſinam, ſicuti acquireret ipſe Capellanus, ſi per ſe ipſum celebraret, in cauſa illa infirmitatis, id eſt, quod venit diſſoluendum ſub præſenti titulo.

3 Rationes ſuadentes etiam ſubſtitutum ratione infirmitatis excuſari per menſem.

Videtur prima fronte affirmandum primò, quia in hoc ſubſtitutus ſubit onera eiuſdem Capellani, ipſiuſque vices, & perſonam gerit, ergo, & iura eidem competentia debet acquirere, adeoque, ſi ipſe Capellanus, qui per ſe ipſum celebraret, acquiris redditus etiam pro tempore breuis infirmitatis, & ipſe ſubſtitutus ex eadem cauſa poteſt iuſtè acquirere.

4 Subit onera Capellani

Secundò, quia ſtipendium, ſeu redditus pro Miſſis erogantur in congruam ſuſtentationem Sacerdotis celebrantis per ea, quæ ſupra commendauimus, quod, ſeu qui, ſicuti non ſubtrahuntur à Capellano pro tempore breuis infirmitatis, quia pro illo

illo ſupponitur magis indigere, ita, nec videntur ſubtrahendum, ſeu ſubtrahendi à ſubſtituto, cum etiam ipſe pro illo tempore videatur magis indigere; ſupponimus enim, quod hic ſit ab eodem Capellano conductus pro aliquo tempore ad vices eiuſdem Capellani ſubeundas, ità vt non poſſit pro eo tempore alijs ſe addicere.

5 Tunc magis indiget.

6 Teſtator ęquè vtrique videtur indulgere. Tertiò, quia ex quo teſtator liberum reliquerit eidem Capellano celebrare, vel per ſe ipſum, vel per alium, ęquè videtur elegiſſe perſonam Capellani, vel alterius ſubſtituti ad munus per ſe prę'criptum obeundum, ergo ęquè vtrique videtur indulgere, ideoque, ſicuti indulget eidem Capellano pro tempore breuis infirmitatis, vt redditus retineat, ita verſante eadem cauſa indulgere cenſendus eſt & ſubſtituto, vt eleemoſinam acquirat.

7 Ratione honeſtatis poteſt ſemel in hebdomada omittere. Quartò, quia, quantumuis hic ſubſtitutus ſe obligauerit erga Capellanum ad celebrandum quotidiè pro teſtatore non tollitur tamen, quin ratione honeſtatis poſſit ſemel in hebdomada Miſſam omittere, & nihilominus ſtipem illi correſpondentem acquirere, ergo etiam, quantumuis ſe obligauerit ad quotidiè celebrãdum, poterit tamen ratione breuis infirmitatis omittere, & nihilominus acquirere ſtipem &c. His tamen non obſtantibus.

8 Abſolutè ſubſtitutus non celebrans non acquirit ſtipem. Abſolutè aſſerendum eſt, ſubſtitutum ratione infirmitatis non acquirere ſtipem Miſſis omiſſis correſpondentem, ſed illam erogandam eſſe alteri Sacerdoti, vt celebret, vel retinendam ab ipſo Capellano, ſi ipſe per ſe ipſum pro illis diebus celebret. Ratio ex eo deducitur primò, quia, quando teſtator non obligat Capellanum ad celebrandum per ſe ipſum, ſed relinquit poteſtatem celebrandi per alium, ità tamen, vt quotidiè fiat celebratio, vel ſimplicitèr, vel in aliquo determinato loco, eſt quotidiè Miſſa celebranda, nec ex cauſa infirmitatis eſt omittenda *Vgolinus de offic. Epiſcop. cap. 14. num. 3.*, *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 24. quæſt. 7.*, *Graſſius deciſ. aur. lib. 2. cap. 39. num. 8.*, *Riccius in praxi for. Eccleſ. deciſ. 399.*, *Naldus in verb. Miſſa, & verb. Capellania*, *Campanilis in diuerſ. iur. can. rub. 7. c. 6.*, *Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloſa 5. num. 84.*, *Bonacina de Sacrament. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 2. num. 17.*, & congruis quidem rationibus ad hoc aſſerendum mouentur;

9 Tenetur Capellanus per aliũ ſupplere. primò, quia, cum teſtator abſolutè diſpoſuerit de illo onere Miſſæ quotidianæ, nec ad illud per ſe ipſum adimplendum obligauerit Capellanum, intelligitur abſolutè voluiſſe adimplementum illius, ità vt non poſſit omitti ex impedimento Capellani, cum poſſit per alium adimpleri, vt firmat *Homobonus de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæſt. 122.*; Secundò, quia, cum determinatè non ſit electa bonitas perſonę, non eſt aſſignabilis titulus, ratione cuius Capellanus eximatur ab onere adimplendi Miſſas per ſubſtitutum omiſſas; non titulus infirmitatis ſubſtituti, quia onus non eſt ipſi alligatum, cum poſsit per alium adimpleri, nec ipſe fuit à teſtatore conſideratus; non titulus oneris aſſumpti pro Capellano, quia in primis, nec ipſe Capellanus, ius habet acquirendi illos redditus pro Miſsis, quas omiſit ratione infirmitatis, quando in fundatione dictum eſt, quod poſsit, vel per ſe ipſum, vel per alium celebrare per ea, quæ tradunt DD. ſupra commendati; Deindè cum ipſe ſubſtitutus non habeat titulum in beneficium, ſed merè ad eleemoſinam correſpondentem oneri, ſicuti ceſſat onus pro tempore infirmitatis, ceſſat etiam ius ad eleemoſinam.

Item ratio ex eo deducitur, quod ſic ſubſtitutus videtur talitèr computandus, & ſi eſſet dietim conductus ad celebrandum pro teſtatore; poteſt enim ad libitum remoueri à tali onere, cum ſit mercenarius; conductus autem dietim ad opera de die in diem acquirit ſtipem ratione operum, quæ de die in diem præſtat ſicque pro diebus, quibus non præſtat opera, ex quacunque cauſa non præſtet, mercedem non acquirit, vt videre eſt in ſimilibus, ergo ſubſtitutus ſic conductus, ſi pro aliquibus diebus non celebret, ex quacunque cauſa non celebret, non facit ſtipem ſuam. 10 Subſtitutus eſt dietim cõductus.

Item ratio ex eo deducitur, quod onus celebrandi, ſeu celebrare faciendi non incumbit ſubſtituto, qui præſtat nudum miniſterium; ſed Capellano electo, cuius oſſibus onus illud adhæret, quique poteſt, vel per vnum, vel per alium adimplere, nec obſtringitur huic determinatè, ergo iſto impedito ad celebrandum, tenebitur per alium ſupplere; non enim deobligatio conſurgit ex impedimento ſubſtituti, cum alius poſſit ſubſtitui. 11 Præſtat nudum miniſterium.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; Non primum, quia, licet ſubſtitutus gerat vices Capellani non acquirit tamen iura Capellani, cum præſtet ſolum nudum miniſterium, & vtique amouibile; non enim acquirit titulum, nec ius correſpondens ad omnes redditus beneficij; cum beneficiarius non teneatur fructus correſpondentes beneficio erogare eidem ſubſtituto, ſed ſolummodò iuxtà taxam, vel ab Epiſcopo, vel à conſuetudine inductam per ea, quæ ex mente Sacræ Congregationis ſupra commendauimus; Quamobrem non habet ius, niſi ad eleemoſinam correſpondentem oneri, quo ceſſante propterea ceſſat & idem ius. Deindè, nec ipſe Capellanus, quando eidem impoſitum

eſt

eſt onus quotidiè celebrandi, vel per ſe, vel per alium, habet ius retinendi fructus beneficij pro tempore, pro quo non celebrat etiam ex cauſa infirmitatis per ea, quæ conſtant ex dictis, & commendant *Bonacina quæſt. 4. de Sacrament. Euchariſtiæ qu. vltim. punct. 7. §. 2. num. 17.*, vbi alios plures allegat, *& Azorius inſtitut. moral. part. 1. lib. 10. c. 24. qu. 7.*

12 Stipendium erogatur propter onus celebrationis. Non ſecundum; nam, quamuis ſtipendium Miſſarum erogetur titulo congruæ ſuſtentationis, erogatur tamen propter onus celebrationis, quæ, quando non ponitur, ſtipem non meretur; nec releuat, quod tunc ſubſtitutus ſit magis in ſtatu indigentiæ, & neceſſitate ſuſtentationis, nec quod ipſe Capellanus ratione eiuſdem verè acquirat, quamuis non celebret. Non releuat, inquam, quia ſtatus indigentiæ ſubſtituti non tribuit ius ad ſtipem pro opere, quando hoc non eſt poſitum, ſed ad ſummum ad aliquod ſubleuamen ex titulo generalis charitatis, quæ non potius obligat ipſum Capellanum, ſeu Teſtatorem, quam alios; nec currit paritas de ipſo Capellano; quando tenetur celebrare per ſe ipſum; quia, cum onus ſit eidem alligatum, ipſo verè impedito ceſſat, nec teſtator intelligitur velle ipſum obligare, vtpotè qui elegit eius perſonam determinatè, in illo impedimento, ratione cuius excuſatur à celebratione. Deindè ipſe habet titulum, ratione cuius ad perpetuitatem obligatur, ac proinde non eſt mirum, vt, ſicuti premitur maiori onere, ità gaudeat potiori iure.

13 Diuerſa ratio de Capellano, ac de ſubſtituto.

Non tertium, quia, ex quo teſtator liberum reliquit Capellano celebrare, vel per ſe ipſum, vel per alium, potius arguitur, quod voluerit abſolutè ſacrificium, ità vt, ſi non præſtet per ſe ipſum, vel ex impotentia, vel ex libertate, teneatur per alium præſtare, ne opus abſolutè volitum omittatur; & in hac hypotheſi, nec intelligitur indulgere ipſi ſubſtituto, nec Capellano, &, ſi ad abundantiam voluerimus dicere, quod teſtator non æque indulgeat ſubſtituto, ac ipſi Capellano, poſſumus etiam dicere, quod maius onus etiam afficiat Capellanum, vtpotè, qui ſubditur legi perpetuitatis ratione tituli, cui non ſubditur ipſe ſubſtitutus.

14 Quando onus poteſt per alios adimpleri ſemper viget

Non quartum, quia, vt benè notant *Azorius inſtitut. mor. part. 1. lib. 10. c. 24. quæſt. 7.*, *Bonacina de Sacrament. Euchar. diſp. 4. quæſt. vltim. punct. 7. §. 2. num. 17.* excuſatio ex titulo honeſtatis non militat, quando onus celebrationis quotidie eſt impoſitum Capellano, vt illud adimpleat, vel per ſe, vel per alium, quia, ſi excuſatur ſubſtitutus ratione honeſtatis, non excuſatur tamen Capellanus ab onere ſupplendi per alium, cum non ſit alligatum onus vni.

Neque obſtant, quæ in præcedenti articulo dicebamus, de Capellano mercenario, qui, ſi fuerit conductus, & electus ad celebrandam Miſſam quotidianam pro teſtatore ad diutinum tempus, poſſit gaudere iure omittendi cauſa honeſtatis Miſſam vnam in hebdomada, & ratione infirmitatis acquirendi congruam ſtipem, quantumuis per eundem menſem Miſſas omiſerit. Non obſtant, inquam, quia ea, quæ ibi dicta ſunt, procedunt dumtaxat, quando per teſtatorem vna ſimul integra aſſignata eſt ſtipes ſingulis annis eroganda Capellano, quantumuis ſolum mercenario pro Miſſa quotidiana cum onere, vt per ſe ipſum celebret, adeo vt eidem adæquatè tribuatur ad ratam temporis, pro quo celebrat; vndè eidem non intelligitur aſſignata ſtipes ad menſuram dierum, ſed ad Corpus, nec differt à Capellano proprio, niſi in hoc, quod iſte non eſt amouibilis, ille autem poteſt amoueri; Subſtituto autem à Capellano, de quo hic loquimur, non eſt aſſignata ſtipes, niſi iuxtà taxam correſpondentem ſingulis diebus, non ad ratam redditutum, qui debentur Capellano, ac propterea perindè ſe habet, ac ſi eſſet conductus dietim; nec releuat, quod eleemoſina non ſoluatur de die in diem, quia ſufficit, quod ſit taxata non ad normam reddituum, qui debentur Capellano, ſed iuxtà quantitatem conſtitutam à lege, vel conſuetudine pro ſingulis Miſſis.

Quæ hactenus dicta ſunt, procedunt ex ſuppoſitione, quod in ipſa fundatione Capellaniæ facta fuerit facultas Capellano celebrandi, vel per ſe, vel per alium; ſi etenim hæc facultas non vigeret, non haberet locum hæc quæſtio, cum ſupponeretur onus alligatum Capellano, qui iuxta ſuperiùs dicta non ſolum ex cauſa honeſtatis poſſet ſemel in hebdomada ſacrum omittere, ſed etiam omittendo per menſem cauſa infirmitatis non priuaretur redditibus aſſignatis. Difficultas ſolummodò aliqua vrgere poteſt in inueſtigando, quando expreſſis verbis non conſtat, quomodo arguendum ſit, quod talis facultas fuerit, vel non fuerit conceſſa. *Azorius loc. cit.*, aſſerit arguendum eſſe ex adiunctis, antecedentibus, & conſequentibus, relatiſque pluribus dictionibus, quibus onus ſupponitur, aſſignat in ſingulis, quando intelligatur data talis facultas, & quando non intelligatur data, & ſignantèr notat, quod, quando obligatio dirigitur ad locum, vt, ſi fundator dicat. Volo, vt quotidiè res Diuina fiat in tali determinato ſacello, tunc Capellanus teneatur, vel per ſe, vel per 15 Quandonam onus intelligatur alligatum Capellano, & quando non.

alium

alium in tali ſacello celebrare, quia in tali diſpoſitione intelligitur electus locus, quando verò dirigitur ad perſonam, vt, 16 ſi dicat. Volo, vt Presbyter ad hanc Capellaniam electus quotidiè celebret, & tunc aſſerit, quod Capellanus non poſſit per alium celebrare, quia intelligitur electa perſona, quæ propterea cauſa honeſtatis poterit ſemel in hebdomada ſacrum omittere, &, ſi infirmitate teneatur, per menſem poſſit item per illum omittere, & nihilominus redditus illi correſpondentes acquirere. Alias etiam diſpoſitiones in ſimilibus terminis conceptas refert *Bonacina loc. cit.*, aſſignando in ſingulis, quænam inferant talem facultatem celebrandi per alium, &, quæ non inferant. Ipſum conſulite. Cum his complemus quæſtiones, quæ pertinent ad ſacrificium Miſſæ, & ad alia ad ipſum pertinentia. Vtinam Chriſtum Dominum, quem hactenus ſpeciebus velatum conſiderauimus, reuelata facie contemplari mereamur in Cœlis fructu ſacrificij fruituri, & reddituri ſacrificium laudis, dum oſtendet nobis ſalutare Dei.

Aſſignãtur nonnullæ regulæ.

F I N I S.

AD LAVDEM, ET GLORIAM OMNIPOTENTIS DEI, DEIPARÆ VIRGINIS, ET DOCTORIS GENTIVM.

IN-

INDEX RERVM.

Q. ſignificat Quæſtionem, A. Articulum, S. Sectionem, N. Numerum marginalem, P. Paginam.

A

Abbas.

Abbates ex priuilegio, ſi fuerint Mitrati, & benedicti poſſunt conſecrare vaſa ſacra. q. 9. a. 2. num. 10. pag. 280

Accidentia.

Accidentia panis, & vini intrinſecè pertinent ad eſſentiam ſacrificij. q. 1. a. 4. n. 4. p. 11
Accidentia panis, & vini non dicuntur præciſè conſecrata ratione inexiſtentiæ Corporis Chriſti, ſed etiam ratione verborum. q. 5. a. 1. n. 11. pag. 128
Deſinentibus accidentibus panis, & vini conſecrati deſinit ſubſtantia Corporis, & Sanguinis ſub eiſdem. q. 5. a. 3. n. 17. p. 137
In apparitionibus miraculoſis per mutationem magnam accidentium deſinit eſſe Chriſtus in eiſdem. ibid. n. 32. p. 142
Manentibus dimenſionibus, quæ prius erant, ſi mutatio fuerit circa accidentia communia, probabilius eſt, quod Chriſtus adhuc remaneat. ibid. n. 32. a. 33. p. 142
Mutatis dimenſionibus cum accidentibus proprijs deſinit Chriſtus ſacramentalitèr. ibid.
Manentibus iiſdem dimenſionibus, & mutatis accidentibus proprijs, probabilius non remanet Chriſtus Dominus. ibid.
Manentibus accidentibus proprijs, & mutata ſolum dimenſione, probabilius non deſinit Chriſtus Dominus. ibid. nu. 35. p. 143
Accidentia Corporis Chriſti non veniunt formalitèr vi verborum ſub ſpeciebus panis. q. 5. a. 8. p. 162
Accidentia panis, & vini in duplici differentia, & quali. q. 7. a. 1. n. 1. p. 188
Accidentia panis, & vini omnia remanent poſt conſecrationem. ibid. n. 2. p. 188
Non eſt tamen de fide. ibid. n. 3. p. 188
Explicantur in hoc Concilia. ibid. n. 4. p. 188
Quantitas panis, quomodo exiſtat in Euchariſtia ſine ſubiecto, vide verbo *Quantitas*.
Qualitates panis, & vini in duplici differentia. q. 7. a. 3. n. 2. p. 193
Huiuſmodi qualitates quoad modum vnionis, ſeu inhærentiæ non mutantur, nec intrinſecè, nec extrinſecè. ibid. n. 3. p. 193
Qualitates dependentes in conſeruari à forma, quantum ad modum dependentiæ effectiuæ mutantur intrinſecè deperditiuè, & extrinſecè acquiſitiuè. ibid. n. 8. p. 194
Quænam qualitates dependeant à forma in conſeruari. ibid. n. 9. p. 195
Accidentia panis, & vini in Sacramento poſſunt in alio ſubiecto producere eas qualitates, quas poterant producere, quando erant vnita cum proprijs ſubſtantijs. q. 7. a. 4. n. 2. p. 196
Accidentia Euchariſtica poſſunt agere intentionalitèr mouendo potentias. ibid. n. 4. p. 196
Non poſſunt efficere ſubſtantiam, benè ad illam diſponere. ibid. nu. 7. p. 197
Nec poſſunt effectiuè corrumpere ſubſtantiam. ibid. n. 10. p. 197
Accidentia Euchariſtica pati poſſunt, & phyſicè, & intentionalitèr. ibid. n. 11. p. 197
Poſſunt etiam corrumpi, dum remanent in potentia quantitatis. ibid. n. 12. p. 198
Si cum huiuſmodi accidentibus deſinaret etiam quantitas, an dici poſſent corrumpi remiſſiuè. ibid. n. 14. p. 198
Ex ſpeciebus ſacramentalibus poteſt aliquid ſubſtantiale produci. ibid. n. 15. p. 198
Hæc ſubſtantiæ productio non fit per conuerſionem. ibid. n. 16. p. 198
Nec ſimplicitèr per creationem. ibid. num. 17. pag. 198
Nec per generationem ex aere circunſtante. ibidem. n. 19. p. 199
Nec per generationem ſupplente quantitate vicem materiæ. ibid. n. 21. p. 199
Non redit deſinentibus ſpeciebus tota ſubſtantia panis, & vini. ibid. n. 23.
Subſtantia, quæ producitur ex deſitione ſpecierum, producitur per creationem, & generationem, & quomodò. ibid. n. 24. p. 200
Creatur eadem numero materia panis, & vini, quæ erat antecedentèr ad conuerſionem. ibid. n. 27. p. 201
Non reproducitur tamen eadem quantitas. ibid. n. 28. p. 202
Quomodo accidentia Euchariſtica alterata ſe reducant ad proprium ſtatum. q. 7. a. 5. n. 6. pag. 203
Accidentia ſacramentalia, an nutriant, & quomodo. ibid. nu. 7. p. 203

Actio.

Actio, qua ſubſtantia panis, & vini tranſit in ſub-

ſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini non eſt anihilatiua. q. 5. a. 2. n. 7. p. 130
Non terminat ad purum nihilum. ibid.
Actio, quæ trahit Corpus Chriſti Domini ad exiſtendum ſub ſpeciebus terminat etiam cauſaliter, & illatiuè ad deſinentiam panis. ibid. n. 8. p. 130
Actio, qua ad deſitionem ſpecierum deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti, non eſt actio conuerſiua, & quare. ibid. n. 9. p. 131
Actio, qua Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus eſt actio reproductiua. q. 5. a. 3. n. 1. p. 133
Nec eſt merè conſeruatiua. ibid. n. 2. p. 133
Terminus huius actionis non eſt modus ſubſtantialis. ibid. n. 3. p. 133
Nec ſubſtantia Corporis Chriſti, prout ſupplet defectum ſubſtantiæ panis, ibid. n. 4. p. 134
Terminus eiuſdem eſt ſubſtantia Corporis Chriſti, vt reproducta. ibid. n. 8. p. 134
Non conſtituitur per actionem adductiuam, ibid. n. 9. p. 134
Probatur actio reproductiua rationibus, tam Phyloſophicis, quam Thologicis. ibid. n. 10., & 11. p. 135
Actio moralis poteſt eſſe ad ſe ipſam. ibid. nu. 12. pag. 135
Idem poteſt eſſe per duplicem actionem. ibid. n. 14. p. 136
Soluuntur quædam argumenta oppoſita. ibid. n. 16. p. 137
Actio, qua deſinentibus ſpeciebus Chriſtus Dominus deſinit eſſe ſub eiſdem, non eſt actio formaliter poſitiua, ſed ceſſatio ab actione reproductiua. ibid. nu. 17. p. 137
Nec eſt per meram ceſſationem præſentiæ. ibidem. n. 19. p. 137
Nec per extrinſecam mutationem ſpecierum. ibid. n. 20. p. 138
Nec per tranſitum localem. ibid. n. 25. p. 138
Nec per anihilationem. ibid. n. 22. p. 138
Vide verbo *Chriſtus Dominus*.
Actiones, quæ ſpectant ad ritum Miſſæ. q. 9. a. 8. n. 1. p. 297
Referuntur actiones, quæ pertinent ad ornatum. ibid. n. 2. p. 298
Item, quæ pertinent ad ſignificationem myſteriorum. ibid. nu. 3. p. 298
Signa Crucis ſignificant paſſionem. ibid. nu. 4. pag. 298
Fiunt in numero diſpari, & quare. ibid. num. 5. pag. 298
Eorum determinata ſignificatio. ibid. num. 6. pag. 298
Actiones, quæ fiunt in recognitionem Diuinitatis. ibid. n. 8. p. 299
Actiones, quæ indicant ſubiectionem. ibid. nu. 9. pag. 299
Manuum ablutio in Miſſa eſt noua cæremonia. ibid. n. 11. p. 299
Cur eædem actiones ſæpè repetantur in eadem Miſſa. ibid. n. 12. p. 299
Recenſentur ſignificationes aliarum actionum. ibid. n. 14. p. 300

Adminiſtrator

Adminiſtratores Eccleſiarum, an poſſint eleemoſinas Miſſarum, quę in illis erogantur, minuere ratione expenſarum, quæ in illis fiunt. q. 12. a. 10. n. 4. p. 388
Refertur decretum Sacræ Congregationis. ibid. n. 5. p. 388
Non poſſunt minuere, ſi habeant aliundè redditus. ibid. n. 6. p. 388
Si habeant alios redditus, ſed ex mente teſtatorum deſtinatos ad alios vſus, poſſunt eleemoſinas Miſſarum minuere. ibid. n. 7. p. 388
Et etiam, ſi redditus, quos habent ſint neceſſarij ad alios vſus. ibid. n. 8. p. 388
Si habeant alios redditus, nec deſtinatos ad alios vſus, nec neceſſarios, non poſſunt minuere eleemoſinas Miſſarum. ibid. n. 9. p. 388
In caſibus, in quibus poſſunt minuere, poſſunt tantum minuere pro neceſſarijs ad ipſas Miſſas. ibid. n. 10. p. 389
In caſibus, in quibus poſſunt minuere, ſententia aſſerens æquè minuendas eſſe de manualibus, ac de perpetuis. ibid. n. 3. p. 389
Sententia aſſerens eſſe tantum de manualibus minuendas. ibid. n. 14. p. 389
Sententia aſſerens minuendas eſſe de perpetuis antiquis. ibid. n. 15. p. 389
De vtriſque poſſunt diminui. ibid. num. 16. pag. 390

Altare.

Ad ſacrificium requiritur Altare ex præcepto Eccleſiaſtico. q. 9. a. 1. n. 1. p. 274
Non ex neceſſitate ſacrificij. ibid. n. 2. p. 274
Nec ex iure Diuino. ibid. nu. 3. p. 274
Debet eſſe lapideum, & quomodo. ibid. num. 5. pag. 274
Debet eſſe conſecratum. ibid. n. 7. p. 275
Conſecratio ex officio debet fieri per Epiſcopum. ibid. n. 8. p. 275
Ex commiſſione Papæ poteſt fieri per Sacerdotem. ibid. n. 9. p. 275
Ritus conſecrationis Altaris. ibid. n. 11. p. 275
An requirantur in eodem Reliquiæ Sanctorum. ibid. n. 12. p. 276
Altaria amittunt conſecrationem fractione, & motione. ibid. n. 13. p. 276
Mobilia nonniſi fractione. ibid. nu. 14. p. 276
Altare debet eſſe coopertum linteis mundis. ibid. n. 15. p. 277
Lintea regularitèr debent eſſe tria. ibid. nu. 16. pag. 277
Requiritur etiam corporale benedictum. ibid. n. 17. p. 277
Quale debeat eſſe corporale. ibid. n. 18. p. 277
Requiritur etiam palla, & qualis. ibid. num. 19. pag. 277
Item lumina ardentia. ibid. n. 20. p. 278
Ex conſuetudine debent eſſe ſaltem duo. ibid. n. 21. p. 278
Et vtique, ſi fieri poteſt ex cera. ibid. n. 22. p. 278
Debet etiam in Altari, in quo fieri debet ſacrificium, adeſſe Crux. ibid. n. 23. p. 278
Excipe, vbi eſſet expoſitum ſolemnitèr Sacramentum. ibid. n. 24. p. 278
Requiritur etiam Miſſalis liber. ibid. num. 25. pag. 278
Altare debet eſſe coopertum pallio. ibid. num. 26. pag. 278
Quænam ſint ſeruanda in Miſſis in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum. q. 9. a. 9. n. 10. p. 302
Ex neceſſitate ibi Crux adeſſe non debet. ibid. n. 11. p. 302
Vbi Crux requiritur, non ſufficit, quod ſit picta in pariete. ibid. n. 12. p. 302
Sacerdos, qui non celebrat in Altari, in quo tenetur, vel ex teſtamento, vel ex pacto grauitèr peccat. q. 11. a. 1. n. 2. p. 333

Et toties, quoties ibi omittit celebrare. ibid. n. 3. pag. 334
Niſi Altare eſſet dirutum. ibid. n. 4. p. 334
Vel niſi Sacerdos obligatus, detineretur infirmitate. ibid. n. 5. p. 334
Translato Altari in eodem eſſet celebrandum. ibid. n. 6. p. 334
Non celebrans in Altari conuento, ſed alibi non tenetur ad aliquam reſtitutionem. ibid. n. 7. p. 334
Nec tenetur Miſſas omiſſas in eodem celebrare. ibid. n. 9. p. 335
Obligatus ſolum ad celebrandum in tali Altari, & non ad applicandum ſacrificium, ſi ibi non celebrat, non facit ſuum ſtipendium. ibid. n. 10. p. 335
Diſpar ratio, quando alibi celebrat cum teneretur ibi, & ſacrificium applicare, ibid. n. 11. pag. 335
Qui obligatur celebrare in certo Altari excuſatur ob breuem infirmitatem. ibid. num. 12. pag. 336
Pro quanto tempore excuſet hæc infirmitas. ibid. n. 13. p. 336
Item, quando abeſt ex iuſta cauſa cum licentia Epiſcopi. ibid. n. 14. p. 336
Item, quando bis, vel ter in anno celebrat alibi ex propria deuotione. ibid. nu. 15. p. 336
Item, quando Altare eſt impeditum. ibidem n. 16. p. 336
In hoc tamen caſu teneretur alibi pro teſtatore celebrare. ibid. nu. 17. p. 336
Vide verbo *Sacerdos*.

Altare priuilegiatum.

Miſſa in Altari priuilegiato celebrata, quandonam proſit quoad liberationem animæ. q. 11. a. 5. nu. 1. p. 365
Si diploma requirat Miſſam de requiem, & celebretur Miſſa de duplici non acquiritur indulgentia. ibid. n. 3. p. 365
A fortiori non acquiritur indulgentia, ſi non celebretur Miſſa de requiem, cum poſſit licitè celebrari. ibid. n. 6. p. 366
Si in diplomate dicatur ſolum, *ſi celebret pro defuncto*, acquiritur indulgentia. ibid. num. 7. pag. 366
Si dicatur, ſi celebret Miſſam defunctorum, & celebretur Miſſa de feſto, non acquiritur indulgentia. ibid. nu. 10. p. 366
Ad acquirendam indulgentiam in Altari priuilegiato regulariter requiritur, & applicatio ſacrificij, & indulgentiæ. q. 11. a. 6. n. 2. p. 367
Niſi conſtet ex verbis diplomatis requiri ſolum celebrationem in tali Altari, & applicationem indulgentiæ. ibid. n. 3. p. 367
Ad acquirendam indulgentiam non requiritur ex parte defuncti aliqua diſpoſitio. ibid. n. 4. pag. 368
Negatio ſollicitudinis in procurandis ſuffragijs in vita non obeſt. ibid. n. 5. p. 368
Explicatur textus *in c. non æſtimemus* 13. *q.* 2. ibid. n. 8. p. 368
Suffragia, quæ non proſunt ijs, pro quibus applicantur, proſunt alijs. ibid. n. 10. p. 369
Quibuſnam tunc proſint. ibid. n. 11. p. 369
Deus, quandoque applicat magis indigentibus. ibid. n. 13. p. 369
Indultum conceſſum Altari pro defunctis regulariter non prodeſt viuentibus. ibid. num. 14. pag. 369
Niſi Pontifex expreſſerit etiam pro viuis. ibid. n. 15. p. 370
Obligatus præciſè ad celebrandam Miſſam pro vno, ſi celebret in Altari priuilegiato, poteſt quandoque alteri indulgentiam applicare. ibid. n. 16. p. 370
Quandoque non poteſt, & quando. ibid. n. 17. pag. 370
Indultum Altari priuilegiato conceſſum non prodeſt catechumenis defunctis. ibid. nu. 18. pag. 370
Probabilius indulgentiæ Altarium pro defunctis non ſuſpenduntur anno ſancto. ibid. nu. 21. pag. 371
Nec ſuſpenduntur indulgentiæ numiſmatum, vt applicabiles pro defunctis. ibid. num. 22. pag. 371
Conceſſo priuilegio per totam octauam commemorationis defunctorum cum clauſula, *ſi celebrentur Miſſæ de requiem*, dies Dominicæ caret tali priuilegio. ibid. n. 22. p. 371
Celebrans in Altari priuilegiato non poteſt exigere duplex ſtipendium, alterum pro Miſſa, alterum pro indulgentia. q. 12. a. 15. num. 2. pag. 402
Etiam ſi non teneretur celebrare in Altari priuilegiato, ſi in eodem celebret. ibid. nu. 6. & 7. p. 402

Amens, Amentia.

Sacerdos, qui ante amentiam intendit celebrare, ſubſequente amentia, non validè ſacrificat. q. 3. a. 4. n. 1. p. 46
Cur homicidium præuiſum, & meditatum ante furorem imputatur ad culpam, ſi exequatur in furore, & ſacrificium intentum ante furorem, & factum in furore non ſubſiſtat. ibid. n. 3. p. 46
Cur ſacrificium factum cum diſtractione mentis ſubſiſtat, non ſic factum in amentia. ibidem n. 4. p. 46
Cur validè conferatur Baptiſmus exiſtenti in amentia, ſi illum petijt ante amentiam, & non validè celebret in amentia, qui ante illam intendit celebrare. ibid. n. 5. p. 47
Amentes à natiuitate, qui numquam gauiſi ſunt vſu rationis, nec in Paſchate, nec in articulo mortis ſunt communicandi. q. 8. a. 2. nu. 10. pag. 209
Si poſt acquiſitum vſum rationis in amentiam inciderint, ſi antecedenter petierint, & ſigna pænitentiæ dederint ſunt in articulo mortis communicandi. ibid.

Anniuerſarium.

Anniuerſarium in lata ſua ſignificatione quid ſit. q. 13. a. 1. n. 1. p. 414
Quid ſit, prout pertinet ad rem præſentem. ibid. nu. 2. p. 414
Finis, ob quem inſtituta ſunt anniuerſaria. ibid. n. 3. p. 414
Onera in fundo impoſita pro anniuerſarijs tranſeunt cum eodem fundo. ibid. a. 2. num. 3. pag. 415
Explicatur textus *in l. fin. §. fin. ff. de contr. empt.* ibid. nu. 3. p. 415
Anniuerſarium ordinatum à teſtatore pro anima ſua non facta expreſſione, an pro vnica vice, an in perpetuum, præſumendum eſt pro perpetuo ibid. a. 3. n. 3. p. 416

Verba

Verba in ijs, quę admittunt tractum ſucceſſiuum, non conſumantur vno actu. ibidem num. 4. pag. 416
Explicatur textus *in l. annua*, §. *atria*, *ff. de ann. leg.* ibid. n. 5. p. 416
Soluitur obiectum deductum ex *l. boues*, §. *hoc ſermone*, *ff. de verb. ſignific.* ibid. n. 6. p. 416
In concurſu fauoris hæredis, & animæ teſtatoris præferendus eſt fauor iſtius ibid. num. 8. pag. 416
Legatum pro anniuerſario, quamuis incertum ſuſtinetur. q. 13. a. 4. nu. 2. p. 417
Non vitiatur incertitudine rerum, nec perſonarum. ibid. n. 3. p. 417
Quomodo certificandum. ibid. n. 1. p. 418
Anniuerſarium ordinatū à teſtatore, vt celebretur pro anima ſua in determinata Eccleſia, in qua ſepeliri mandauit, ceſſat, ſi teſtator culpabiliter ſe ipſum occiderit. ibid. a. 5. nu. 2. p. 418
Si anniuerſarium fuerit ordinatum à teſtatore in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum non ceſſat, ſi teſtator ſe ipſum occiderit. ibid. nu. 3. pag. 419
Non conſtante, quod ſibi mortem intulerit non ceſſat onus anniuerſarij. ibid. n. 4. p. 419
Quandonam legatum anniuerſarij ſit per hæredem ſoluendum. Vide verb. *Legatum*.
Anniuerſarium, an, & quomodo poſſit fundari in iure emphyteutico. Vide verb. *Emphyteuſis*, *& Feudum*.
Si teſtator diſpoſuerit, vt in eius anniuerſario tot Miſſæ celebrentur, quot fructus exiguntur à tali fundo, adauctis fructibus augendus eſt numerus Miſſarum, ibid. a. 8. n. 2. p. 423
Secus, ſi diſpoſuerit de tot Miſſis determinatè celebrandis in eius anniuerſario. ibid. nu. 3. pag. 423
Si fructus dimminuantur adhuc Miſſæ præſcriptæ ſunt celebrandæ. ibid. n. 4. p. 424

Apparitiones.

Multiplex finis, ob quem fiunt in Hoſtia huiuſmodi apparitiones. q. 5. a. 3. n. 29. p. 141
Apparitiones huiuſmodi, vel fieri poſſunt per mutationem potentiæ, vel per mutationem obiecti. ibid. n. 30. p. 141
Si fiant per mutationem potentiæ Chriſtus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus. ibid. n. 31. p. 141
Per mutationem magnam ſpecierum Chriſtus deſinit ſub eiſdem. ibid. n. 32. p. 142
Quandonam intelligatur talis mutatio. ibidem nu. 33. p. 142
Caro, vel puer apparentes, an ſint ſubſtantia Corporis Chriſti ſacramentaliter. ibid. n. 34. pag. 142
Manentibus accidentibus proprijs mutata ſolummodò dimenſione non deſinit ſubſtantia Corporis Chriſti. ibid. n. 35. p. 143

Applicatio.

Ad applicationem ſacrificij non requiritur tanta intentio, quanta ad confectionem. q. 3. a. 4. n. 35. p. 55
Conficere, & applicare ſunt diuerſa. ibid. n. 37. pag. 56
Applicatio ſacrificij facta à ſubdito contra voluntatem ſuperioris valida eſt. q. 3. a. 5. num. 1. pag. 58
Etiam facta contra iuſtitiam. ibidem num. 2. pag. 58
Anticipata applicatio pro eo, qui primo oblaturus eſt ſtipendium non licet. ibidem num. 3. pag. 58
Circa valorem talis anticipatę applicationis ſententia Cacherani procedentis ſub diſtinctione. ibid. n. 5. p. 59
Abſolutè eſt inualida. ibid. n. 6. p. 59
Applicatio facta poſt perfectum ſacrificium non tenet. ibid. n. 7. p. 60
Fructus quæſitus Sacerdoti non eſt applicabilis alteri. ibid. n. 8. p. 60
Tenetur Sacerdos applicare pro tota Eccleſia. ibid. n. 10. p. 61
Euincitur ex canone Miſſæ. ibid. n. 11. p. 61
Et ex communi Eccleſiæ praxi. ibidem num. 12. pag. 62
Alij offerentes minus principales nequeunt fructum ſuum alijs applicare. ibid. n. 17. p. 63
Applicatio poteſt eſſe relata ad intentionem alterius. ibid. n. 18. p. 63
Quomodo hoc poſſit intelligi. ibidem num. 19. pag. 63
Sacrificium Miſſæ poteſt applicari, & prodeſſe omnibus viuentibus baptizatis non ſeparatis ab Eccleſia. q. 4. a. 5. n. 3. p. 117
Etiam pro paruulis, & energumenis. ibid. n. 4. pag. 117
Diuerſis diuersè prodeſt. ibid. n. 5. p. 117
Pro excommunicatis vitandis non poteſt offerri nomine Eccleſiæ. ibid. n. 8. p. 118
Benè nomine proprio, & priuato Sacerdotis. ibid. nu. 9. p. 118
Nec poteſt offerri nomine Chriſti. ibidem n. 11. pag. 118
Pro excommunicatis toleratis poteſt offerri nomine proprio Sacerdotis, non nomine Eccleſiæ, & Chriſti. ibid. nu. 14. p. 119
Poteſt applicari pro fidelibus non baptizatis, & item pro infidelibus quoad fructum impetratorium. ibid. nu. 15. p. 120
Etiam oblatione directa. ibid. nu. 16. p. 120
Et etiam indirecta. ibid. n. 19. p. 121
Non poteſt applicari pro Beatis in Cęlo exiſtentibus. q. 4. a. 6. nu. 2. p. 122
Nec damnatis in inferno. ibid. nu. 4. p. 122
Etiam ſi ſint mediocriter mali. ibidem num. 8. pag. 123
Nec paruulis, qui deceſſerunt ſine baptiſmo. ibid. n. 10. p. 124
Animabus fidelium baptizatorum poteſt applicari, & quoad fructum ſatisfactorium, & impetratorium. ibid. n. 12. p. 124
Etiam defunctis non baptizatis exiſtentibus in purgatorio quoad fructum impetratorium. ibid. n. 14. p. 125

Aqua.

Aqua de præcepto Eccleſiaſtico debet miſceri vino conſecrando. q. 4. a. 2. n. 15. p. 107
Non ex neceſſitate Sacramenti, nec ex iure Diuino. ibid. nu. 16. p. 107
Debet eſſe aqua naturalis, & modica. ibid. n. 17. pag. 108
Debet miſceri in Altari, & in Calice. ibid. n. 18. pag. 108
Aqua commixta cum vino non remanet poſt conſecrationem in ſui ſubſtantia. q. 4. a. 3. num. 2. pag. 108
Si aqua poſt conſecrationem ſeparetur à vino conſecrato, non eſſet conſecrata. ibid. nu. 3. pag. 109

Non

Non conuertitur per conſecrationem in illam aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti, nec in humorem phlegmaticum. ibid. n. 5. p. 110
Non conuertitur prius in vinum, & poſtea in ſanguinem. ibid. nu. 9. p. 111
Euincitur rationibus phyloſophicis. ibid. n. 10. pag. 111
Satisfit iuribus contrarijs. ibid. n. 13. p. 111
Conuertitur immediatè in ſanguinem. ibidem n. 14. p. 112
Habet rationem vini vſualis. ibid. n. 16. p. 112
Satisfit rationibus contrarijs. ibid. n. 18., & ſeq. pag. 113., & 114.
Modicum aquæ roſaceæ commixtum vino eſt conſecrabile. ibid. nu. 21. p. 113
Commixtio aquæ cum vino non facta in oblatione facienda eſt ante conſecrationem. q. 10. a. 7. n. 2. p. 327
Aqua non prius conuertitur in vinum. ibid. nu. 3. pag. 327
Cur non ſit commiſcenda aqua poſt conſecrationem. ibid. n. 4. p. 327

Aſſiſtentia.

Aſſiſtentia triplex, & qualis. q. 8. a. 17. n. 1. p. 256
Aſſiſtentia merè corporalis ſacro non ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto. ibid. n. 2. p. 256
Nec merè mentalis. ibid. n. 3. p. 256
Vtraque ſimul requiritur. ibid. nu. 4. p. 256

Attentio.

Attentio ad ſatisfaciendum præcepto auditionis ſacri ad verba, & facta ſufficit. q. 8. a. 17. n. 5. pag. 256
Ad ſenſum verborum eſt magis idonea, non tamen neceſſaria. ibid. n. 6. p. 257
Relata ad Deum eſt optima, non tamen neceſſaria, ibid. n. 7. p. 257
Non eſt neceſſe, quod hæc attentio ſit actualis in tota Miſſa, ſed ſufficit, quod ſit actualis in principio, & virtualis in proſecutione. ibid. nu. 8. p. 257
Attentio requiſita ad auditionem ſacri compatitur cum recitatione horarum canonicarum. q. 8. a. 18. n. 2. p. 258
Obligatus vtriq; oneri audiens ſacrum, & ſimul recitans horas canonicas vtrique oneri ſatisfacit. ibid. n. 3. p. 258
Attentio requiſita ad auditionem ſacri non compatitur cum confeſſione ſacramentali. ibid. n. 9. p. 260
Compatitur cum internis mentis occupationibus relatis ad Dei cultum. ibid. n. 12. p. 261
Non ſic cum internis occupationibus relatis ad merè naturalia. ibid. n. 12. p. 261
Quandonam compatiatur cum externis occupationibus, & quando non. ibid. nu. 13., & 14. pag. 262
Defectus, qui poſſunt contingere circa attentionem. q. 10. a. 5. n. 6. p. 320
An, & quando ſit ſupplendus defectus attentionis in Miſſa. ibid. n. 17. p. 324
Quid agendum in dubio circa huiuſmodi attentionem, ſiue ſuſpenſiuo, ſiue opinatiuo. ibid. n. 18. p. 324

B

Baptiſmus.

Baptiſmus collatus à D. Athanaſio adhuc puero alijs pueris quomodo validus. q. 3. a. 3. num. 5. pag. 38
Quomodo fuerit validus baptiſmus collatus in ſcena D. Geneſio variæ ſententiæ. ibid. n. 6., & ſeqq. p. 38., & 39
Exponitur ſententia Auctoris. ibid. n. 12. p. 39
Baptiſmus collatus à Iudæo quomodo validus. ibidem n. 13. p. 40

Beati.

Beati in Cœlo non ſunt capaces fructus ſacrificij. q. 4. a. 6. n. 2. p. 122
Nec etiam fructus impetratorij. ibid.
Dum pro eiſdem oramus, nobis proficimus. ibid.

Beneficiarij.

Beneficiarij, qui pingues redditus habent ex beneficijs celebrantes Miſſam per alium non tenentur, niſi congruam ſtipem erogare. q. 12. a. 10. n. 3. p. 388

C

Capellanus, Capellania.

Capellanus obligatus quotidiè celebrare in certo Altari, ſi ibi non celebrat, grauitèr peccat. q. 11. a. 1. n. 2. p. 333
Vide verbo. *Altare, & Sacerdos.*
Obligatus celebrare in certo Altari, non tamen applicare ſacrificium, non poteſt accipere ſtipendium, vt alibi celebret. ibid. nu. 21. p. 338
Poteſt tamen accipere ſtipendium ab alio, vt ibi celebret, & applicet ſacrificium pro ipſo. ibid. n. 22. p. 338
Si in fundatione Capellaniæ facta fuerit expreſſa mentio celebrationis in tali loco, non tamen oneris applicandi ſacrificium pro teſtatore, quid ſentiendum. q. 11. a. 2. p. 339., & 340
Si Capellania fuerit antiqua, & in diutina poſſeſſione applicationis, ſacrificium eſt pro teſtatore applicandum. ibid. n. 3. p. 339
Secus, ſi non fuerit in poſſeſſione. ibidem nu. 4. pag. 339
Poſſeſſio ad deobligandum debet eſſe quadragenaria. ibid. nu. 5. p. 339
Si poſt quadragenariam poſſeſſionem non applicationis incipiat apparere onus applicationis, ex tunc incipit obligare. ibid. n. 6. p. 340
Si Capellania fuerit recens, & redditus correſpondeant oneri applicationis, Capellanus obligatur ad eandem applicationem. ibid. nu. 7. pag. 340
Secus, ſi ſtipendium non fuerit congruum vtrique oneri. ibid. n. 12. p. 341
Capellanus obligatus celebrare pro certis diebus pro fundatore poteſt anticipatè celebrare. q. 11. a. 3. S. 4. nu. 7. p. 356
Niſi aliter conſtet de mente teſtatoris. ibidem n. 8. p. 356
Capellania, vndè propriè dicta. q. 13. a. 9. num. 2. pag. 424

Di-

Diuerſa genera Capellaniarum . ibidem num. 3. pag. 424
Quænam propriè ſint Capellaniæ collatiuæ . ibid. n.4. p. 424
Sunt beneficia Eccleſiaſtica . ibid. n. 5. p. 424
Capellaniæ gentilitiæ quænam ſint . ibidem nu. 6. pag. 424
In ijs collatio ſpectat ad Epiſcopum . ibid. nu. 7. pag. 425
Ad titulum Capellaniæ mercenariæ nequit quis ordinari . q. 13. a. 10. n. 1. p. 425
Secundum aliquos non poteſt erigi in titulum vitalitium. ibid. n. 2. p. 425
Poteſt erigi conſentiente patrono , & Epiſcopo. ibid. nu. 3. p. 425
Facta illa erectione in titulum vitalitium poteſt quis ad illum titulum ordinari. ibidem nu. 5. pag. 426
Capellania ex genere ſuo poteſt conferri Clerico. ibid. a. 11. n. 1. p. 426
Ex mente teſtatoris quandoque non poteſt Clerico conferri . ibid. nu. 2. p. 426
Si teſtator dixerit . Eligatur Capellanus , qui Miſſas celebret poteſt eligi Clericus. ibid. n. 3. pag. 426
Si dixerit . Eligatur Capellanus, vel Sacerdos poteſt eligi Clericus . ibid. nu. 4. p. 426
Si dixerit . Eligatur Capellanus , qui per ſe ipſum celebret eligendus eſt Sacerdos . ibid. n. 5. pag. 427
Si dixerit . Eligatur Sacerdos , qui celebret , quid ſentiendum . ibid. nu. 6. p. 427
Si diſpoſuerit , ſiue per verba poſitiua , ſiue negatiua importantia Sacerdotium eſt eligendus Sacerdos . ibid. nu. 7. p. 427
Si dixerit . Iubeo, vt præſentetur Presbyter, nonniſi Presbyter eſt præſentandus . ibid. num. 8. pag. 427
Capellaniæ nequeunt conferri filijs Presbyterorum in ijs Eccleſijs, in quibus eorum Patres habuerunt beneficia. ibid. a. 12. n. 2. p. 428
Etiam ſi Capellaniæ fuerint mercenariæ . ibid. nu. 3. p. 428
Si Pater in eadem Eccleſia habuerit Capellaniam mercenariam ſolummodò , ſecundum aliquos etiam filius non poteſt Capellaniam habere . ibid. n. 4. p. 428
Probabilius poteſt habere . ibid. n. 6. p. 418
Capellania mercenaria non eſt propriè beneficium . ibid. n. 7. p. 429
Capellanus inſpecta præcisè teſtatoris diſpoſitione excluſo alio fine poteſt quandoque Miſſas anticipare . ibid. a. 13. n. 3. p. 430
Si teſtator intenderit cultum Deo præſtandum in tali Eccleſia ſingulis diebus non poteſt Capellanus Miſſas anticipare . ibidem num. 4. pag. 430
Capellanus , an poſſit omittere Miſſam in hebdomada remiſſiuè . ibid. n. 5. p. 430
An mercenarius poſſit omittere Miſſam in hebdomada ibid. n. 6. , 7. , 8. p. 430
Capellanus obligatus per ſe celebrare quotidiè pro fundatore cauſa infirmitatis excuſatur per menſem à celebratione . ibidem a. 14. num. 1. pag. 431
Vbi alitèr non conſtet poteſt per alium ſatisfacere . ibid. n. 2.
Rationes ſuadentes ſubſtitutum à Capellano ratione infirmitatis excuſari per menſem . ibid. nu. 3. , & ſeq. p. 432
Probabilius non excuſatur , nec poteſt ſtipem acquirere . ibid. n. 8. p. 433
Rationes pro hac maiori probabilitate . ibidem n. 9. , 10 , 11. , 12. p. 432. & 433

Capſulæ pro Miſſis.

Capſulæ cum inſcriptione . *Eleemoſina pro Miſſis* ſunt ex decreto Sacræ Congregationis remouendæ ab Eccleſijs. q. 12. a. 12. n. 1. p. 392
Non remouentes huiuſmodi capſulas , an , & quibus pœnis afficiantur . ibid. n. 9. p. 394
Abſolutè ſubduntur graui culpæ . ibid. num. 10. pag. 395
Vbi onera Miſſarum non exiſtunt , an poſſint apponi huiuſmodi capſulæ remiſſiuè . ibidem n. 13. , & 14. p. 395

Catechumeni.

Catechumeni non tenentur in die feſto ſacrum audire . q. 8. a. 7. n. 2. p. 226
Admittuntur vſque ad offertorium . ibid.
Quamuis quoad offertorium admittuntur non tenentur tamen ex præcepto vſque ad illud aſſiſtere . ibid.

Cæremonialia.

Cæremonialia in duplici differentia. q. 10. a. 7. n. 1. pag. 326
Alia , quæ licet non ſint de ſubſtantia tangunt ſubſtantiam , alia , quæ pertinent ad ornatum . ibid.

Chriſtus Dominus.

Chriſtus Dominus in ſacrificijs Miſſæ offert immediatè , & proximè . q. 3. a. 1. n. 3. p. 31
Offert , vt exiſtens glorioſus in Cœlo . ibid. n. 7. pag. 32
Orat , ſed non meretur . ibid. n. 8. p. 32
Orat in ijs , quæ ipſe inſtituit . ibidem num. 10 pag. 32.
Non requiritur eius externa oratio . ibid. n. 12. pag. 33
Auget valorem impetratoriè . ibid. n. 13. p. 33
Chriſtus Dominus conſtituitur ſub ſpeciebus per actionem reproductiuam . q. 5. a. 3. n. 1. p. 133
Non per merè conſeruatiuam . ibid. n. 2. p. 133
Nec per actionem adductiuam . ibidem num. 9. pag. 134
Concurrit moralitèr ad ſui reproductionem . ibid. n. 12. p. 135
Vide verbo . *Actio* .
Chriſtus Dominus deſinentibus ſpeciebus deſinit per ceſſationem actionis reproductiuæ . ibid. n. 17. p. 137
Non per meram ceſſationem præſentiæ . ibidem n. 19. p. 137
Nec per extrinſecam mutationem ſpecierum . ibid. n. 20. p. 138
Nec per tranſitum localem . ibid. n. 21. p. 138
Nec per annihilationem . ibid. nu. 22. p. 138
Nec per tranſubſtantiationem . ibidem num. 23. pag. 139
Non deſinit ſtatim , ac ſpecies dentibus conteruntur. ibid. n. 25. p. 139
Non deſinit , quando ſpecies proiciuntur in locum immundum , nec quando primo comeduntur à mure . ibid. n. 26. p. 140
Deſinit , quando ſpecies in ſtomaco alterantur . ibid. n. 27. p. 141
Ad hoc modicum tempus ſufficit. ibid. n. 28. p. 141

An

An deſinat, quando miraculosè apparet puer, vel caro. Vide verb. *Apparitiones*.
Chriſti præſentia in Euchariſtia, in quo conſiſtat. Vide verbo. *Præſentia Sacramentalis*.
Chriſtus Dominus in Euchariſtia habet præſentiam localem. q.6. a.1. n.9. p. 167
Et quidem ratione ſui, non præcisè ratione ſpecierum. ibid. n.10. p. 167
Hæc præſentia eſt ad modum definitiuæ. ibid. n.11. p. 168
Conſiſtit in complexo Corporis Chriſti, & loci. ibid. n.12. p. 168
Chriſtus eſt totus in tota, & totus in ſingulis partibus hoſtiæ conſecratæ. q.6. a.2. n.1. p. 168
Non eſt ſolum in partibus potentia. ibidem n.2. pag. 169
Quomodo dicatur habere vnam tantum præſentiam in omnibus partibus. ibidem nu. 5. pag. 170
Etiam facta ſeparatione eſt totus in omnibus partibus ſeparatis. ibid. nu. 6. p. 170
Quomodocunque conſtituatur continuum eſt in omnibus partibus, & punctis. ibidem nu. 7. pag. 170
Chriſtus exiſtens ſub ſpeciebus non poteſt ſe mouere motu organico, & progreſſiuo. q. 6. a.4. n.6. p. 176
Benè tamen motu inorganico. ibidem num. 4. pag. 177
De via ordinaria anima in Sacramento non poteſt moueri immoto Corpore. ibidem num. 7. pag. 178
Nec Anima cum Corpore immotis ſpeciebus. ibid. n.8. p. 178
Poteſt alia à ſe mouere, tam motu organico, quam inorganico. ibid. nu. 9. p. 178
Per impulſum illis impreſſum. ibidem num. 10. pag. 179
Mouetur per accidens ad motum ſpecierum. ibid. n. 11. p. 179
Et vtique non à ſolo Deo, ſed etiam ab extrinſeco mouente ſpecies. ibid. nu. 12. p. 179
Per ſe non poteſt moueri ab agente corporeo. ibid. n. 13. p. 179
Benè tamen ab Angelo. ibid. n.15. p. 180
De potentia abſoluta poteſt alias actiones à motu, & in ſe ipſo, & in alijs ponere. ibid. n.19. pag. 180
Naturalitèr ſecundum aliquos non poteſt. ibid. n. 18. p. 181
Secundum alios poteſt. ibid. n.19. p. 181
Probabilitèr poteſt. ibid. nu. 22. p. 182
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. ibidem n.23. p. 182
Sententia aſſerens Chriſtum Dominum exiſtentem ſub ſpeciebus non poſſe pati ab agente extrinſeco. ibid. n. 24. p. 182
Soluuntur rationes pro hac ſententia. ibid. n.25. pag. 183
Contraria ſententia exponitur cum ſuis rationibus. ibid. n. 26. p. 183
Actiones intentionales ſunt in multiplici differentia. ibid. n.27. p. 183
Naturalitèr non poteſt ſenſationes exercere. ibid. n. 28. p. 183
Supernaturalitèr Chriſtus in Sacramento exiſtens poteſt oculo corporeo videri. ibid. n.30. pag. 184
De facto naturalitèr non poteſt videri. ibidem. pag. 185
Et vtique ex defectu virtutis intrinſecæ, ibidem n. 33. p. 185
Confutantur rationes Cacherani. ibidem nu. 34. pag. 185
Nequit Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtens naturalitèr actus intellectus dependentes à phantaſmatibus elicere. ibid. n. 35. p. 186
Benè tamen actus huiuſmodi independentes à ſenſibus. ibid. n. 3. p. 186
An Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtens poſſit naturalitèr cognoſci ab Angelo, & ab Anima ſeparata variæ ſententiæ. ibidem num. 38. pag. 186., & 187

Communio.

Fœminæ communicaturæ quomodo debeant ad Euchariſtiam accedere. q.3. a.8. nu.3. p. 95
Communio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij in re. q. 8. a.1. n.3. p. 204
Non eſt medium vnicum ad perſeuerantiam. ibid. nu.5. p. 205
Nec item eſt neceſſaria neceſſitate medij in voto formali, & explicito. ibid. n.6. p. 205
Benè tamen in voto implicito, & quomodo. ibidem nu. 7. p. 205
Eſt neceſſaria ex præcepto Diuino. q.8. a.2. n.1. pag. 406
Obligat hoc præceptum omnes baptizatos rationis compotes. ibid. n.2. p. 206
Etiam peccatores, & excommunicatos. ibidem n.3. p. 207
Quinam quoad hunc effectum dicantur rationis compotes. ibid. n.4. p. 207
Præceptum Diuinum citius obligat, quam præceptum Eccleſiaſticum. ibid. nu 6. p. 207
Extra mortis articulum non citiùs obligat. ibid. n. 7. p. 208
In dubio vſus rationis quid agendum. ibidem n.9. p. 208
Communio, nec in articulo mortis eſt conferenda perpetuò amentibus, & inſanis. ibid. nu. 10. pag. 209
Secus, ſi poſt acquiſitum vſum rationis in amentiam inciderint, ſi antecedentèr ſigna pœnitentiæ, & deuotionis dederint. ibidem.
Præceptum Diuinum de communione obligat etiam infideles. ibid. n. 11. p. 209
Si habeant notitiam Euangelij. ibid. n.12. p. 209
Obligat in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita. ibid. nu. 13. p. 209
Quandonam obliget in vita remiſſiuè. ibidem n. 15. p. 210
Accepta Euchariſtia in articulo mortis non oritur obligatio iterum ſumendi, ſi eadem durante cadat in peccatum læthale. ibid. nu.17. pag. 210
Differens communionem vltra annum peccat ſolum contra præceptum Eccleſiaſticum. ibid. n.19. p. 211
Antiquitus communio ex præcepto Eccleſiaſtico ſumenda erat ter in anno. q.8. a. 3. num. 1. pag. 212
Modo ſolum ſemel in Paſchate, ibidem num. 2. pag. 212
Qui non communicauit in Paſchate, communicauit tamen antecedentèr in Natali Domini, non tenetur, quam primum communicare, ſed poteſt diferre vſque ad ſequens feſtum Natiuitatis. ibid. n. 4. p. 212
Si eodem anno non communicauit, nec in Paſchate tenetur, quam primum communicare. ibid. nu. 5. p. 212
Communio ſumenda eſt in Parochia propria de

manibus proprij Parochi, vel ab eodem delegati. ibid. n.8. p. 213
Non à proprio Confeſſario. ibid. n.14 p. 213
Communio Paſchalis quoad locum. Vide verb. *Parochia*.
Per communionem indignam non ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico. ibid. nu. 16. p. 214
Communio laicalis ſub vtraque ſpecie non eſt de iure Diuino. q.8. a.4. n.2. p. 215
Non benè deducitur hoc præceptum ex facto Chriſti Domini in vltima cœna. ibidem n. 8. pag. 217
Eſt tamen de præcepto Eccleſiaſtico, quod fiat tantum ſub ſpecie panis. ibid.n.10. p. 217
Ex conceſſione Pontificis poteſt fieri ſub vtraque ſpecie. ibid. nu. 14. p. 218
Allegantur varia priuilegia à Pontificibus conceſſa. ibid. n. 15. p. 219
Etiam poteſt ex eadem conceſſione fieri in ſola ſpecie vini. ibid. n.16. p. 219
Ex neceſſitate ex parte ſumentis non licet ſine diſpenſatione communio ſub ſpeciebus vini. ibid. n. 19.
Ex neceſſitate Sacramenti licet, & quomodo. ibid. nu.21. p. 220
In hoc caſu potius periclitanti conferenda eſt communio ſub ſpeciebus vini, quam alteri. ibid. n. 22. p. 221
Facta facultate alicui communicandi ſub vtraque ſpecie, ſi hic in articulo mortis conſtitutus non poſſit ſumere ſub ſpeciebus panis, tenetur ſumere ſub ſpeciebus vini. ibid. n. 23. pag. 221
Suppoſita tali facultate, & impotentia ſumendi ſub ſpeciebus panis tenetur ſumere ſub ſpeciebus vini ad implendum præceptum Paſchale. ibid.
Intellige, niſi ſcandalum adeſſet. ibid.
Communio quotidiana in primitiua Eccleſia erat in vſu. q.8. a. 5. n.1. p. 222
Non tamen ſub præcepto Diuino. ibidem nu. 2. pag. 222
Nunquam fuit de hoc præceptum vniuerſale Eccleſiæ. ibid. nu. 3. p. 222
Non tamen fuit præceptum prohibens huiuſmodi communionem. ibid. nu.4. p. 223
Iuſtis commendanda eſt frequentior Paſchali; iuſtioribus quandoque quotidiana. ibid. n.5. & 6. p. 223
Iudicium de quotidiana Communione remittitur iudicio prudentis confeſſarij. ibid. nu. 10. pag. 224

Compenſatio.

Sententia aſſerens, poſſe fieri compenſationem damni illati ab vno quoad emolumentum pro Miſſis iam celebratis cum emolumento pro Miſſis ab eodem de nouo impoſitis. q. 12. a.17. nu. 2. p. 404
Sententia negans cum ſuis rationibus. ibid. n. 3. pag. 404
Præfertur hæc ſententia negans. ibidem num. 4. pag. 404
Reſtrictio Tamburini non approbatur. ibidem nu. 6. p. 405

Confeſſio, Confeſſarius.

Confeſſio peccatorum læthalium eſt præmittenda confectioni ſacrificij. q.3. a.6. nu. 8. p. 67
Et hoc non ſolum ex præcepto Eccleſiaſtico, ſed etiam Diuino. ibid. n.9. p. 67
Et hoc præceptum eſt affirmatiuum. ibid. n. 10. pag. 68
Vrgente neceſſitate, nec extante copia Confeſſarij poteſt omitti confeſſio præmiſſa dumtaxat contritione. ibid.n.11. p. 68
Carentia Confeſſarij qualis eſſe debeat, vt Sacerdos poſſit celebrare ſine confeſſione. ibid. nu. 13. pag. 69
Si Confeſſarius fuerit preſens, non habeat tamen facultatem abſoluendi à reſeruatis, quibus Sacerdos eſt innodatus, quid agendum. ibidem n. 14. p. 69
Sententia docens poſſe celebrare non præmiſſa confeſſione. ibid. n. 15. p. 69
Sententia docens poſſe confiteri non reſeruata reticitis reſeruatis, & ſic celebrare. ibid. n.16. pag. 69
Si ſit innodatus ſolummodo reſeruatis poteſt celebrare præmiſſa ſolummodo contritione. ibid. n. 18. p. 70
Si ſit innodatus læthalibus alijs reſeruatis, alijs non reſeruatis, poteſt, vel omnia confiteri, ſi ſit ſpes, quod Confeſſarius ſit ab omnibus abſoluturus, vel ſola non reſeruata reticitis reſeruatis, ſi non ſit ſpes abſolutionis à reſeruatis. ibid.
Ob ſolum defectum Confeſſarij proprij alio exiſtente non poteſt licitè celebrare ſine confeſſione. ibid. n. 20. p. 70
Conſcius ſibi peccati læthalis vrgente cauſa celebrandi, nec exiſtente Sacerdote, niſi muto poteſt celebrare præmiſſa ſolummodò contritione. ibid. n. 21. p. 71
Enumerantur cauſæ, ob quas Sacerdos ſibi conſcius peccati læthalis poteſt celebrare non præmiſſa confeſſione. ibid. n.22. p. 71
Primò neceſſitas communicandi infirmum in periculo mortis conſtitutum. ibid.
Secundò ad euitandam grauem infamiam. ibid. n.23. p. 71
Quandonam eſſet periculum illius grauis infamiæ. ibid. n. 24. p. 71
Ne priuetur populus in die feſto. ibidem n. 25. pag. 71
Non ſufficit cauſa præciſè adimplendi onus Paſchalis communionis. ibid. n. 26. p. 72
Tenetur Sacerdos præmittere ad ſacrificium confeſſionem peccati obliti, ſi illius recordetur ante idem ſacrificium. ibidem num. 27. pag. 72
In caſibus, in quibus exiſtente neceſſitate, nec extante Confeſſario poteſt celebrare non præmiſſa confeſſione, tenetur conteri. ibid. n. 29. pag. 72
Contritio in hac hypotheſi requiritur de lege naturali. ibid. nu. 31. p. 73
Sacerdos, qui ſine confeſſione ſacrificauit præmiſſa ſolum contritione, tenetur peracto ſacrificio, quam primum confiteri. ibid. n. 34. pag. 73
Qui exiſtens in peccato ſuppleuit ſacrificium alterius, qui deceſſit poſt conſecrationem, an teneatur completo ſacrificio quam primum confiteri remiſſiuè. ibid. n. 36. p. 74
Idem intellige de eo, qui peregit officium feriæ ſextæ in Paraſceue. ibid. n. 37. p. 74
Qui vrgente neceſſitate celebrauit ſine contritione tenetur quam primum confiteri. ibid. num. 38. p. 74
Celebrans ſine neceſſitate, & exiſtente Confeſſario in peccato læthali non tenetur quam primum confiteri. ibid. n. 39. p. 75

Quid

Quid ſentiendum ſit de Sacerdote, qui præmiſſa confeſſione, in qua oblitus eſt peccati læthalis, an teneatur illud, quam primum confiteri. ibid. n. 41. p. 75
Hoc præceptum confitendi, quam primum poſt ſumptam communionem non obligat laicos. ibid. n. 43. p. 76
Quid ſignificat ly, *quam primum*. ibid. num. 45. pag. 77
Confeſſio ſacramentalis non compatitur cum attentione requiſita ad auditionem ſacri. q. 8. a. 18. nu. 7. p. 260

Conſecratio.

Conſecratio eſt tota eſſentia ſacrificij Miſſæ. q. 1. a. 2. n. 12. p. 6
Cur potius in conſecratione, quam in ſumptione conſiſtat hæc eſſentia. ibid. n. 13. p. 7
An poſt conſecrationem immediatè conferatur fructus ſacrificij. ibid. n. 14. p. 7
Requiritur ad eſſentiam ſacrificij Miſſæ ſecundum præſentem inſtitutionem conſecratio ſub vtraque ſpecie. q. 1. a. 3. nu. 2. p. 9
Debet eſſe ræpræſentatiua explicitè Paſſionis Chriſti Domini. ibid. nu. 4. p. 9
Conſecratio incæpta ſine intentione non reualidatur per ſubſequentem intentionem. q. 3. a. 4. nu. 31. p. 54
Intellige, ſi ſit incæpta quoad eſſentialia. ibid. nu 32. p. 55
Conſecratio, prout importat actionem tranſubſtantiatiuam non ingreditur intrinſecè Sacramentum. q. 5. a. 1. n. 2. p. 126
Non eſt totum Sacramentum. ibidem num. 3. pag. 126
Nec pars eiuſdem. ibid. n. 4. p. 126
Nec eſt pars intrinſeca vnitiua. ibidem num 5. pag. 127
Eſt ſolummodò cauſa efficiens. ibidem num. 6. pag. 127
In ratione ſacrificij ingreditur intrinſecè. ibid. n. 7. p. 127
Per modum actionis deſtructiuæ. ibidem nu. 8. pag. 127
Conſecratio, prout importat formam verbalem, eſt intrinſeca Sacramento. ibid. num. 9. p. 127

Conſecratio Altaris, & vaſorum ſacrorum.

Altare pro ſacrificio debet eſſe conſecratum. q. 9. a. 1. nu. 7. p. 275
Conſecratio ex officio debet fieri per Epiſcopum. ibid. n. 8. p. 275
Ex commiſſione Papæ poteſt fieri per Sacerdotem. ibid. n. 9. p. 275
Conſecratio debet eſſe ab Epiſcopo Diœceſano. ibid. n. 10. p. 275
Exponitur modus conſecrationis. ibidem n. 11. pag. 275
Conſecratio Altaris amittitur fractione, & motione. ibid. n. 13. p. 276
Altaria mobilia non amittunt conſecrationem, niſi fractione. ibid. n. 14. p. 276
Vaſa ſacra puta Calix, & Patena debent eſſe conſecrata. q. 9. a. 2. n. 7. p. 280
Conſecratio eorundem ex officio ſpectat ad Epiſcopum. ibid. n. 9. p. 280
Ex priuilegio etiam Abbatibus Mitratis, & benedictis. ibid. n. 10. p. 280
Conſecratio quoad vaſa ſacra. Vide. *Vaſa ſacra*.

Corpus.

Corpus Chriſti Domini eſt terminus formalis conſecrationis panis. q. 5. a. 8. n. 1. p. 160
Quid veniat nomine Corporis. ibid. n. 4. p. 160
Venit materia prima cum formis partialibus ſubſtantialibus. ibid. n. 4. p. 160
Non materia nudè ſumpta. ibid. n. 7. p. 161
Non materia cum accidentibus. ibid.
Non materia prima cum anima dante eſſe corporeum. ibid.
Nec materia cum varijs vnionibus ſubſtantialibus. ibid. p. 162
Nomine Corporis ex vi verborum non venit formalitèr quantitas. ibid. n. 9. p. 162
Nec alia accidentia. ibid.
Dentes, vngues, capilli veniunt formalitèr ſimul cum Corpore. ibid. n. 13. p. 163
An ſubſiſtentia verbi Diuini veniat formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus panis ſententia negatiua exponitur. ibid. n. 14. p. 163
Non eſt improbabilis ſententia affirmatiua. ibidem n. 15. p. 164
Soluuntur rationes oppoſitæ. ibidem num. 16. pag. 164

D

Damnati.

Damnati in inferno non ſunt capaces fructus ſacrificij Miſſæ. q. 4. a. 6. nu. 4. p. 122
Nec alicuius alleuiationis pœnæ. ibidem num. 6. pag. 122
Nec confortationis, nec conſolationis. ibidem n. 7. p. 123
Nec etiam damnati mediocritèr mali. ibidem n. 8. p. 124
Nec etiam paruuli in limbo exiſtentes. ibidem n. 10. p. 124

Defectus.

Defectus in Miſſa alij circa ſubſtantiam, alij circa eſſentiam, alij circa ritus. q. 10. a. 1. num. 1. pag. 305
Explicantur defectus contingentes circa eſſentiam. ibid. n. 2. p. 305
Defectus circa ſubſtantiam quomodo poſſint contingere. ibid. n. 3. p. 306
Defectus circa intentionem. ibid. nu. 4. p. 306
Defectus circa ritus. ibid. n. 5. p. 306
Defectus huiuſmodi, vel poſſunt contingere cum culpa celebrantis, vel ſine illa. q. 10. a. 2. n. 1. pag. 307
Vel circa materiam grauem, vel leuem. ibidem n. 2. p. 307
Defectus conſiſtentes in omiſſione, ſi ſint inuoluntarij, nullam trahunt culpam. ibidem num. 3. pag. 307
Defectus per additionem vix poſſunt à culpa excuſari. ibid. nu. 4. p. 307
Omiſſio voluntaria eſt grauitèr peccaminoſa. ibid. n. 5. p. 308
Quandoque ratione leuitatis materię eſt tantum leuitèr peccaminoſa. ibid. n. 7. p. 308
Quandonam ſit grauis, quando eſt circa ſubſtantiam. ibid. n. 8. p. 308
Quando ſit grauis ratione perſonæ celebrantis. ibid. n. 9. p. 308

Quando ratione loci, & temporis. ibid. n. 10. pag. 308
Defectus quoad ornatum quandoque eſt grauis, & quando. ibid. n. 3. p. 309
Quoad ritus quandoque eſt grauis, & quando. ibid. n. 14. p. 309
Quænam omiſſio circa ritus ſit leuis. ibid. n. 15. pag. 309
Defectus ratione inconſiderationis poteſt eſſe leuis. ibid. n. 16. p. 309
Circa ſubſtantialia vix poteſt præſumi inconſideratio. ibid. n. 17. p. 309
Additio voluntaria eſt peccaminoſa. ibid. n. 18. pag. 310
Quandonam additio ſit grauitèr, & quando leuitèr peccaminoſa. ibid. n. 20. p. 310
Defectibus poteſt occurri, & præueniendo, & ſubſequendo. q. 10. a. 3. n. 1. p. 312
Quomodo occurrendum ſit defectibus circa materiam. Vide verbo. *Materia*.
Quomodo ſupplendi ſint defectus circa formam. Vide verb. *Forma*.
Quomodo ſupplendi ſint defectus circa intentionem, & attentionem. Vide verbo. *Intentio*, & *Attentio*.
Quomodo ſuppleri poſſint, & debeant defectus circa cæremonialia. Vide verb. *Aqua*, *Hoſtia*, *Conſecratio*, *Oblatio*, *Cæremonialia*.
Quandonam debeat omitti Miſſa, cum præcaueri non poſſint defectus circa cæremonialia. q. 10. a. 8. n. 14. p. 332

Diſpoſitio.

Diſpoſitiones ad ſacrificium, & Euchariſtiam ex parte animæ. Vide verbo. *Intentio*, & verbo. *Sacerdos*.
Diſpoſitiones ex parte Corporis. Vide verbo. *Ieiunium*.
Diſpoſitiones aliæ poſitiuæ, aliæ negatiuæ. q. 3. a. 8. n. 1. p. 95
In Sacerdote celebraturo requiruntur ex rigoroſo præcepto Eccleſiaſtico ſacræ veſtes. ibid. n. 2. p. 95
Fœminæ non debent accedere cum ſinu, & brachijs nudis. ibid. n. 3. p. 95
Sordes afferentes adſtantibus nauſeam ſunt arcendæ. ibid. n. 4. p. 95
Vide verbo. *Pollutio*.

E

Emphytheuſis.

IVs emphytheuticum aliud directum, aliud vtile. q. 12. a. 11. n. 1. p. 390
An ſuper iure directo fundi emphyteutici poſſit Miſſa quotidiana fundari remiſſiuè. ibidem num. 3.
Si ius emphytheuticum vtile non fuerit perpetuum non poteſt eſſe fundus Miſſæ perpetuæ. ibid. n. 4. p. 391
Emphytheuſis regularitèr non poteſt tranſire in manus mortuas. ibid. n. 7. p. 391
Ius emphytheuticum non poteſt tranſire in manus potentiores, & mortuas. ibidem. n. 8. pag. 391
Inuito Domino directi fundus emphytheuticus non poteſt ſubiugari oneri perpetuo Miſſarum. ibid. n. 9. p. 391
Supra ius emphytheuticum conceſſum pro ſe, & quibus dederit poteſt conſtitui onus anniuerſarij. q. 13. a. 7. n. 3. p. 421
Ex eo, quod hoc ius ſubijciatur oneri anniuerſarij non ſpiritualizatur. ibid. n. 4. p. 421
Ius emphytheuticum laicale non poteſt tranſire in Eccleſiam irreuocabilitèr. ibidem num. 7. pag. 421
Quomodo ſe gerere debeat circa illud ius emphytheuticum, quod in ipſam tranſiret. ibid. n. 9. p. 422
Si ius emphytheuticum tranſiret in Eccleſiam iure hæreditario tenetur Eccleſia ad onus anniuerſarij. ibid. nu. 10. p. 422
Iuri laudemiorum conſultum eſt per quindennia. ibid. n. 12. p. 423
Dominus directus poteſt anniuerſarium fundare ſuper ius, quod habet ad annuas præſtationes. ibid. n. 13. p. 423

Epiſcopus.

Epiſcopi modo non poſſunt concedere Oratoria in Domibus priuatis. q. 8. a. 12. n. 2. p. 240
Epiſcopi non poſſunt prohibere Regularibus, ne celebrent in Oratorijs erectis in eorum Villis, & Grangijs. q. 8. a. 14. n. 5. p. 247
Epiſcopi non poſſunt fundare Miſſas perpetuas in fundo iam exempto. q. 12. a. 12. n. 7. p. 394

Euchariſtia.

Euchariſtia, vt eſt complexum ex re ſignificante, & ſignificatione. q. 4. a. 4. n. 1. p. 114
Subſtratum huius complexi eſt totum Sacramentum. ibid. n. 2. p. 114
Non eſt duplex partialis ſignificatio altera ex parte materiæ, altera ex parte formæ. ibid. n. 3. p. 115
Sed vna indiuiſibilitèr, & quomodo. ibid. n. 4. pag. 115
Significatio eſt forma extrinſeca, & moralis. ibid. n. 5. p. 115
Euchariſtia, an ſit neceſſaria ad ſalutem. q. 8. a. 1. n. 1. p. 204
Neceſſitas multiplex. ibid.
Non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re. ibid. nu. 3. p. 204
Nec ita neceſſaria, ſicuti eſt Baptiſmus, ibidem n. 4. p. 405
Non eſt medium vnicum ad perſeuerantiam. ibid. n. 5. p. 205
Nec eſt neceſſaria neceſſitate medij in voto formali. ibid. n. 6. p. 205
Benè tamen in voto implicito, & quomodo. ibid. n. 7. p. 205
Eſt neceſſaria ex præcepto Diuino. q. 8. a. 2. nu. 1. pag. 406
Hoc præceptum obligat etiam peccatores, & excommunicatos. ibid. n. 3. p. 207
Vide verb. *Communio*, & *ſumptio*.

Excommunicatus.

Sacerdos excommunicatus, quantumuis nominatim denuntiatus poteſt validè ſacrificare. q. 3. a. 2. nu. 2. p. 34
Excommunicati in duplici ſtatu. q. 4. a. 5. num. 6. pag. 118
Pro excommunicatis vitandis non poteſt ſacrificium offerri nomine Eccleſiæ. ibid. n. 8. p. 118
Benè tamen nomine proprio Sacerdotis. ibidem n. 9. p. 118

Non

Non tamen nomine Chriſti. ibid. n.11. p. 118
Pro excommunicatis toleratis poteſt Sacerdos offerre nomine proprio, non nomine Eccleſiæ, nec nomine Chriſti. ibid. num. 14. pag. 119
Excommunicati non ligantur præcepto audiendi ſacrum in die feſto. q.8. a.7. n.8. p. 226
Nec interdicti. ibid. n.9. p. 226
Excommunicatus excuſatur ab onere audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a. 21. n.2. p. 267
Si negligat obtinere abſolutionem ſententia aſſerens non eximi à noxa, ſi non audiat. ibid. n.3. p. 267
Secundum alios eximitur à tali noxa. ibid. n. 4. pag. 268
Sententia auctoris ſub diſtinctione. ibid. nu. 5. pag. 268

Executor.

Executor teſtamenti obligatus celebrare facere pro teſtatore tot Miſſas ſecundum aliquos poteſt extra locum eiuſdem teſtatoris eas celebrare facere, vbi minus eſt ſtipendium, vt ſibi acquirat id, quod deberetur, ſi celebrarentur in loco, vbi maius eſt taxatum ſtipendium. q. 12. a.18. n.2. p. 406
Sed abſolutè non poteſt. ibid. n. 3. p. 406
Hoc eſt magis conforme menti Sacræ Congregationis. ibid. n.6. p. 406
Nec etiam poteſt alibi celebrare facere pro minori ſtipendio, vt conſulat hæredibus teſtatoris. ibid. a.19. n. 4. p. 407
Cur donatarius inter viuos, cui impoſitum eſt onus celebrare faciendi tot Miſſas, poſſit pro minori ſtipendio alibi celebrare facere, non ſic executor. ibid. nu.6. p. 408
Executor non obligatus celebrare facere in loco Miſſas à teſtatore præſcriptas poteſt alibi celebrare facere, vbi minus ſtipendium taxatum eſt, vt maior Miſſarum numerus celebretur in fauorem eiuſdem teſtatoris. ibid. a.20. n.2. p. 408

F

Fœmina.

FÆmina ſciens ſe vehementèr, & impudicè amari, & cognoſcens exeundo domo ſe excitaturam vehementiores in Amaſio ſtimulos carnis poteſt abſtinere ab auditione ſacri. q.8. a. 21. n.22. p. 271
Vxores ob zelotipiam impeditæ à maritis excuſantur. ibid. nu. 26. p. 272
Fœminæ ex conſuetudine excuſantur per aliquod temporis, quæ poſt obitum Patris, vel mariti domo non exeunt. ibid. n. 27. p. 272
Item fœminæ per aliquot dies poſt partum. ibid.
Non tamen propter menſtrua. ibid.

Feſtum.

Omnes fideles adulti baptizati tenentur regularitèr audire ſacrum in die feſto. q. 8. a. 6. n.1. pag. 224
Non infideles. ibid. a. 7. n. 1. p. 226
Nec catechumeni. ibid. n. 2. p. 226
Præceptum audiendi ſacrum obligat pro omnibus diebus feſtis. ibid. n.12. p. 227
An, & quomodo Epiſcopi poſſint inducere feſta. ibid. n.13. p. 227
Princeps ſæcularis non poteſt feſta inducere. ibid. n. 14. p. 227
An in feſto inducto ex voto communitatis obligentur ſucceſſores illud ſeruare, & ſacrum audire. ibid. n. 15. p. 228
Quid veniat nomine feſti, quando celebrans tenetur in die feſto celebrare. q. 11. a. 3. S. 3. n.14. p. 354

Feudum.

Ius feudale duplex, alterum directum, alterum vtile. q.12. a.11. n.1. p. 390
Regularitèr ſuper iure directo feudi onus perpetuum Miſſarum non poteſt conſtitui. ibid. n.2. p. 390
Ius feudale aliud hæreditarium, aliud ex pacto. ibid. nu. 5. p. 391
Onus perpetuum Miſſarum non poteſt conſtitui in fundo tranſeunte in Eccleſiam. ibid. n. 6. pag. 391
Non poteſt fundus feudalis inuito Domino directo ſubiugari oneri perpetuo Miſſarum. ibid. n. 9. p. 391
Feudum alteratum poteſt ſubijci oneri anniuerſarij. q. 13. a.7. nu. 6. p. 421

Forma.

Confutatur Græcorum ſenſus volentium non conſtitui Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus, niſi poſita conſecratione recitata fuerit quædam deprecatio. q. 5. a.4. n.1. p. 144
De eſſentia formæ panis ſunt tantum illa verba. *Hoc eſt Corpus meum*. ibid. n. 4. p. 144
Verba illa. *Qui pridiè, quam pateretur &c.*, non ſunt eſſentialia. ibid. n. 5. p. 144
Nec ſubſequentia. *Quod pro vobis tradetur*. ibid. nu. 6. p. 145
Particula, *enim*, non eſt de eſſentia. ibid. n. 7. pag. 145
Nec ſunt de neceſſitate Sacramenti. ibid. n.8., 9. pag. 145., & 146
Cur in conſecratione Calicis dicatur. *Qui pro vobis effundetur*, & non in conſecratione panis. *Quod pro vobis tradetur*. ibid. n. 10. pag. 146
Forma conſecrationis vini ſpeculatiuè loquendo eſſentialitèr conſiſtit in ſolis illis verbis. *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. ibid. n.11. p. 147
Practicè ſunt omnia abſolutè proferenda, quæ præſcribuntur. ibid.
Quid ſignificet ly, *Hic*, cum dicitur. *Hic eſt Sanguis meus*, remiſſiuè. ibid. n. 12. p. 147
Chriſtus Dominus formam conſecrationis vini inſtituit. ibid. n. 15. p. 148
Explicatur mens D. Thomæ circa huiuſmodi verba conſecrationis vini. ibid. n.17. p. 149
Subſtantia Sanguinis Chriſti Domini ponitur ſub ſpeciebus in vltimo inſtanti terminatiuo vltimæ ſillabæ formæ eſſentialis. ibidem n. 18. p. 149
Non valet paritas deſumpta à forma baptiſmatis. ibid. n.20. p. 151
Quomodo per enuntiata verba exprimatur effuſio Sanguinis. ibid. n.21. p. 151
Verba præcedentia, & ſubſequentia ſunt de præcepto. ibid. n. 22. p. 151
Verba conſecratoria de facto proferuntur ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè. ibid. a. 5. num. 1. pag. 152

Explicatur quid ſit modus enuntiatiuus, & recitatiuus. ibid. n. 2. p. 152
Non habent ad inuicem oppoſitionem. ibidem n. 3. p. 152
Soluuntur argumenta oppoſita, ibidem num. 4. cum ſeqq p. 153
Ad valorem ſufficit prolatio enuntiatiua. ibid. n. 10. p. 154
Prolatio recitatiua eſt de neceſſitate præcepti, ibid. n. 11. p. 155
Verba conſecratoria ſunt abſolutè vera. q. 5. a. 6. n. 2. p. 155
Quandonam intelligantur vera. ibidem num. 3. pag. 155
Cauſant, vt ſunt vera practicè. ibidem num. 8. pag. 156
Ratio ſignificatiui in hoc non præcedit rationem veri. ibid. n. 9. p. 157
Pronomina, *Hoc*, & *Hic*, in forma ſumuntur adiectiuè. q. 5. a. 7. n. 3. p. 158
In principio ſignificant ſubſtantiam indeterminatam. ibid.
Cur ſumantur adiectiuè. ibid. n. 7. p. 159
Quibus ſubſtantiuis adiacent. ibidem num. 8. pag. 159
Quinam ſit terminus formalis formæ conſecratoriæ panis, & vini. Vide verbo. *Sanguis*, *Corpus*, *&* *Terminus*.
Quomodo defectus circa formam poſſint contingere. q. 10. a. 14. nu. 1. p. 317
Defectus ſubſtantialis in forma, ſi contigerit, & cognoſcatur ante ſumptionem, vel immediatè poſt, eſt ſupplendus per nouam conſecrationem. ibid. n. 2. p. 317
Si defectus fuerit in forma quoad vnam ſpeciem, illa tantum ſpecies eſt iterum conſecranda. ibid. n. 3. p. 317
Si facta conſecratione in forma inualida quoad vtramque ſpeciem, & vna, vel vtraque fuerit ſumpta ſententia aſſerens eſſe iterandam. ibid. nu. 4. p. 318
Probabilius non eſt iteranda. ibid. n. 5. p. 318
Defectus accidentalis in forma non eſt ſupplendus. ibid. nu. 6. p. 318
Si ex malitia in vna ſpecie facta fuerit conſecratio in forma inualida, ſupplenda eſt, quantumuis Sacerdos illam ſumpſerit. ibid. nu. 7. pag. 318
Secus, ſi conſecratio in vtraque ſpecie fuerit inualida. ibid. n. 8. p. 319
Neutra ſpecie ſumpta poſita contritione poteſt conſecratio iterari in forma valida. ibidem n. 9. p. 319
Non ex vi prioris ſacrificij, ſed adiacentium. ibid. n. 10 p. 319
Et conſecratio poſſet fieri ſuper eodem pane, & vino. ibid. n. 11. p. 319

Fructus.

Fructus Miſſæ alius generalis, alius modius, alius perſonalis. q. 2. a. 1. n. 4. p. 13
Vide verbo. *Valor*.
Fructus quæſitus Sacerdoti ob non applicationem pro alio non eſt transferibilis in alium. q. 3. a. 5. nu. 8. p. 60
Fructus ſpecialiſſimus non eſt alteri applicabilis. ibid. n. 14. p. 62
Etiam ſi Sacerdos eodem non indigeat. ibidem n. 15. p. 62
Nec Sacerdos poteſt pro illo aliud ſtipendium accipere. ibid. nu. 16. p. 63
Fructus nulli applicatus ponitur in theſauro Eccleſiæ. ibid. n. 20 p. 64
Si nulli actu fuerit applicatus per Sacerdotem, qui tamen præuiam habuerit intentionem ſibi conſulendi, vel ſatisfaciendi alteri cedit ipſi celebranti, vel alteri. ibid.
Ad fructum primarium Euchariſtiæ non eſt neceſſaria actualis deuotio in ſumente, nec carentia peccatorum venialium. q 3. a. 6. nu. 46. pag. 77

G

Generales ordinum.

GEnerales non poſſunt amplius diſpenſare, vt per vnam Miſſam cum nouem collectis ſatisfiat pro nouem Miſſis. q. 12. a. 6. n. 2. p. 381
Ex Concilio Tridentino poterant Generales in Capitulis Generalibus Miſſas moderari. ibid. a. 7. n. 1. p. 382
Modo non poſſunt moderari Miſſas poſt Concilium receptas. ibid. n. 3. p. 383
Nec impoſitas in limine fundationis, quamuis ante Concilium. ibid. n. 4. p. 383
Generales non poſſunt fundare Miſſas in fundo iam exempto. ibid. a. 12. n. 7. p. 394

Græcus.

Græcus Sacerdos debet conſecrare in fermentato. q. 4. a. 1. n. 7. p. 101
Et vtique ſub graui. ibid. nu. 9. p. 102
In neceſſitate communicandi infirmum non poteſt celebrare in azimo. ibid. n. 11. p. 102
Nec in neceſſitate, vt populus audiat ſacrum in die feſto. ibid.
Tranſiens per loca Latinorum quomodo ſe gerere debeat quoad ſacrificium. ibidem n. 13. pag. 103
Peracta conſecratione in vtraque ſpecie, ſi panis inueniatur corruptus non exiſtente fermentato poteſt in azimo conſecrare. ibidem nu. 14 p. 103
Græcus audiens Miſſam Latinorum ſatisfacit præcepto audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a. 10. n. 2. p. 236

H

Hæres.

QVandonam teneatur ſupplere deteriorationem fructuum fundi deſignati per teſtatorem pro onere Miſſæ quotidianæ. q. 12. a. 9. pag. 385
Si quantitas fuerit adiecta oneri cauſa demonſtrationis eſt per hæredem ſupplenda, ſi fuerit diminuta. ibid. n. 2. p. 385
Secus, ſi fuerit adiecta cauſa taxationis. ibid.
Quandonam intelligatur adiecta oneri cauſa demonſtrationis, & quando cauſa taxationis. ibid. n. 3. p. 385
Reijcitur regula, qua dicitur intelligi adiectam demonſtratiuè, quando onus, & quantitas ſunt concepta duplici propoſitione; taxatiuè, quando ſunt vna dictione concepta. ibid. n. 4. pag. 386
Intelligitur adiecta taxatiuè, quando diſpoſitio incipit ab eadem quantitate, demonſtratiuè, quando incipit ab onere. ibid. n. 5. p. 386

Si diſpoſitio incipiat à quantitate, ſed indeterminata, & tempore executionis quantitas ſtipendij fuerit maior, maior eſt per hæredem eroganda. ibid. n. 6. p. 386
Si quantitas adiecta indeterminatè tempore executionis fuerit minor, & poſtea creuerit, eſt augenda. ibid. n. 7. p. 386

Hoc, & *Hic*.

Hæc pronomina habent ſignificationem. q. 5. a. 7. n. 1. p. 157
Poſſunt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè, & quomodo. ibid. n. 2. p. 158
Sumuntur adiectiuè, & in principio ſignificant ſubſtantiam indeterminatam. ibidem nu. 3. pag. 158
Per eadem ſic ſumpta ſaluatur ratio conuerſionis, & veritas propoſitionis. ibidem num. 4., & 5. p. 158., & 159
Cur ſumantur adiectiuè. ibid. n. 7. p. 159
Quibus ſubſtantiuis adiaceant illa pronomina. ibid. n. 8. p. 159

Horæ Canonicæ.

Horarum Canonicarum recitatio compatitur cum valida auditione ſacri. q. 8. a. 18. n. 2. p. 258
Obligatus ad Horas Canonicas, & ad auditionem ſacri recitans pro tempore ſacri vtrique oneri ſatisfacit. ibid. n. 3. p. 258

Hoſtia.

Fractio hoſtiæ in tres partes non eſt de eſſentia ſacrificij Miſſæ. q. 1. a. 2. n. 5. p. 4
Fractio panis facta à Christo Domino fuit vſualis, non myſtica. ibid. nu. 6. p. 5
Mutatio hoſtiæ inſcio Sacerdote non vitiat. q. 3. a. 4. n. 8. p. 47
Multiplicatio hoſtiæ ſine cognitione Sacerdotis non vitiat. ibid. n. 9. p. 47
Poteſt medietas hoſtiæ validè conſecrari. ibid. n. 13. p. 49
Hoſtia in Tabernaculo incluſa, vel exiſtens poſt parietem non eſt ſufficienter præſens ad conſecrationem. ibid. n. 29. p. 54
Significatio diuiſionis hoſtiæ conſecratæ in tres partes. q. 9. a. 8. n. 15. p. 300
Quid ſignificet immiſſio partis hoſtiæ conſecratæ in Calicem. ibid. n. 7. p. 298
Reliquiæ hoſtiæ conſecratæ inuentæ poſt ablutionem ſunt ſumendæ, ſiue fuerint paruæ, ſiue magnæ. q. 10. a. 6. n. 3. p. 325
Non eſt eadem ratio de particulis conſecratis, ac de illis reliquijs. ibid. n. 4. p. 325
Si deprehendantur poſt redditum in Sacriſtiam ſecundum aliquos ſunt ſumendæ ab eodem Sacerdote. ibid. n. 5. p. 325
Congruentius ſunt ſeruandæ. ibidem num. 6. pag. 325
Rubrica circa particulas, & hoſtiam remanentem. ibid. nu. 7. p. 325
Particulæ, quarum Sacerdos obliuiſcitur in conſecratione hoſtiæ, remanent conſecratæ, ſi illas prius intenderit conſecrare. ibid. num 9. pag. 326
Intellige, dummodò ſint ſupra corporale. ibid. n. 10. p. 326
Non eſt neceſſe, quod pixis diſcooperiatur. ibidem n. 11. p. 326
Defectus fractionis hoſtiæ, & immiſſionis particulæ in Calicem ſupplendus eſt ante conſumptionem. q. 10. a. 7. n. 9. p. 328
Quando hoſtia eſt proxima corruptioni potius eſt Miſſa omittenda, quam celebranda in ipſa. q. 10. a. 8. n. 8. p. 331
Item, quando hoſtia eſt aqua roſacea compacta. ibid. n. 9. p. 331
Vrgente neceſſitate poteſt fieri conſecratio in hoſtia parua. ibid. n. 13. p. 332

I

Ieiunium.

Ieiunium naturale prærequiritur ad confectionem ſacrificij, & ſumptionem Euchariſtiæ. q. 3. a. 7. n. 1. p. 81
Non tamen de iure Diuino, ſed dumtaxat Eccleſiaſtico. ibid. nu. 2. p. 81
Ieiunium naturale, quid ſit. ibid. n. 3. p. 81
Quod frangit debet eſſe comeſtibile, & potabile. ibid. n. 4. p. 81
Et ſumi per modum cibi, & potus. ibid.
Guttula aquę tranſmiſſa cum ſaliua, & animalculum per tranſpirationem non frangunt. ibid. n. 6. p. 81
Nec modicę reliquiæ cibi diei præcedentis. ibid. nu. 7. p. 82
Nec aromata, nec folia tabaci in ore contrita. ibid. n. 8. p. 82
Nec humor, nec ſanguis è capite defluens. ibid. n. 9. p. 82
Nec oſſicula, nec lapilli, nec globuli aurei. ibidem n. 10. p. 82
Nec papirus, nec fuſtulum ligni. ibid. nu. 11. pag. 82
Nec Tabacus in puluere, nec in fumo. ibid. n. 12. pag. 83
Tabacus in folio in aliqua quantitate traiectus frangit. ibid. nu. 13. p. 83
Quenam quantitas poſſit dici traijci per modum ſaliuæ. ibid. n. 14. p. 83
Ieiunium naturale incipit à media nocte. ibidem n. 15. p. 83
Quid ſentiendum ſit de ſaccaro in os miſſo ante mediam noctem in dubio, quod totum ante illam fuerit deglutitum. ibidem nu. 16. pag. 83
Quomodo computanda ſit media nox. ibidem n. 17. p. 84
Exiſtente vno tantum horologio media nox computatur à primo ipſius pulſu. ibid.
Exiſtentibus pluribus horologijs ſequi poteſt Sacerdos celebraturus quodcunque voluerit. ibid. n. 18. pag. 84
Cardinalis, qui coram Pontifice celebrat in peruigilio Natiuitatis Domini ante mediam noctem ex neceſſitate non ſeruat ieiunium à media nocte præcedenti. ibid. n. 19. p. 85
Opinio Lugi aſſerentis Pontificem anticipare mediam noctem. ibid. n. 20. p. 85
Probabilius Pontifex in hoc diſpenſat ſuper ieiunio. ibid. n. 21. p. 85
Præceptum ieiunij naturalis non obligat exiſtentem in periculo mortis. ibidem num. 22. pag. 85
Non ieiunus non poteſt ſacrificare, vt infirmus communicetur. ibid. nu. 23. p. 86
Cur non poſſit non ieiunus ſacrificare ad communicandum infirmum, poſſit tamen exiſtens in peccato læthali. ibid. nu. 24. p. 86

In eadem infirmitate non ieiunus poteſt plures communicare. ibid. n.25. p. 87
Quantum tempus debeat labi inter vnam, & aliam communionem. ibid. n. 27. p. 87
Probabilius non exiſtente ieiuno infirmo iteranda eſt communio per modum Viatici. ibid. nu. 28. p. 88
Vide verbo. *Viaticum*.
Ratione reuerentiæ Sacramenti licitum eſt, quandoque illud ſumi etiam à non ieiuno. q.3. a. 7. n. 45. p. 93
Et etiam ex diſpenſatione. ibid. n.46. p. 93
Etiam ad complendum ſacrificium. Ibid. n. 47. pag. 93
Exponuntur caſus, in quibus poteſt ſumi à non ieiuno ad complendum ſacrificium. ibid.n.48. pag. 93
Poteſt Sacerdos poſt purificationem ſumere reliquias hoſtiæ conſecratæ tunc cognitas. ibid. n. 49. p. 94
Non tamen cognitas poſt peractum ſacrificium. ibid. n. 50. p. 94
Enumerantur alij caſus, in quibus poteſt ſumi Euchariſtia fracto ieiunio. ibidem num. 51. pag. 94
Ratione ſcandali vitandi poteſt Sacerdos non ieiunus Miſſam incohatam perficere. ibidem n.52. p. 94

Ignorantia.

Ignorantia facti inuincibilis excuſat à noxa in non auditione ſacri in die feſto. q.8. a. 21. num. 6. pag. 268
Ignorantia totalis præcepti audiendi ſacrum in die feſto vix poteſt præſumi. ibidem num. 7. pag. 268
Si tamen adeſſet, excuſaret. ibid, n. 8. p. 269
Ignorantia inuincibilis de præcepto in particulari excuſat. ibid. n.9. p. 269

Impotentia.

Detentus in vinculis, vel domi ſub ſequeſtro excuſatur ab auditione ſacri in die feſto. q. 8. a. 21. n. 10. p. 269
Detentus domi ſub ſequeſtro, ſi habeat Oratorium, tenetur in illo ſacrum audire. ibid. n.11. pag. 269
Item tenetur, ſi pro diebus feſtis ex indulto fiat liber. ibid. n. 12. p. 269
Nauigantes excuſantur ab hoc onere. ibid. n.13. pag. 269
Nec audire tenentur Miſſam ſiccam, ſi in naui celebretur. ibid. n. 14. p. 269
Impotentia moralis excuſat. ibid. n.18. p. 270
In quo conſiſtat hæc moralis impotentia. ibid.

Infirmus.

Infirmus excuſatur ab onere audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a. 21. n.15. p. 270
Quænam infirmitas excuſet ab hoc onere. ibid. n. 16. p. 270
Etiam, qui incipiunt conualeſcere, excuſantur. ibid.
Aſſiſtentia infirmo, an, & quando excuſet ab auditione ſacri. ibid. n. 21. p. 271
Breuis infirmitas excuſat ab onere celebrandi eadem durante in determinato Altari. q. 11. a. 1. nu.12. p. 336
Pro quonam tempore excuſet hæc infirmitas. ibid. n. 13. p. 336

Intentio.

Non eſt neceſſe, quod intentio miniſtri conficiendi ſacrificium ſit informata fide Diuina quoad validum eſſe. q.3. a.3. n.2. p. 37
Non ſufficit intentio faciendi ſeriò opus externum. ibid. n.3. p. 37
Iocosè proferens verba non validè conficit. ibid. n. 4. p. 38
Explicatur factum D. Athanaſij, qui baptizauit ludendo pueros. ibid. n.5. p. 38
Item quomodo fuerit validus baptiſmus D. Geneſij facti in ſcena. ibid. n.6., & ſeq. p. 38., & 39
Intentio producendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria. ibid. n. 14. p. 40
Intentio faciendi id quod facit Eccleſia, eſt ſufficiens. ibid. n.15. p. 40
Quid importet intentio ſacrificandi ſupra id, quod importat intentio efficiendi ſeriò opus externum. ibid. n.16. p. 40
Intentio actualis in miniſtro non eſt neceſſaria ad conficiendum ſacrificium. ibid. n. 18., & 19. pag. 41
Habitualis non eſt ſufficiens. ibid. n. 18., & 19. pag. 41., & 42
Virtualis eſt ſufficiens, & neceſſaria. ibid. n. 18., & 19. p. 41., & 42
Quid importet intentio virtualis ſupra habitualem. ibid. n.20. p. 42
Refertur, & reijcitur opinio Riccardi volentis per actum præcedentem produci in potentia motiua qualitatem, quę quandiu durat, intentio virtualis dicitur. ibid. n.20. p. 42
Refertur, & reijcitur opinio Lugi volentis intentionem virtualem conſiſtere in actu præcedenti perſeuerante, ſed remiſſo. ibid.n.21. pag. 42
Refertur item, & reijcitur opinio Coninchi volentis actum præcedentem ſecundum aliquid ſui perſeuerare in imaginatiua, in quo conſiſtit virtualis intentio. ibid. nu. 22. p. 43
Conſiſtit virtualis in actu præcedenti perſeuerante in actibus externarum potentiarum. ibid. n. 23. p. 43
Debet eſſe ſine interruptione morali. ibid.
Per quid intelligatur præcedens actus interruptus. ibid. n.24. p. 43
Intentio poteſt eſſe conditionata conditione de præſenti, vel de præterito, non ſic de futuro. ibid. nu. 25. p. 44
Intentio non compatitur cum actuali amentia. q.3. a.4. n.1. p. 46
Intentio debet eſſe circa materiam determinatam. q.3. a.4. n.6. p. 47
Quomodo materia poſſit dici determinata. ibid. nu.7. p. 47
Intentio conſecrandi vnam hoſtiam cum excluſione cuiuſcunque alterius nil efficit, niſi vna deſignetur. ibid. nu.10. p. 48
Poſita illa intentione ſic reſtricta, ſi vna appareat alijs non apparentibus, illa intelligitur conſecrata. ibid. n.11. p. 48
Si miniſter intendat vnam hoſtiam conſecrare non excludendo aliam, & fuerint duæ hoſtiæ vtraque remanet conſecrata. ibidem num.12. pag. 48
Conſecratio incæpta ſine intentione non reualidatur per ſubſequentem intentionem. ibid. nu. 31. p. 54
Intellige, ſi ſit incæpta quoad eſſentialia. ibidem n.32. p. 55

Intentio conficiendi ſacrificium ad aliquem prauum finem non inualidat illud. ibidem n. 33. pag. 55
Reddit tamen illicitum. ibid. n.34. p. 55
Intentio, nec actualis, nec virtualis eſt neceſſaria ad applicationem ſacrificij, ſed ſufficit habitualis. ibid. n.35. p. 55
Deus non ſupplet defectum intentionis. ibidem n.38. p. 56
Intentio relata ad inſtitutionem Chriſti valida eſt. ibid. nu. 40. p. 57
Quid ſentiendum ſit, ſi miniſter habeat intentionem faciendi id, quod facit alia Eccleſia à Catholica. ibid. n.41. p. 57
Intentio non eſt idem cum attentione. q. 8. a.20. n.1. p. 264
Ad ſatisfaciendum oneri audiendi ſacrum ſufficit intentio interpretatiua. q. 8. a. 20. num.2. pag. 264
Intentio interpretatiua compatitur cum voluntaria Miſſæ auditione. ibid. n.3. p. 264
Non cum auditione coacta, & inuoluntaria. ibid. n.4. p. 264
Accedens ad audiendum ſacrum cum intentione libidinoſa videndi fœminam ſatisfacit, licet peccet. ibid. n.6. p. 265
Intentio poſitiua non ſatisfaciendi præcepto non compatitur cum valida auditione ſacri. ibid. n.7. p. 265
Etiam, ſi poſtea illam intentionem retractauerit. ibid. n. 9. p. 266
Quomodo contingere poſsint defectus circa intentionem. q.10. a.5. n.1. p. 320
Quid ſentiendum ſit circa defectum abſolutum intentionis. ibid. nu.3. p. 320
Deficiente intentione quoad vnam ſpeciem non ſubſiſtit ſacrificium. ibid. n.4. p. 320
Subſiſteret tamen in ratione Sacramenti. ibid. n.5. p. 321
Soluuntur obiecta contraria. ibidem n. 6., 7., 8. pag. 321
Defectus ſupplendus eſt per nouam conſecrationem. ibid. n. 9. p. 322
Perſeuerante eadem actione ius exigit, vt perficiatur ſacrificium. ibid. n. 11. p. 322
Reſtricta taxatiuè intentione ad hoſtias, quas Sacerdos videt, ſi vna lateat, hæc non remanet conſecrata. ibid. nu. 12. p. 322
Si poſitiuè, & taxatiuè intenderet vnam tantum hoſtiam conſecrare, & inuenirentur duæ poſt conſecrationem, vel neutra eſſet conſecrata, vel illa, quæ eſſet immediatè ſub oculis. ibid. n. 13. p. 322
Si intentione non excluſiua vtraque eſſet conſecrata. ibid.
Idem dicendum eſt ſeruata eadem diſtinctione, quando intenderet ſex conſecrare, & eſſent octo. ibid. n.14. p. 323
Caſus, in quibus defectus intentionis eſt ſupplendus. ibid. n. 16. p. 323

Interdictum.

Interdicti, ſiue interdicto perſonali, ſiue locali non ligantur præcepto audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a.7. nu.9. p. 226
Stante interdicto locali gaudens priuilegio audiendi ſacrum tenetur audire. ibid. n.10. p. 226
Si quis gaudeat priuilegio non ſolum audiendi ſacrum, ſed ducendi etiam duos ſocios, an iſti teneantur ipſum comitari, & audire. ibid. n. 11. p. 227
In Eccleſia interdicta pro aliquibus diebus poſſunt publicè ſacra celebrari. q. 8. a. 11. num. 2. pag. 237
In ijs diebus tenentur Laici Miſſas audire. ibidem n.3. p. 237
Audiens Miſſam in Eccleſia interdicta, vbi ſecreto celebratur, non ſatisfacit. ibid. num. 4. pag. 238
Quinimmò grauitèr peccat. ibidem num. 5. pag. 238

Inueſtimentum.

Vide verb. *Feudum*, *Emphytheuſis*.
Pecunia deſtinata pro onere perpetuo Miſſarum non poteſt inueſtiri in bonis exemptis, & Eccleſiæ iam incorporatis. q. 12. a. 13. num. 1. pag. 397
Poteſt inueſtiri in redemptione fundi venditi cum pacto retrouenditionis. ibidem num. 3. pag. 397
Poteſt implicari in ſoluendo reſiduo pretio fundi empti. ibid. nu.7. p. 399
Poteſt implicari in extinctione cenſus paſſiui. ibid. n. 8. p. 399
Etiam in emptione cenſus. ibidem num. 10. pag. 400
Etiam partialitèr in iure habitationis, ſi habitatio ſit neceſſaria, vel locabilis. ibidem nu. 13. pag. 400
Secus, ſi nec ſit neceſſaria, nec locabilis. ibid. n. 14. p. 400

L

Latinus.

Sacerdos Latinus tenetur conſecrare in azimo. q. 4. a. 1. nu. 7. p. 101
Et vtique ſub graui. ibid. n. 9. p. 102
Conſecratio facta à Latino in fermentato non eſt iteranda. q. 10. a.7. n. 5. p. 327
Nec vrget ratio ſcandali. ibid. n. 6. p. 327
Non licet latino conſecrare in fermentato etiam ad communicandum morti proximum. ibid. n. 7. p. 327
Nec ad finem, vt populus audiat ſacrum in die feſto. ibid. n. 8. p. 328
Sacerdos Latinus exiſtente ſolummodò pane fermentato tenetur potius Miſſam omittere, quam in illo celebrare. q. 10. a. 8. num. 6. pag. 330
Poteſt tamen Latinus conſecrare in fermentato ad complendum ſacrificium, quando conſecrato azimo iſte reperitur corruptus, nec adeſt alius azimus. ibid. nu. 7. p. 331

Legatum.

Legatum in fauorem cauſæ piæ, quamuis incertum ſuſtinetur. q. 13. a.4. n.1. p. 417
Signantèr pro anniuerſario Miſſarum. ibidem n. 2. p. 417
Non vitiatur incertitudine rerum, & perſonarum. ibid.
Hoc legatum certificandum eſt arbitrio prudentis viri. ibid. n.5. p. 418
Legatum anniuerſarij celebrandi in Eccleſia à ſe electa pro ſepultura pro anima teſtatoris ceſſat, ſi teſtator culpabilitèr ſe ipſum occiderit. ibid. a.5. n.2. p. 418

Si legatum ordinatum fuerit in ſuffragium animæ ſuæ, & ſuorum non ceſſat, ſi teſtator ſe ipſum occiderit. ibid. n.3. p. 419
Non ceſſat legitum, ſi non conſtet, quod ſe ipſum occiderit. ibid. n.4. p. 419
Solutio legati pro anniuerſario facienda eſt pro tempore, quo anniuerſarium celebrandum eſt. ibid. a. 6. n.2. p. 420
Poteſt anticipatè ſolui. ibid. n.4. p. 420

Locus.

Locus à teſtatore deputatus pro celebratione Miſſę eſt ſub graui ſeruandus. q. 11. a. 1. num. 2. pag. 333
Et toties obligat ad culpam, quoties ſine cauſa ibi omittitur celebratio. ibid. n. 3. p. 334
Intellige, niſi Altare ad hoc deſtinatum eſſet dirutum. ibid. n. 4. p. 334
Tranſlato Altare in alium locum ibi Miſſa à teſtatore præſcripta eſt celebranda. ibid. nu. 6. pag. 334
Vide verbo. *Altare*.

M

Manutentio.

AN, & quando eleemoſina Miſſarum poſſit diminui ratione manutentionis. q. 12. a. 10. n.5. p. 388
QuandoEccleſia aliundè habet redditus non poteſt fieri talis dimminutio. ibid. n. 6. p. 388
Secus, ſi aliundè non habeat redditus. ibid.
Si aliundè habeat redditus, ſed alligatos alijs vſibus vtique poteſt. ibid. n 7. p. 388
Et etiam, ſi ſint neceſſarij ad alios vſus. ibidem n.8.p. 388
In caſibus, in quibus poteſt minuere, poteſt tantum minuere, quantum neceſſarium eſt pro ipſarum Miſſarum manutentione. ibid. n. 10. pag. 389
Et dimminutio æquè fieri poteſt de manualibus, ac de perpetuis. ibid. n.16. p. 390

Materia.

Materia conſecrationis debet eſſe determinata. q.3. a. 4. n. 6. p. 47
Quomodo materia poſſit dici determinata. ibidem nu.7. p. 47
Vide verbo. *Intentio*.
Poteſt medietas hoſtiæ validè conſecrari. ibid. n. 13. p. 49
Guttæ vini extra concauum Calicis exiſtentes ſecundum conſuetum modum non validè conſecrantur. ibid. n. 14. p. 49
Exiſtentes intra Calicem ſecundum aliquos non validè con ſecrantur. ibid. nu. 15. p. 49
Probabilius validè conſecrantur. ibidem nu.16. pag. 50
Fragmenta panis ab hoſtia ſeparata validè conſecrantur. ibid. nu.17. p. 50
Gutta vini non conſecrati commixta vino conſecrato non eſt conſecrabilis directè. ibidem n.18. p. 50
Particula non conſecrata commixta alijs conſecratis, ſi non ſit ſecernibilis ab ipſis, non poteſt directè conſecrari. ibid. n.18. p. 50
Quid agendum in eo caſu commixtionis. ibid. n.20.p. 51
Minima pars ſenſibilis eſt conſecrabilis. ibidem n.21.p. 52
Qualis pręſentia materię requiratur ad validam conſecrationem. ibid. n. 25. p. 53
Item quænam propinquitas. ibidem num. 26. pag. 53
Non eſt neceſſe, quod ſonus verborum attingat materiam. ibid. n. 27 p. 54
Vinum in dolio incluſum eſt ſatis præſens. ibidem n.28.p. 54
Materia infinita, ſi eſſet ſufficientèr præſens, poſſet validè conſecrari. ibid. nu.30. p. 54
Materia remota conſecrationis panis. Vide verbo. *Panis*.
Materia quoad conſecrationem Sanguinis. Vide verb. *Vinum*.
Cognita materia inepta ante conſecrationem alia apta apponenda eſt. q. 10. a. 3. num. 2. pag. 312
Poſt conſecrationem panis cognita ineptitudine vini aliud aptum eſt apponendum. ibid. n. 3. pag. 313
Si aliud vinum haberi n on poſſit ſaluatur ſolum ratio Sacramenti, non ſacrificij. ibid. nu. 4. pag. 313
Cognito defectu vini ante conſecrationem panis, ſi aliud vinum haberi non poſſit, abſtinendum eſt ab vtraque conſecratione. ibid. n. 5. pag. 313
Conſecrata vtraque ſpecie cognito defectu ſubſtantiali in vino aliud eſt conſecrandum, & ſumendum. ibid. n. 6. p. 313
Cognito poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei defectu in pane ſententia aſſerens vtramque ſpeciem eſſe conſecrandam. ibidem num. 7. pag. 313
Probabilius ſolus panis eſt conſecrandus. ibid. nu. 8. p. 313
Idem dicendum eſt cognito defectu in vino. ibid. n. 10. p. 314
Quid agendum ſit de illo vino inepto conſecrato. ibid. n. 11. p. 314
Quid agendum ſit, ſi Sacerdos poſt conſecrationem deficeret. ibid. n 12. p. 314
Si decederet ante conſecrationem ſacrificium non eſſet ſupplendum. ibid. n. 13. p. 314
Incæpta conſecratione panis, eaque non perfecta ſacrificium eſt omittendum. ibidem n.14. pag. 315
Defuncto Sacerdote poſt conſecrationem alius tenetur ſupplere. ibid. nu. 15. p. 315
Non exiſtente alio Sacerdote quid agendum. ibid. n.16. p. 315
Facta conſecratione cognitis ſpeciebus veneno infectis quid agendum. ibid. n.17. p. 315
Quid agere debeat Sacerdos, ſi in Calicem conſecratum decidat animal immundum, & noxium. ibid. n. 18. p. 315
Quid, ſi Sanguinem effuderit. ibidem num. 19. pag. 316
Quid agendum circa loca, in quæ Sanguis effuſus eſt. ibid. nu. 20. p. 316
Quid, ſi hoſtia poſt conſecrationem diſpareat. ibid. n. 21. p. 316
Quid, ſi miraculosè, vt caro appareat. ibidem num. 22. p. 316
Quid, ſi poſt conſecrationem timeatur hoſtium infidelium incurſus. ibid. n. 23. p. 317

Miniſter.

In celebratione Miſſarum eſt neceſſarius miniſter

...ſter neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici . q.9. a.6. n.1.p. 290
In Miſſis priuatis non requiritur pluralitas miniſtrorum . ibid. n. 3. p. 291
Ex verbis Miſſæ non arguitur neceſſitas plurium miniſtrorum . ibid. nu. 5. p. 291
Miniſter etiam ex officio deſeruiens Miſſæ non tenetur præmittere confeſſionem ſacramentalem, nec ſumere Euchariſtiam . ibidem nu. 6. pag. 291
Diaconus miniſtrans in peccato non committit peccatum . ibid. n 8. p. 292
In defectum maſculi non eſt fœmina adhibenda in miniſtrum. ibid. n. 10. p. 292
Vrgente præcepto celebrandi, & non exiſtente, niſi fœmina quid agendum? ibidem num. 11. pag. 292
Potius eſſet celebrandum ſine miniſtro, quam adhibenda fœmina . ibid.
Duplex limitatio ad mox dicta . ibidem nu. 14. pag. 293

Miſſa.

Ad Miſſam concurrunt ſimul res, & actiones, quæ enumerantur . q.1. a.2. n.1. p. 4
Non eſt de eſſentia eiuſdem, nec oblatio verbalis, quæ fit ante conſecrationem, nec quæ fit poſt illam . ibidem num. 2., & 3. p. 4
Sufficit, quantum ad eſſentiam, oblatio, quæ fit ipſis rebus. ibid. n.4. p. 4
Fractio hoſtiæ in tres partes non eſt de eſſentia eiuſdem . ibid. n. 5. p. 4
Sumptio Sacerdotalis eſt de ſubſtantia ſacrificij, non de eſſentia. ibid. n.7. p. 5
Feria ſexta Paraſceue non fit propriè ſacrificium . ibid. n. 11. p. 6
Si in illa feria Paraſceue occurreret feſtum non eſſet obligatio ad implendum præceptum illi intereſſe . ibid.
Tota eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione . ibid. n.12. p. 6
Cur potius in conſecratione conſiſtat hæc eſſentia, quam in ſumptione . ibid. nu. 13. p. 7
Sacrificium Miſſæ eſt omnium perfectiſſimum continens omnes perfectiones veterum ſacrificiorum . ibid. n. 15. p. 7
In triduo mortis Chriſti, ſi aliquis Apoſtolorum conſecraſſet, probabilius verum ſacrificium confeciſſet . ibid. n. 17. p. 8
Requiritur ad eius eſſentiam conſecratio ſub vtraque ſpecie . q.1. a. 3. n. 2. p. 9
Eſt inſtitutum ad explicitè rapræſentandam Paſſionem Chriſti Domini . ibidem num. 4. pag. 9
In ſacrificio Miſſæ interuenit eſſentialitèr ſubſtantia panis, & vini tanquam terminus a quo actionis tranſubſtantiatiuæ. q. 1. a. 4. num. 2. pag. 10
Et etiam ſpecies eorundem tanquam quid permanens . ibid. n. 4. p. 11
Item ex vi verborum, tanquam terminus ad quem Corpus, & Sanguis Chriſti Domini reſpectiuè . ibid. n. 5. p. 11
Ex vi concomitantiæ totus Chriſtus . ibid.
Sacrificium Miſſæ non eſt duplex, alterum ratione Corporis, alterum ratione Sanguinis Chriſti Domini . q. 1. a. 5. n. 1. p. 12
Nec item eſt duplex, alterum ratione panis, alterum ratione vini . ibid. n. 3. p. 12
Tot ſunt numero ſacrificia, quot Miſſæ . ibidem nu 4. p. 13
Sacrificium Miſſæ quoad valorem . Vide verbo. *Valor*.
Miſſa quoad fructum . Vide verbo. *Sacrificium, vt propitiatorium, vt ſatisfactorium, & vt impetratorium*, & verbo . *Fructus*.
Miſſa quoad præparationem . Vide verb. *Præparatio ad Miſſam*.
Eſt potius Miſſa omittenda, quam celebranda ſine ſacris veſtibus . q. 10. a.8. n. 1. p. 329
Etiam non exiſtente loco ſacro . ibidem num. 2. pag. 329
Poteſt celebrari extra Eccleſiam ex cauſa in Altari portatili . ibid. nu. 3. p. 329
Intellige cum licentia Epiſcopi . ibid.
Etiam extra tempus, & quomodo . ibidem n. 5. pag. 330
Quandonam ſit omittenda Miſſa, quando non poſſunt præcaueri defectus circa cæremonialia . q.10. a.8. nu. 14. p. 332
Vtilius eſt, vt Miſſæ celebrari fiant in vita, quam poſt mortem . q. 11. a. 3. S. 5. num. 2. pag. 356
Miſſæ in vita celebratæ non ſolum ſunt ſatisfactoriæ, ſed etiam propitiatoriæ . ibidem num. 3. pag. 356
Dum eſt in vita poteſt magis, & magis ſe diſponere . ibid. n. 5. p. 357
Ad ſalutem purgantium magis conferunt plures Miſſæ eadem die celebratæ, quam ſucceſſiuè . ibid. nu. 7. p. 357

Miſſa ſolemnis.

Referuntur ritus Miſſæ ſolemnis, qui pertinent ad ornatum . q.9. a.9. n.1. p. 300
Referuntur ea, quæ pertinent ad cultum Sacramenti . ibid. n.2. p. 300
Item ea, quæ pertinent ad ſignificationem moralem, & myſticam . ibid. n.3. p. 301
Quid ſignificet turribulum, & turrificatio . ibidem .
Turrificatio eſt noua cæremonia ab Eccleſia inſtituta . ibid. n. 4. p. 301
Vbi eſt expoſitum Sacramentum, non eſt neceſſe, quod ibi Crux exiſtat . ibidem num. 11. pag. 302
Vbi Crux requiritur, non ſufficit, quod in pariete ſit picta . ibid. n. 12. p. 302
Miſſa ſolemnis, & Conuentualis in Collegiatis, qualis eſſe debet . q.10. a 2. n.21. p. 310
Debet regularitèr concordare cum officio . ibidem .
Salua rubrica de Miſſis votiuis . ibidem num.22. pag. 310
In ferijs Quadrageſimæ duæ Miſſæ ſunt cantandæ, ſi occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex . ibid. n. 23. p. 311
Non ſufficit, quod vna ſit ſolemnis, altera priuata . ibid.
Hoc onus cantandi duas Miſſas non militat in Eccleſijs Regularium . ibid. num. 24. p. 312

Miſſa votiua.

Vndè dicatur Miſſa votiua . q. 9. a. 10. num. 1. pag. 303
Quinam ordo inſtitutus ſit pro huiuſmodi Miſſis . ibid. n. 2. p. 303
Quomodo hic ordo ſeruandus ſit . ibid. num. 3. pag. 304
Regularitèr in Miſſis votiuis non dicitur Hymnus Angelicus . ibid. n. 4. p. 304

In Miſſis votiuis de B. Virgine in Sabbato non omittitur Hymnus Angelicus. ibidem nu. 6. pag. 304
Nec in Miſſis votiuis de Angelis. ibidem nu. 7. pag. 304
Nec in Miſſis votiuis ſolemnibus ob grauem cauſam. ibid. n.8. p. 304
Singularia quoad Miſſas ſacrorum temporum. ibid. n. 9., & 10. p. 304

Miſſa de requiem, & de Paſſione, & D. Gregorij.

Quænam ſint omittenda in Miſſis de requiem. q. 9. a. 9. nu. 5. p. 301
Rationes, ob quas omittuntur. ibidem num. 6. pag. 301
Cur in Miſſa ſolemni defunctorum Sacerdos non ſe ſignat, quando incipit introitum. ibidem nu. 7. p. 301
Cur non petatur benedictio ante lectionem Euangelij. ibid. n.8. p. 301
Cur non dicatur, *Gloria Patri &c.*, poſt Pſalmum. *Lauabo*.
Quænam ſeruanda ſint in Miſſis de feria à Dominica Paſſionis. ibid. nu. 13. p. 303
Quid in Miſſa Dominicæ Palmarum. ibidem n. 14. p 303
Triginta Miſſæ D. Gregorij exponuntur. q. 11. a.7. n. 1 p. 372
Non eſt neceſſe, quod ab eodem Sacerdote celebrentur. ibid. nu. 3. p. 372
Nec, quod omnes ſint de requiem. ibid. num. 4. pag. 372
Etiam, ſi dies non ſint impeditæ officio duplici. ibid. nu. 5. p. 373
Quantum fieri poteſt debent eſſe continuæ. ibid. nu. 6. p. 373

Miſſam celebrare.

Tenetur Sacerdos ſub graui aliquando in anno celebrare. q. 11. a. 1. n.8. p. 343
Saltem ter, vel quater in anno. ibidem num. 13. pag. 344
Quandonam pluries in die poſſit, vel non poſſit celebrari. Vide verbo, *Sacerdos*.
Aſſumpto onere celebrandi Miſſam ad finem aliquem obtinendum, non poteſt diferre celebrationem vltra tempus, quo finis poſſit obtineri. q. 11. a.3. S.3. n.4.p. 352
Si differat vltra illud tempus ſententia docens ſtipendium reſtituendum eſſe, ibid. num. 5. pag 352
Probabilius non tenetur reſtituere. ibidem n. 5. pag. 352
Illam Miſſam tenetur Sacerdos celebrare, quam erogans eleemoſinam exigit, ſi poteſt licitè celebrari. q. 11. a.4. nu.5. p. 363
Si ſit affixa diei, & non poſſit celebrari occurrente feſto duplici, vel Dominicæ, poteſt Sacerdos licitè celebrare de duplici, vel de Dominica. ibid. n. 3. p. 362
Si non ſit affixa diei eſt diferenda vſquequo poſſit celebrari licitè. ibid. nu. 4. p. 363
Si obligatio ſit affixa diei non impeditæ tenetur Sacerdos celebrare Miſſam præſcriptam. ibid. n.5.p. 363
Excipe, niſi illa dies eſſet maximè deuotionis, erga aliquem Sanctum. ibid. nu.6. p. 363
Quæ dicta ſunt, æquè procedunt, ſiue Miſſa petita fuerit de requiem, ſiue votiua. ibid. nu.7. pag. 363
Reijcitur opinio Marchini volentis in die magnæ deuotionis populi poſſe omitti Miſſam de requiem, non votiuam. ibidem num. 8. pag. 364
Orationes Miſſæ votiuæ ſupplentur per maiorem deuotionem. ibid. n.9. p. 364

Miſſam audire.

Adeſt in Eccleſia Dei præceptum audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a. a.6. nu.1. p. 224
Obligat hoc præceptum ex genere ſuo ſub graui. ibid. n.2.p. 224
Paruitas materiæ, & inconſideratio excuſat à grauitate. ibid. n. 3. p. 225
Non eſt præceptum Diuinum poſitiuum. ibid. n.4. p. 225
Eſt radicalitèr naturale. ibid. n. 5. p. 225
Formalitèr eſt Eccleſiaſticum. ibidem num. 6. pag. 225
Obligat omnes fideles adultos. q.8.a.7.n.3. p.226
Quinam veniant quoad hoc nomine adulti. ibidem nu. 4. p. 226
Septennes regularitèr obligantur. ibid.
Debent eſſe baptizati. ibid. n. 7. p. 226
Excommunicati excuſantur. ibid. n.8. p. 226
Non eſt ex neceſſitate maior Miſſa audienda. q.8. a. 8. n. 3. p. 228
Nec ex neceſſitate eſt à Parocho, vel in Parochia audienda. ibid. n. 7. p. 229
Nec item ex neceſſitate eſt audienda Miſſa illa die occurrens. ibid. nu.9. p. 229
Tota Miſſa eſt materia præcepti Eccleſiaſtici. ibid. n. 11. p. 230
Quælibet pars Miſſæ non audita non deſtruit totum. ibid. n.12. p. 230
Quænam omiſſio in auditione ſacri ſit læthalitèr peccaminoſa. ibid. nu. 14. p. 231
Omiſſio vſque ad Euangelium non eſt grauitèr peccaminoſa. ibid. n. 15. p. 231
Nec item poſt Euangelium, ſi audiatur ſecundum D. Ioannis. ibid. nu. 16. p. 231
Omiſſio partis eſſentialis eſt grauitèr peccaminoſa. ibid. nu. 17. p. 231
Omiſſio leuis non eſt ex neceſſitate ſupplenda. q. 8. a.9. n. 1. p. 232
Etiam, ſi fuerit voluntaria. ibid. n. 2. p. 232
Si omiſſio fuerit quoad eſſentialia eſt ſupplenda. ibid. n. 3. p. 233
Et etiam, ſi fuerit notabilis. ibid. n. 4. p. 233
Qui omittit voluntariè partem notabilem, & non ſuppleuit, cum poſſet, non contraxit duplicem culpam. ibid. n. 6. p. 233
An ſufficiat, ſi audiatur pars omiſſa in alia Miſſa. ibid. n.7. p. 234
Si pars omiſſa fuerit quoad eſſentialia, alia Miſſa eſt audienda. ibid. nu. 10. p. 234
Secus, ſi fuerit quoad accidentalia. ibid. nu. 11. pag. 235
Latinus audiens Miſſam Græcorum etiam in partibus Latinorum ſatisfacit. q.8. a.10. n.2. pag. 236
Idem dic de Græco audiente Miſſam Latinorum. ibid.
In diebus ſolemnioribus, quibus Miſſæ publicè celebrantur in Eccleſia interdicta, tenentur Laici Miſſam audire. q.8. a.11.n.3. p. 237
Audiens Miſſam in loco interdicto, vbi Miſſa ſecreto celebratur, non ſatisfacit. ibid. nu. 4. pag. 238
Audiens in Eccleſia interdicta grauitèr peccat. ibid.n.5. p. 238

Non

Non eſt neceſſe ad validam ſacri auditionem, quod videatur, ſeu audiatur celebrans. ibid. nu.6.p. 238
Audiens è Sacriſtia, in qua patet oſtium directum ad Eccleſiam, ſatisfacit. ibidem num.7. pag. 238
Secus, ſi non pateat oſtium directum. ibidem n.8.p. 239
Exiſtens intra ſepta Eccleſiæ in loco remoto ſatisfacit. ibid. n. 9. p. 239
Exiſtens in atrio extra Eccleſiam ſatisfacit. ibid. nu.10.p. 239
Exiſtens in feneſtra domus ſeiunctæ ab Eccleſia, quamuis videat Sacerdotem celebrantem, non ſatisfacit. ibid. n. 11. p. 239
Auditio ſacri quoad locum. Vide verbo. *Oratoria*.
Sæculares audientes ſacrum in Oratorijs Regularium ſatisfaciunt pręcepto audiendi ſacrum in die feſto. q. 8. a.14. n.7. p. 248
Miſſam audire, & celebrare quoad tempus. Vide verb. *Tempus*.
Qualis aſſiſtentia requiratur ad ſatisfaciendum præcepto. Vide verbo. *Aſſiſtentia*, *Attentio*.
Qualis attentio requiratur. Vide verbo. *Attentio*.
Obligatus ad audiendum ſacrum, & ad horas Canonicas recitans horas pro tempore ſacri vtrique oneri ſatisfacit. q. 8. a. 18. num. 3. pag. 258
Obligatus ex voto, & ex pęnitentia ad audiendum ſacrum in die feſto ſecundum aliquos ſatisfacit, & voto, & pænitentiæ, & etiam præcepto Eccleſiaſtico audiens vnum tantum ſacrum in illo die feſto. ibid. nu.4. p. 259
Probabilius non ſatisfacit. ibid. n. 5. p. 259
Obligatus pro eadem die ad audiendas tres Miſſas, vnam ex voto, alteram ex pænitentia, alteram ex præcepto Eccleſiaſtico, an, ſi audiat ſimul tres in diuerſis Altaribus celebratas ſatisfaciat remiſſiuè. q. 8. a. 19. per totum. pag. 262., & 263
Ad validam auditionem ſacri requiritur, & ſufficit intentio interpretatiua illud audiendi. q.8. a.20. n.1. p. 264
Audiens ſacrum contra voluntatem propriam non ſatisfacit præcepto. ibid. n. 4. p. 264
Audiens ſacrum die feſto ignorans eſſe feſtum ſatisfacit. ibid. n. 5. p. 265
Audiens ſacrum cum intentione poſitiua non ſatisfaciendi non ſatisfacit. ibidem num.7. pag. 265
Quid, ſi retractauerit talem intentionem poſt auditionem. ibid. nu. 9. p. 266
Quinam excuſentur ab auditione ſacri. Vide verbo. *Excommunicatio, & Interdictum*.
Vide verbo. *Ignorantia*.
Vide verbo. *Impotentia*.
Vide verb. *Infirmus*.
Vide verbo. *Fœmina*.
Vide verbo. *Pietas*.

N

Natalis Chriſti Domini.

IN nocte Natiuitatis Chriſti Domini poteſt celebrari Miſſa. q. 8. a. 16. n.7. p. 253
Sententia aſſerens eadem nocte non poſſe tres Miſſas celebrari. ibid. nu.8. p. 253
Sententia aſſerens poſſe ſine vlla labe. ibid. n. 9. pag. 254
Præfertur prima ſententia negatiua. ibid. n. 10. pag. 254
In die Natalis Domini non ſunt ex pręcepto audiendæ tres Miſſæ. ibid. n. 11. p. 254
Myſtica ſignificatio trium Miſſarum illius diei Natiuitatis Domini. ibid.
In die Natalis Chriſti Domini tenetur Parochus non impeditus tres Miſſas celebrare. q. 11. a.3. S.1. nu. 18. p. 345
Regularitèr ſolum in die Natiuitatis Domini, licet ter celebrare. ibid. S. 2. nu. 1. p. 347

O

Oblatio. Res oblata.

OBlatio verbalis, quæ fit ante conſecrationem non eſt de eſſentia ſacrificij Miſſæ. q. 1. a. 2. n.2. p. 4
Nec illa, quæ fit poſt conſecrationem. ibid. n.3. pag. 4
Sufficit ad eſſentiam oblatio, quæ fit ipſis rebus. ibid. n.4. p. 4
In ratione rei oblatæ venit panis, & vinum tanquam terminus à quo actionis tranſubſtantiatiuæ. q.1. a. 4. n. 2. p. 10
Et etiam accidentia eiuſdem, tanquam res permanens. ibid. n. 4. p. 11
In ratione rei oblatæ ex vi verborum venit reſpectiuè Corpus, & Sanguis Chriſti Domini. ibid. n.5. p. 11
Ex vi concomitantiæ totus Chriſtus. ibid.
Offerentes præter Chriſtum, & Sacerdotem ſunt quoquo modo omnes fideles. q. 3. a.9. num.1. pag. 97
Sunt in triplici ordine, & quali. ibid.
Offerentes remoti quinam ſint, & quomodo concurrant. ibid. n. 2. p. 98
Quomodo concurrant offerentes ſecundi, & tertij ordinis. ibid. n. 3. p. 98
Offerentes minus principales, qua tales ſunt, non participant de fructu ex opere operato. ibid. nu.4.p. 98
Oblata poſt conſecrationem propriè non benedicuntur. q.9. a. 8. n. 13. p. 299
Oblatio verbalis ſuo tempore omiſſa eſt ante conſecrationem ponenda. q. 10. a.7. num. 10. pag. 328

Occupatio.

Internæ mentis occupationes relatæ ad Dei cultum compatiuntur cum attentione requiſita ad auditionem ſacri. q.8. a. 18. n.11. p. 261
Non ſic internæ occupationes relatæ ad merè naturalia. ibid. n.12. p. 261
Externæ occupationes quænam impediant validam auditionem. ibid. nu.13. p. 262
Quænam non impediant. ibid. nu. 14. p. 262

Onera Miſſarum.

Non poteſt Sacerdos tot onera Miſſarum aſſumere, quot nequeat ſatisfacere, niſi ad longum tempus. q.11. a.3. S.3. num.6. p. 352
Decretum Sacræ Congregationis ad hoc pertinens. ibid. n.7. p. 353
Hoc decretum afficit, tam Rectores Eccleſiarum, quam priuatos Sacerdotes. ibidem n. 8. pag. 353

Intellige, niſi largitor eleemoſinarum implicitè conſenſerit in illam dilationem. ibid. num. 9. pag. 353
Quodnam quoad hoc dicatur longum tempus. ibid. num. 10. p. 353
Onera perpetua Miſſarum non ſunt ſumenda, niſi ſub certis conditionibus, & quibus. ibid. n. 12. p. 354
Obligatus celebrare Miſſas in diebus feſtis non poteſt celebrare in ferialibus. ibidem num. 13. pag. 354
Decretum Sacræ Congregationis obligans ad non ſuſcipienda noua onera Miſſarum, niſi prius ſatisfactis oneribus iam ſuſceptis. q. 12. a. 12. n. 1. p. 392
Hoc decretum non ſolum obligat Rectores Eccleſiarum, ſed etiam priuatos Sacerdotes. ibid. n. 4. p. 393
Subduntur pœnis recipientium onera perpetua Miſſarum ſine requiſitis non ſolum ſuperiores, ſed etiam omnes capitulariter concurrentes. ibid. n. 6. p. 393
Recipientes onera Miſſarum manualium non ſatisfactis antiquis non ſubduntur pœnis recipientium perpetua. ibid. n. 8. p. 394
An, & quando poſſit recipi magnus Miſſarum numerus in Eccleſijs, vbi viget maxima deuotio. ibid. nu. 15. p. 395
Non ſatisfactis primis Miſſis aliæ Miſſæ recipi poſſunt, ſi intra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri. ibid. n. 16. p. 396
Quodnam quoad hoc pro modico tempore computetur. ibid. nu. 17. p. 396
Sciens aliquem eſſe grauatum oneribus Miſſarum, & ei alias tribuens cenſetur conſentire dilationi. ibid. n. 18. p. 396

Oratorium.

Oratoria alia publica, alia priuata, & quid vtraque. q. 8. a. 12. n. 1. p. 240
Epiſcopi modo non poſſunt concedere Oratoria in domibus priuatis. ibid. n. 2. p. 240
Conditiones, quæ ſolent apponi per Pontifices in huiuſmodi indultis. ibid. n. 3. p. 240
Vnica tantum Miſſa in huiuſmodi Oratorijs priuatis eſt celebranda. ibidem num. 5. pag. 241
An Regulares celebrata iam vna Miſſa poſſint aliam ibi celebrare remiſſiuè. ibidem num. 6. pag. 241
An, ſi poſt primam Miſſam Regulares ibi celebrarent, audientes ſatisfacerent? probabilius non ſatisfacerent. ibid. n. 9. p. 242
Si Miſſa in diebus prohibitis in dicto Oratorio celebraretur, etiam priuilegiati eam audientes non ſatisfacerent. ibid. n. 11. p. 243
Famuli audientes ſacrum in dictis Oratorijs abſente Domino non ſatisfacerent. ibid. nu. 12. pag. 243
Si Dominus in die feſto audito ſacro in Eccleſia iterum audiret in Oratorio, famuli ibi audientes cum ipſo ſatisfacerent. ibidem num. 13. pag. 243
Quinam veniant nomine famulorum neceſſariorum, vt audientes in Oratorio priuato cum Domino ſatisfaciant præcepto. ibid. num. 15. pag. 244
Miniſter inſeruiens ſacro, quamuis non priuilegiatus ſatisfacit. ibid. n. 16. p. 244
Quinam veniant nomine familiæ. ibidem n. 17. pag. 244
Abſente Domino familia, probabilius non ſatisfacit. ibid. n. 18. p. 245
Regulares in Oratorijs priuatis poſſunt communicare priuilegiatos. q. 8. a. 13. n. 3. p. 245
Non expedit tamen, vt hoc præſtent contradicentibus Epiſcopis. ibid. n 4. p. 246
Sacerdotes ſæculares non poſſunt ſine licentia. ibid. n. 5. p. 246
Sufficit licentia interpretatiua. ibidem num. 6. pag. 246

Oratorium Regularium.

Priuilegia conceſſa Generalibus, & Prouincialibus deputandi in ſuis domibus Oratoria. q. 8. a. 14. n. 1. p. 246
Hæc priuilegia non fuerunt reuocata, &, ſi reuocata, reſtaurata. ibid. n. 2. p. 247
Poſſunt in illis celebrare etiam Sacerdotes ſæculares. ibid. n. 3. p. 247
Eadem auctoritate poſſunt etiam erigi in Villis, & Grangijs, & ibi celebrari. ibidem num. 4. pag. 247
Nec Epiſcopi poſſunt reſiſtere. ibidem num. 5. pag. 247
Sæculares audientes ſacrum in iſtis Regularium Oratorijs ſatisfaciunt præcepto. ibidem n. 7. pag. 248
Diſcrimen inter huiuſmodi Oratoria, & Oratoria domuum priuatarum. ibidem num. 8. pag. 248
Priuilegia conceſſa Regularibus eximentia eorum Oratoria à viſitatione Ordinariorum. q. 8. a. 15. n. 3. p. 249
Non intelliguntur reuocata per Concilium Tridentinum. ibid. n. 4. p. 250
Specialis textus eximens huiuſmodi Oratoria ab Epiſcopis. ibid. n. 5. p. 250
Eccleſiæ Regularium ſunt exemptæ ab Epiſcoporum iuriſdictione. ibid. n. 6. p. 250
Oratoria non erecta auctoritate Epiſcopi, nec eadem auctoritate benedicta non ſunt publica. ibid. n. 7. p. 250
Exemptio Oratoriorum Regularium prouenit ex priuilegijs Pontificum. ibid. n. 8. p. 251
Tres ſpecies Grangiarum numerantur. ibidem n. 9 p. 251
Oratoria in Grangijs Regularium ſita ob eorum commoditatem auctoritate Generalium non ſubduntur Epiſcopis. ibid. n. 10. p. 251
Euincitur longo ratiocinio Proſperi Fagnani à ſecretis Sacræ Congregationis. ibid.
Nec obſtat, quod habeat oſtium patens, & Campanam. ibid. n. 11. p. 251
Gaudent immunitate Eccleſiaſtica. ibid. nu. 12. pag. 252

P

Panis, & Vinum.

Subſtantia panis, & vini in actione ſacrificatiua venit eſſentialiter tanquam terminus à quo. q. 1. a. 4 n. 2. p. 10
Etiam ſpecies eorundem tanquam quid permanens. ibid. n. 4. p. 11
Vide verb. *Materia*.
Referuntur Hæreticorum errores circa materiam panis. q. 4. a. 1. n. 2. p. 100
Solus panis triticeus aqua naturali compactus, & igne coctus eſt materia Euchariſtiæ. ibid. n. 3. p. 100

Siligo

Siligo orta ex ſemine tritici non eſt materia apta. ibid. n. 4. p. 101
Mixtum ex tritico, & millio eſt materia apta, ſi milium ſit in modica quantitate. ibid. n. 5. pag. 101
Siue azimus, ſiue fermentatus eſt materia apta. ibid. n. 6. p. 101
Græci in fermentato, Latino in azimo debent conſecrare. ibid. n. 7. p. 101
Chriſtus probabilius in azimo conſecrauit. ibid. n. 8. p. 101
Latinus ſub graui tenetur celebrare in azimo, & Græcus in fermentato. ibidem num. 9. pag. 102
Nec in neceſſitate communicandi infirmum licitum eſt Latino conſecrare in fermentato. ibid. n. 11. p. 102
Nec in neceſſitate, vt populus audiat ſacrum in die feſto. ibid.
Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos Latinus in locis Græcorum, & Græcus in locis Latinorum. ibid. n. 13. p. 103
Sacerdos peracta conſecratione in vtraque ſpecie, ſi panis inueniatur corruptus poteſt Latinus non exiſtente azimo conſecrare in fermentato. ibid. n. 14. p. 103
Panis debet eſſe aqua naturali compactus. ibid. n. 15. p. 103
Excluduntur errores Hæreticorum. ibid. n. 16. pag. 103
Debet eſſe igne coctus. ibid. n. 17. p. 104
De fide eſt ſubſtantiam panis, & vini per conſecrationem totalitèr deſinere. q. 5. a. 2. num. 1. pag. 129
Sententia docens deſinere per anihilationem. ibid. nu. 2. p. 130
Propriè non deſinit per anihilationem. ibidem n. 3. p. 130
Non ideò non anihilatur ſubſtantia panis, & vini, quia remaneant eorum accidentia. ibidem n. 4. p. 130
Nec ideò, quia remaneant in potentia Corporis, & Sanguinis Domini. ibidem num. 5. pag. 130
Nec ideò, quia deſinant per actionem poſitiuam. ibid. n. 6. p. 130
Actio, qua deſinit ſubſtantia panis, & vini in conſecratione non terminatur ad nihilum. ibid. n. 7. p. 130

Paraſceue.

Feria ſexta Paraſceue non fit propriè ſacrificium. q. 1. a. 2. n. 11. p. 6
Si in illa feria occurreret feſtum non eſſet obligatio illi officio intereſſe. ibid.
In triduo mortis Chriſti, ſi aliquis Apoſtolorum conſecraſſet verum ſacrificium, probabilius confeciſſet. ibid. n. 17. p. 8
Sacerdos, qui peregit Officium feriæ ſextæ in Paraſceue exiſtens in peccato læthali, an teneatur, quam primum confiteri. q. 3. a. 6. n. 37. p. 74
Quomodo ſe gerere debeat Parochus habens duas Parçcias diſſitas in feria ſexta Paraſceue. q. 11. a. 3. S. 2. nu. 6. p. 348

Parochia, Parochus.

Fideles in Paſchate tenentur in Parochia, & de manibus Parochi, vel de pietati ab eodem communicare. q. 8. a. 3. n. 8. p. 213
Sacerdotes, qui celebrant, non tenentur in Paſchate, nec in Parochia celebrare, nec ibi communicare. ibid.
Si velint communicare in Cœna Domini non tenentur in Parochia communicare. ibidem n. 11. p. 213
Sacerdos, ſi per annum non celebrauit, nec poſſit in Paſchate, tenetur in Parochia communicare. ibid. n. 12. p. 213
Regulares non tenentur in Paſchate in Parochia communicare. ibid. n. 13. p. 214
Famuli deſeruientes Monaſterio, & degentes intra ſepta Monaſterij non tenentur in Parochia communicare. ibid. n. 14. p. 214
Subditi vnius Pareciæ nequeunt in Cathedrali communicare. ibid. n. 15. p. 214
Parochus debet ſaltem illis diebus celebrare, vel per ſe, vel per alium, pro quibus ſubditi tenentur ſacrum audire. q. 11. a. 3. S. 1. num. 15. pag. 344
Quotieſcunque celebrat non tenetur ſacrificium pro ouibus applicare. ibid. n. 16. p. 344
Quandoque tenetur pro eiſdem applicare. ibidem n. 17. p. 345
Tenetur omnibus diebus feſtis pro eiſdem applicare. ibid. n. 18. p. 345
In die Natiuitatis Domini tenetur ter celebrare. ibid. n. 19. p. 345
Diebus, quibus non tenetur pro ouibus celebrare, poteſt accepto ſtipendio pro alijs celebrare. ibid. n. 20. p. 345
Parochus, qui habet duas Paræcias diſſitas, nec ſubditi vnius poſſunt facilè in aliam conuenire, poteſt in vtraque eadem die celebrare. ibidem S. 2. n. 3. p. 347
Intellige pro diebus feſtis, non ferialibus. ibid. n. 5. p. 347
Parochus habens duas Paræcias diſſitas quomodo ſe gerere debeat in feria ſexta in Paraſceue. ibid. nu. 6. p. 348

Paſcha.

Ex præcepto Eccleſiaſtico vnuſquiſque tenetur compos rationis in Paſchate communicare. q. 8. a. 3. n. 2. p. 212
Qui non communicauit in Paſchate, communicauit tamen in Natali Domini eiuſdem anni non tenetur, quam primum communicare, ſed poteſt diferre vſque ad ſequens Natale Chriſti Domini. ibid. n. 4. p. 212
Si eodem anno nunquam communicauit elapſo Paſchate tenetur, quam primum communicare. ibid. n. 5. p. 212
Quodnam tempus quoad hunc effectum veniat nomine Paſchatis. ibid. n. 6. p. 213

Peccatum.

Grauitèr peccat Sacerdos ſacrificans cum conſcientia peccati læthalis. q. 3. a. 6. num. 3. pag. 66
Non tamen duplex peccatum committit alterum ratione confectionis, alterum ratione ſumptionis. ibid. n. 4. p. 66
Hoc peccatum eſt in genere ſacrilegij. ibidem n. 5. p. 66
Non eſt tamen peccatum omnium grauiſſimum. ibid. n. 6. p. 67
Sufficit, ſi Sacerdos in confeſſione exprimat indignam ſumptionem. ibid. n. 7. p. 67
Peccata læthalia ante ſacrificium ſunt ſubijcienda confeſſioni. ibid. n. 8. p. 67

Et

Et hoc etiam ex præcepto Diuino. ibidem nu. 9. pag. 67
Præceptum hoc eſt affirmatiuum. ibidem num. 10. pag. 68
Peccata venialia non impediunt effectum primarium Euchariſtiæ. q. 3. a. 6. num. 46. p. 77
Benè tamen quoquo modo ſecundarium. ibid. n. 47. p. 77
Venialia non contrariantur effectui primario. ibid. n. 49. p. 78
Nec commiſſa in ipſo ſacrificio. ibidem nu. 50. pag. 79

Pœna.

Sacerdos celebrans pluries eadem die ſubditur pœnis damnationis. q. 12. a. 5. n. 2. p. 380
Aliiſque Iudici arbitrarijs. ibidem n. 3. p. 380
Non tamen pœnis contra ſimoniacos illatis. ibid. n. 4. p. 381
Quid importet pœna damnationis. ibid. nu. 5. pag. 381
Pœnis recipientium onera perpetua Miſſarum ſine debita facultate ſubduntur omnes capitulariter concurrentes. q. 12. a. 12. n. 6. p. 393
Pœnæ Sacerdotum ſæcularium, & Rectorum Eccleſiarum recipientium Miſſas perpetuas ſine licentia Epiſcopi. ibid. n. 1. p. 392
Pœnæ Regularium recipientium onera perpetua ſine facultate Generalium, & Prouincialium. ibid.

Pietas.

Titulo pietatis excuſatur quis ab onere auditionis ſacri in die feſto ob aſſiſtentiam infirmo, quando eius abſentia eſſet infirmo noxia. q. 8. a. 21. n. 21. p. 271
Ob audiendam concionem non excuſatur quis ab auditione ſacri in die feſto, ibidem nu. 23. pag. 271

Pileolus, & coma adſciptitia.

Vſus Pileoli in Miſſa à iure interdicitur. q. 9. a. 4. n. 1. p. 287
Solus Pontifex poteſt diſpenſare, vt deferatur à canone vſque ad ſumptionem. ibid. num. 3. pag. 287
Epiſcopus, probabilius non poteſt diſpenſare, vt deferatur ante conſecrationem. ibid. n. 4. pag. 288
Remoto ſcandalo, & extante neceſſitate non eſſet reus grauis culpæ, qui deferret ante canonem. ibid. n. 5. p. 288
Nec parua coma adſciptitia poteſt in Miſſa deferri ſine diſpenſatione. ibid. n. 6. p. 288
Extante neceſſitate facilius eſt diſpenſandum quoad ipſam, quam quoad pileolum. ibid.
Diſpenſatio pertinet ad Romanum Pontificem. ibid. n. 7. p. 288
Diſpenſatus ſimpliciter poteſt deferre per totam Miſſam. ibid. n. 8. p. 288

Pollutio.

Carnalis pollutio multiplex. q. 3. a. 8. num. 6. pag. 95
Pollutio carnalis etiam illicita, ſi fuerit purgata per confeſſionem, non impedit ſimpliciter ſacrificium, nec communionem. ibidem nu. 7. pag. 96
Nec inducit ratione ſui in ſumente culpam venialem. ibid. n. 8. p. 96
Reſpondetur Concilijs in aduerſum adductis. ibid. n. 9. p. 96
Quandoque ratione effectuum impedit ſub veniali. ibid. n. 10. p. 96
Intellige ad tempus, & quodnam. ibidem n. 11. pag. 97

Præparatio ad Miſſam.

Præmittere preces præparatorias non eſt de neceſſitate præcepti, ſed maximæ conuenientiæ. q. 9. a. 3. n. 1. p. 285
Miſſalis liber in hoc non præcipit, ſed dirigit. ibid. n. 2. p. 285
Omiſſio earundem poteſt eſſe cauſaliter peccaminoſa. ibid. n. 3. p. 285
Prærequiritur in celebraturo munditia externa corporalis, & qualis. ibid. n. 4. p. 285
Etiam congrua, & decora indumenta. ibidem n. 5. p. 286
Celebrare ſine calceamentis, an ſit peccaminoſum. ibid. n. 6. p. 286
Celebrare ante recitationem Matutini non eſt grauiter peccaminoſum. ibid. n. 7. p. 286
Hæc anticipatio Miſſæ ſine cauſa eſſet venialis culpa. ibid. n. 9. p. 287

Præſentia, Propinquitas.

Vt materia ſit conſecrabilis, debet eſſe præſens. q. 3. a. 4. n. 25. p. 53
Qualis præſentia requiratur. ibid.
Quænam propinquitas. ibid. n. 26. p. 53
Non requiritur, vt ſonus verborum attingat materiam. ibid. n. 27. p. 54
Vinum in dolio incluſum eſt ſufficienter præſens quoad validam conſecrationem. ibid. nu. 28. pag. 54
Hoſtia in tabernaculo incluſa non eſt ſufficienter præſens. ibid. n. 29. p. 54
Materia infinita, ſi ſit præſens, eſt validè conſecrabilis. ibid. n. 30. p. 54

Præſentia Sacramentalis.

In quo conſiſtit præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti. q. 6. a. 1. n. 1. p. 166
Non conſiſtit in mera coexiſtentia, & penetratione eiuſdem cum ſpeciebus. ibid.
Nec in complexo ſubiecti cum accidentibus. ibid. n. 2. p. 166
Nec in complexo materiæ, & formæ. ibid. n. 3. pag. 166
Nec in complexo ſubſiſtentiæ cum natura. ibidem n. 4. p. 167
Nec in complexo dependentiæ effectus à cauſa. ibid. n. 6. p. 167
Nec in aliqua relatione. ibid. n. 5. p. 167
Conſiſtit in modo ineffabili. ibidem num. 7. pag. 167
Explicatur per effectus hic modus ineffabilis. ibid. n. 8. p. 167
Chriſtus in Euchariſtia habet etiam præſentiam localem. ibid. n. 9. p. 167
Nec ſolum ratione ſpecierum, ſed etiam ratione ſui. ibid. n. 10. p. 167
Hæc præſentia eſt ad modum definitiuæ. ibid. n. 11. p. 168
Conſiſtit in complexo Corporis Chriſti, & loci. ibid. n. 12. p. 168

Chriſtus

Chriſtus eſt totus in tota, & totus in ſingulis partibus hoſtiæ. q.6. a. 2. n. 1. p. 168
Non eſt ſolũ in partibus potentia. ibid.n.2.p.169
Quomodo dicatur habere vnicam tantum præſentiam in eadem hoſtia. ibid. n. 5. p. 170
Etiam facta ſeparatione hoſtiæ conſecratæ eſt totus in omnibus partibus ſeparatis. ibidem n.6. p. 170
Quomodocunque conſtituatur continuum eſt in omnibus partibus, & punctis. ibid.n.7.p. 170
In quo conueniant præſentia ſacramentalis, & naturalis, & in quo diſconueniant. q. 6. a. 3. n.2. p. 173
De facto ſacramentalis dependet à naturali. ibidem n. 3. p. 173
De via tamen extraordinaria poteſt eſſe independens, & quomodo. ibid. n.4. p. 174
Ex vi alterius inſtitutionis poteſt præſentia Sacramentalis non dependere à naturali. ibid. n.7. p. 174
Soluuntur argumenta contraria. ibid. n. 8., 9., 10. p. 175

Priuilegium.

Priuilegia conceſſa celebrandi Miſſas in Oratorijs priuatarum domuum. Vide verb. *Oratorium*.
Priuilegia conceſſa Generalibus, & Prouincialibus Ordinum deputandi in ſuis domibus Oratoria. Vide verb. *Oratoria Regularium*.
Hæc priuilegia non ſunt reuocata, &, ſi reuocata, inſtaurata. q.8.a.14. n.2. p. 247
Poſſunt in illis celebrare etiam Sacerdotes ſæculares. ibid.n.3. p. 247
Priuilegia conceſſa Regularibus eximentia eorum Oratoria à viſitatione Ordinariorum. Vide eodem verbo. *Oratoria Regularium*.
Priuilegia huiuſmodi extenduntur etiam ad oratoria erecta in eorũ Grangijs.q.8.a.15.n.10.p.251
Numerantur Regularium priuilegia celebrandi Miſſam ante auroram, & poſt meridiem. q.8. a.16. n.12. p. 254
Cautè vtendum eſt huiuſmodi priuilegijs. ibid. nu.13.p. 254
Sæculares audientes ſacrum celebratum ante auroram, vel poſt meridiem à Regularibus ſatiſfaciunt præcepto. ibid. n. 14. p. 255
Priuilegia Regularium quoad numerum Miſſarum dimminuendum ſunt reuocata per ſacram Congregationem. q. 12. a. 6. n. 1.p. 381
Ceſſat priuilegium Iulij II. conceſſum Generalibus Ordinum Mendicantium diſpenſandi, vt per vnam Miſſam cum nouem collectis ſatiſfacerent pro nouem Miſſis. ibid. n. 2.p. 381
Item Leonis X. per vnam Miſſam ſatiſfaciendi pluribus eleemoſinis paruis. ibid. n. 3. p. 382
Decretum reuocatorium huiuſmodi priuilegiorum intelligendum eſt de Miſſis ſuſceptis poſt priuilegium. ibid. n.4. p. 382
Niſi eiſdem Miſſis fuerit ſatiſfactum ante reuocationem. ibid. n.5. p. 382
Priuilegium, quod dicitur conceſſum Minimis Conuentus Ianuenſis, vt legata perpetua exigua poſſint reducere ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet Miſſa quotidiana non eſt extendibile ad alios Conuentus. ibid. n. 7. p. 382

Q

Quantitas.

QVælibet minima pars materiæ ſenſibilis eſt conſecrabilis. q.3. a.4. n.21. p. 52
Quæcunque magna quantitas poteſt conſecrari, ſi ſit præſens. ibid.n.23. p. 52
Quantitas Corporis Chriſti non venit formaliter ex vi verborum ſub ſpeciebus panis. q. 5. a. 8. n. 9. p. 162
Indiuiſibile ſeparatum non poteſt conſecrari. q.6.a.2. n.11. p. 172
Indiuiſibile conſecratum ſimul cum alijs, ſiue punctis, ſiue partibus, ſi ſeparetur, remanet conſecratum. ibid. n. 13. p. 172
Quantitas eſt realitèr diſtincta, & ſeparabilis à materia. q.7. a.2. n. 1. p. 189
Sententia docens quantitatem per conſecrationem ſolum deperdere ſubiectum, & nihil acquirere, reijcitur. ibid. n. 3. p. 189
Quantitas non acquirit nouum modum intrinſecum. ibid.nu.6.p. 190
Exiſtit per potentiorem Dei concurſum. ibidem n.8. p. 191
Hic concurſus eſt immediatè à Deo. ib. n.9.p.191
Quantitas eſt immediatum ſubiectum aliorum accidentium. q.7.a.3.n.4. p. 193
Quantitas non eſt mera diſpoſitio. ibid.n.7.p. 194
Quantitas in deſitione ſpecierum ſacramentalium in ordine ad productionem formæ, quæ ſubſequitur, non ſupplet vicem materiæ. q.7. a.4. n. 21. p. 199
Quantitas, quæ erat cum ſpeciebus ſacramentalibus, deſinentibus iſtis non reproducitur. ibid. nu 28.p. 402
Quantitas in Euchariſtia poteſt pati aliquam mutationem. q 7. a.5.n.1. p. 402
Per condenſationem, & rarefactionem. ibidem n. 3. p. 203
Item per diuiſionem, & continuationem. ibid. n.4. p. 203
Non tamen per corruptionem. ibidem num. 5. pag. 203

R

Reductio Miſſarum.

DIſpoſitio Concilij Tridentini circa huiuſmodi reductiones. q.12. a.7. n.1. p. 382
Moderatio talis diſpoſitionis per ſacram Congregationem. ibid. nu.2. p. 382
Epiſcopi, & Generales non poſſunt amplius moderari Miſſas poſt Concilium Tridentinum receptas. ibid. nu.3. p. 383
Nec impoſitas in limine fundationis, quamuis ante Concilium. ibid. n.4. p. 383
Adaucto etiam, vel dimminuto ſtipendio Miſſarum non poteſt Sacerdos ex ſe Miſſas reducere. q.12. a.8. n.3. p. 383
Pereunte in totum fundo ſuppoſito oneri Miſſarum, an ceſſet onus remiſſiuè. ibid.n.5. p.383
Tot Miſſæ ſunt celebrandæ, quot eleemoſinæ pro ipſis attributæ, quamuis tenues. ibid.n 6.p. 383
Etiam ſi Miſſæ impoſitæ eſſent eiuſdem qualitatis. ibid. n.8. p. 383
Illæ particulæ. *Quot præſcriptæ fuerint*, intelliguntur ab offerentibus eleemoſinam, non à taxa Epiſcopi, vel conſuetudine. ibid. nu. 10. pag. 384

Regulares.

Regulares, an celebrata vna Miſſa in Oratorijs domuum priuatarum poſſint aliam ibi celebrare. q.8. a.12. n. 6. p. 241
Dato, quod ibi poſſent celebrare, an audientes ſatiſfacerent præcepto. ibid. nu. 7. p. 242

Sententia aſſerens ſatisfacere. ibid. n. 8. p. 242
Probabilius non ſatisfacerent. ibid. n.9. p. 242
Regulares probabilius celebrantes in Oratorijs priuatarum domuum poſſunt priuilegiatos communicare. q.8. a.13.nu.3. p. 245
Non expedit tamen, vt hoc præſtent contradicentibus Epiſcopis. ibid. n. 4. p. 245
Generales, & Prouinciales poſſunt in ſuis domibus deputare Oratoria, vt ibi celebrari poſſint Miſſæ. q 8.a.14. n.1. p. 246
Vide verb. *Oratoria Regularium*.
Regulares quoad priuilegia celebrandi ſacrum ante auroram, vel poſt meridiem. Vide verb. *Priuilegium*.
Regulares non poſſunt amplius per vnam Miſſam cum nouem collectis ſatisfacere pro nouem Miſſis. q. 12. a.6. n.2. p. 381
Nec per vnam Miſſam ſatisfacere pluribus ſtipendijs exiguis. ibid, n.3. p. 382

Ritus.

Ritus quoad locum celebrationis. Vide verbo *Altare*.
Ritus quoad conſecrationem Altaris. Vide verb, *Altare, & conſecratio Altaris*.
Ritus quoad vaſa. Vide verbo. *Vaſa ſacra*.
Ritus quoad ſacras veſtes. Vide verb *Veſtes ſacræ*.
Ritus quoad miniſtrum. Vide verb. *Miniſter*.
Ritus, qui conſiſtunt in verbis. Vide verb. *Verba*.
Ritus, qui conſiſtunt in actionibus. Vide verbo, *Actio*.
Ritus in Miſſa ſolemni. Vide verb, *Miſſa ſolemnis*,
Ritus quoad Miſſas defunctorum. Vide verbo. *Miſſa de requiem*,
Ritus quoad Miſſas votiuas, & ſacrorum temporum. Vide verbo. *Miſſa votiua*.
Defectus circa ritus, & cæremonias. Vide verb, *Defectus*.
Secundum Ritum Ambroſianum vetantur Miſſę celebrari quacunque feria ſexta quadrageſimæ. q. 11. a.3. §.7. n. 1. p. 360
Sacerdos Ambroſianus nullo onere obſtrictus poteſt in Eccleſijs Regularium celebrare, & ſtipem accipere. ibid. nu.2. p. 360
Etiam ſi ex vi fundationis, & teſtamenti eſſet obligatus quotidiè celebrare pro fundatore. ibid. nu. 3. p. 361

S

Sacerdos.

SAcerdos non applicans valorem medium pro omnibus non peccat contra charitatem. q. 2. a.2. n.8. p. 19
Sacerdos, qui acceptis pluribus ſtipendijs adæquatis à pluribus vnum ſacrificium applicat pro omnibus, peccat grauitèr, & quo peccato. ibid. n 11. p. 20
Omnes Sacerdotes ritè ordinati, quantumuis præciſi ab Eccleſia, poſſunt validè ſacrificare. q.3. a.2. n. 2. p. 34
Poteſtas ordinis non pendet ab Eccleſia. ibidem n.3. p. 34
Prauitas Sacerdotis non irritat ſacrificium. ibidem nu. 4. p. 34
Sacerdos eſt mediator deputatus à Chriſto. ibid. n. 5. p. 34
Eliduntur argumenta Magiſtri ſententiarum volentis excommunicatos, & Hæreticos non poſſe validè ſacrificare. ibid. n. 6. p. 34., & 35
Sacerdos eſt inſtrumentum morale Chriſti Domini quoad hoc ſacrificium. ibid. n.7. p. 36
In quo conſiſtat cauſalitas moralis Sacerdotis. ibid. n. 9. p. 36
Sacerdos reſpectu Dei eſt inſtrumentum phyſicum ibid. nu. 10. p. 36
Sacerdos quoad intentionem, Vide verbo. *Intentio*.
Sacerdos, qui ante amentiam intendit ſacrificare ſubſequente amentia non validè ſacrificat. q.3.a.4. n.1.p. 46
Vide verb. *Amens*, & *Amentia*.
Sacerdos ad licitam confectionem, & ſumptionem debet habere fidem, & ſtatum gratiæ. q. 3. a.6.n.2.p. 66
Grauiſſimè peccat ſacrificans cum conſcientia peccati læthalis. ibid. n.3. p. 66
Non tamen duplex peccatum committit, alterum ratione confectionis, alterum ratione ſumptionis. ibid. n. 4. p. 66
Peccatum in tali confectione, & ſumptione eſt in genere ſacrilegij. ibid. n.5.p. 66
Non tamen eſt peccatum omnium grauiſſimum. ibid. n.6.p. 67
Sacerdos ſibi conſcius peccati læthalis debet præmittere ſacrificio confeſſionem ſacramentalem. ibid. n 8. p. 67
Et hoc etiam ex præcepto Diuino. ibid.n.9.p. 66
Sacerdos quoad onus præmittendæ confeſſionis ſacramentalis ad ſacrificium. Vide verbo. *Confeſſio*.
Sacerdos quoad ieiunium naturale ſeruandum ante celebrationem Miſſæ, Vide verb. *Ieiunium*.
Sacerdos, qui ſummo manè celebrauit in die feſto etiam adueniente magno Principe, vel magno populo non poteſt iterum celebrare. q. 3. a.7. n.42.p. 92
Nec Miſſam inceptam repetere, ibidem nu. 43. pag. 92
Poteſt Sacerdos reliquias hoſtiæ cognitas poſt purificationem ſumere, ibid. nu.49. p. 94
Cognitas poſt completum ſacrificium per ſe non poteſt ſumere. ibid. n. 50. p. 94
Poteſt Sacerdos ratione ſcandali vitandi non ieiunus Miſſam inceptam perficere, ibidem n. 52. p. 94
Sacerdos celebraturus ex neceſſitate debet induere ſacras veſtes. q.3.a.8. nu.1.p. 95
Communicaturus more laicali ex congruitate debet ſtolam induere. ibid.
Sacerdotes non tenentur in Paſchate in Parochia communicare, nec ibi ſacrificare. q.8. a. 3. n. 10. p. 213
Nec tenentur in Parochia, ſi velint communicare feria quinta in Cœna Domini. ibid. n.11. pag. 213
Sacerdos, ſi per annum non celebrauit, nec poſſit in Paſchate celebrare, tenetur in Parochia communicare. ibid. n. 12. p. 213
Sacerdos, qui non celebrat in Altari, in quo tenetur, vel ex teſtamento, vel ex pacto grauitèr peccat. q 11. a. 1. n. 2. p. 333
Sacerdos quoad obligationem celebrandi in determinato Altari. Vide verb. *Altare*.
Sacerdos obligatus ſolum ad celebrandum in certo Altari, & non ad applicandum ſacrificium, ſi ibi non celebret, non facit ſtipendium ſuum. q.11. a. 1. n. 10. p. 335
Obligatus celebrare in certo Altari ratione breuis infirmitatis eximitur ab onere ibi celebrandi. ibid. n. 12. p. 336

Pro quanto tempore infirmitas excuſet. ibidem n. 13. p. 336
Item quando ex cauſa abeſt cum licentia Epiſcopi. ibid. n. 14. p. 336
Item quando bis, vel ter in anno celebrat alibi ex propria deuotione, vel ad ſubueniendum ſuis. ibid. nu. 15. p. 336
Item quando Altare eſt impeditum. ibid. n. 16. pag. 336
Sacerdos obligatus quotidiè celebrare potens ex honeſtate omittere ſacrum in hebdomada, ſi velit celebrare, tenetur pro fundatore celebrare, & in Altari à teſtatore præſcripto. ibid. n. 18. p. 337
Obligatus celebrare in certo Altari poteſt ibi celebrare per alium. ibid. n. 19. p. 337
Niſi ſpecialitèr fuerit electa perſona. ibid.
Obligatus celebrare in Altari priuilegiato non ſatisfacit alibi celebrando cum numiſmate. ibid. n. 20. p. 338
Obligatus celebrare in certo Altari non tamen applicare ſacrificium, non poteſt accipere ſtipendium, vt alibi celebret. ibid. n. 21. p. 338
Sacerdos obligatus quotidiè celebrare in certo Altari, qui ratione honeſtatis poteſt ſemel in hebdomada Miſſam omittere, ſi velit celebrare illa die, qua poteſt omittere, tenetur in tali Altari celebrare. q. 11. a. 1. nu. 18. p. 337
Obligatus celebrare in certo Altari poteſt ibi celebrare per alium. ibid. n. 19. p. 337
Niſi ſit electa bonitas perſonæ. ibid.
Obligatus celebrare in Altari priuilegiato non ſatisfacit alibi celebrando etiam cum numiſmate. ibid. n. 20. p. 338
Obligatus celebrare in certo Altari non tamen applicare ſacrificium non poteſt accipere ſtipendium, vt alibi celebret. ibid. n. 21. p. 338
Poteſt tamen accipere, vt in eodem celebret applicando ſacrificium pro offerente ſtipendium. ibid. n. 22. p. 338
Sacerdos ex Concil. Trid. tenetur aliquando celebrare, & etiam ex vi ordinationis. q. 11. a. 3. n. 2. p. 342
Sententia aſſerens Sacerdotem non peccare, ſi per annum, & vltra non celebret. ibid. n. 4. p. 342
Sententia aſſerens peccare, ſed ſolum venialitèr. ibid. n. 7. p. 343
Probabilius peccat læthalitèr. ibid. n. 8. p. 343
Tenetur ſaltem ad quatuor vices in anno. ibid. n. 13. p. 344
An, & quando teneatur Parochus. Vide verbo. *Parochus*.
Sacerdos in partibus infidelium, vbi pauci ſunt Sacerdotes, & plures Catholici, poteſt bis, vel ter eadē die celebrare. q. 11. a. 3. S. 2. n. 7. p. 348
Item in caſu magnæ ſolemnitatis extante vno tantum Sacerdote, & magna populi affluentia. ibid. n. 8. p. 348
In his tamen caſibus Sacerdos non debet in prima Miſſa ſumere purificationem. ib. n. 9. p. 348
Sacerdos, qui iam celebrauit de feſto, occurrente alicuius morte non poteſt iterum de requiem celebrare. ibid. nu. 10. p. 348
Explicatur textus *in cap. ſufficit de conſecrat. diſtinct.* 1. ibid. n. 12. p. 349
Per ſuperuenientiam Principis non poteſt iterum celebrare ibid. n. 13. p. 349
Nec poteſt die feſto ſummo manè ad exigentiam Principis iter facturi celebrare, & poſtea iterum pro populo. ibid. n. 15. p. 350
Nec poteſt iterum celebrare ob ſuperuenientiam magnæ copiæ peregrinorum. ibid. n. 16. p. 350
Numerantur alij caſus, in quibus ſacrificium non poteſt iterare. ibid. n. 17. p. 350
Obligatus celebrare in diebus feſtis non poteſt differre ad dies feriales. q. 11. a. 3. S. 3. nu. 14. pag. 354
Non poteſt anticipatè celebrare pro eo, qui primò oblaturus eſt ſtipendium. q. 11. a. 3. S. 4. n. 3. p. 355
Sacrificium eſt ſolum in poteſtate ſacrificantis, quando ſit. ibid. n. 5. p. 355
Decretum ſacræ Congregationis ſuper hoc emanatum ibid. n. 6. p. 355
Capellanus obligatus celebrare pro certis diebus pro fundatore poteſt anticipatè celebrare. ibid. n. 7. p. 356
Niſi alitèr conſtet de mente teſtatoris. ibid. n. 8. pag. 356
Sacerdos per ſe obligatus quotidiè celebrare pro fundatore poteſt ſemel in hebdomada Miſſam omittere cauſa honeſtatis. q. 11. a. 3. S. 6. n. 2. pag. 358
Ratione infirmitatis poteſt per menſem omittere. ibid. n. 3. p. 358
Sententia docens, quod quando obligatio dirigitur ad locum non poſſit vna Miſſa in hebdomada omitti. ibid. n. 4. p. 358
Contraria ſententia præfertur. ibid. n. 5. p. 359
Non poteſt vnam Miſſam in hebdomada omittere cauſa oblectationis. ibid. n. 7. p. 359
Obligatus quotidiè celebrare vel per ſe, vel per alium non poteſt vnam Miſſam in hebdomada omittere. ibid. n. 8. p. 359
Non poteſt illa die, qua ex honeſtate poteſt omittere, pro alio celebrare. ibid. n. 9. p. 359
Sacerdos Ambroſianus, qui ſuo ritu vetatur celebrare quacunque feria ſexta Quadrageſimæ, poteſt in Eccleſijs Regularium celebrare, & ſtipem recipere. q. 11. a. 3. S. 7. n. 2., & 3. p. 361
Sacerdos vltra dies præſcriptos pluries eadem die celebrans ſubditur pœnæ damnationis. q. 12. a. 5. n. 1. p. 380
Et pœnis Iudici arbitrarijs. ibid. n. 3. p. 381
Non tamen pœnis ſimoniacorum. ib. n. 4. p. 381
Quid veniat nomine pœnæ damnationis. ibid. n. 5. p. 381

Sacrificium.

Sacrificij multiplex acceptio. q. 1. a. 1. n. 1. p. 2
Quid propriè ſit ſacrificium. ibid. n. 2. p. 2
Debet eſſe in ratione ſigni ſenſibilis. ibid. n. 3. p. 2
Et publica auctoritate inſtitutum. ibid. n. 4. p. 2
Martirium Sanctorum non eſt propriè ſacrificium. ibid. n. 5. p. 2
Debet eſſe cum aliqua rei oblatæ deſtructione. ibid. n. 6. p. 2
Cur potius conſtituatur per actionem deſtructiuam, quam per productiuam. ibid. n. 7. p. 3
Finis præcipuus ſacrificij. ibid. n. 8. p. 3
Diuiſiones ſacrificij ratione materiæ. ib. n. 9. p. 3
Diuiſiones ratione formæ, & actionis. ibidem n. 10. p. 3
Diuiſiones ratione finis. ibid. n. 11. p. 3
Sacrificium per quid differat à Sacramentis. ibid. n. 12. p. 3
Sacrificium Miſſæ. Vide verbo. *Miſſa, Conſecratio, Oblatio, Sumptio*.
Sacrificium Miſſæ quoad valorem. Vide verb. *Valor*.

Sacrificium, vt Propitiatorium.

Reijciuntur Hæretici negantes eſſe propitiatorium. q. 2. a. 4. n. 1. p. 23

Mmm 2 Sen-

Sententia aſſerens non cauſare effectum ex opere operato. ibid. n.2. p. 23
Sententia aſſerens omnem gratiam prouenire ex hoc ſacrificio. ibid. n. 3. p. 23
Sententia aſſerens per ſe cauſare gratiam primam. ibid. n. 4. p. 23
Sententia aſſerens per ſe cauſare immediatè ſecundam. ibid. n.5. p. 23
Sententia aſſerens cauſare primam gratiam per accidens. ibid. n. 6. p. 23
Non cauſat per ſe primã gratiam. ibid.n.8.p. 23
Explicatur Concilium Tridentinum, vt non obſiſtens huic aſſerto. ibid. n. 12. p. 24
Neque per accidens eandem primam gratiam cauſat. ibid. n. 13. p. 25
Nec directè cauſat remiſſionem venialium. ibidem n. 15. p. 26
Sacrificium, nec etiam directè cauſat ſecundam gratiam. ibid. n.17. p. 26

Sacrificium, vt ſatisfactorium, & impetratorium.

Vt ſatisfactorium cauſat directè ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis, ſiue in viuis, ſiue defunctis. q. 2. a. 5. n. 1. p. 27
Intellige quoad pœnam peccatorum, ſiue læthalium, ſiue venialium remiſſorum quoad culpam. ibid. n.5. p. 29
Cauſat talem remiſſionem infallibilitèr. ibidem n. 6. p. 29
Prodeſt etiam ad conſecutionem bonorum temporalium. ibid. nu.7. p. 29
Et certè lege infallibili, ſed conditionata. ibid. n.8. p. 30
Sacrificium Miſſæ poteſt applicari, & prodeſſe omnibus viuentibus baptizatis non ſeparatis ab Eccleſia. q.4. a.5. n.3. p. 117
Etiam paruulis, & energumenis. ibid. n. 4.p.117
Diuerſis diuersè prodeſt. ibid. n. 5. p. 117
Pro excommunicatis, an poſſit offerri. Vide verb. *Excommunicatus*, & verb. *Applicatio*.
Sacrificium poteſt offerri pro fidelibus non baptizatis, & etiam pro infidelibus impetratoriè. q.4. a.5. n.15. p. 120
Etiam oblatione directa. ibid. n. 16. p. 120
Et etiam oblatione indirecta, & quomodo. ibidem n. 19. p. 121
Non poteſt propriè offerri pro Beatis in Cœlo exiſtentibus. q.4.a.6. n.2. p. 122
Nec quoad fructum impetratorium. ibid.
Nec pro damnatis in inferno. ibid. n. 4. p. 122
Nec pro eiſdem mediocritèr malis. ib.n.8.p. 123
Nec pro paruulis, qui deceſſerunt ſine baptiſmo. ibid. n. 10. p. 124
Pro animabus fidelium in purgatorio exiſtentibus poteſt offerri, & quoad fructum ſatiſfactorium, & impetratorium. ibid. n. 12. p.124
Et etiam pro defunctis non baptizatis exiſtentibus in purgatorio impetratoriè. ibid. nu. 14. pag. 125

Sanguis.

Sanguis eſt terminus formalis conſecrationis vini. q.5. a.8. n. 2. p. 160
Quid propriè veniat nomine ſanguinis. ibidem n.5. p. 160
An ſit pars Corporis, & quomodo. ibid. p. 161
An ſit animatus, dum eſt in viuente remiſſiuè. ibid. p. 161
Sanguis formalitèr venit ſub ſpeciebus diuerſa actione ab illa Corporis. ibid. n. 8. p. 162
Cum Sanguine vi verborum veniunt etiam alij humores. ibid.n.12. p. 163

Stipendium.

Capellanus obligatus celebrare in certo Altari, non tamen applicare ſacrificium pro teſtatore non poteſt accipere ſtipendium, vt alibi celebret. q.11. a.1. n. 21. p. 338
Poteſt tamen accipere ſtipendium ab alio, vt ibi applicet ſacrificium pro ipſo. ibid.n.22.p.338
Ex conſuetudine petens Miſſam erogato congruo ſtipendio petit applicationem ſacrificij, quamuis de illa nil expresſè dixerit. q. 11. a.2. nu.10. p. 341
Petens Miſſam votiuam erogato congruo ſtipendio intelligitur velle quemcunque fructum. ibid. n. 11. p. 341
Stipendium Miſſarum non datur pro fructu ſacrificij. q.12. a.1. n.1. p. 374
Nec pro obligatione celebrandi. ibid.n.2.p. 374
Nec pro labore in celebrando. ibid. n. 3. p. 374
Actio ſacrificatiua eſt indiſtincta ab ipſo labore. ibid. n. 4. p. 375
Explicatur Concil. Agatenſe. ibid. n. 5. p. 375
Locatio operis non eſt pretio æſtimabilis, quando opus non eſt tale. ibid. n. 7. p. 375
Labor diſtinctus ab opere eſt pretio locabilis. ibid. n. 10. p. 375
Stipendium erogatur in ſuſtentationem miſſantis. ibid. n. 11. p. 376
Nec eſt ex neceſſitate conferendum in totalem eiuſdem ſuſtentationem. ibid. n. 13. p. 376
Rationes ſuadentes Sacerdotem diuitem non poſſe ſtipendium pro Miſſis exigere. q.12. a.2. n. 1. p. 376
Iuſtè poteſt exigere. ibid. n. 2. p. 376
Poteſt exigere, quamuis habeat aliundè bona Eccleſiaſtica pinguia. ibid. n. 4. p. 377
Soluuntur rationes, & iura oppoſita. ibid.n.5.p.377
Pro Miſſis perpetuis antiquis ſtandum eſt ſtipendio taxato in fundatione. q.12. a.3. n. 1.p. 377
Siue illud fuerit pingue, ſiue tenue. ibid. n.2., & 3. pag. 377
Pro fundatione futura Miſſarum perpetuarum conſtituenda ſunt ſtipendia pinguiora. ibid. n.4. p. 378
Iuſtum ſtipendium Miſſarum manualium illud eſt, quod eſt taxatum ab Epiſcopo, vel conſuetudine. ibid. n.5. p. 378
Ex liberalitate erogantis eleemoſinam poteſt maior erogari. ibid. n.7. p. 378
Lex taxatiua ſtipendij pro Miſſis non debet referri ad integram ſuſtentationem celebrantis. ibid. n. 8. p. 378
Sacerdos pauper non poteſt exigere plura, vel pinguiora ſtipendia. q.12. a. 4. n.2. p. 379
Qui tenuia ſtipendia recepit, non poteſt Miſſas minuere. ibid. nu.3. p. 379
Quantitas ſtipendij aſſignata à teſtatore pro Miſſa quotidiana quandonam ſit per hæredem ſupplenda, quando fundus ex quo percipitur, eſt deterioratus. Vide verb. *Hæres*.
Accepto maiori ſtipendio pro Miſſa non poteſt Sacerdos illam celebrare per alium erogato minori. q.12. a.10. n. 1. p. 387
Etiam ſi tribuat alteri celebranti congruum taxatum ab Epiſcopo. ibid. n. 2. p. 387
Excipiuntur ab hac regula Beneficiarij. ibidem n.3. p. 388
Stipendium Miſſarum collatum pro Miſſis celebrandis, an poſſit diminui ratione expen-

ſa-

ſarum, & manutentionis. ibid. n. 4. p. 388
Refertur decretum ſacræ Congregationis quoad hoc, ibid. nu. 5. p. 388
Vide verbo. *Adminiſtrator, & Manutentio*.
Non poteſt pro eadem Miſſa exigi duplex ſtipendium, alterum pro fructu medio, alterum pro ſpecialiſſimo. q. 12. a. 14. nu. 1. p. 401
Euincitur ex damnatione Alexandri VII. ibid. n. 4. p. 401
Si Miſſa ex mente largientis ſtipendium celebretur in Altari priuilegiato non poteſt exigi duplex ſtipendium, alterum pro Miſſa, alterum pro indulgentia. q. 12. a. 15. n. 2. p. 402
Petens ſacrificium in Altari priuilegiato petit, & beneficium Miſſæ, & beneficium Altaris. ibidem num. 4. p. 402
Obligatus celebrare ſine onere Altaris priuilegiati non poteſt exigere aliud ſtipendium ab alio pro applicatione indulgentiæ. ibid. n. 6. pag. 402
Nec item à primo, vt pro ipſo applicet indulgentiam. ibid. n. 7. p. 403
Sententia aſſerens pro Miſſa cantata poſſe exigi duplex ſtipendium, vel maius. q. 12. a. 16. n. 1. p. 403
Sententia negans. ibid. n. 2. p. 403
Sententia media docens poſſe recipi tantum ſtipendium, quantum correſpondet duplici, vel triplici Miſſę, non tamen ſatisfacere pro duplici, vel triplici Miſſa. ibid. n. 3. p. 403
Ratione diuturnioris temporis, & miniſterij poteſt exigi maius ſtipendium. ibid. n. 4. p. 403
Non tamen ſatisfieri duabus Miſſis ante acceptis. ibid. n. 5. p. 404
Etiam ratione expenſarum poteſt quid maius exigi. ibid. n. 6. p. 404
Recipiens incongruum ſtipendium pro Miſſa celebranda tenetur ſecundum Tamburinum Miſſam quidem applicare pro eo, qui contulit tale ſtipendium, non tamen ſecundum omnem fructum. q. 12. a. 21. n. 1. p. 409
Secundum veritatem tenetur ſecundum omnem fructum applicare. ibid. n. 2. p. 410
Reijcitur ſententia Tamburini. ibid. n. 4. p. 410
Euincitur ex decreto ſacræ Congregationis. ibidem n. 3. p. 410
Ob exiguum ſtipendium, an Sacerdos, ſi non poteſt numerum Miſſarum minuere, poſſit ſaltem fructum ipſarum dimidiare. ibid. a. 22. pag. 411
Si Sacerdos receperit illud modicum ſtipendium indicans ſolum deficere à taxa, non poteſt fructum minuere. ibid. n. 3. p. 411
Si non ſolum indicauerit taxam, ſed etiam obligationem reſtrixerit ad taxam, poteſt fructum dimminuere ex ſuppoſitione, quod hic ſit finitus. ibid. nu. 4. p. 412
Si ſtipendium pro decem Miſſis fuerit traditum inuolutum in carta, & inuentum fuerit longè inferiùs taxa, Sacerdos poteſt monito eo, qui illud ſtipendium dedit, dimminuere Miſſas. ibid. n. 10., & 11. p. 413
Eo non monito tenetur Miſſas præſcriptas celebrare. ibid. n. 12. p. 413

Subiectum.

Subiectum effectus ſacrificij Miſſę ſunt omnes fideles viuentes baptizati. q. 4. a. 5. n. 3. p. 117
Dummodò non ſint ab Eccleſia ſeparati. ibid.
Etiam paruuli, & energumini poſſunt eſſe ſubiectum. ibid. n. 4. p. 117
An excommunicati. Vide verbo. *Excommunicatus*.
An non baptizati. Vide verb. *Sacrificium*, & verb. *Applicatio*.
Pro Beatis in Cœlo propriè offerri non poteſt. q. 4. a. 6. n. 2. p. 122
Nec etiam quoad fructum impetratorium. ibid.
Soluitur argumentum contrarium. ibid. n. 3. p. 122
Nec poteſt offerri pro damnatis. ibid. n. 4. p. 122
Non poteſt conferre alleuiationem pœnarum. ibid. n. 6. p. 122
Nec aliquam confortationem, & conſolationem. ibid. n. 7. p. 123
Nec poteſt prodeſſe damnatis mediocritèr malis. ibid. n. 8. p. 123
Paruuli non baptizati non ſunt ſubiectum huius ſacrificij. ibid. n. 10. p. 124
Animæ fidelium in purgatorio exiſtentes ſunt ſubiectum, & quoad fructum ſatisfactorium, & quoad impetratorium. ibid. n. 12. p. 124
Quoad impetratorium etiam animæ defunctorum fidelium non baptizatorum ſunt capaces. ibid. n. 14. p. 125

Subſiſtentia.

Subſiſtentia verbi Diuini ſecundum aliquos non venit formalitèr ex vi verborum ſub ſpeciebus panis. q. 5. a. 8. n. 14. p. 163
Eſt tamen probabilis ſententia aſſerens venire formalitèr. ibid. n. 15. p. 164
Soluuntur rationes oppoſitæ. ibid. n. 16. p. 164
Explicatur Concilium Tridentinum non diſſentiens huic ſecundæ ſententiæ. ibid. num. 17. pag. 165

Sumptio.

Sumptio Sacerdotalis, quæ fit in Miſſa, eſt de ſubſtantia ſacrificij Miſſæ, non de eſſentia. q. 1. a. 2. n. 7. p. 5
Rationes ſuadentes, nec eſſe totam eſſentiam, nec pertinere ad eſſentiam. ibidem n. 9., & 10. pag. 5., & 6
Per quid differat ſumptio laicalis à Sacerdotali. ibid. n. 14. p. 7
Ad fructuoſam ſumptionem Euchariſtiæ cum effectu primario, non eſt neceſſaria actualis deuotio, nec carentia peccatorum venialium. q. 3. a. 6. n. 46. p. 77
Eſt tamen neceſſaria quoad effectum ſecundarium. ibid. n. 47. p. 77
Sumptio Euchariſtiæ non eſt neceſſaria neceſſitate medij in re. q. 8. a. 1. n. 3. p. 204
Nec eſt neceſſaria neceſſitate medij in voto explicito, & formali. ibid. n. 6. p. 205
Benè tamen in voto implicito, & quomodo. ibid. nu. 7. p. 205
Sumptio eſt neceſſaria ex præcepto Diuino. Vide verbo. *Communio*.

T

Tempus.

TEmpus celebrandi computatur ab aurora ad meridiem. q. 8. a. 16. n. 1. p. 252
Hoc tempus ſeruandum eſt ſub læthali. ibidem n. 2. p. 252
Modicitas tamen temporis excuſat à graui. ibidem n. 3.
Quanta debeat eſſe hæc modicitas ad excuſandum. ibid. n. 4. p. 253

A tali

A tali tempore excuſat ratio neceſſitatis, & vtilitatis, & qualis. ibid. n. 5. p. 253
Item ratio dignitatis, & qualis. ibid. n. 6. p. 253
Epiſcopi poſſunt celebrare, vel celebrare facere coram ſe ante auroram, & poſt meridiem. ibidem.
Item Cardinales. ibid.
Item Generales Religionum. ibid.
Ratione myſticæ ſolemnitatis in nocte Natiuitatis Domini celebratur. ibid. n. 7. p. 253
Non tamen poſſunt eadem nocte celebrari tres Miſſæ. ibid. n. 8., & 10. p. 253., & 254
In die Natalis Domini non ſunt ex præcepto audiendæ tres Miſſæ. ibid. n. 11. p. 254
Ratione priuilegiorum Regulares celebrare poſſunt ante auroram, & poſt meridiem. ibid. n. 12. p. 254
Cautè vti debent huiuſmodi priuilegijs. ibid. n. 13. p. 254
Sæculares audientes in die feſto ſacrum celebratum à Regularibus virtute priuilegiorum ante auroram, vel poſt meridiem ſatisfaciunt præcepto. ibidem nu. 14. p. 255
Sacerdotes ex vi ordinationis tenentur ſaltem quater in anno celebrare. q. 11. a. 3. S. 1. n. 13. pag. 344
Ex genere ſuo laudabilius eſt quotidiè Miſſam celebrare. ibid. nu. 22. p. 346
Ex circunſtantijs expedit quandoque omittere. ibid. n. 23. p. 346
Regulariter ſolum in die Natiuitatis Domini licet ſæpiùs celebrare. ibidem. S. 2. num. 1. pag. 347

Terminus.

Terminus formalis formæ conſecratoriæ panis eſt Corpus Chriſti Domini. q. 5. a 8. n. 1. p. 160
Conſecrationis vini eſt Sanguis. ibid. n. 2. p. 160
Quinam ſit terminus concomitans vtriuſque. ibid. n. 3. p. 160

Teſtator.

Teſtator inſtituens Capellaniam cum onere celebrationis in determinato ſacello, nilque dicens de onere applicationis, an intelligatur velle applicationem pro ſe. q. 11. a. 2. p. 339
Si Capellania, ſeu onus fuerit antiquum, & in poſſeſſione applicationis quadragenaria ſacrificium eſt pro teſtatore applicandum. ibidem n. 4., & 5. p. 339
Secus, ſi non fuerit in diutina poſſeſſione. ibidem n. 4. p. 339
Si Capellania fuerit recens, & redditus correſpondeant etiam applicationi, hæc ponenda eſt pro teſtatore. ibid. n. 7. p. 340
Secus, ſi redditus non fuerint congrui vtrique oneri. ibid. n. 12. p. 341
Vtiliùs ſibi conſulit teſtator curando, vt Miſſæ pro ſe celebrentur in vita, quam poſt mortem. q. 11. a. 3. S. 5. n. 2. p. 356
Teſtator obligans ad celebrandum quotidiè pro ſe non intelligitur obligare pro diebus vetitis. q. 11. a. 3. S. 7. n. 4. p. 361

V

Valor.

Valor ſacrificij Miſſæ multiplex. q. 2. a. 1. nu. 1. pag. 13
Ratione finis alter propitiatorius, alter ſatisfactorius, alter impetratorius. ibid. n. 2. p. 13
Ratione effectuum refertur, vt propitiatorium ad remiſſionem culpæ, vt ſatisfactorium ad remiſſionem pœnæ, vt impetratorium ad conſecutionem bonorum, & auerſionem malorum. ibid. n. 3. p. 13
Ratione perſonarum diuiditur in generalem, medium, & perſonalem. ibid. n. 4. p. 13
Valor ſacrificij Miſſæ, prout reſultat ex actione Sacerdotis præcisè, non eſt infinitus. q. 2. a. 2. n. 2. p. 14
Item, vt præcisè reſultat ex oblatione Eccleſiæ. ibid. n. 3. p. 14
Prout offertur à Chriſto Domino eſt infinitus in actu primo, & quoad ſufficientiam. ibidem n. 4. p. 15
Eſt eiuſdem rationis cum ſacrificio in Cruce oblato. ibid. n. 5. p. 15
Tam quoad propitiationem, quam quoad ſatisfactionem, quam quoad impetrationem. ibid. n. 6., & 7. p. 15
Cur in actu ſecundo non conferat effectum infinitum. ibid. n. 8. p. 15
Applicantur merita præterita Chriſti Domini. ibid. n. 7. p. 16
Valor extenſiuus in quo conſiſtat. q. 2. a. 3. num. 1. pag. 17
Valor Generalis eſt infinitus extenſiuè. ibid. nu. 2. pag. 17
Etiam, vt ſatisfactorius. ibid. n. 3. p. 18
Etiam valor, vt medius, eſt infinitus extenſiuè in actu primo, & æquè poteſt prodeſſe pro pluribus, ſi pro pluribus applicaretur, ac pro vno. ibid. n. 4. p. 18
Nec qualitas Sacerdotis offerentis, nec iterabilitas ſacrificij minuit eius valorem extenſiuum. ibid. n. 5., & 6. p. 18., & 19
Ratio, ob quam non iteratur ſacrificium Crucis. ibid. n. 7. p. 19
Sacerdos non applicans pro omnibus non peccat contra charitatem. ibid. n. 8. p. 19
Valor Generalis, medius, & perſonalis ſunt vnus, & idem ſolùm cum diuerſo reſpectu. ibidem n. 12. p. 20
Valor Generalis quaſi duplex, & quomodo. ibid. n. 13. p. 20
Diſtinctio Generalis à medio. ibid. n. 14. p. 21

Vaſa ſacra.

Ad ſacrificium requiritur Calix, & Patena. q. 9. a. 2. n. 1. p. 279
Regulariter debent eſſe ex auro, vel argento. ibid. n. 2. p. 279
Ob paupertatem poſſunt eſſe ex ſtanno. ibid.
Prohibentur Calices ex ligno, & ex vitro. ibid. n. 4. p. 280
An poſſint eſſe ex cryſtallo remiſſiuè. ibid. nu. 5. pag. 280
Qualis debeat eſſe forma materialis Calicis, & Patenæ. ibid. n. 6. p. 280
Forma ſpiritualis conſiſtit in conſecratione. ibidem n. 7. p. 280
Hæc conſecratio ex officio ſpectat ad Epiſcopum. ibid. n. 9. p. 280
Ex priuilegio competit etiam Abbatibus. ibid. num. 10. p. 280
Etiam PP. Societatis Ieſu in remotiſſimis partibus. ibid. n. 11. p. 281
Calix non conſecratus per conſecrationem Sanguinis in ipſo ſecūdum aliquos indiget adhuc cæremoniali conſecratione. ibid n. 12. p. 281

Se-

Secundum alios probabilius non indiget. ibid. n.13. p. 281
Æquè Patena, ac Calix indiget conſecratione. ibid. n. 14. p. 281
Conſecratio Calicis deperditur per nouam inaurationem. ibid. nu. 16. p. 282
Etiam per fractionem. ibid. n. 18. p. 282
Qualis debeat eſſe hæc fractio. ibid. n. 19. p. 82
Intellige de partibus fixis, non de tornatilibus. ibid. n. 20. p. 282
Non eſt neceſſe, quod pixis ſit conſecrata. ibid. n. 21. p. 282
Vaſis ſacris præſtandus eſt honor negatiuus. ibid. n. 23. p. 283
In quo conſiſtat hic honor negatiuus. ibidem n. 24. p. 283
Poteſtas tangendi vaſa ſacra ex officio pertinet ad Subdiaconos. ibid.
Ex priuilegio competit alijs, & quibus. ibidem n.25. p. 284
Secluſo priuilegio talis tactus eſt peccaminoſus venialitèr. ibid. n.26. p. 284
Etiam vaſis ſacris exhibendus eſt honor poſitiuus. ibid. n 27. p. 284
In quo conſiſtat hic honor poſitiuus. ibid. n.28. pag. 284
Honor hic eſt referendus abſolutè in Deum, reſpectiuè ad ipſa vaſa ſacra, ibidem num. 29. pag. 284

Verba.

Verba conſecratoria ſunt intrinſeca Sacramento. q.5. a.1. n.9. p. 127
Quomodo verba perſeuerent. ibid. n. 12. p. 128
Hæc perſeuerantia non conſiſtit præcisè in non retractatione. ibid. n.13. p. 129
De eſſentia conſecrationis panis ſunt tantum illa verba. *Hoc eſt Corpus meum*. q.5. a.4. n.4. p. 144
Verba illa, *qui pridiè, quam pateretur &c.*, non ſunt eſſentialia. ibid. n.5. p. 144
Nec ſubſequentia, *quod pro vobis tradetur*. ibidem n.6 p. 145
Particula, *enim*, non eſt eſſentialis. ib. n.7. p. 145
Cur in conſecratione Calicis dicatur, *Qui pro vobis effundetur*, & non in conſecratione panis, *quod pro vobis tradetur*. ibid. n. 10. p. 146
Forma conſecrationis vini ſpeculatiuè loquendo eſſentialiter conſiſtit in illis verbis. *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. ibid. n. 11. p. 147
In praxi omnia verba conſuetę formę ſunt adhibenda. ibid.
Quid ſignificet, ly, *Hic*, ſi diceretur. *Hic eſt Sanguis meus*, remiſſiuè. ibid. n. 12. p. 147
Forma conſecrationis vini eſt determinatè à Chriſto Domino inſtituta. ibid. n. 13. p. 148
Subſtantia Sanguinis Chriſti Domini ſub ſpeciebus conſtituitur in vltimo inſtanti prolationis formæ eſſentialis. ibid. nu. 18. p. 149
Non valet paritas deſumpta à forma baptiſmatis. ibid. n. 20 p. 151
Verba antecedentia, & ſubſequentia ſunt de præcepto. ibid. n. 22. p. 151
Verba conſecratoria de facto proferuntur ſimul recitatiuè, & enuntiatiuè. q.5. a.5. n.1. p. 152
Explicatur quid ſit modus enuntiatiuus, & recitatiuus. ibid. n.2. p. 152
Non habent ad inuicem oppoſitionem. ibidem n.3. p. 152
Soluuntur argumenta oppoſita. ibidem num.4, & ſeqq. p. 153
Ad valorem ſufficit, quod verba proferantur enuntiatiuè. ibid. nu. 10. p. 154
Prolatio recitatiua eſt de neceſſitate præcepti. ibid. n. 11. p. 155
Verba conſecratoria ſunt abſolutè, & ſimplicitèr vera. q.5. a. 6. n. 2. p. 155
Quandonam intelliguntur vera. ibid. n.3. p. 155
Non verificantur præcisè ex intentione loquentis. ibid. n.4. p. 155
Nec reſoluuntur in alternatiuam. ib. n. 5. p. 155
Sunt vera in vltimo ſigno prolationis vltimæ ſillabæ. ibid. n. 6. p. 156
Se habent per modum propoſitionis practicę. ibid. n. 7. p. 156
Cauſant, vt ſunt vera practicè. ibid. n. 8. p. 156
Ratio ſignificatiui in hoc non præcedit rationem veri. ibid. n. 9. p. 157
Referuntur verba, quæ habentur in Miſſa, & eorum myſtica ſignificatio. q. 9. a. 7. num. 1. pag. 294
Errores hæreticorum contra eadem. ibidem n. 2. p. 294
Euincitur poteſtas Eccleſiæ eadem inſtituendi. ibid. n. 3. p. 295
Omnia ritè, & ordinatè ſunt inſtituta. ibidem n. 4. p. 295
Carent omni errore, & ſuperſtitione. ibid. n. 5. pag. 295
Nil continent aduerſum facto Chriſti Domini. ibid. n.6. p. 295
Nil etiam continent erroneum. ibid. n.7. p. 296
Explicantur illa verba. *Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam*. ibid. n. 8. p. 296
Non vitiantur ex eo, quod proferantur Latino idiomate. ibid. n. 9. p. 296
Cur potius Latina, quam vernacula lingua proferantur. ibid. n. 10. p. 296
Cur aliqua alta, alia ſubmiſſa voce recitentur. ibid. n. 11. p. 297

Veſtes.

In Sacerdote celebraturo requiruntur ſacræ veſtes. q.3. a. 8. n. 2. p. 95
Veſtes ſcenicæ, & lubricæ arcendæ à communicantis. ibid.
Errores hæreticorum damnantium vſum ſacrarum veſtium. q. 9. a.5. n. 1. p. 289
Sacræ veſtes conuenientèr fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ. ibid. n. 2. p. 289
Euincitur hæc conuenientia tum ex ſignificatione morali, tum ex myſtica. ibid. n.4. p. 289
Refelluntur errores hæreticorum. ib. n. 5. p. 289
Deficientibus ſacris veſtibus Miſſa eſt omittenda. q.10. a.8. n. 1. p. 329

Viaticum.

Viaticum poteſt conferri exiſtenti in periculo mortis etiam non ieiuno. q.3. a. 7. n. 22. p. 85
In eadem infirmitate non ieiunus poteſt pluries communicare. ibid. n. 25. p. 87
Quantum tempus intercedere debeat inter vnam, & alteram communionem in eadem infirmitate. ibid. n. 27. p. 87
Si non ſit ieiunus iteranda eſt communio per modum viatici. ibid. nu. 28. p. 88
Poſt nouum peccatum commiſſum poſt primum viaticum non tenetur iterum communicare. ibid. n. 29. p. 88
Etiam ante mortem violentam non ieiuno poteſt conferri viaticum. ibid. n. 30. p. 88
Conſultius foret, ſi reus ipſa die mortis communicaret. ibid. n.31. p. 88
Reus communicatus die præcedenti, poteſt

etiam

etiam communicari die mortis. ib. n. 32. p. 88
An in eo caſu non ieiunus poſſit communicare. ibid. nu. 33. p. 89
An, qui manè ſanus communicauit ſit ex neceſſitate in veſpere communicandus per modum viatici, ſi inciderit in mortis periculum, ſententia negans refertur. ibid. n. 36. p. 90
Sententia affirmans refertur cum ſuis rationibus. ibid. n. 37. p. 90
Præfertur hæc ſecunda ſententia affirmatiua. ibid. n. 39. p. 91
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. ibidem n. 40., & 41. p. 91

Vinum.

Subſtantia vini in actione ſacrificatiua venit eſſentialitèr tanquam terminus à quo. q. 1. a. 4 n. 2. p. 10
Etiam ſpecies eiuſdem tanquam quid permanens. ibid. n. 4. p. 11
Guttæ vini extra concauum Calicis exiſtentes regularitèr non conſecrantur. q. 3. a. 4. n. 14. pag. 49
Exiſtentes intra Calicem ſecundum aliquos non validè conſecrantur. ibid. nu. 15. p. 49
Probabilius validè conſecrantur. ibid n. 16. p. 50
Gutta vini non conſecrati commixta vino conſecrato non eſt conſecrabilis directè. ibidem n. 18. p. 50
Non eſt deſignabilis per particulam. *Hic*. ibid. n. 19. p. 51
Quid agendum in eo caſu commixtionis. ibid. n. 20. p. 51
Vinum in dolio incluſum eſt ſatis præſens ad validam conſecrationem. ibid. n. 28. p. 54
Referuntur errores hæreticorum circa materiam Sanguinis. q. 4. a. 2. n. 1. p. 104
Materia huius conſecrationis debet eſſe vinum ex vite. ibid. n. 2. p. 104
Non ceruiſia, nec ſicera. ibid. n. 3. p. 104
Nec agreſtum, nec acetum, item nec muſtum valdè decoctum. ibid. n. 4. p. 104
Vinum in vuis exiſtens, & non expreſſum non eſt apta materia. ibid. n. 5. p. 105
Muſtum immediatè ex vuis expreſſum poteſt validè conſecrari. ibid. n. 7. p. 105
Omphacium non eſt aptum. ibid. n. 7. p. 105
Sententia docens vinum congelatum non eſſe aptam materiam. ibid. n. 9. p. 105
Sententia docens eſſe aptam, & ſufficientem quoad valorem. ibid.
Probabilior eſt hæc ſecunda ſententia, non tamen de facili exequenda. ibid.
Vinum poſt conſecrationem congelatum remanet conſecratum. ibid. n. 10. p. 106
Vinum productum miraculosè eſt aptum. ibidem n. 11. p. 106
Vinum ex vuis paſſis extractum quomodo ſit aptum, ibid. n. 12. p. 106
In oſſa imbibitum non eſt aptum. ib. n. 13. p. 106
Ex præcepto Eccleſiaſtico debet aqua miſceri. ibid. n. 15. p. 107
Non ex neceſſitate Sacramenti, nec ex iure Diuino. ibid. n. 16. p. 107
Quando vinum incipit aceſcere, eſt potius Miſſa omittenda, quam celebranda in eodem. q. 10 a. 8. n. 10. p. 331
Item, quando deficit aqua. ibid. n. 11. p. 331
Item, quando eſſet ſolum aqua roſacea. ibidem n. 12. p. 332

Votum.

An votum Communitatis ſeruandi diem aliquem pro feſto obliget ſucceſſores ad illud ſeruandum, & audiendum ſacrum. q. 8. a. 7. n. 15. p. 228
Conueniente Epiſcopo cum populo poteſt illud votum obligare ſucceſſores in vim legis. ibid.
Obligatus ex voto ad audiendum ſacrum in die feſto aud ens vnum ſacrum in illo die ſecundum aliquos ſatisfacit, & voto, & præcepto Eccleſiæ. q. 8. a. 18 n. 4. p. 259
Probabilius non ſatisfacit. ibid. n. 5. p. 259
Obligatus ex voto ad audiendam vnum ſacrum, & alterum diſtinctum ex præcepto Eccleſiaſtico, an ſatisfaciat audiens duo ſacra, ſi pro eodem tempore in duobus Altaribus celebrentur remiſſiuè. q. 8. a. 19. p. 262., & 263

AMICE LECTOR.

Errores plures, vel ex ignorantia impreſſoris, vel ex incuria correctoris in hoc opere irrepſerunt. Author alijs diſtractus omnibus non potuit obuiare. Grauiores hic ſignat; reliquos tuæ circunſpectioni emendandos relinquit.

Errata.	Corrige.	Errata.	Corrige.
Pag. 15. col. 1. lin. 3. in actis primo	in actu primo	82. col. 1. lin. 13. demmenda	deſumenda
16. col. 1. lin. 42. eſſent	eſſet	103. col. 1. lin. 59. videmus	videtur
21. col. 1. lin. 58. palmari	bipalmari	106. col. 2. lin. 10. liquorum	liquorem
19. col. 1. lin. 59. imitationem	limitationem	107. col. 1. lin. 42. Diuæ	Diui
21. col. 2. lin. 33. alterius	vlterius	108. col. 1. lin. 42. ablutionem	oblationem
42. col. 2. lin. 13. iactitur	iacitur	117. col. 1. lin. 42. Teolorum	Theologorum
47. col. 1. lin. 51. Patri	Petri	149. col. 2. lin. 13. meus	mens
48. col. 2. lin. 57. indiuiſibilibus	diuiſibilibus	158. col. 1. lin. 41. præſcindens	præſcindentem
54. col. 1. lin. 44. Hoſtis.	Hoſtijs	159. col. 2. lin. 19. Nominatiuo	Maſculino
55. col. 1. lin. 14. ſint	ſine	230. col. 1. lin. 8. nam	non
73. col. 1. lin. 27. non	ergo	343. col. 2. lin. 41. culpam	culpa
73. col. 2. lin. 31. hoc	hæc	363. col. 2. lin. 50. ſunt	ſua
83. col. 2. lin. 20. Auallena	Auellana	369. col. 2. lin. 14. ſtatum	ſtatim
86. col. 1. lin. 53. *d.* 14.	*d. c.* 4.	384. col. 2. lin. 25. accipiebant	excipiebant
86. col. 1. lin. 55. ieiunium	ieiunum	409. col. 1. lin. 58. cæteras	cæteris

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google